

MOYSES.





CHRISTVS.

METHODVS SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ OCTO

libris tradita,

IN QVORVM

I. PRÆCOGNITA.
II. THEOLOGIA NATVRALIS.
III. THEOLOGIA CATECHETICA.
IV. THEOLOGIA SCHOLASTICA.
V. THEOLOGIA CASVVM.
VI. PROPHETICA.
VII. ACROAMATICA.



S. MATTHEVS.



S. MARCVS.

Autore
IOHAN-HENRICO ALSTEDIO.

Accessit Index capitum, rerum & verborum locupletissimus.

HANOVIAE.
Prostat apud Conradum Eifridum Bibliopol.
M. DC. XXIII.



S. LVCAS.



S. IOHANNES.



PHILOSOPHIA.





THEOLOGIA.

Balth: Schwan fecit.

Joh. Conrad Caußenig D.

Psal. 119. v. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104.

Quàm diligo legem tuam? Tota die est meditatio mea. Inimicis meis sapientiorem me reddit præceptis tuis: nam in seculum adest mihi. Omnibus doctoribus meis intelligentior fio, quia testimonia tua meditatio mea sunt. Senibus prudentior sum, quia mandata tua custodio. Ab omni semita mali cohibeo pedes meos, vt obseruem verbum tuum. A iudiciis tuis non recedo, quia tu doces me. Quàm suauia sunt palato meo iudicia sermonis tui; suauiora melle ori meo. Mandatis tuis prudens sum: iccirco odi omnem semitam falsitatis.

Tit. 1. v. 7. 8. 9.

Oportet enim episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem, non sibi pertinaciter placentem, non iracundum, non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem. Sed hospitalem, bonorum amantem, temperantem, iustum, pium, continentem: Tenacem fidelis illius sermonis, qui ad doctrinam facit, vt possit & exhortari doctrina sana, & contradicentes conuincere.



PRÆFATIO IN PRÆCOGNITA THEOLOGICA.

INTER nomina, quæ imposita sunt hosti generis humani capitali multa, nullum exprimit melius ipsius ingenium & studium, quàm Græcum illud Διάβολος, quod Syri reddiderunt אכלקרצא Achel Karza, i. e. promulgator obtrectationis. Nam ὁ μυριοτέχνης ille pascitur διαβολῇ, *calumnia*, & è suggesto, quem erigit sibi in cordibus mortalium, concionatur de calumnia, eamque vnice suadet. Hoc cum in omnibus vitæ humanæ ordinibus eheu quotidie experimur, tum in ordine nostro, quem Scholasticum dicimus, nimis quam sæpe. Fons ille boni, Deus, literas bonas illarumque studia hominibus commendauerat, vt illarum beneficio seipsis meliores euaderent, & alios commilitones suos meliores facere possent. Sed Diabolus vt mensuram nominis sui impleret, me conuertit in fel, deque candido fecit nigrum, quando literas diuinitus concessas, vt homo homini inseruire posset, commutauit in lituras, quibus gloria Dei & bona proximi fama obscuraretur. Qui scribendo in commune bonum aliquid profert, bene meretur de multis. At diabolus excitat obtrectatores, quibus hæc vna cura, carpere, lacerare, damnare. Scribunt, Angelos non generare. Recte quidem, si generationem Physicam spectes. At si vitia, fœtus Diaboli germanos, adspicias, omnino deprehendes fœcundã huius parentis naturam. Ausim dicere in Scholis, quæ debebant esse seminaria pietatis

& officinæ virtutum, tot ferme eſſe Diabolos, quot ſunt viri & iuuenes, qui ſibi ſapere videntur. Publica commoda augere poſtulas editis in lucē ſcriptis? Diaboli iſti infinita calumniarum plauſtra conuehunt, funem trahente ſuo magiſtro, cui ſe manciparunt. Apud ſeculum prius proterua conuitiorum, ſcurrilitatum, vernilitatum, contumeliarum nomina in circulis, in luſtris, in cauponis naſcebantur. Hodie è ſinu literarum, è corde & ore literatorum, non ea tantum, ſed noua, ſed veteribus inaudita, ſed infanda prodeunt. Inciuile, petulans, improbum & iniurium aliquod dictū, quo vir bonus laceretur, excogitandum eſt? Ne longe diſcede. Dabunt literæ & quod quæris, & ſi hoc non ſatis eſt, etiam artem calumniandi, & artifices, qui artem iſtam factitant, vbere prouentu ſuppeditabunt, qui per omnes calumniarum numeros, quantum in palæſtra Διαβολῆς profecerint, tibi probabunt. Ego viuus tibi in exemplum ero, quod huic aſſertioni faciat fidem. Factus ſum ſcopus maleuolentiſſimorum quorundam calumniis, quibus ceu ſagittis animum meum petiuerunt. Ad ſcribendum me cōtuli hoc animo, Deum teſtor, cuius ante tribunal rationem reddam dictorum factorumque meorum. Aduocato vſus Ieſu Chriſto, teſte conſcientia; hoc, inquam, animo me contuli ad ſcribendum, vt methodi lumine pleriſque diſciplinis illato commoda eorum prouehere͂, qui mei ſimiles, hoc eſt, diſcendi cupidiſſimi eſſent, adeoq; illis oſtenderem grauiſſimam de Deo formam in artibus eſſe ſparſam. Hoc meum factum tot ſiniſtros interpretes inuenit, quot flocci ex æthere decidunt,

Quando ruit denſum tacitarum vellus aquarum.

Sed quid multis? Diabolorum Academicorum (bonos viros non tango) & Scholaſticorum ſecta peſtilenti afflatu ſiderata quando magis regnum obtinuit quam hodie? Diligentia ſale pietatis condita confodis, monſtra illa horrenda in ſylua plus quam opaca, ignauiam dico & inſcitiam? Neſcio, cuius ope hoc factum clamitant atri illi cenſores. Nimirum qui per vitrum viride contuentur parietem album, iudicant rem viſam talem, quale eſt medium videndi. Hoc idem accidit Diabolis illis. Cum ipſi corda ſua conſtituant cathedras, in quibus

Satan,

Satan, Diabolus ille magnus (ſic enim hodie ἀρχαγγελικῶς appellandus fuerit) quod id eprofitetur artem calumniandi, alios ſuo pede metiuntur, & eoſdem frequentare hoc idem collegium huius profeſſoris ſibi perſuadent. Conſumis plus olei, quam vini? Ægre hoc ferunt vini potores potentiſſimi, & inter pocula certant maledictis, quibus tuam diligentiam aliis ſuſpectam reddant. Scribis aliquid in publicum? Tenebriones tibi obiicient aureum illud, ſed in alienum & prauum ſenſum detortum, λάθε βιώσας: vel puerilitates à te ſcriptitatas viri iſti iam maturo iudicio prodent in diætis & encycliis ſuis. Quid putas animi eſſe poteſt homini innocenti, quando tam indigna experitur? Stoicorum ἀναισθησίαν hic optant multi. Ego minime. Cor Dauidis mihi largire Iehoua Deus mi, & cor Iobi, vt perferam maledicta fortiter, & ex alto deſpiciam alacriter, vt ne reponam calumnias plenis modiis, ſed in me illas non iaci cogitem. Et certe Deus è mediis inuidiæ flammis, ex ipſo obtrectatorum ſtrepitu excitare ſolet homines probiſſimos & integerrimos, qui adiutum eant nos ſub onere calumniæ fatiſcentes & tantum non deficientes. Pauci quidem illi ſunt, ſed tales, quorum decem in bilance poſiti cum calumniatoribus, omnes illos ſuperent humanitatis, pietatis & charitatis Chriſtianæ pondere. Quem igitur animum obtrectatores nobis eripere potius conantur quam eripiunt: hunc boni viri cõſeruant, fouent, augent. Quocirca & ego contemtis maledictis eorum, qui iam ante ſemetipſi contemſerunt, pergam in ſtadio, quod ſemel ingreſſus ſum, & cumprimis Methodum ſacroſanctæ Theologiæ, cuius compendium ante pauculos annos me nolente volente lucem adſpexit, pleniſſime diductam cõmunicabo cum bonis, qui vt id faciam quotidie hortantur. Valetudinem huic rei impendam meam, vbi videro hanc operam à me ſumtam ſeruire illuſtrandæ gloriæ Dei, & ædificationi populi ipſius: quas duas conſtituo metas ſcriptionis meæ, id quod ſolus is nouit,

Qui ſcit, quod cordis conſeruant cunque receſſus.

Huic bono nunc emitto duos priores libros, quibus methodum Præcognitorum Theologicorum arctaui expreſſi. De ho-

horum necessitate & modo nunc tribus verbis differere instituam, vt videant viri cordati, me grauissimis causis inductum paulo prolixius hanc materiam executum esse.

Multa videas à summis Theologis iam olim scripta & adhuc dum scribi de formando studio Theologico Hinc illę librorum inscriptiones: *De ratione studii Theologici: De modo discendi Theologiam: Idea Theologi: Theologus: Clauis sacræ Scripturæ: De ratione cognoscendi S. literas: De lectione Scripturæ Sacræ: Isagoge in libros sacros: Index Biblicus*, & aliæ multæ. His adde illas epigraphas: *De natura Theologiæ: De Theologiæ ortu, causis, modo & dignitate: De excellentia Theologiæ & similes*. Præclaram sumunt operam, qui hæc ista in publicum scribunt. Debitum itaque honorem illis deferre, debitam iis laudem tribuere est hominum ingenuorum. Sed & liberorum hominum est inquirere, an istæ scriptiones & materiæ pertineant ad συμπλήρωμα corporis Theologici? Id aio, sed fretus ratione, sine qua in methodica dispositione disciplinarum & facultatum nihil temere statuendum esse docet nos lux rationis, imago Dei adhuc reliqua in cordibus nostris. Rationem illam paucis accipe. Illa, quæ denominātur Theologica, non eliminanda sunt extra pomœria & fines regni Theologici, non aliter atque membrum corporis humani ad peregrinam sedem occupandum compelli non debet. Sic quæ logica sunt & dicuntur, extra circulum illius disciplinæ tradi non debent. Sunt autem illa Theologica, quę traduntur de Natura studio illius. Quis igitur integro iudicio pronunciabit, illa habere peculiarem locum extra methodū Theologiæ? Hinc colligas oportet, in agrum Theologiæ hos fructus inferendos esse. Sed cum disciplina & facultas omnis habeat quædam προγινωσκόμενα, quæ præparant animum discentis ad capessenda felicius & facilius τὰ γινωσκόμενα, vt ita dicam, quæritur, vtri classi sint transcribenda, quæ de natura & Studio Theologiæ tradita sunt à viris optime de Ecclesia Christi meritis? Qui non dico Solem intellectus, vel Lunam, sed Stellam saltem nebulosam habent, è modo data præcognitorum finitione, quod nimirum illa sint præparatio animi ad rectius capiendam futuram doctrinam, collige-

re

re possunt, ad Præcognita Theologica pertinere omnia illa quæ & authoribus istis præcepta sunt & tradita peculiaribus voluminibus à corpore Theologiæ hactenus separatis. Ex his vides, Lector cordate, quæ sit horum Præcognitorum necessitas. Illorum modum, quod iubet ordo quem me seruaturum in hac præfatione promisi, nunc vna atque altera linea circumscribam. Excellentiam Theologiæ summam nosse multis nominibus expedit eum, qui hoc in studio vtiliter versari velit, tum vt humiliet se, quando videt colophonem Theologiæ in hac vita attingi non posse, tum vt DEI summi Theologi opem imploret, tum denique vt seipsum consoletur, quando mundus ille immundus alto supercilio contemnit & fastidit studium quod huic facultati impenditur, & studiosos illius σκύβαλα reputat. Christianis omnibus constare debet de dignitate sua in CHRISTO IESU, cumprimis illis, qui Theologiam alios docent, de sui muneris grauitate: vt illi ad suam dignitatem contendant, hi attendant ad dispensationem sibi concreditam, ab aliis rebus velut scopulis periculosissimis syrtibusque caueant, & in suis dies noctesque coram Domino versentur religiosissime. Hæc vt assequerer, disserui de Theologia vera & falsa: illius modum circumscripsi tribus potissimum gradibus, quorum primus est in DEO, secundus in CHRISTO Θεανθρώπῳ secundum humanam naturam ipsius, tertius in electis Angelis & hominibus, quorum caput est CHRITUS. Theologia, quæ in Deo est, infinita est ipsius essentia, sed cum hoc modo determinata, quatenus cognita. Hæc est velut castellum, è quo ipse tanquã omnisapiens aquilex per canales & tubos purissimos deducit riuulos ad varias herbas & arbores horti sui, qui est Ecclesia, irrigandas. In hoc horto primas tenet arbor vitæ, Christus qua Mediator est. Primum & perfectissimum flumen, quod è castello illo inexhausto egreditur, ad hanc arborem deducitur gratia illa vnionis, qua fit vt Theologia, quæ in DEO est infinita simpliciter, in Christo quatenus est Oeconomus gratiæ Dei primus & dilectissimus, sit infinita secundũ quid.

Deus

Deus enim huic non admetitur Spiritum certa mensura. Secundum flumen, quod deriuatur è castello isto ad irrigandum reliquas Paradisi istius arbores, nonnisi per primũ illud, quod deductum est ad arborem vitę, egredi potest, ideoque in se est limpidissimum, sed quam primum diuiditur in varios riuulos, quorum alii deducuntur ad arbores in cœlestem Paradisum translatas, alii ad arbores in Paradiso gratiæ consi as, accipit determinationem variam. Videmus enim aquam eandem variis modis affici, prout variæ sunt arbores, quibus rigandis adhibetur. Idem de Theologia iam communicata ipso actu cum creaturis iudicium est. Aliter illa in Angelis bonis & beatis hominibus in statu patriæ, aliter in viatoribus se habet, vbi variat inter omnes & in omnibus. Sic itaque videor mihi exposuisse non quidem prout hoc argumentum tractari postulauit, sed vt mea tenuitas, & commodum τῶν ζωωθεολόγων, quibus hanc scriptionem elaboraui, tulit, quanta sit dignitas Christianorum omnium, quantaque maiestas rerum diuinarum, quam DEUS in vasculorum χοϊκῶν testarumque infirmitate voluit depositam. Cum vero tanta sit rerum Theologicarum maiestas, addo & difficultas, cogitandum est de via facili, qua possumus contendere ad horti huius culturã. Hanc pro virili mea commonstrare conatus sum potius quam monstraui libro secundo. Prima hic cura, vt scopum excellentem sibi præstituat hortulanus: tum vt de certo tempore cogitet, quo possit hortus coli, vt ne ingruente hyeme enecetur frigore, si quidam affectum sit & ferme perfectum, pro modulo scilicet viatoris Theologi, tum denique vt legitima adhibeat media, quorum duo summa capita Ars & Exercitatio. Prora & puppis, vallum & fossa hic nobis est Lectio Sacrarum literarum, in quibus princeps Theologus Deus principia & conclusiones Theologię nostræ quam sic dicimus, hinc inde sparsit tanquam semina, in quibus virtute continentur ipsæ herbę & arbores. De modo lectionis istius satis multa scripsi, si conferas cum reliquis mediis, in quibus enarrandis nõ adeo multus fui, at nõ satis multa, si respicias Sacrarum literarum dignitatem. Quidquid tamen huius operæ præstitum est, sic velim inter-

interpretere, Theologum primo cognoscere debere naturam suæ facultatis, dehinc peruoluere oportere Sacram scripturam, in qua infeliciter versabitur, qui isagogica illa nostra præterierit. De reliquis consule præcepta & commentaria libri secund . Agnosces hic vest gia doctrinę à magnis viris traditæ: sed quam ego lumine methodi meam feci. Te oro lector beneuole, adfer animum candidum adhæc n stra legenda & censenda, ingenium item φιλομεθοδικόν. Hoc vtrumque, candor & methodus, quia deest calumniatoribus, æmulatio oculos eorum perstringit, vt opes hic reconditas non videant, sed puerilitatis notam nobis impingant ἀμεθοδδσία, ne eas consequi possint. His ego, meliorem à Deo mentem ex animo, nobis valetudinem firmam!



ELENCHVS CAPITA LIBRI I. SERIE SVA RECENSENS.

ELENCHVS LIB. II.

20 Typus

101. Figu-

FINIS.



PRÆCOGNITORVM THEOLOGICORVM LIBRI DVO,

NATVRAM THEOLOGIÆ EXPLICANTES, & rationem studii illius plenissime monstrantes.

GENERALIS INTRODVCTIO In PRÆCOGNITA THEOLOGICA.

*Εὐχὴ authoris.

SCRIPTVRVS *methodum sacrosanctæ Theologiæ, primum Deum Patrem illum luminis, sine cuius lumine nihil boni est in homine, toto pectore precor & supplex veneror, vt in sanctissimo hoc argumento præluceat mihi Spiritus sui sancti salutari gratia, per filium suum vnigenitum, qui factus est nobis ab ipso sapientia, iustitia, sanctificatio & redemtio, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi, vt tenuis hæc opera mea vergat ad diuini ipsius nominis gloriam, & commune multorum piorum bonum, quo possimus in ipso augescere, donec assurrexerimus in staturam illam iustam viri perfecti, & assecuti fuerimus lumen illud gloriæ, quod ipse reseruat omnibus iis, qui lumine naturæ & gratiæ in Iesu Christo recte vtuntur.*

Theologia plene & recte traditur per præcognita generalia, & methodum præceptorum specialium.

Præcognita Theologica, sunt generalis doctrina de Theologiæ natura & studio.

Deus

Deus author omnis boni in natura & supra naturam, cum multa alia in hominem contulit admiranda sapientiæ suæ documenta, tum illud maxime admirandum, intellectum videlicet ordinis, quo fit vt homo non solum dispositionem syllogisticam, tanquam quodam lumine mentis diiudicare possit, sed etiam dispositionem methodicam maximopere ornet. Methodica illa dispositio à generalibus ad specialia progreditur, tanquam à notioribus ad ignotiora, & à primis ad secunda. Vbi itaque est generale & speciale, ibi methodus locum habere potest. Hæc eo dico, vt constet quare dixerim, Theologiam plene & recte tradi per præcognita generalia, & methodum præceptorum specialium. Nam cum vulgus theologorum negligant primam & generalissimam hanc præceptionem, paucis illius necessitas fuerit indicanda. Si igitur Theologia habet communissima quædam, vtique illa cognoscere oportet eum, qui solidam illius cognitionem quærit. Huiusmodi autem communissima capita, dico explicationem vocis, generis, differentiæ, causarum, obiecti, partitionis, & rationem tum docendi tum discendi Theologiam. Sine horum accurata cognitione, specialis methodus dextre non potest institui. Pendent enim omnino specialia à generalibus, tanquam angustiora à communibus, & posteriora à primis. Neque vero in ipsa Theologiæ methodo generalissima illa tradenda sunt; quia omnis doctrina specialis habet quædam quasi exotica, quæ non in ipsius corpore seu systemate explicanda, sed systemati præmittenda sunt. Hæc docendi methodus nititur tum ratione, tum authoritate. Ratio est hæc: Id tradendum est in systemate alicuius disciplinæ, quod definitionem illius explicat. Quocirca necessum est, vt definitio sit prius nota, quam præcepta essentialia tradantur. Nec enim scire poteris quænam præcepta, verbi gratia, in Locis sint homogenea, si definitionem illius artis non habeas cognitam iam ante. De distributione idem esto iudicium. Nam quod definitio implicite proponit; id distributio euoluit: vnde illam perimetro seu circumferentiæ, istam diametro conferre solent. Sic si scias, quod Logica sit ars bene disserendi, item quod eius partes duæ sint, vna generalis, altera specialis, quarum illa modum bene disserendi generatim persequatur, instrumentorum Logicorum naturam explicando, ista modum bene disserendi speciatim tradat, instrumentorum Logicorum vsum monstrando: Si, inquam, hoc scias, habebis cynosuram, ad quam respicere potes, & vere debes, in præceptorum Logicorum constitutione: Exempli gratia, doctrina de syllogismo, est Logicæ considerationis;

Intellectus ordinis.

Generalia Theologiæ quæ sint.

tionis; quia facit ad modum bene disserendi; & est tradenda in parte generali, quoniam huius instrumenti natura explicanda est. At vsus syllogismi quis sit, docebit te pars specialis. Ex his vides, si quid vides vel videre cupis, quare definitionem & distributionem alicuius disciplinæ adnumerem præcognitis, secutus Peripateticos, qui docent in methodo synthetica & analytica disciplinarum omnino quædam esse præcognoscenda. Posteaquam vero natura disciplinæ præcognita est, omnino de studio ipsius aliquid præcognoscendum est. Nimirum infeliciter aliquam disciplinam discere cupit is, qui non nouit quo pacto illa discenda sit. Atque hinc illæ lacrymæ multorum adolescentum, qui cum vident se aliquot annos impendisse huius vel illius disciplinæ studio sine omni fructu, demum consultum eunt alios & demum rogant, quam viam insistere debeant, vt faciant operæ pretium, non autem operam & oleum, quod dicitur, perdant, sicut iam ante se fecisse queruntur. Authoritas, hanc sententiam firmatam rationis momento, nunc tanquam tapetium ornabit. Omnes omnino bonarum literarũ professores, solent animos auditorum & lectorum præmissis prolegomenis, vti vocant, ad doctrinam secuturam eo auidius arripiendam & imbibendam, præparare. Quæ illi vocant προλεγόμενα, nos dicimus præcognita, quo vocabulo vtitur philosophus. 6 Ethic. cap. 4. Ἐκ προγινωσκομένων, *ait,* πᾶσα διδασκαλία, è præcognitis omnis doctrina. *Alii vocant* προδιδάγματα, πρόγνωσιν, προθεωρίαν: *alii* prænotiones, anticipatam cognitionem, & præmittenda.

Definitio & distributio disciplinæ pertinent ad præcognita.

Prolegomena quæ dicantur.

Duæ ergo præcognitorum Theologicorum partes, atque adeo libri futuri sunt: prior de natura, alter de studio Theologiæ recte instituendo. *In priori quidem libro sequemur ordinem naturæ & doctrinæ accuratæ, quem dicunt methodum sapientiæ & acroamaticam; in posteriori autem ordinem melioris doctrinæ obseruabimus, quem dicunt methodum prudentiæ & exotericam.*

Methodus est sapientiæ, vel prudentiæ.

PRÆCO-



PRÆCOGNITORVM THEOLOGICORVM

LIBER PRIMVS.

Qui est de Theologiæ Natura.

CAPVT I.

DEFINITIO NOMINIS THEOLOGIAE.



NATVRA Theologiæ explicatur definitione & distributione illius.

Ratio huius præcepti clara est è generali introductione, & clarior euadit ex illo Philosophorum monito, quo docent, illum non continuo esse dicendum peritum alicuius disciplinæ, qui definitionem & distributionem illius nouit, sed illum, qui definitionem & distributionem nouit vna cum præceptis specialibus. Nam etiamsi natura disciplinæ è definitione & distributione illius perui-deri potest: tamen hæc cognitio est adhuc indistincta, iodeoque imperfecta. Quare vero hoc? Quia scil. definitio & distributio disciplinæ nō pertinent ad ipsam γνῶσιν disciplinæ, sed ad πρόγνωσιν. At si spectes rem aliquam, quæ est pars disciplinæ, illius natura solide explicatur definitione & distributione. Ratio est; quia disciplina est totum quid, at certa res alicuius disciplinę est pars eius. Iam vero totius natura, præsertim si collectiuum sit, ex vna definitione & distributione non potest plene cognosci, præcognosci tamen potest. *Necessaria cautio.*

Definitio Theologiæ, est vel nominis, vel rei. Illa Græcis ὀνοματώδης, *nominalis*; hæc πραγματώδης, *realis* dicitur, Scholastici vocant *quid nominis*, & *quid rei*, & dicunt: *Fiat initium à quid terminorum; quoniam hoc ignorato paralogizantur faciliter, & hallucinantur inquisitores veritatis.* Sic illi barbare quidem, sed tamen vere. Nam εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρώτως ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, *ad recte docendum oportet primo expendere nomina.* Quare vero hoc? *Cognitio vocum quam necessaria sit?*

 Quia,

Quia, vt ait *Clemens Alexandrinus, lib. 6 stromatum*, δύο εἰσὶν ἰδέαι τῆς ἀληθείας, τὰ τε ὀνόματα καὶ τὰ πράγματα, *dua sunt idea veritatis, nomina & res*: & quidem nomina sunt symbola rerum, ideoque nos prouehunt in cognitionem ipsarum rerum, dummodo modus statuatur huic contemplationi, vt ne sit ἀμφισβήτησις περὶ λόγου.

Definitio nominis est vel primaria, vel secundaria. Illa vocatur λόγος ὀνοματώδης κατ' ἐτυμολογίαν; ista κατὰ συνωνυμίαν.

Definitio nominis primaria, est, qua vocem hanc Theologia è notione sua declarat.

Dicta autem est θεολογία ἀπὸ τοῦ θεολόγου; *& hic, quasi,* θεὸν, *seu* περὶ τοῦ θεοῦ λέγων, *hoc est, qui de Deo disserit, aut de rebus diuinis, rerum diuinarum consultus. Itaque* θεολογία *est sermo aut dissertatio de Deo rebusue diuinis.* Theoremata huius loci sunt.

1. [*Vtraque vox,* θεολόγος *&* θεολογία *est tum diuina, tum humana.*] *Diuina* quidem; quia in inscriptione Apocalypsis Iohannis legitur, hoc titulo: ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ θεολόγου, *apocalypsis Iohannis Theologi.* Intelligitur hic Iohannes Euangelista, qui κατ' ἐξοχὴν fuit Theologus à veteribus appellatus; quod de Christi Deitate nemo vnquam hominum apertius aut diuinius scripserit, adeoque quod θεότητα τοῦ λόγου cumprimis adseruerit. Hinc illi hoc cognomentum, quo nihil augustius dici potest. *Gregorius Nazianzenus* etiam Theologus appellatur, forsan & eandem ob causam, quod de sacrosancta Trinitate, atque adeo etiam de λόγῳ illo patris apertissime scripserit. Sed hæc significatio hoc in loco non attenditur, vbi non ita stricte vocabulum θεολόγος, sed late accipitur pro eo, qui de Deo, aut rebus diuinis disserit, vt paulo ante exposuimus. Cæterum dicitur *humana* hæc vox, quia cum apud sacros, tum profanos authores occurrit. In sacris est *Dionysius* ille *Areopagita*, qui θεολογίαν seu θεολόγων παράδοσιν duplicem facit, τὴν μὲν, ἀπόρρητον καὶ μυστικὴν, τὴν δ' ἐμφανῆ καὶ γνωριμωτέραν, καὶ τὴν μὲν συμβολικὴν καὶ τελεστικὴν, τὴν δὲ φιλόσοφον καὶ ἀποδεικτικήν, hoc est, *illam quidem arcanam & mysticam, hanc vero claram & notiorem: & illam quidem symbolicam & expiatricem, hanc vero philosophicam & demonstratiuam.* Dionysio adde Patres Græcos, qui sæpissime his duabus vocibus vtuntur. Sic *Lactant. de ira Dei cap.* 11. *Vetustissimi Græciæ scriptores, quia de diis & eorum cultu agerent, appellati sunt Theologi, & eorum scientia Theologia.* Inter profanos authores est *Plato*, qui *lib. 2. polit.* ait: οἱ τύποι περὶ θεολογίας τίνες ἂν εἶεν. *Aristot. lib.* 10. *metaph. cap.* 6. metaphysicam vocat θεολογικὴν ἐπιστήμην, quam præstantissimam τῶν θεωρητικῶν ἐπιστημῶν esse tradit. Et in *lib. de mundo* ait: θεολογῶμεν περὶ τούτων συμπάντων, hoc est, *theologica commentatione disserere aggrediamur de iis omnibus*: vbi tamen Budæus interpretatur *philosophari. Plutarchus de defectu orac.* οἱ Δελφῶν θεολόγοι,

Iohannes Euangelista cur appellatus sit Theologus.

Theologia est duplex Dionysio Areopagita.

γοι, *Delphorum Theologi.* Vtitur hoc vocabulo etiam *Cicero lib. 3. de nat. deorum: Ioues tres numerant ii, qui theologi nominantur:* h. e. vt Alexander Aphrodisæus apud Aristotelem docet, qui scientiam de diis se edocturos profitebantur, vt Hesiodus, Homerus, Orpheus. Huc etiam pertinet verbum θεολογεῖν, de Deo loquor, de rebus diuinis dissero, theologice disputo, dissero, aut explico, aut commentor more eorum, qui rerum diuinarum scientiam profitentur. Hic *Areopagita* modo citatus dicit, θεολογεῖν τὰ περὶ τριάδος, theologice explicare doctrinam de S. Trinitate: & de Luca: θεολογῶν τὸ τῆς ἱερᾶς οἰκονομίας μυστήριον, theologice disserens de sanctæ incarnationis mysterio. Idem, θεολογεῖν τὸν Ἰησοῦν, Iesum asserere & prædicare, Budæo Interprete. Inuenitur & passiuum θεολογοῦμαι. *Plutarch. de def. orac.* τούτοις μὲν οὖν ὅμοια πολλὰ λαβεῖν ἐστιν ἐκ τῶν θεολογουμένων, *ex his quæ de diis feruntur.* Item in altera significatione apud eundem, καὶ θεολογεῖται ἡ ἀρχέγονος φύσις τοῖς ἔπεσι τοῦ Ὁμήρου *& theologice edisseritur seu explicatur primordialis natura carminibus Homeri.* Sic & θεολογουμένη τριὰς apud Dionysium. Sunt enim θεολογούμενα, vt Budæus interpretatur, theologice disputata, theologice explicata. Citat etiam *Suetonius in Augusto* Asclepiadis Mendetis θεολογουμένων libros. Θεολογικὸς, est pertinens ad eos, qui de Deo rebusque diuinis disserunt, theologicus. Apud Nazianzenum θεολογικὸς etiam exponitur theologiæ peritus, theologiæ deditus. Θεολογεῖν quid sit?

2. [*Vtraque vox Theologus & Theologia donata est ciuitate Latina.*] Multæ voces Græcæ iam vsu sunt Latinæ factæ. Sunt igitur Græcæ τῇ κτήσει, vt nos dicere solemus, sed Latinæ τῇ χρήσει, vel vt alij, donatæ sunt ciuitate Romana. Sic pleraque disciplinarum definita sunt Græca, vt *Logica, Metaphysica, Musica*, &c. quia videlicet Græci primitus artes excoluerunt, à quibus Latini illas acceperunt. Retinuerunt autem Latini terminos Græcos partim ob inopiam, quod ipsi carerent nominibus aptis, quibus Græca exprimerent, partim ob elegantiam & emphasin, partim denique ideo, quod vocabula illa etiam in vulgus nota essent.

3. [*Vocabulum Theologia ab obiecto, seu subiecto tractationis sic dictum est.*] Hoc theoremate redditur ratio Logica notationis Grammaticæ. Pleraque disciplinarum definita ab obiecto seu materia circa quam, vti vocant, dicta sunt: vt Grammatica à literis, Arithmetica à numero, Optica à visione: vel, si ita vis, à fine. Ita & Theologia dicta est ab obiecto seu subiecto tractationis, siue doctrinæ, quod est Deus: vel etiam à fine proximo, qui est explicare doctrinam de Deo.

Definitio nominis secundaria est, quæ vocem hanc Theologia per synonyma explicat: qualia sunt θεοδιδασκαλία, θεογνωσία, item θεολογικὴ ἐπιστήμη, & simpliciter θεολογικὴ, scilicet ἐπιστήμη. Sumuntur enim ita & alia disciplinarum nomina vel substantiue, vel ἐλλειπτικῶς, vt Rhetorica scilicet τέχνη, Synonyma Theologiæ.

ὑψηλὴ scil. *ἐπιστήμη*. Rabbinis dicitur חכמת האלהות *chochmath haelohuth*, sapientia deitatis, quo ipso titulo interdum etiam Metaphysicam insigniunt; quia videlicet in illa tractant more Peripateticorum de Deo & intelligentiis. Poetis Christianis dicitur etiam *θευλογία* & *θευλόγος*, item *θεηλόγος*.

CAP. II.

Homonymia vocabuli Theologiæ.

Homonymia vocis Theologiæ.

DEfinitio rei sequitur. Verum ante oportet excutere homonymiam definiti, quam illam adferamus. Est enim præceptum Logicum, distinctionem ambiguorum necessario præmittendam esse definitioni reali. *Theologia vocabulum significat vel sermonem Dei ipsius, vel sermonem de Deo.* Hoc est quod *Augustinus* ait *lib. 8. de ciuitate Dei. cap. 1. Theologia aut sermonem Dei ipsius, aut de diuinitate sermonem seu rationem significat.* Duplex igitur est huius nominis significatio, si ad etymon ipsius attendamus: vtraque recepta consuetudine sermonis Græci: vt enim ἡ *θεοπϱοπία* vel *θεοπϱόπιον* oraculum est seu vaticinium, quod Deus enunciat, & *θεοσημεία*, signum diuinitus editum, seu significatio, quam Deus exhibet: sic etiam Theologia interdum sermo est, quem Deus ipse in rebus creatis enunciat, quem diximus sermonem Dei ipsius, hoc est, à Deo profectum. Veruntamen altera illa significatio ex vsu magis videtur fuisse sermonis Græci; vt sermonem ipsum, qui de Deo enunciatur, aut rationem rerum diuinarum intelligamus Theologiæ appellatione. Et hoc modo accipitur [vel stricte,] [vel late] vel latissime. *Stricte* & pressius ex veterum Græcorum vsu is est Theologus, in quo diuinitatis fit cognitio. *Gregorius Nazianzenus in 1. Apolog. Late* (vti nos hodie vsurpamus) is est Theologus, cui non solum nota sit Diuinitas, quatenus eam in ænigmate cognoscere possumus; verum etiam qui ea cognoscit, quæ de Diuinitate sunt, vel ad Deum spectant, vel ad Diuinitatem, quatenus superioris illa est ordinis, referuntur, quique alios de illis instituit. *Latissime* significat eum, qui de rebus diuinis recte cognitis recte sentit, seu, qui cognoscit res diuinas: quo sensu Deus dicitur Theologus, item Christus, Angeli, & quilibet Christianus, siue etiam sit beatus, siue adhuc dum viator. Theorema huius loci est.

[*Theologia vocabulum in Scholis significat sermonem de Deo.*] Possunt illa duo, quæ modo diximus significari hoc vocabulo, ad iustam naturam Theologiæ non solum conuenire; verum etiam conuenire per se & simul *ἀχωρίστως* esse necessum est. Sed quia non potest proprie vtraque interpretatio huic nomini eodem in loco tribui & contineri, vi (vt appellant) vocis, posterior significatio in Scholis Theologorum obtinuit,

nuit, vt nimirum significet sermonem de Deo: sicuti Physiologia significat sermonem de natura, Astrologia sermonem de astris, Meteorologia sermonem de meteoris, Cosmologia sermonem de mundo. Itaque in hoc nostro instituto accipitur quoque posteriore significato, nimirũ pro sermone de Deo.

Theologia, quatenus significat sermonem de Deo, rursus ὁμωνύμως dicitur. Est enim vel falsa, vel vera. Illam priori loco ponimus, nõ quod sit vel generalior vel dignior; sed quia paucis illam attingemus; veram ex professo pluribus explicaturi.

CAP. III.

Theologia falsa.

THeologia falsa est opinio deprauata de Deo, voluntate, & operibus eius: alias dicitur opinabilis.

Hic quæritur an Theologia falsa dicenda sit Theologia? Resp. Dicenda est, sed æquiuoce, vt diximus capite antecedenti. Sicut enim propositio in Logicis alia dicitur vera, alia falsa: ita & Theologia sic distingui potest. At propositio falsa dicitur ita æquiuoce; quatenus videlicet mentitur speciem propositionis veræ. Eodem igitur modo ψευδωνύμως nimirum, Theologia falsa dici potest Theologia. Est igitur Theologia κατὰ δόξαν, *secundum opinionem*, eorum nempe, qui sibi in illa placent: vnde & opinabilem diximus; quia opinione solum constat in imaginationem hominis, qui somnia mera atque ludibria pro veritate, & idola atque tragelaphos pro Deo vero confingit. Si quis velit appellare matæologiam, perquam apto vocabulo rem exprimet. Nam vana & erratica de Numine opinio est Dei ignoratio, vt colligere est ex *Galat. octau. vers. 4. Imo tum quidem ignorantes Deum, seruiebatis iis, qui natura non sunt dii.* Et *Ephes. secund. vers. duodec. Vos, inquam, illo tempore fuisse absque Christo, alienos à Republica Israelis, & extraneos quod ad fœdera promißionis attinet, spem non habentes, & absque Deo in mundo.* Ex his locis tale duci potest argumentum. Qui Deum ignorat, & qui est absque Deo, ille non est Theologus, adeoq; non habet Theologiam. At omnes idololatræ Deum ignorant, & sunt absque Deo. Ergo non sunt Theologi, nec habẽt Theologiam. Et rursus: Qui seruiunt iis, qui natura non sunt dii, habent talem Theologiam, quales habent Deos. At idololatræ seruiunt iis, qui natura non sunt dii. Ergo talem quoque habent Theologiam. Prior syllogismus concludit, idololatras non habere veram Theologiam; posterior concludit, illos habere falsam Theologiam, quæ ita est Theologia, vti nummus adulterinus est nummus. Porro hic quæritur, an tota gentilium doctrina de Deo fuerit falsa? Resp. distinguẽdum est inter lumen naturæ, & iudicii deprauationem, quæ fuit in ethnicis.

An Theologia falsa mereatur nomen Theologiæ.

An tota gentilium de Deo docis.

ctrina fuerit falsa?

Lumen naturæ est obscuratū.

Modus proficiendi in Schola naturæ.

cis. Lumen naturæ vt est à Deo, ita non potest non esse verum & bonum, adeoque causa conclusionum verarum & bonarum. Sed quatenus illi lumini naturali deprauatum & obstupefactum iudicium superuenit, suffocatū est. Quare sic statuendū est; omnia illa, quæ Gentiles de Deo cognouerunt lumine naturæ, pro veris esse habenda, quæ vero ex iudicii deprauatione, & quasi pituita sensum diuinitatis in mentibus ipsorum adimente profecta sunt, esse pura puta commenta. Illa sunt à Deo: ista ab hoste Dei Diabolo. Hac de re insignis est locus ad *Romanos capitu.* 1. *versic.* 19. 20. 21. 22. 23. *Quoniam id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis. Deus eis manifestum fecit. Ipsius enim inuisibilia, dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perspiciuntur, æterna* videlicet *eius tum potentia tum diuinitas: ad hoc vt ipsi sint inexcusabiles. Propterea quod cum Deum cognouerint*, tamen *vt Deum non glorificauerunt, neque gratias ei egerunt: sed vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est decipiens cor eorum. Cum se profiteantur esse sapientes stulti facti sunt. Mutarunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium.* His verbis Apostolus duo docet. Primum ostendit, Deum voluisse vt lux naturæ in tenebris luceret: deinde tenebras lucem obscurasse, & tantum non extinxisse docet. De primo sic ait: τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε, q.d. in ipsorum animis, & quasi intra eos, adeoque in intimis mentis penetralibus hæc Dei notitia recondita est, vt velint nolint idololatræ, quoties sese adhibent in consilium, toties à se ipsis redarguantur. Et hæc quidem de cognitione naturali innata seu insita accipienda sunt. Quæ sequuntur *versu vicesimo* intelligenda sunt de cognitione Dei naturali acquisita, non quidem per institutionem aliquam, sed per vim mentis excitatam ab obiecto externo, quod apostolus vocat κτίσιν κόσμου, hoc est, *fabricam mundi*. Pulcherrima igitur serie beatus Paulus ostendit, quibus gradibus homo, intelligentiæ lucem secutus, ad æternam vsque Dei potentiam & diuinitatem conscendat. Primum igitur homo res conditas contemplans, huc perducitur, vt fateatur alicuius δυνάμει, *potentia*, has res extitisse. Inde vero ad diuinitatem eius prouehatur necesse est, & eam quidem æternam. Si quidem eum qui omnia condiderit, rebus omnibus conditis antiquiorem, & proinde æternum esse oportet: nisi velimus progredi in infinitum, à quo progressu natura & ratio recta abhorret. Hæc sunt illa ἀόρατα, *inuisibilia*, quæ Deus hominibus patefecit, dum sese illis contemplandum in rebus conditis, tanquam in speculo quodam exhibet: qua de re dicemus quam copiosissime in tractatu de Theologia naturali. Iam porro videamus causam corrumpentem istius lucis naturalis. Causa illa corrumpens indicatur *vers.* 18. *Palam enim est ira Dei è cœlo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, vt qui veritatem iniuste ἐν ἀδικίᾳ detineant.* Hic Apostolus reddit rationem, quare

omnes

omnes homines dixerit iusto Dei iudicio obnoxios, tum vt impios, tum vt iniustos; quia videl. veritatem Dei iniuste detinent. Veritatem in hoc loco vocat Paulus quicquid lucis ad Dei notitiam in homine relictum est; semen, inquã, cognitionis Dei ad eum colendũ, & discrimen aliquod iusti & iniusti intelligit per veritatẽ. Hãc veritatẽ dicit homines iniuste detinere, quod sic accipiendũ est. Iustitia suum cuiq; tribuit. Est igitur iniustitia suum cuique non reddere. Cum igitur veritas, hoc est, lex illa naturæ, nos doceat vnum verum Deum vt omnipotentem & æternum colere, & nulli facere iniuriam, & huc quodammodo gestiat ipsa veritas erumpere, iniuste faciunt homines, quod nec verum numẽ rite colant, nec cessent alii alios, atque adeo seipsos lædere; & veritatem quasi intus luctantem opprimant, quo minus vim suam exerat. Hoc plenius declarat Apostolus *vers.* 21. vbi notanda est elegans gradatio. Primo loco est axioma discretum. Quamuis Deum cognouerint; tamen vt Deum non glorificarunt, neque gratias ei egerunt. Quid ergo fecerunt? Vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum, ita vt mutauerint gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem, &c. Vani facti sunt in ratiocinationibus suis, hoc est, à seipsis in eam amentiã fuerunt compulsi: quo pacto etiam sequentia verba explicanda ἐσκοτίσθη καρδία αὐτῶν & ἐμωράνθησαν. Homines enim sua sponte ruunt in idololatriam, ad quam intelligendam & damnandam satis intus lucis haberent, nisi eam vltro extinguerent, partim negligentia, partim improbitate & malitia. Ex his efficitur, ex rei veritate quidem esse, vt sit sapientia rerum diuinarum, qualiscunque illa tandem, & cuiuscunque sit, etiamque vera esse dicatur: ex iudicii vero humani deprauatione esse, quod in hoc negotio, vt & in aliis grauissimo falsum pro vero homines amplectãtur. Hinc & illud velut πόρισμα, *consectarium*, deducitur: omnes illos, qui opiniones humanas vel fabulas in rebus diuinis introducunt, matæologos, aut quiduis potius quam Theologos esse appellandos.

Theologia falsa est tum veterum ethnicorum, tum aliorum de rebus diuinis errantium.

Ethnicorum veterum Theologia bipartita fuit: alia de his, cui generale Theologiæ nomen fuit inditum; *alia de dæmonibus*. De vtraque & contra vtramque copiose disserit *Eusebius Cæsariensis Episcopus primis sex libris de præparatione Euangelica.*

Theologia Ethnicorum de diis agens duplex erat, vna vulgaris, altera exquisita.

Theologia ethnicorum vulgaris erat vulgi promiscui, in principiis imperfectis naturæ corruptæ subsidens, nec adsurgens altius ratiocinatione.

Falsæ Theologiæ corpus quoddam constituere licet; cuius caput sit Theologia vulgaris; reliquum corpus situm sit in philosophica illa. Po-

Theologia naturalis vulgaris.

teſt etiam comparari arbori malæ; cuius radix ſit Theologia vulgaris, truncus ſit philoſophica, cuius tres veluti rami ampliſſimi & ſylueſcentes plurimum iam iam recenſebuntur. Vulgarem Theologiam dicimus illam, quæ communis fuit omnium hominum, nulla inſtitutione accedente. In hac materiale à formali diſtinguendum eſt. Materiale illius ſunt principia naturalia, notiones illæ & præceptiones communes omnibus inſitæ & in mentibus noſtris adumbratæ. Hoc materiale eſt bonum; vt potea Deo profectum. Formale Theologiæ vulgaris conſiſtit in ſtupore & negligentia, qua fit, vt homo ψυχικὸς non ſubigat cultura ſemen illud religionis. Sicut enim ſemen non frondeſcit, non profert fructum, niſi cultura ſubigatur; ita ſemen illud notitiæ Dei cordibus noſtris inſitum nullum fructum edit, ſed potius computreſcit, vnde omnis generis vitia progerminant, ſi non accedat cultura. Cultura autem eſt triplex. Primo anima noſtra, quæ ratiocinando excolit id, quod Deus ipſi quaſi impreſſit. Deinde inſtitutio humana, quæ ratiocinationem altius aſſurgere facit. Tertio inſtitutio diuina, quæ Spiritus ſanctus mentem noſtram illuminat ſupernaturaliter. Theologia vulgaris nullam omnino culturam admiſit. Nam neque ratiocinatione, neque ſuperueniente aliunde adiumento fuit euecta ſupra conditionem ſuam: ſed in notionibus illis imperfectis conquieſcens, & tanquam in fæce imperfectionis naturalis deſidens Iliada errorũ progenuit, qui longe lateque ſparſi altiſſimas radices in animis imperitæ multitudinis egerunt. Hæc enim eſt vulgi promiſcui natura, vt opinionem inueteratam non facile ſibi eripi patiatur.

Cultura triplex cognitionis Dei nobis inſita.

Theologia ethnicorum exquiſita erat, quæ opera eorum, qui docti & ſapientes habebantur, ad vulgarem Theologiam accedens, viſa eſt exquiſitius de rebus diuinis agere: dicitur alias *philoſophica.* Hac definitione diſcernitur Theologia falſa philoſophica ſeu exquiſita tum à vulgari illa falſa, tum à vera. A vulgari quidem; quia ſapientes illam excolebant, non contenti rudimentaria illa vulgi ſcientia. A vera autem; quia viſa eſt exquiſitius agere de rebus diuinis, hoc eſt, κατὰ δόκησιν fuit perfecta. At Theologia vera non eſt perfecta κατὰ δόκησιν, ſed κατ' ἀλήθειαν. Philoſophica igitur ethnicorum Theologia culturam & acceſſionem intus & foris ad illam vulgarem adiecit: ratiocinationis tamen errore & quaſi mæandro mentis humanæ, cumprimis autem ſapientiæ præſumptione, ex corruptis naturæ corruptæ principiis & notionibus profluxit, & ſeſe extulit ad concluſiones de rebus diuinis omnino falſas, variaſque & diſſentientes præceptiones tum à veritate principiorum inſitorum alienas, tum ab officio pietatis in Deum ſemotas profeminauit.

Perfectio rei dicitur duobus modis.

Theologia exquiſita ethnicorum fuit triplex, fabuloſa, naturalis, atque ciuilis.

Hi ſcilicet ſunt tres illi rami, in quos truncum illum à radice ſua vulgari

gani Theologia, diffusum esse paulo ante diximus: quemadmodum ex Varrone & Seneca *Augustinus* docet *lib.6.de ciuit.Dei.cap. 5.& seq. & lib. 8.c. 1.Eusebius lib.4.de præparat.Euangelica in præfatione.* Græcis nominibus appellarunt μυθικὴν, φυσικὴν, πολιτικήν.

Fabulosa Theologia erat, qua poetæ vtebantur; faciens ad theatricam voluptatem: vnde & *theatrica Theologia* dicta est, & à quibusdam *historica.* Hanc *Natalis Comes* hinc inde in *libris decem Mythologiæ suæ* explicauit. Hæc in magno pretio erat apud ethnicos, qui poetas habebant pro hierophantis &, vt ita dicam, pastoribus suis.

Naturalis Theologia, qua Philosophi ex rerum naturalium peruestigatione de Deo & rebus diuinis populum erudiebant. Hac vtebantur in suis diætis atque encycliis. Hæc κατ' ἐξοχὴν dicta est *Theologia Philosophica*, *mystica* item & *allegorica.* De hac itidem agit sparsim in Mythologia sua *Natalis Comes, & Dauid Schramus in Physicis.*

Theologia ciuilis, seu politica erat, quam potentiores adhibebant, vt Rerumpublic. leges quadam religionis authoritate stabilirent. Hæc igitur erat ciuium in singulis vrbibus, maxime Sacerdotum & Gubernatorum, singularum ciuitatũ consuetudine primum introducta, deinde legibus earundem publice approbata atque recepta, ad societatem mutuam religionis authoritate stabiliendam. Hinc etiam appellata fuit *Theologia vrbana*; aduersus quam nec poeta, nec philosophus vllus ausus est hiscere, nisi vellet tanquam impius iure patrio puniri, quod Socrati Athenis accidit.

Theorema de triplici hac Theologia est vnicum.

[*Tres illæ Philosophicæ Theologiæ apud ethnicos species differebant fine, propter quem Deos, & eorum res gestas commemorabant.*] Prima sibi propositam habebat voluptatem; secunda studium rerum naturalium; tertia publicam vtilitatem in societate hominum positam. Secunda igitur dignior fuit prima; & secundam tertia antecelluit.

Theologia ethnicorum de dæmonibus tractans, fuit Magia & Theurgia.

Magia, quæ etiam γοητεία fuit dicta, tractabat de malis dæmonibus placandis & auerruncandis.

Θεουργία, *quæ etiam* τελετὴ *fuit appellata, animis purgationem promittebat adiuratione bonorum dæmonum, qui inuocatione alliciebantur, & sacrificiis inuitabantur.* Existimabant enim gentiles per Theurgicas consecrationes idoneũ fieri animum, ad susceptionem Spirituum angelicorum, & ad Deum vidẽdum. Tali Theurgiæ deditus fuit Porphyrius Platonicus. Videatur *Augustinus lib.10.de ciuit.Dei cap 9.& 10.*

Theologia aliorum de rebus diuinis errantium è subiectis variis est varia. Est enim

1. *Iudæorum blasphemorum*; qui in Cabbala sua & Thalmud, aliisque libris plaustra blasphemiarum in Deum & Seruatorem nostrum IESVM

CHRISTVM habent. De iis videris *Schemhamphorasch Lutheri*, & librum *Hieronymi de sancta fide*, quæ inscribitur *Hebraomastix*, item *flagellum Iudaeorum*, & *Synagogam Iudaicam Buxtorfii*.

2. *Mahumetanorum*; qui in suo Al-carano innumeras tum ineptias tum blasphemias euomuerunt, & etiamnunc defendunt. De his vide libros scriptos de moribus Turcarum, nominatim *Epitomen Al-corani, authore Dionysio à Rickel Carthusiano*.

3. *Pseudo-Christianorum & hæreticorum*; vt Arrianorum, Schwenckfeldianorum, Anabaptistarum & Papistarum, quatenus hi docent de Purgatorio, missæ sacrificio, Pontifice Romano, & similibus, quæ fuerũt fundamentum sacræ religionis, in libris Veteris & Noui Testamenti patefactæ. Hanc ad classem referimus omnes errores contra fundamentum salutis, quod est Iesus Christus, Deus & homo benedictus in omne æuum. Atque hæc est falsa Theologia, cuius aphorismos hoc in loco non proponimus, tum quia non statuimus de falsa illa agere, tum quia ab aliis hoc præstitum est quam copiosissime, tũ denique quia infra in libris de Theologia vera conscriptis eas controuersias passim attingemus, & ex præscripto verbi Dei σὺν Χριστῷ μεσίτῃ καὶ ἱκέτῃ ἡμῶν refutabimus, quarum cognitionem nobis hoc maxime tempore necessariam iudicamus.

Errores contra fũdamẽtum qui sint.

CAP. IV.

Theologia Archetypa.

THeologia vera nunc sequitur, quæ est sapientia indubitata rerum diuinarum. Postquam nomen Theologiæ distinctum est significationibus; sequitur iam ipsius rei tractatio, & primo quidem loco definitio, quæ Theologiam veram à falsa discernit. Non enim est opinio deprauata, sed cognitio indubitata. Dicitur autem hæc Theologia vera tres ob causas. 1. q. eius & ab eo est, qui ipsissima est veritas. 2. q. sui studiosos efficit veraces. 3. q. constat πανάρμονίᾳ, omnium partium concentu dulcissimo, qui veritatis index est. Itaque est vna; quia plus vno verum esse non potest. Hæc diuisio est analogica; hoc est resolutio generis analogici, quod etiam dicitur πρὸς ἕν & ἀφ᾽ ἑνός, in species analogatas. Nam Theologia archetypa & principaliter Theologia est & dicitur: sed ectypa secundario & ad similitudinem archetypæ. Sicut enim bonitas, sapientia, iustitia, & similes creaturarum qualitates in creaturis sunt per modum imaginis & similitudinis, quarum archetypus est in Deo, vel potius quarum archetypus est ipsa deitas: ita etiam Theologia est & dicitur esse in creaturis intelligentibus tanquam imago, cuius archetypus est in Deo. Alias hæc Theologia dicitur *Theologia Dei*, item ἄκτιστος, οὐσιώδης, πρωτότυπος, *primaria, absoluta, exemplaris*, & *Theologia secundum se*; ad cuius exemplar diuinum & immutabile,

bile, Theologia ectypa conformata est à Deo pro creaturæ cuiusque illam recipere aptæ natæ, captu. *Thomas* 1 *part. sum. Theol. & in expositione super Boetium de Trinitate. Scotus in proleg. sentent. quæst.* 3. *Pelbartus de Themesvvar in aureo Rosario Theologiæ ad* 4. *libros sent. quæstione proœmiali* 7. §. 25. Cæterum quod quidam scribunt, Theologiam diuidi in archetypam & ectypam tanquam genus æquiuocum, id non videtur adeo accuratum. Nam omnino discrimen statuendum est inter genus vniuocum, analogicum & æquiuocum: nisi quis velit æquiuocationem duplicem constituere, quod quidam faciunt, videlicet æquiuocationem analogam, & puram, quæ etiam dici potest æquiuocatio æquiuocans, & æquiuocatio simpliciter sine epitheto aliquo.

Aequiuocatio dicitur duobus modis.

Theologia archetypa est sapientia rerum diuinarum, qua Deus seipsum cognoscit perfectissime, & res omnes, quatenus ad ipsum sunt necessario ordinatæ.

De hac sunt Theoremata.

Theologia quomodo sit in Deo?

1. [*Theologia est in Deo formaliter & eminenter.*] Formaliter est in Deo; quia est essentialis sapientiæ diuinæ quædam quasi pars, qua Deus cognoscit se, tanquam summum ens. Est, inquam, ipsa essentia diuina. Nam esse, sapere & scire Dei sunt vnum & idem, quamuis secundum rationem in mentibus nostris distinguamus. Est etiam eminenter in Deo; quia omnia diuina eo ipso, quo diuina sunt, modo supereminenti sunt in Deo. Hinc dicitur archetypa, vt paulo ante indicauimus: quæ vox significat exemplar primigenium, formam primigeniam, typum primum, ideam, exemplar primitiuum, ad cuius similitudinem alia effecta sunt ac velut effigiata. Hoc sensu *Philo Iudæus* dixit, ἀρχέτυπον μὲν φύσεως λογικῆς ὁ θεός ἐστι, μίμημα δὲ καὶ ἀπεικόνισμα ἄνθρωπος, *archetypum rationalis naturæ est Deus, homo vero imago & effigies.* Huc facit illud *Clementis Alexandrini lib.* 5. *Stromat.* vbi de Deo hominis creatore sic ait: ὅς ἐτεχνίτευσεν αὐτὸν ἀρχετύπῳ χρώμενος ἑαυτῷ, *qui ipsum est fabricatus, seipso vsus archetypo.* Est igitur Theologia archetypa exemplar illud eminentissimum omnis sapientiæ, quæ potest esse de Deo, & rebus diuinis. Itaque

Deus quo sensu dicatur Theologus?

. [*Deus est optimus & perfectissimus Theologus.*] Ne videatur alicui insolens hæc loquendi formula, paucis illam explicabimus & probabimus. Theologus est, qui rerum diuinarum gnarus est, qui de Deo recte sentit, & eum cognoscit bene. Iam vero Deus seipsum nouit perfectissime. Hoc igitur sensu fuerit perfectissimus Theologus. Præterea sapientia rerum diuinarum est in Deo. At Theologia est talis sapientia. Ergo & Theologia fuerit in Deo; ideoque Deus fuerit Theologus. Accedit, quod Theologia in nobis est perfectio. At omnes omnium creaturarum perfectiones sunt in Deo, modo eminentissimo, hoc est, θεοπρεπῶς. Ergo & Theologia erit in Deo cum modo supereminentiæ. In nobis igitur cum sit creata & ectypa, in Deo erit increata & archetypa. In nobis est

Theologia *συμβεβηκυῖα, accidentaria*, seu habitualis, in Deo *οὐσιώδης, essentialis*. Nos sumus Theologi τῷ ἔχειν, Deus τῷ εἶναι, vt cum Schola loquar.

2. [*Theologia archetypa est sapientia sed non discursiua.*] Ratio: quia sapientia in nobis est habitus mixtus, principiorum & conclusionum simul. At hæc omnia Deus cognoscit, nō tamen discurrendo, sed per modum simplicis intelligentiæ. Ergo analogice sapientia prædicatur de Theologia Dei. Dicat aliquis: Hæc igitur Theologia potius intelligentia, quam sapientia dicenda fuerit; quia Deus nullas conclusiones è principiis dianoetice elicit. Resp. Deus intelligit omnia quæ de ipso & rebus diuinis sunt cognoscibilia. Hæc autem κατ' ἡμᾶς in duas classes distribui possunt. Nam vel principia sunt, vel conclusiones. Deus cognoscit omnia illa, non tamen per modum principiorum & conclusionum, sed æque perfecte cognoscit singula, verbigratia, mihi hoc est principium cognoscendi, Totum est maius sua parte: & conclusio est, semicirculus est minor circulo. Deus vtrumque hoc cognoscit, non tamen vt principium, non vt conclusionem; quia vtrumque innuit imperfectionem. Principium quidem; quia illud necessario respicit cōclusionē, cuius respectu dicitur principiū, continens in se conclusionem virtualiter, sicuti semen in se habet arborem virtualiter. Conclusio vero; quia illa educitur è principio per discursum syllogisticum, qui nullo modo cadit in Deum, cuius essentia vt est simplicissima, ita & cognitio. Cum igitur dicimus, Theologiam archetypam esse sapientiam, hoc volumus: Quoniam Deus cognoscit omnia illa, quæ nobis dicuntur principia & conclusiones, cognitio eius, quā de se & rebus diuinis in se ipso formet, vt ita dicam, appellari potest sapientia: quia sapientia nobis dicitur habitus principiorum & conclusionum. Si tamen ita velis, appellare poteris simplicissimam & perfectissimam intelligentiam, quæ ipsa in Deo non est habitus, vt in nobis, sed ipsissima illius essentia. Patet igitur sapientiam, stricte accepto vocabulo, dici analogice de Theologia archetypa. Si definias sapientiam cum *Clemente Alexandrino Stromat. lib.* 1. rerum altissimarum, diuinarum & humanarum, causarumque, quibus illæ continentur, cognitionem perfectissimam, *κυρίως* sapientia dicetur de Theologia archetypa. Sed ita vocabulum sapientiæ accipitur late.

Cognitio respicit principia, vel conclusiones.

3. [*Theologiam archetypam debemus adorare, non inuestigare.*] Adorare debemus; quia est ipsa diuina essentia. Non inuestigare debemus; quia non possumus: impossibilia autem velle & tentare ne hominis quidem est. Quare igitur, inquiat aliquis, tu doces de hac Theologia, quam adorandam, non inuestigandam esse ipse fateris? Resp. Inuestigare rem is dicitur, qui modum illius & rationem pernosse cupit. At hoc modo nos non inuestigamus Theologiam archetypam. Nec enim cupimus scire, quomodo Deus seipsum & res diuinas cognoscat: sed

solum

solum attributa illius Theologiæ à posteriori colligimus. Dicimus igitur hanc *Theologiam esse simplicißimam, increatam, formalem, absolutam, infinitam, totam simul, incommunicabilem, communicatiuam.* Euoluamus singula. *Est simplicißima*; quia ipsa diuina essentia. Obiicis: At supra definita fuit. Non igitur est simplicissima, vtpote constans genere & differentia. Resp. Infinitum definiri profecto non potest; quia omne quod definitur, compositum est. At id quod compositum est, nullo modo infinitum censeri potest. Non itaque definitionem Theologiæ archetypæ supra attulimus, sed quasi definitionem, seu descriptionem analogam ex rerum nostrarum exemplo, & iuxta nostrum intelligendi modum. Nam huius Theologiæ non genus, sed quasi genus posuimus sapientiam: nisi forte, vt placet Scholasticis, sapientiam de Deo prædicari dicamus vniuoce, de creaturis vero æquiuoce. Hac autem ratione sapientia non genus erit, sed adæquatum proprium, sed summe proprie Deo attributum; quod inde ad res creatas nostro sermone transfertur æquiuoce. Deinde differentia in definitione Theologiæ archetypæ expressa, non est in Deo differentia, nec facit differentiam; cum differentia specifica constituat rationem suæ speciei, sicut forma rationem materiæ suæ: Deus vero essentia sit simplicissimus vsque adeo; vt ne per cogitationem quidem probabilem vlla compositio illi tribui possit. Non ex esse & essentia; non ex natura & supposito; non ex actu & potentia; non ex subiecto & accidentibus; non ex materia & forma; non ex genere & differentiis; non ex partibus quantitatiuis. Non igitur hæc Theologia archetypa est proprie sapientia, prout philosophi sapientiæ genus distinxerunt. Nam sapientia illa est habitus; ex principiis gignitur; intellectu componente & diuidente alitur; rationes conserit; conclusiones ex iis nectit; scientiam efficit; arbitra est & iudex istorum omnium; & partes construit, partiumque ordinem. At sapientia illa Dei est ipsa essentia diuina; cui omnia non ex vllis principiis, compositione & diuisione intellectus, ratiocinatione, conclusionibus, scientia, & indicatione & ordinatione sunt præsentissima; sed simplicissime, vnico omnium simul intuitu, ac non successiue, vt fit in rebus creatis. *Francisc. Iun.* Theologus vere magnus in *lib. de Theologia, cap.* 4. Nam Theologia archetypa est vniuersale immotumque principum principiorum, intellectuum, rationum, conclusionum & scientiarum omnium est, sapientia mater omnis sapientiæ. Non igitur ex principiis & conclusionibus gignitur. De hac verissime *Iob disserit cap.* 28. per totum. Deinde Theologia archetypa *est increata.* Nam principium ab vllo non habet, aut vllum principij vel creationis modum; quia est ipsissima diuina essentia. *Formalis est*; quia essentialis est; quia purissima forma est. *Absoluta est* & perfectissima; quia omnis in sese defectus, profectus, incrementi & mutationis expers est. *Infinita est*; quia nihil est, quod sit occultum ab ipsa, omnia

Attributa octo Theologiæ archetypæ.

Est I. Simplicißima.

II. Increata.

III. Formalis.

IV. Absoluta.

V. Infinita

VI. Tota simul.

omnia manifesta & nuda sunt ante oculos illius, *Hebr.* 4. *ver.* 12. 13. Præterea *est tota simul*; quia res diuinas omnes & singulas indesinenter capit vna, vnico intuitu atque infinito, sine partibus rerum, sine ordine partium, sine motu & successione temporum, tota simul atque totaliter capit totum simul atque totaliter, pro ratione spiritualis illius continuitatis, quam *Arist.* 2. *de anima* nominauit. Est igitur ἀμερὴς & ἀναλλοίωτος.

VII. Incommunicabilis.

Est quoq; *incommunicabilis*; quia est deitatis propria, ac proinde cum nulla re finita communicari potest. Et vero si essentialis est, vt est, eadem certe illius ratio, ac essentiæ diuinæ est. Cum autem diuina οὐσία sit ὑπερούσιος, vt recte docuerunt Patres, nulloque communi cum re vlla creata genere proprie aut improprie, simpliciter aut per reductionem concludatur; fieri non potest, vt sapientia illa Dei communicetur cum re vlla creata.

VIII. Communicatiua.

Est tamen *communicatiua*, non quidem sui, sed suæ duntaxat imaginis. Nam illius infinitæ Theologiæ imago ad res creatas transmittitur, atque in eis imprimitur, ἀπόῤῥοη deriuatur, & quasi ἀποσπασμάτιον ad illustrationem ipsarum deciditur; veruntamen illo exemplari summo, & fonte, & sole integro permanente. Nostra igitur Theologia est veluti sigillaris imago impressa ab illa infinita: vnde & animos nostros ad Deum attollit, & cum ipso vnit, à quo manauit.

CAP. V.

Theologia Ectypa.

THeologia ectypa est sapientia rerum diuinarum à Deo ex archetypo ipsius expressa atque informata per communicationem gratiosam ad gloriam ipsius.

Theologia ectypa cur sic dicta?

Ectypa dicuntur opera, quæ ex archetypo seu prototypo sunt informata. Sic Theologia ectypa dicitur, quæ ex archetypa est informata. Theologia enim archetypa est prima illa idea, à qua ideatur, vt ita dicam, & exprimitur Theologia ectypa: sicuti veritas & bonitas essentialis in Deo est archetypa & prima idea veri & boni, à qua omne verum & bonum creatum ideatur.

Theoremata huc pertinentia sunt:

1. [*Theologia ectypa in creatura rationali est pars imaginis Dei.*] Ratio; quia est exemplum, quod exemplari suo, Theologiæ scilicet archetypæ, respondet. At Theologia archetypa est ipsa diuina essentia & sapientia, cuius imago communicata est cum creatura intelligente, vti diximus sub finem *cap. anteced.*

Sapientia presse accepta, est discursiua.

2. [*Theologia ectypa est sapientia, sed discursiua.*] hoc est, sapientia talis, quæ statuitur habitus mixtus ex intelligentia & scientia. Ratione illius respicit principia; ratione huius respicit conclusiones. Complectimur itaque hoc vocabulo principia omnia cum naturalia, tum supernaturalia,

lla, & ratiocinationem ipsam componentem & diuidentem, & conclusiones atque determinationes de rebus diuinis; adeoq; scientiam rerum omnium diuinarum, & vsum legitima ordinatione temperatum.

3. [*Sapientia rerum diuinarum complectitur τὸ θεωρητικὸν καὶ πρακτικὸν simul.*] Sapientia in Philosophicis statuitur habitus theoreticus: & sapientia rerum diuinarum tam præcellentis est naturæ, vt complectatur & cognitionem veri, & actionem boni. Cum enim omnibus numeris perfecta sit; ad iustam autem perfectionem bonitatemque huius diuinæ imaginis vtrumque sit opus, quod verum, & quod bonum seu iustum est: omnino in hac sapientia vtrumque statui oportet τὸ θεωρητικόν τε καὶ πρακτικόν; è quibus illud in contemplatione veri, istud in scientia iusti est positum, quæ nihil habeat cum falso & iniusto commune. Sunt igitur nobis res diuinæ non solum obiecto & modo, quibus in rebus occupari solent scientiæ, seu disciplinæ contemplatiuæ: sed etiam fine & vsu ipsorum, quæ duo in actiuo disciplinarum genere à sapientibus solent obseruari. Hac de re infra prolixius disputabitur.

Res diuinæ quæ sint?

4. [*Causa efficiens Theologiæ ectypæ est solus Deus.*] Ille namque est lux illa, in quo non sunt tenebræ, *Iohan.* 1. Ille est αὐτοφῶς, vt Patres pie sunt locuti. Quemadmodum autem hæc est lucis natura, vt suas stricturas spargat quaquauersum: ita & Deus, lux illa illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, *Iohan.* 1. notam fecit suam πολυποίκιλον sapientiam in cœlo & in terra *Ephes.* 3. adeoque lucis suæ radium nobilissimum effudit in creaturam rationalem.

5. [*Causa finalis Theologiæ ectypæ est gloria Dei.*] Vt enim Deus ipse est summa causa efficiens: ita etiam est αὐταρκεστάτη, *sufficientißima.* Ex quo fit, vt finem summum actionum suarum tum in natura, tum in gratiæ suæ dispensatione nunquam statuat extra se; cum nullius rei egeat extra se; sed omnia ad ipsum, tanquam indiga ipsius, ordinentur. Hinc Apostolus *Rom.* 11. *ver.vlt.* ait: *Ex eo, & per eum, & in ipsum quoque sunt omnia. Ipsi gloria sit in secula Amen.*

6. [*Materia Theologiæ ectypæ sunt res diuinæ.*] Res diuinæ hoc loco sunt, quæ triplicē hanc conditionem habent. Primum, quarum obiectum diuinum est, circa quod versatur Theologia ectypa. Tale obiectum est Deus, & quidquid Dei est, & quidquid est à Deo, atque ad Deum iusta relatione ordinatur. Deinde, quarum modus diuinus est principio, actione & effectu suo, humana omnia multis modis transcendens. Tertio, quarum finis diuinus est, qui est ipse Deus, seu gloria Dei, & salutaris atque gloriosa illa Dei visio, ad quam hac sapientia duce contendimus. Breuiter: res diuinæ sunt tales obiecto, modo & fine.

Triplex rerum diuinarum conditio.

7. [*Theologiæ ectypæ forma est duplex, vna interna, altera externa.*] Vulgo forma dicitur causa interna, quatenus distinguitur contra externam. Sed

hæc

hoc loco alio significatu accipiuntur ista vocabula. Sic statuunt Philosophi formam, à quocunque fiat artifice, duplicem esse, vnam in mente artificis, alteram in opere. Illam vocant internam, istam externam. Eodem modo consideramus formam Theologiæ ectypæ. Forma interna illius est conceptus ille gratiosus diuinæ voluntatis in ipso Deo. Externa est æterni & interni illius conceptus facta suo tempore communicatio, & velut influentia. Vtroque modo informat Deus hanc sapientiam, intus consilio sapientissimo, foris opere potentissimo. *Iunius de Theol. c. 5.*

Forma vocabulum duobus modis sumitur.

Theologia ectypa est vel simpliciter, vel secundum quid talis: seu, Theologia ectypa consideratur vel in se, vel vt est in creaturis intelligentibus. Duplex illa forma Theologiæ ectypæ, quam modo commemorauimus, in Deo est tanquam in fonte; in alia, tanquam in lacus, deriuata. Hinc duplex ratio huius Theologiæ à doctis fuit obseruata: *vna absolute*, siue in ipso fonte sapientiæ, quam Scholastici, & nos illos secuti, appellarunt *Theologiam simpliciter*: *altera relate*, siue tanquam in lacubus & conceptaculis ipsis residens, quam *Theologiam secundum quid* nuncuparunt. Et hæc distinctio cum in omni disciplinarum genere diligenter est obseruanda, tum in hac diligentissime.

Theologia ectypa simpliciter dicta est tota sapientia rerum diuinarum cum creatura rationali communicabilis, in hac & futura vita, pro modo Dei, communicantis.

Theologiæ ectypæ simpliciter dictæ, seu in se consideratæ nomine intelligimus nō tantum quicquid iam sapientiæ rerum diuinarum à Deo cum creaturis rationalibus est communicatum: sed etiam quidquid vnquam in hoc & futuro seculo cum iis communicabitur & communicari potest, pro modo illo, qui Deo pro gratiosa sua voluntate placet, de sua inexhausta plenitudine: sic vt hæc Theologia sit tanquam fons plenissimus omnis spiritualis sapientiæ apud Deum scaturiens, ex quo manant riuuli limpidissimi. *Psal. 36. v. 10. Quandoquidem penes te est fons vitæ, in luce tua fruamur luce.*

Theoremata hic sunt duo.

Theologia ectypa in se considerata quid sit?

1. [*Theologia ectypa simpliciter & in se considerata proxime respondet archetypæ.*] Est enim illa tota interna forma & conceptus, quem Deus habet in se, de communicanda sapientia sua, non pro modo creaturæ huius aut illius; sed pro modo & voluntate Dei communicantis. Theologia archetypa est totius diuinæ sapientiæ, tam communicabilis, quam propriæ & incommunicabilis infinitas: Theologia ectypa in se considerata est tanquam penus plenissima, de infinitate ipsius apud Deum recondita, omnis spiritualis sapientiæ; ex qua penu promuntur thesauri cum creaturis communicandi per gratiam: qui thesauri, dum in penu sunt, communicabiles; dum in creaturis sunt, communicati appellantur.

2. [*Theologiam ectypam in se consideratam non timari, sed mirari nos decet.*]

Ratio

Ratio 1. Quia proxime respondet archetypæ illi, quam adorandam esse, non inuestigandam paulo ante diximus. 2. Quia Deus formam modumque huius Theologiæ apud se ipsum statuit & præscribit gratiosa voluntate sua, & ea quidem occulta; quam inuestigare velle est hominis impij. Nos igitur deinceps non Theologiæ illius simpliciter dictæ, sed Theologiæ secundum quid rationem habituri sumus; quia hæc est *nostra Theologia*, vt loquuntur, cuius communicatione omnes hausimus de plenitudine Dei in Iesu Christo Seruatore nostro.

Theologia ectypa secundum quid, seu vt est in creaturis rationalibus, est sapientia rerum diuinarum cum creaturis rationalibus communicata pro modo ipsorum, vt illa Deum recte agnoscentes, & ex animo diligentes, cum eo beate in æternum viuant, idque ad eum glorificandum. Dicitur etiam Theologia ectypa *generalis in subiecto. In subiecto* quidem; quia non simpliciter & absolute consideratur extra subiectum, vt ectypa simpliciter dicta, sed in certo δεκτικῷ. *Generalis* autem; quia etiam est Theologia reuelationis in subiecto speciali considerata, quæ dicitur *specialis in subiecto*; de qua infra.

Theorema hic est vnicum.

[*Theologia ectypa secundum quid, seu in subiecto est modificata pro ratione subiecti recipientis.*] Est enim omnino, vt Philosophi docent: vnumquodque recipiens recipit secundum modum receptiuitatis suæ, non secundum modum imprimentis. Ergo & hæc Theologia est talis cognitio, qualem intellectus creatus natus est recipere & habere de illo obiecto Theologico. Non igitur cognoscit creatura Deum in quantum ille est cognoscibilis, sed in quantum ipsa est cognoscitiua. Neque tamen hanc sapientiam natura subiecti fundit actualiter, vt Scholastici loquuntur, nec habet virtualiter (multo minus igitur formaliter) nec capit potentialiter naturali suo lumine: sed Deus ipse inspirat lumine suo naturali, & aura gratiæ suæ educat ad gloriam suam: ita vt illi soli debeatur ortus & progressus huius Theologiæ, *vt quisquis gloriatur, glorietur in Domino*, 1. Corinth. 1.

Theologia ectypa secundum quid quomodo se habeat?

Theologia ectypa in subiecto seu secundum quid est vel Christi, tanquam capitis Ecclesiæ Dei, secundum humanitatem ipsius; vel membrorum Christi. Scholastici hic vtuntur trichotomia, & faciunt *Theologiam vnionis, visionis, & reuelationis.* Theologia vnionis est Christi θεανθρώπου & mediatoris nostri. Theologia visionis est spirituum in cœlis. Theologia reuelationis est hominum in terris. Sed nos maluimus adhibere dichotomiam, quæ admodum est illustris. Nam subiectum recipiens Theologiam est vel principale, Christus, vel minus principale, creatura intelligens, quæ est membrum Christi. Coincidit igitur hæc dichotomia cum illa Scholasticorum trichotomia.

Theologia ectypa Scholasticis, est vnionis, visionis, & reuelationis.

Theorema hic notetur.

„ [*Theologia Christi est plenissima; Theologia beatorum Spirituum est plena;* „ *Theologia reuelationis est plena, & non plena.*] Theologia Christi, seu vnionis est plenissima; quia de illa haurimus omnes, *Iohan.* 1. Estque in Christo secundum humanitatem ipsius. Theologia beatorum seu visionis est plena; quia spiritus beati vident Deum de facie ad faciem, qualis est; quæ *visio* appellatur *beatifica*. Theologia denique nostra, quæ est in hac vita, est plena respectu nostri, quatenus sumus ciues Ecclesiæ militantis; item respectu iustificæ fidei: sed non est plena, si cum illa cœlesti, quam speramus, comparetur. Hic enim videmus in speculo, ibi videbimus Deum de facie ad faciem, 1. *Cor.* 13. & 1. *Iohan.* 2.

CAP. VI.

Theologia vnionis in Christo.

Theologia vnionis in Christo quid sit?

THeologia Christi tanquam capitis secundum humanitatem ipsius, est tota sapientia rerum diuinarum per vnionem personalem communicata cum Christi θεανθρώπου humanitate τῷ λόγῳ vnita, & per Spiritum sanctum sine mensura effusa in eam, tum ad illius beatitudinem sempiternam, tum ad omnium membrorum Christo tanquam capiti coniunctorum illustrationem.* Breuiter: Theologia Christi est tota sapientia rerum diuinarum communicata cum Christo, quatenus sermo caro factus est, secundum humanitatem ipsius. De hac sunt theoremata.

Theologia Christi duobus modis consideranda est.

„ 1. [*In Christo consideranda est duplex Theologia, archetypa seu essentialis, & œconomica.*] Theologiam archetypam Christus, qua Deus, habet communem cum Patre & Spiritu sancto. Hæc est sapientia illa infinita, quæ est ipsa diuina essentia. Proinde incommunicabilis est. Nam τὸ esse diuinum nullo modo communicari potest; quia est infinitum. Ergo archetypam illam sapientiam rerum diuinarum non capit humana Christi natura in sese; cum & diuinæ perfectionis sit, non posse communicari, & humanæ tenuitatis, non posse ea capere, quæ perfectionis sunt diuinæ. Deinde vnio personalis non est abolitio naturarum, non confusio aut transfusio proprietatum ad hanc vel illam naturam pertinentium. Nam saluas vtriusque naturæ proprietates manere oportet in communi supposito. Sic mens nostra intelligit, non corpus: corpus menti ministrat instrumentaliter, non mens corpori: suppositum autem illud ex corpore & anima constitutum, quod hominem dicimus, communiter agit, hoc est, intelligenter & instrumentaliter. Ex his licet argumentari à minori ad maius, à finito ad infinitum: Si mentis proprietas integra permanet menti, & corporea corpori, multo magis proprietas diuinæ naturæ manebit integra. Non autem maneret integra, si cum creatura communicaretur.

Vnionis hypostatica in Christo quæ sit ratio?

Nam

Nam sic foret finita, & non proprietas. Præterea ratio salutis nostræ hoc exigebat, vt sapientia humanæ naturæ in Christo differret à sapientia illa prototypa; quia Christus debuit nobis per omnia similis fieri, excepto peccato, *Hebr. 2. & 4.* Si per omnia, etiam per scientiam; seruato scilicet discrimine inter caput & membra. Hanc scientiam vocauimus œconomicam ideo; quoniam œconomia salutis nostræ à Christo Domino plenissime absoluta hanc talem exigebat. Poteris etiam appellare, *sapientiam mediatoris*; quia Christo tribuitur, quatenus est mediator, sed secundnm humanitatem ipsius. Nam diuinæ naturæ nihil accedere potest. Theologia archetypa ab æterno est increata, essentialis seu formalis, vna eademq; Patris, Filij & Spiritus sancti, infinita, simul tota & incommunicabilis, vt diximus, *cap. 4.* Sed Theologia œconomica est. 1. *Creata*; quoniam cœpit in tempore. 2. *Habitualis*; quia per gratiam vnionis accessit, nō è principiis naturæ humanæ profluxit. 3. *Propria* humanæ naturæ, quæ illam habet in persona de lumine alterius naturæ, puta diuinæ, personaliter adunatæ absolutissimo & perfectissimo lumine. 4. *Finita*; quia creata, quia humana, non simpliciter, sed secundum quid. Aliis dicitur θεανδρική. Finita certe est, si cum infinita illa essentia comparaueris. Sed tamen infinitæ est proxima. Si velis dicere infinitam respectu exiguæ scientiæ nostræ, quæ mensurata est, per me liceat. Sed tum hoc fiet καταχρηστικῶς. 5. *Non tota simul*, sed successionis, & vicium particeps. 6. *Communicabilis*; quoniam & potentia communicabilis est cum membris Christi, & ex facto seu ipso actu communicata est cum multis, nō quatenus est proprietas Christi ἀνθρωποθεοῦ, sed quatenus principium est, & κέρας ἀμαλθείας, de cuius plenitudine accipimus, *Ioh. 1. v. 16. Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Et *cap. 3. v. 11 12. 13. Amen, Amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur: sed testimonium nostrum non recipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis? Nullus enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, nempe filius hominis.* Et *v. 32. & seq. Quod vidit & audiuit, hoc testatur: sed testimonium eius nemo recipit. Qui recipit eius testimonium, is obsignauit Deum veracem esse. Nam is demum, quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim huic admetitur Deus spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manum. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui vero non assentitur Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Coloss. 2. v. 3. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac notitiæ absconditi.*

Attributa Theologiæ œconomicæ in Christo.

2. [*Theologia vnionis seu œconomica in Christo est sapientia rerum diuinarum* «
Spiritu Dei sine mensura cum homine Christo communicata, ad eorum theologorum «
omnium, qui secundum imaginem Dei creati sunt, illustrationem.] Expendamus singula minutatim. Materia huius Theologiæ sunt *res diuinæ*, quatenus communicari potest illarum cognitio, & nobis omnibus opus est in Christo. Dico, quatenus communicari potest; quia Deus «

Theologiam ectypam, in se consideratam, quam supra finiuimus, totam inquam communicauit cum Christo secundum humanitatem ipsius. Forma huius Theologiæ consistit in eo, quod *Spiritus Dei sine mensura Christo* secundum humanam naturam in persona *est datus*, vt antea ostendimus è *Iohan*.3. Causa illius efficiens, est *diuina communicatio*. Communicatio hæc diuina communiter respicit tres personas SS. Trinitatis. Nam Pater communicat Spiritum cum Filio exinanito secundum humanam naturam. Persona Filij secundum diuinam naturam ipsius eundem Spiritum communicat cum humanitate sua per gratiam vnionis. Idem enim Christus & vngens est, & vnctus. Vngens, secundum Deitatem. Vnctus, secundum humanitatem suam in vnitate personæ. Spiritus sanctus sanctificauit carnem in vtero virginis benedictæ, quæ ex illo concepit modo incomprehensibili. Denique finis huius Theologiæ est *illustratio omnium Theologorum*, qui secundum imaginem Dei sunt creati. Dico non simpliciter, omnium qui secũdum imaginem Dei sunt creati, sed omnium Theologorum. Nam etiam angeli mali & homines reprobi ad imaginem Dei sunt conditi, neq; tamen illustrantur à summo illo Theologo, Iesu Christo. Nihil igitur in rebus creatis, nisi ab hac Theologia Christi est θεόλαγον. Hanc ille Theologiam accepit à Patre propter nos, & nos ab illo. Hanc illustrationem percipiunt in cœlis Angeli & beati, præsente visione Dei; hic vero in terris fideles, eiusdem reuelatione, velut absentes à Domino. Quanquam non longe abest ab vnoquoque nostrum. *Actor*.17. Sed tamen dum hic commoramur in corpore, peregre absentes à Domino, singuli per fidem, non per aspectum incedimus, 2.*Cor*.5.

Christus est vngens & vnctus.

3. [*Theologia vnionis est diuina, & humana.*] In Christo mediatore nostro duplex est sapientiæ Theologicæ modus: alter prototypus, alter ectypus. Prototypus est simpliciter diuinus. Ectypus est quasi diuinus, idemque humanus. Est quasi diuinus, hoc est, secundum quid & certo respectu; videlicet cum diuinus in æterno principio suo, quod est diuina natura, æternumque permanens in vnitate personæ; tum proxime diuinum, secundum modum ipsius. Sed idem ille modus dicitur humanus, ratione subiecti. Dici ergo potest diuinus ratione principij, seu termini à quo, item propter summam & omnimodam excellentiam: at humanus propter subiectum, seu terminum ad quem. Cæterum oportuit Christum Seruatorem vtroque modo esse Theologum, modo inquam archetypo & ectypo, essentialiter & œconomice, vt diuina hoc pacto consociaret & adunaret humanis, Deum conciliaret hominibus, hominesque ad Deum adduceret; vnicus nimirum עמנואל *Immanuel*, hoc est, nobiscum Deus, quod Græce dices θεάνθρωπος vel ἀνθρωποθεός, *Esai*. 8. Verbum caro factum, *Iohan*.1. & Deus factus in carne conspicuus, 1. *Timoth*.3. in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, *Coloss*. 1. & qui nobis

Theologia vnionis in Christo, est & diuina, & humana.

nobis *stultis* factus est à Deo Patre sapientia, 1. *Cor.* 1. Ad summam: Christus dicitur Theologus, quatenus est summus noster Propheta. Summus Propheta certe non esset, nisi esset Deus & homo simul. Hoc enim est summum, quo non potest excogitari superius. Itaque non solum Theologia illa ectypa, sed etiam archetypa; & rursus non solum hæc, sed etiam illa de Christo debet credi religiose, & prædicari gloriose.

CAP. VII.

Theologia visionis in cœlis.

THeologia membrorum Christi est sapientia rerum diuinarum à Christo cum mēbris suis communicata ad gloriam Dei, & membrorum salutem sempiternam. Hæc definitio lucem accipit è cap. superiore.

Estque vel beatorum, vel viatorum. Illa dicitur Theologia visionis, hæc reuelationis: Illa Theologia Ecclesiæ triumphantis, hæc militantis. Hic est theorema.

[*Theologia viatorum subalternatur Theologia beatorum.*] Sicut enim Theologiæ archetypæ subalternatur Theologia Christi œconomica; sic Theologia beatorum subalternatur Theologiæ Christi, & Theologia viatorum & illi, & isti. Illi proxime, huic remote & per illam. Est itaque mirabilis hæc gradatio, qua à Deo ad Christum, à Christo ad beatos in cœlis, à beatis ad nos in terris fit descensus & influxus virtutis supercœlestis. Illa archetypa est matrix omnium & fons amplissimus: ectypa in Christo est reliquarum mater, & commune quasi castellum seu conceptaculum, è quo manat riuus abundantissimus, sed rebus creatis commodus, vnde haurimus omnes, quemadmodum aquam à fonte inaccesso manantem, de castello aut lacu hauriendam præbent sitientibus aquileges. De huius autem Saluatoris conceptaculi diuina plenitudine res creatæ duobus modis hauriunt; vnæ, visione coram; alteræ, reuelatione, absentes videlicet ac peregrinantes à Domino. Illæ hauriunt vase amoris seu charitatis admirabilis, istæ vase fidei, quæ est nostra victoria. Atque hinc duo illa Theologiæ ectypæ genera, quorum alterum Theologiam beatorum, alterum viatorum orthodoxi Patres appellabant. Illa *excelsa*, hæc *humilis* ab aliis dicitur. Atque hanc vtramque sanctificauit Christus in persona sua; quando quidem & humili Theologia vsus est in statu exinanitionis, & excelsa vtitur in statu exaltationis; tanquam commune vtriusque Theologiæ principium. Atque hinc patet humilem illam subalternari excelsæ; quia gradu differunt, non specie. Mirum fortasse hoc alicui videbitur, quod dicimus Theologiam beatorum non specie, sed gradu differre à Theologia viatorum; cum fides & visio beatifica differant specie, item Ecclesia militans & triumphans. Huic talem comparatam volumus respon-

Theologia viatorum subalternatur Theologia beatorum.

Fides saluifica quid sit? sponsionem. Ardua est hæc controuersia, pro cuius decisione notandum est; fidem omnino esse visionem inchoatam, & visionem esse fidem consummatam. Hoc demonstratur ex *Hebr.* 11. *v.* 1. *Est autem fides, illud, quo exstant quæ sperantur, & quæ demonstrat, quæ non cernuntur*: quorum verborum hic est sensus: Fides res adhuc in spe positas repræsentat, & inuisibilia velut oculis subiicit. Syrus sic vertit: *Est autem fides persuasio de rebus illis, quæ sunt in spe ac si essent illis in effectu, & est euidentia eorum, quæ non conspiciuntur*, hoc est, fides ita certos reddit homines de eo quod sperant, ac si iam illud completum esset, & effectu præstitum illis, qui credunt, seu qui fide sunt persuasi de iis, quæ adhuc sperant. Huc facit illud, quod homo credens dicitur in corde suo initium vitæ æternæ persentiscere. His ita constitutis, concludo, Theologiam excelsam ab humili non differre differentia specifica κυριολεκτικῶς accepta, qualis est inter hominem & bestiam; sed si differentiam specificam late accipias, quod omnino fieri debet, concedi potest illam hic inuenire locum. Hoc sensu differentia specifica statuitur inter iustitiam & temperantiam, quæ non est ita specifica, vti est inter lapidem & hominem.

Differentia specifica duob. modis dicitur.

Vt melius hanc rem percipias, velim notes discrimen inter notitiam intuitiuam & abstractiuam. Notitia intuitiua, est notitia rei præsentis, vt præsens est, id est, cognitio talis, qua ita rem attingimus, vt per eam cernatur præsentia obiecti, in se & ex vi ipsius cognitionis, nō vero quia aliunde comprobatur. Talis est notitia, qua quis videt candorem in pariete, audit sonum, gustat cibum. Talis est notitia, qua beati Deū intuentur. Huius notitiæ proprium requisitum est, vt sit ἄμεσος, *immediata*: ita videlicet, vt res non percipiatur in alio cognito, sicut cognoscitur Cæsar in sua statua. Etenim per notitiam intuitiuam res videtur in seipsa; quod fieri non potest, cum res videtur in alio prius viso. Alias dicitur *notitia visionis*.

Notitia intuitiua.

Notitia abstractiua, est notitia rei per speciem ab ea abstractam, ac proinde est cognitio rei, non vt præsens est; qualis est notitia, qua cogito de Matthia Imperatore absente; & ea, qua Astronomus domi suæ considerat Eclipsin, quam nō intuetur: & ea, qua Philosophus vel Theologus ex creaturis cognoscit Deum esse. Licet enim hæc cognitio tendat in rem sub esse existentiæ; non tamen sub esse præsentiæ. Vocatur interdum *notitia simplicis intelligentiæ*. Iam quæritur de fide, qualis sit notitia? Quod sit notitia abstractiua, videtur colligi posse ex 2. *Corint.* 5. *vers.* 6. 7. *Scientes dum cōmoramur in corpore, nos peregre abesse à Domino. Per fidem enim incedimus, non per aspectum.* Contra quod sit notitia intuitiua colligi potest ex 2. *Cor.* 3. *vers vlt. Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini vt in speculo intuentes.* Hic Apostolus Euangelium comparat speculo, in quo rem videmus. Hæc loca ἐναντιοφανῆ sic conciliabis.

Notitia abstractiua.

Notitia intuitiua est duplex, perfecta, & imperfecta. Perfecta est, qua obiectum cognoscibile cognosco immediate, vt cum video parentem meum me visitantem. Imperfecta est, qua

Notitia intuitiua est duplex.

qua video quidem obiectum, verbi gratia, eūdem meum parentem mihi præsentem, sed in speculo. Prior illa κατ' ἐξοχὴν vocatur notitia intuitiua: posterior vocari potest notitia media inter intuitiuam proprie & stricte dictam, itemque abstractiuam. Hæc nunc accommodemus ad præsentem disputationem. Notitia, qua beati in cœlis vident Deum, proprie est intuitiua primo illo modo. Fides autem est notitia intuitiua posteriori modo. Quando autem Apostolus opponit fidem & aspectum, intelligi debet aspectus ille perfectus & absolutus. Quare si ita placet, iuxta mecum diuide notitiam in intuitiuam; abstractiuam & mediam; sicut Theologi cognitionem aliam faciunt distinctam seu claram, aliam indistinctā seu confusam, & aliam mediam. Veteres Philosophi fecerunt quidem cognitionem aliam distinctam, aliam confusam tantum: verum recentiores viderunt tertiam speciem necessario esse addendam, quando quis de Deo & ipsius attributis cogitat aut loquitur, quæ concipimus non cōceptu distincto, non etiam confuso (quoniam ipse Spiritus S. sic nos docet in S. literis de Deo loqui & cogitare) sed medio, hoc est, tali, qui proportionatus est nostræ imbecillitati. Quare cum Philosophi diuidentes notitiam in intuitiuam & abstractiuam non cogitarint de fide iustifica, nullus vertet nobis vitio, quod mediam notitiam statuimus inter cognitionem intuitiuam & abstractiuā, vel quod cognitionem intuitiuam facimus perfectā, & imperfectam; quarum illa est immediate, hæc mista ex intuitiua & abstractiua. Sed nunc videamus de Theologia beatorum.

Theologia beatorum est sapientia rerum diuinarum à Christo per Spiritum S. cum beatis in cœlo communicata per claram visionem, seu intuitiuam notitiam Dei ad gloriam ipsius. Dicitur etiam *Theologia visionis*, vt diximus, sed synecdochice; quia etiam humanæ Christi naturæ tribuitur visio Dei, vt & fidelibus in in hac vita adhuc versantibus. Dicitur quoque *Theologia clara visionis*; quia visio, qua Deum videmus in hac vita, non est ita clara. Dici quoque potest *Theologia intuitiua*, si vocem intuitiua accipias pro plena cognitione seu notitia immediata intuitiua, vt paulo ante declarauimus. *Theologia beatorum quæ sit?*

Theologia beatorum est vel Angelorum, vel sanctorum consecratorum in cœlis.

Theologia beatorum quid sit, declarari debet triplici argumento. Primum est respectu modi, qui est visio. Nam visione communicatur. Intellige visionem spiritalem seu mentalem. Etenim cum rerum spiritalium non possit esse communicatio nisi spiritalis; hunc modum Theologicæ communicationis spiritalem esse statuimus. Ex quo sequitur, Theologiā hanc esse lumen intellectuale, permanens & perfectum, per modum infusi habitus, quem θεόσδοτον vocant, perquam eleganter, communicatum; quo lumine cœlestes illæ creaturæ vident creatorem suum, sicuti est, visione cum ipsis cōmunicata de Christi plenitudine. Hæc visio beatifica dicitur alias *habitus in videtur* barbare, itē *habitus excelsus*, quo creatura *Habitus*

in-

exce?ius quis dicatur.

inclinatur ad simplicem & clarum intuitum essentiæ diuinæ. Hic aliquis quærat, quomodo Dei essentia infinita videri possit à creatura finita, & quomodo videri possit ab hominibus, qui constant corporibus organicis? Resp. ad 1. Visio illa beatifica est cognitio diuinæ essentiæ, non comprehensiua, sed quidditatiua. Quidditatiua cognitio est, qua cognoscuntur omnia rei prædicatæ quidditatiua, hoc est, essentialia. Comprehensiua, qua res cognoscitur, quantum agnoscibilis est. *Thomas p. 1. q. 88. Caietanus de ente & essentia c. 6. q. 14.* Angeli & homines in cœlis vident & cognoscunt Deum non comprehensiue, quantum ille est cognoscibilis, sed in quantum illi sunt cognoscitiui. Quamuis igitur beati omnes diuinam essentiam quidditatiue cognoscant: nullus tamen intellectus creatus eam comprehendit. Theologia vnionis in Christo est multis modis excellentior hac Theologia visionis; neque tamen comprehensiua est, sed sola Theologia archetypa est talis. Nam solus Deus seipsum nouit perfectissime. Resp. ad 2. Videmus vel proprie vel per translationem. Proprie illa videri dicuntur, quæ per oculos corporis cernuntur. Hæc visio corporalis hic non habet locum. Est enim obiectorum corporeorum duntaxat. Per translationem illa videri dicuntur, quæ per intellectum animæ proprie & prout in se sunt, conspiciuntur. Non autem omnis cognitio, etiam euidens, visio proprie appellari potest. Nam visio cognitionem intuitiuã proprie significat; potest autem cognitio euidens esse abstractiua. Item visio significat claram rei cognitionem in seipsa, & prout in se est: cognitio autem euidens potest esse confusa, & per conceptus improprios seu connotatiuos. Deinde visio illa per intellectum vel naturalis est, vel supernaturalis. Supernaturalis visio per intellectum animæ consideratur dupliciter, vel dum anima est in corpore mortali, vel cum est ab eo separata. His ita præmissis sic statuimus: Deum nullus hominum videre potest naturaliter, hoc est, naturali virtute seu lumine ingenii sui, Deum inquirentes: etiam si illum intelligere possit ex effectis, seu à posteriori. *Exod. 23. v. 20. Quia non potest me homo videre & viuere. Iohan. 1. v. 18. Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille enarrauit.* Quapropter errarunt, qui asseruerũt, Deum posse naturaliter ab homine videri. Deus autem videtur supernaturaliter duobus modis. Primo per ęnigma & speculum, quamdiu anima hominis electi est in corpore; deinde à facie ad faciem, quæ est beatorum in cœlis. Illa imperfectioni & quasi pueritiæ seruit; quia nondum ad liquidum cernimus, nec claro adhuc intuitu fruimur: hæc autem perfectioni. 1. Cor. 13. ver. 12. *Cernimus enim nunc per speculum & per ænigma; tunc autem coram cernemus: nunc cognosco ex parte, tunc vero cognoscam prout cognitus fuero.* Hunc locum κατὰ πόδας explicemus. *Cernimus enim nunc.* Ergo verum est quod supra diximus, notitiam fidei in hac vita esse intuitiuam potius quam abstractiuam. *Per speculum & ænigma*, hoc est, quem-

Cognitio est quidditatiua; vel comprehẽsiua.

Visio est corporalis vel spiritalis.

Deus videtur supernaturali lumine dupliciter.

quemadmodum speculum non ipsam rem, sed imaginem rei intuentibus obiicit: sic & in hac vita nobis contingit, vt Deum videamus quidem lumine fidei, sed velut in speculo. Hæc omnia comparate sunt accipienda, non simpliciter, quasi obscura sint omnia, quæ in S. literis traduntur, vti Sophistæ ex hoc loco probare conantur. *Tunc autem coram*. In Græco est πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, *facie ad faciem*. Hac periphrasi tropica denotatur perspicuus, clarus atque planissimus diuinæ naturæ aspectus. Sunt qui per faciem hoc in loco Christum intelligunt. Expositio genuina non est, licet orthodoxa. Nam Græca verba hoc non sinunt: sed significant αὐτοψίαν, qua Deum videbimus, non comprehendendo ipsius infinitatem, sed apprehendendo ineffabilem maiestatem. Sed sequentia verba: *tunc vero cognoscam prout cognitus fuero*: videntur probare, nos comprehensuros infinitatem illam Dei. Nam Apostolus hoc videtur innuere, nos in patria Deum ita comprehensuros, & eius essentiam percepturos, vt ille nos cognitos & perspectos habet. Resp. 1. Particula *sicut*, non est hoc in loco nota æqualitatis, sed similitudinis: ita vt hic sit sensus. Quemadmodũ Deus me Paulum perfecte cognoscit, modo ipsius naturæ conueniente: sic & ego Deum perfecte cognoscam; pro modulo meo. 2. Chrysostomus hoc modo interpretatur: quemadmodum me elegit & approbauit Deus, ita cognoscam illum: ita vt non similitudo, sed causa exponatur. q. d. cognoscam, quia sum cognitus & approbatus. Atque vtitur Chrysostomus hoc simili: Oculus noster (inquit) iubar & lumen Solis non potest cernere, nisi prius luce ac lumine solis fuerit perfusus: ita nos ad absolutam Dei notitiam non valemus pertingere, nisi prius à Deo fuerimus & cogniti & approbati. 3. Quidam sic interpretantur hæc verba: τότε δὲ ἐπιγνώσομαι, *tunc vero cognoscã*, καθὼς ἐπεγνώσθην, *prout edoctus fuero*. Hi existimant, particulã καθὼς significare conueniẽtiam illam, quæ est inter institutionem & perceptionem. Nam quo excellentior erit doctor noster, ipse nimirum Deus: & quo præstantior docendi ratio, ipsa vtique Dei contemplatio (præstantissima siquidem docendi ratio est ocularis demonstratio) adde etiam, quo melior erit nostra conditio, cum induerimus immortalitatem: eo etiam perfectior erit cognitio. Postrema hæc expositio non est contorta. Hic etiam obiter refutemus crassas cogitationes eorum, qui putant, visionem beatificam fore imperfectam, si oculis corporis non simus visuri Deum, & adducunt illud *Iobi* 19. *vers.* 26. 27. *Et postquam vermes confoderint istud, euigilante me, tum carne mea me visurum esse Deum. Idem qui sum, ac non alienus, visurus sum mei, & oculi mei aspecturi.* Hosce velim hoc dictum Iobi conferre cum 1. *Cor.* 15. *vers.* 44. 45. 46. *Est corpus animale, & est corpus spirituale. Quemadmodum & scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viuentem, extremus Adam in spiritum viuificantem. At non primum, quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Horum verborum sensus est iste. Corpus anima- *Corpus a-*

nimale & spirituale quo sensu dicatur Apostolo?

animale est, quod animam habet pro præstantissimo principio mouente & regente. Ad piorum autem corpora accedit vis spiritus, qua cumprimis animus, deinde corpus agitur. Hoc in hac vita perfecte non habetur, vbi nunquam absolute caro spiritui subiicitur. In patria illa cœlesti manebit quidem, substantia & natura corporum nostrorum (vt è verbis Iobi videre est) sed Spiritus S. vis adiicietur, quæ tunc perfecte & absolute in anima & corpore dominabitur. Nunc dum hic viuimus, affectionibus animi ducimur, & corpus est instrumentum animæ, tanquam principis, vnde & animale dicitur. Et h c est homo ille ψυχικὸς, qui beneficio animæ se mouet ad ea, quæ sibi congrua iudicat, vt ad victum, amictum, ciuilem administrationem & ad aliquas naturales scientias. Verum ad diuina: & quæ conducunt ad supremam felicitatem, non possumus nos ipsos animali principio mouere, nisi accesserit vis illa spiritus, quam dum hic viuimus. & quoad animum, & quoad corpus, habere possumus ex parte, nō ex toto. In resurrectione autem habebimus illam vim spiritus perfecte, vbi nobis restituetur præstantius corpus, quam Adam habuit. Nam id animale fuit, cum opus habuerit cibis (nam vescebatur fructibus in Paradiso) itē mortale, licet necessitatē moriendi nō habuerit. At in isto corpore spiritali, quod habebimus in patria nihil horum erit. Nam illud non anima, sed spiritu longe excellentiori, & animā & corpus illud viuificante supernaturaliter, regetur. Hic obserua, Christum appellari spiritum ab excellentissima illa natura, id est Deo, in ipso habitante corporaliter, hoc est, manifestissime: vt Adamus dicitur animalis ab anima, excellentiore sui parte. Quod si igitur corpora nostra tam excellenti & incomprehensibili gloria superinduentur, visio illa beatifica non animalis corporis organis perficietur: sed spiritus & animam & corpus sic informabit, vt vtrūq; modo spirituali sit visurum Deum. Hic nō prætereundum est, quod quidam locum illum **Col. 2. v. 9** ***Nam in eo*** (Christo) ***inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter***: sic intelligunt, vt dicāt oculos corporum nostrorum glorificatorum se oblectaturos visione corporis Christi, in quo omnis plenitudo deitatis habitat σωματικῶς, h. e. arctissima vnione & longe firmiori, quam est ea quæ videtur inter animam & corpus. Hactenus primū argumentum, quo declarari potest quid sit Theologia beatorum, respectu modi, qui est visio Dei: secundum argumentum est respectu subiectorum, quæ sunt duo, Angeli & spiritus iustorum, quibus suo tempore adiungētur corpora. Nam neq; Angelis sua in cœlo est Theologia, neq; spiritibus, qui vna cum Angelis in gloriam sunt recepti, nisi secundum illum communicationis modum, quem antea expressimus. Nimirum Theologia archetypa omnium primo perfectissimam sui imaginem in Christo mediatore secundum humanitatem ipsius quasi gignit. Theologia Christi perfectam sui imaginem in Angelis & beatis spiritibus generat; imperfectam

in piis adhuc militantibus: qua de re paulo post. Sequitur nunc tertiũ argumẽtum, quo declaratur quid sit Theologia beatorum; quod est respectu loci, quod illa communicetur in cœlo. Hæc circumstantia perfectam esse illam visionem tam hominum quã Angelorum demonstrat: quandoquidẽ quæ in cœlo sunt, ea perfectionẽ suo modo singula obtinẽt, suntq; ab omni imperfectione alienissima. Quapropter ẽt Apostolus *Heb.* 12. *v.* 23. vocat spiritus δικαίων τελειωμένων, id est consecratorum, vt quidã exponunt, vel potius perfectorũ & consummatorũ, h. e. ad perfectionẽ euectorũ Dei beneficio. Claræmontan. Codex habet τεθεμελιωμένων, *fundatorum*, h. e. eorũ, qui iã sunt extra omne vacillationis discrimen, in eam vid. ciuitatem recepti, quæ habet fundamenta, cuius artifex & conditor est Deus, *Heb.* 11. *v.* 10. Hic nimirum est locus ille, qui est domiciliũ Patris, & hæreditas Filiorum; quæ descriptio maxime auget dignitatẽ huius Theologiæ. Vt enim longe præstat illius conditio, qui apud Patrem est in delitiis, & perfruitur domicilio ac hæreditate sua, & cognitio eius maior, quã qui longissime abest: ita in diuinis illis rebus, Theologia illa, quæ in cœlo est, huic Theologiæ, quæ in terris est, longe longeq; anteit. Sed hoc omne sic accipi velim, vt maneat sartum discrimen inter Theologiam Christi tanquam capitis, & beatorum; tanquam membrorum. Theologia Christi est habitus luminis intellectualis permanens & perfectus à se & in se, qua est persona eius θεάνθρωπος, subsistit in illa archetypa Theologia, estque plenitudo habitualis, de plenitudine illa infinita & essentiali deitatis, quæ carnẽ assumsit in vnitatẽ personæ. At Theologia beatorum quanquã est habitus intellectualis luminis permanens, & suo modo perfectus: tamen nec permanet, nec perfectus est, ac ne ortum quidem habet à se ipsa; sed principium ortus ac naturæ suæ habet à Christo Seruatore nostro, nec aliunde, quam vi Christi Seruatoris nostri habet sui conseruationem.

Theologia beatorum Angelorum est sapientia rerum diuinarum cum sanctis Angelis è demenso Christi Mediatoris communicata, secundum quam visione Dei æterna gratiosa & gloriosa ad gloriam Dei perfruuntur.

In hac definitione sunt quædam communia, quædam propria. Cõmunia sunt, quod dicitur sapientia rerũ diuinarum, quod cõmunicata, quod secundum eam visione Dei æterna, &c. perfruantur. Propria sunt, quod cum sanctis Angelis è demenso Christi communicata dicitur. Illa habet communia hæc Theologia partim cum antecedente illa Christi Theologia, & sequente illa beatorum hominum: hæc omnino propria, quod è demenso Christi Mediatoris. Hic duo quæruntur. 1. An Angeli demum cœperint esse Theologi postquam Christus est incarnatus, & vt quidam pie loquũtur, humanatus? 2. An Angelorum mediator sit Christus? Resp. 1. Angeli etiam fuerunt Theologi ante CHRISTVM ἐνσαρκωθέντα, sed à nobis dicitur, cum illis communicatam esse Theologiam ex demenso

Theologia Angelorũ quid sit?

Christi,hoc eſt,Deum virtute ſpiritus æterni,ſpiritualia dona cum electis cõmunicantis,ita diſpenſaſſe Angelis beatis Theologiam hanc,vt Theologiam Christi tanquam idem reſpexerit. Reſp. 2. Christus eſt omnino mediator Angelorum bonorum, licet non ſit redemptor.Hoc ſic demõſtramus. Quibuſcunque creaturis intelligentibus Christus ab æterno eſt caput à Patre datus,eorum Mediator eſt. At non ſolum hominibus,ſed ẽt Angelis eſt datus in caput. Ergo non eſt ſolum mediator hominum, ſed etiam Angelorum,ſc.bonorum,de quibus hic loquimur.Caput dum dicimus, tria conſideramus; ordinem,quo caput primas tenet dignitate & autoritate in toto corpore ; perfectionem ,qua omnes ſenſus tam interiores quam exteriores vegetat; & denique quatenus fons eſt omnium, quæ in corpore ſunt.Poſtremo hoc modo Christus dicitur caput, quatenus per eum omnia dicuntur cõdita *Ioh.* 1. *v.* 3. *Omnia per hunc* ſermonem *condita ſunt, & abſq́ eo factum eſt nihil quod factum ſit.* *Col.*1.*v.*15.16. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis,& primogenitus omnis rei creatæ.Nam per eum condita ſunt omnia, quæ in cœlis ſunt,& quæ in terra,viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni ſiue dominia,ſiue imperia,ſiue poteſtates,omnia,inquam,per eũ,& eius reſpectu condita ſunt.* Sed poſtremus hic modus hoc loco non eſt perpendendus. Nam Christus non poteſt dici Mediator reſpectu creationis;quia mediator eſt inter duas partes iam ipſo actu exiſtentes. Accedit,quod angeli & homines æternitatis ſunt capaces ſecundũ Deum.Illis ergo per gratiã Deus tribuit, vt in æternum ſint,& quidem filii ac hæredes Dei, cohæredes autẽ Christi.Hi ſunt ordinati,vt ex iis corpus Christi myſticũ(Eccleſia) conſtituatur;in quod Christus influat,quod ſua influentia vegetet.Iã qua ratione Christus angelorũ & hominum caput eſt,eadem ẽt eſt Mediator.Sunt enim hæc ἰσοδυναμοῦντα hoc in loco. At mediator & redemtor inter ſeſe differunt, vt genus & ſpecies. Christus angelis eſt mediator conſeruationis,& confirmationis:nobis eſt mediator redemptionis,& conſeruationis,ex quo redemti ſumus. Sic vtriſq; eſt mediator;quamuis modo differente. Vera igitur manet propoſitio maior noſtri ſyllogiſmi : Quibuſcũq; eſt Christus in æternũ caput à Patre datus, eorũ eſt mediator. Hæc propoſitio eſt fundata in d. 1.*Col.*1. vbi quædam tribuuntur Christo communiter, quædam ſingulariter.Illa reſpectu creationis,*verſ.*15.16.vt modo recitauimus: iſta reſpectu mediationis.*v.*18.19.20.*Eſtque caput corporis*, id eſt, *Eccleſia; eſtque etiam principium & primogenitus ex mortuis,vt inter omnes primas teneat. Quoniam in eo placuit Patri,vt omnis plenitudo inhabitaret. Et pace per ſanguinem crucis eius facta , per eum reconciliare omnia ſibi,per eum*, inquam , *tum quæ in terra, tum quæ in cœlis.* Hæc confer cum *capite ſecundo*, vbi deterrere vult à cultu Angelorum, hoc argumento : quia Christus eſt caput ſingulorum, à quo totum corpus per commiſſuras. Dicamus ergo, CHRISTVM mediatorem eſſe ordinatum iis, qui peccare potuerunt, vt ne peccarent, tum

An Christus ſit mediator Angelorum?

Mediatoris vox latius patet, quã redemtoris.

iis,

iis, qui peccauerant, vt salui fierent à peccatis ipsorum. Mediator & lapsis & stantibus est ordinatus; redemtor nonnisi lapsis. Stantibus, vt persistent, lapsis vt resurgant, & persistent. Præterea integritas erat omnibus Angelis naturalis, hoc est, secundum naturam, & in natura ipsorum insita, quamprimum natura illorum existere cœpit, seu concreata fuit naturæ ipsorum: quod vero Angelis, qui in illa integritate perstiterunt, id gratiæ accessit, vt vellent immutabiliter Deo adhærescere, hoc supernaturale est. Causa huius rei summa est Dei beneuolentia in Christo. Nam Christus est Dominus & caput ipsorum, in quo subsistunt secundum electionem vt in Deo immutabili, & in quo Deus ipsos intuetur, ac proinde in illo iam facti sunt immutabiles. Hinc *Augustinus* recte docet *tom. sept. lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum c. 7.* Angelos semper videre faciem Dei Patris per Filium in Spiritu sancto. Accedit, quod nulla creatura potest esse beata nisi in communione cum Deo. Nullæ autem creaturæ communio cum Deo potest esse, nisi præcedat vnio. Nulla vnio potest esse absque medio vniente. Vnio autem duplex, primæua & redintegrata. Primæua vnio consideratur vel in se, quatenus Angeli, verbi gratia, sunt conditi, vel certo respectu, quatenus sunt confirmati. Ibi medium vniens est Christus. Nam omnia per eum sunt condita. Ratio huius est; quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Debuit ergo medium *μεθέξεως participationis*, vti vocant, intercedere, quod esset infinitum & finitum simul. Si spectetur confirmatio in gratia, tanquam principalior ipsa creatione, non video, quomodo excludi debeat Christus? Vnio redintegrata si spectetur, Christus solum est mediator hominum, seu redemtor illorum. Cæterum de visione Angelorum beatifica loquitur Christus, *Matth. 18. v. 10. Videte, ne contemnatis vnum ex paruis istis. Dico enim vobis, Angelos eorum in cœlis per omne tempus cernere faciem Patris mei, qui est in cœlis.* 1 *Pet. 1. v. 12.* dicitur, quod Angeli cupierint introspicere magnum illud mysterium redemtionis per Christum. Quare vero hoc? Duas ob causas; partim vt illorum Theologia esset clarior, partim quia hominibus, quorũ ministri illi sunt ex mandato superioris sui, qui est Deus, summam illam felicitatem quasi congratulati sunt. Huc pertinent, quæ à Patribus & Scholasticis disputantur de triplici Angelorum cognitione, matutina, meridiana, & vespertina. *Matutina* est, qua cognoscunt res à Deo conditas in verbo, hoc est, in Filio, per quem omnia facta sunt, & in quo rerum omnium sunt ideæ & rationes veluti seminariæ, intuentur. *Meridiana* est, qua Angeli vident ipsam diuinam essentiam clare à facie ad faciem, idq; propter Christum. Si enim in Christo & per eum sunt conditi, etiam in Christo & per eum sunt confirmati in gratia & integritate prima. *Vespertina* est, per quam Angeli res cognoscunt in propria specie. Hæc ob primatum ita dicitur; quia res obscurius cognoscuntur per species suas, quam in ideis.

Vnio creaturarum intelligentium cum Deo est duplex.

Cognitio Angelorũ est triplex.

Theologia hominum beatorum, est sapientia rerum diuinarum cum hominibus electis, iam ad perfectionem euectis, in cælo virtute Spiritus Dei ex demenso Christi redemtoris communicata, qua iam clare Deum sicuti est, videntes de facie ad faciem sunt beati. De hac visione loquitur nobis Spiritus sanctus his locis. *Matth.* 5. v. 8. *Beati, qui sunt mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* 1. *Cor.* 13. *ver.* 2. *Tunc autem cernemus facie ad faciem.* 1. *Ioh.* 3. *ver.* 2. *Videbimus eum sicut est.* 2. *Corinth.* 5. *v.* 7. *Per fidem incedimus, non per aspectum,* scil. clarum. *Apocal.* 22. *ver.* 4. *Videbunt faciem eius.* Dixi per aspectum clarum. Nam etiam in hac vita videmus Deum per fidem, vt supra probauimus, & quam clarissime demonstrari potest ex *Psal.* 63. *v.* 2. 3. *Ioh.* 6. *v.* 40. *c.* 12. *v.* 7. & 9. 1. *Cor.* 13. *v.* 12. 2. *Corinth.* 13. *ver.* 18. *Hebr.* 2. *ver.* 9. 1. *Iohan.* 3. *ver.* 6. vbi fit mentio visionis, qua Deum videmus in hac vita. Vnde sequitur, visionem tum viatorum esse, tum beatorum; seu & illorum, qui sunt in statu viæ, & illorum, qui sunt in statu patriæ: ac proinde etiam Theologiam visionis distinguendam esse, sic vt sit vel claræ, vel obscuræ visionis. Theologia claræ visionis ἐξοχῇ quadam; item *Theologia comprehensorum*, hoc est, eorum, qui beatitudinis metam, ad quam in hac vita contendebant, iam comprehenderunt. 1. *Corinth.* 9. *v.* 24. *An ignoratis eos, qui in stadio currunt, omnes quidem currere, sed vnum accipere præmium? Sic currite vt comprehendatis. Philip.* 3. *v.* 12. 13. 14. *Experiens ecquo modo deueniam ad resurrectionem mortuorum. Non quod iam metam apprehenderim, aut iam sim consummatus: sed persequor experiens an quoque apprehendam, cuius etiam rei causa apprehensus fui à Christo Iesu. Fratres, ego meipsum non reor apprehendisse. Vnum autem ago: ea quidem, quæ à tergo sunt, obliuiscens, ad ea vero, quæ à fronte sunt contendens, scopum versus feror, ad præmium supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu.* Cæterum circa hanc doctrinam duo quæruntur. 1. An Theologia in statu patriæ recipiat gradus perfectionis, ita vt in vno sit perfectior quam in alio? 2. An possit dici perfecta, cum spiritus iam consecrati in cœlis nondum habeant corpora sua sibi vnita? Resp. ad 1. In vtramque partem disputari potest argumentis petitis è sacris literis; quæ collegit vir doctissimus *Petrus Martyr in commentario super* 1. *Corinth.* 15. *pag.* 125. & nos tractabimus hac de re loco proprio. Nunc illud annotandum videtur, electos illos Theologos & Angelos & homines considerari dupliciter. Nam prout membra sunt vnius corporis mystici, quod est Ecclesia, duplicem sustinent relationem; vide. vnam respectu capitis, alteram respectu membrorum. Si relationem membrorum ad Christum, tanquam caput, spectes, Theologia illa visionis adæque est perfecta tum in Angelis, tum in hominibus. Sicut enim caput adæqualiter influit in omnia & singula membra sua, corpore sano: sic etiam Christus æqualiter influit in membra Ecclesiæ suæ. Iam si consideres relationem membrorum ad se inuicem, erit quædam inæqualitas. Nam alia membra aliis sunt perfectiora, non ratione capitis, sed ratione vsus.

Theologia claræ visionis quæ sit?

Membra duplicem σχέσιν habent in corpore.

Simi-

Simile cogitabis de beatis in ſtatu patriæ. Nam Angeli omnino ſunt perfectiores Theologi beatis hominibus; tum quia ſunt puri ſpiritus, tum quia perſtiterunt in integritate ſua. Deinde homines beati non æqualiter erunt Theologi in patria; quia Spiritus Dei non æqualiter reddet corpora beatorum ſpiritalia, vt docetur 1. *Corinth.* 15. Nam expreſſe dicitur: *Stella à ſtella claritate differt.* Hæc inæqualitas non arguit aliquam imperfectionem, ſed ſummam perfectionem. Hæc enim eſt corporis perfectio, vt vnum caput æqualiter influat in membra, quorum tamen vnum altero ſit excellentius. Contra hanc ſententiam duo obiiciuntur. Chriſtus dicit, nos fore ἰσαγγέλους in altera vita; item nos fore ſplendidos, vti Sol eſt. Reſp. ad 1. Recte habet. Si erimus ἰσάγγελοι, gradus quidam inter nos erunt, quales ſunt inter ipſos Angelos. Ad 2. Certe lucebimus ſicut Sol firmamenti omnes & ſinguli; ſed tamen hinc non efficitur, nullos fore gradus perfectionis in patria. Nam gradus illi non dicuntur ratione ſpecificæ alicuius differentiæ; ſed reſpectu diuerſæ relationis, qua vnum membrum cum alio confertur. Summa: in altera vita perfectio SS. Trinitatis ſpecifice & plus quam ſpecifice, vt ita dicamus, differet à perfectione Angelorum & hominum. At vna & eadem erit ſpecie Angelorum & hominum perfectio; cuius varij gradus erunt tum inter Angelos, tum inter beatos homines. Hanc enim inæqualitatem requirit omnimoda patriæ noſtræ perfectio. Nunc venio ad alterum quæſitum, an Theologia beatorum hominum iam poſſit dici perfecta, cum nondum vnita habeant corpora? Quidam ſtatuunt abſurdum & hæreticum eſſe, ſi quis credat & ſtatuat animas electorum iam frui aſpectu Dei in patria. *Irenæus* aperte pronunciat, hæreticorum eſſe, quod ſibi perſuadeant, animas è veſtigio à morte cœlos tranſcendere, & ad conſpectum Patris euehi, non expectata reſurrectione mortuorum: atq; aſſerit, nos eadem pati debere, quæ Chriſtus experiri voluit, qui à morte non repente fuit excitatus, neque ad Patrem ſtatim aſcendit iam excitatus. Proinde ſtatuit, locum eſſe definitum, quo cum corpus exuerint animæ, vſque ad aduentum Domini quieſcant, atque tunc rurſus indutis corporibus ad conſpectum Dei perducantur. Quædam loca Scripturæ pro hac ſententia adducuntur; nominatim ille *Matth.* 25. vbi Chriſtus dicet electis: *Venite benedicti Patris mei, poßidete regnum, quod vobis ante iacta mundi fundamenta paratum eſt.* Si iubentur venire & poſſidere regnum, nondum ibi ſunt, nondum illud poſſident. Sic illi. Nos ita. Spiritus ſanctus hinc inde docet clariſſime, ſpiritum hominis electi ſtatim ad Deum conditorem ſuum redire, poſtquam ſolutus eſt à corpore. Sic Chriſtus ad latronem dicit: *Hodie mecum eris in Paradiſo Luc.* 23. *v.* 43. *Luc.* 16. *v.* 22. dicitur Lazarus iam mortuus, aſportatus ab Angelis in ſinū Abrahami; ver. 23. diues dicitur fuiſſe apud inferos. Pertinet huc locus, quem ſupra quoque

Gradus perfectionis erunt in altera vita.

citaui

citauimus & explicauimus, qui extat *Hebr.12 v.22. 23. Sed accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui, Hierusalem cœlestem, & myriadas Angelorum; conuentum vniuersalem, & concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem vniuersorum Deum*, & (ad) *Spiritus iustorum perfectorum*. Plena est Apocalypsis huiusmodi dictis, à quibus efficitur, Theologiam beatorum hominum esse perfectam, tametsi corpora illorum adhuc dormiant in puluere terræ. Hoc tamen non est negandum; post resurrectionem vniuersalem, maiorem fore gloriam illorum, cum iam anima domicilium suum videbit spirituale redditum, sicut ipsa spiritualis est reddita à Spiritu Christi. Ad locum Irenæi respondeo, consequentiam nullam esse: Si Christus quadraginta diebus post resurrectionem in terris ambulauit, nec statim ad Patrem ascendit, etiam electi non statim à morte transferuntur anima sua ad Deum. Non enim est par ratio. Nam Christus post resurrectionem suam certas ob causas se exhibuit videndum, vt est *Actor. 1.v.3. Quibus etiam sese, postquam passus fuit, exhibuit viuum cum multis certissimis signis, per dies quadraginta conspectus ab eis, & dicens quæ ad regnum Dei spectant*. Ad locum *Matth.25.v.34.* respondeo, Christum describere vltimum iudicium tanquam processum iudicialem, ideoque singula verba non adeo stricte esse vrgenda. Deinde, Christus non dicit, venite animæ, sed venite benedicti Patris mei. Ergo hic alloquitur totum compositum, ex anima & corpore constans. Atque hæc dicta sunto de intellectuali Theologiæ lumine permanente perfectoque in singulis, quorum est. Nam Theologia Dei est permanens & perfecta, perfectione infinita & essentiali. Theologia item Christi est permanens & perfecta, perfectione quasi infinita & diuina: perfecta denique ac permanens est Theologia Angelorum & spirituum iustorum in cœlis, perfectione amplissima secundum modum ipsorum. Persecuti autem sumus hæc genera paulo prolixius, tum vt naturam Theologiæ, quam explicandam suscepimus, plenius cognosceremus; tum vt elegantissima illa connexio quæ est inter illa genera ad oculum cuiuis pateret. Nam Theologia illa archetypa tanquam fons emittit riuos amplissimos per Theologiam habitualem Christi, tanquam tubos & canales, in membra eius, Angelos & homines. Iam consequens est, vt veniamus ad Theologiam nostram, quæ quamuis non sit permanens, vera tamen est, & in suo genere perfecta.

CAP. VIII.

Theologia Viatorum.

THeologia viatorum est sapientia rerum diuinarum, quæ in hac vita communicatur cum humano genere.

Hic occurrit quæstio, an sit huiusmodi Theologia? Cum enim communica-

municatio Dei cum humano genere in hac vita non sit ita euidens, videmus, multos vel ex malitia, vel infirmitate hoc ipsum in dubium vocare. Certis igitur theorematis hanc rem concludamus.

1. [*Theologiam viatorum esse probatur tum ex testimoniis, tum rationibus.*] " Duo hi sunt modi, quibus quæstioni dubiæ fidem facimus. Aut enim petimus argumentum probatiuum extra naturam terminorum in quæstione dispositorum, aut è visceribus quæstionis illud eruimus. Illud facimus, cum testimonia adducimus: istud, cum rationes è natura subiecti vel prædicati elicimus.

Theologia viatorum an sit?

2. [*Testimonia sunt tum diuina, tum humana.*] "

3. [*Testimonia diuina, quibus probare possumus, Theologiam viatorum esse, hæc sunt præcipua;*] " *Deut.* 4 *v.* 6. *Hæc est sapientia vestra, & prudentia vestra ante oculos populorum: qui audientes omnia statuta ista, dicent: tantum gens ista maxima populus sapiens & prudens est. Psal.* 103. *ver.* 7. *Notas fecit Mosi vias suas, posteris Israelis actiones suas. Rom* 1 *v.*19.20 *Quoniam id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis. Deus enim eis manifestum fecit. Ipsius enim inuisibilia, dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perspiciuntur, &c. Actor.* 14. *v* 15.16.17. *Ac dicentes, viri, cur ista facitis? Nos quoque sumus homines iisdem quibus vos affectionibus obnoxii, annunciantes, vt à vanis istis rebus conuertatis vos ad Deum illum viuum, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia, quæ sunt in eis. Quique præteritis ætatibus siuit omnes Gentes suis ipsarum viis incedere. Quanquam non passus est se esse expertem testimonii* (hat sich noch nie vnbezeugt gelassen) *bona tribuendo, dans nobis cælitus pluuias ac tempora fructibus edendis apta, implens cibo & lætitia corda nostra.* Hoc in dicto admodum notabile & emphaseωs plenum est, quod dicitur, Deum nunquam passum esse se ἀμάρτυρον. Cæterum duo priora dicta probant, esse Theologiam aliquam supernaturalem; duo posteriora probant, esse Theologiã aliquam naturalem. Si enim est sapientia diuina, aliis incognita, populo Dei nota; si item Deus notas fecit vias suas Mosi, certe est aliqua Theologia viatorum supernaturalis. Et, si Deus manifestũ fecit hominibus τὸ γνωστὸν ἀυτȣ͂, si item nunquã passus est se esse ἀμάρτυρον, vtique est aliqua Thologia viatorum, lumine naturæ nota.

Deus nunquam passus est se esse ἀμάρτυρον.

4. [*Humanum testimonium est vniuersale, vel particulare.*] "

5. [*Testimonium vniuersale est omnium omnino gentium.*] Hoc est testimonium vocatur vniuersalis omnium populorum consensus: vnde sic argumentari licet. Quod vniuersalis omnium populorum consensus testatur, illud verum est. At vniuersalis omnium populorum consensus testatur esse Theologiam viatorum. Tanta siquidem est in humano genere lux naturæ, & communis adeo ingenerata notio, vt illa omnes homines tam docuerit esse Theologiam aliquam diuinamque sapientiam, quam docuit & docet esse Deum. Hoc cognoscitur ex scriptis Philosophorum, Historicorum, Poetarum gentilium, & oraculorum: vt pluribus explicant

cant *Iustinus Martyr in parenæsi ad Græcos*, *Clemens Alexandrinus in Protreptico ad Græcos*, *& in libris Stromatum*, *Lactantius in libris diuinarum institutionum aduersus Gentes*, *Theodoretus in libris de curatione Græcarum affectionum*, *Augustinus in libris de ciuitate Dei*, *&c.* Omnes igitur Gentiles agnouerunt esse aliquam Theologiam; etsi errarunt in decisione illa, quæ sit vera Theologia. Quilibet nostrum in seipsum descendat, seipsum recognoscat, interroget, & peruestiget abditissimos recessus mentis suæ. Nihil in illo futurum est, quod non ostendat Theologiam esse, & contradicentem euincet manifestissime. Tanta est naturæ vis; tanta veritatis. Sed quæ in communi docemur insita naturæ luce, ea particularis naturæ in singulis cæcitate & infirmitate obscurantur, & præstinguitur quodammodo acies mentis nostræ; ne id ipsum quod natura communis docet, recte percipiat particularis in vnoquoque nostrum. Si tamen huiusmodi natura particularis monstrosa sane & cyclopica detur, redargui potest ipsa rerum vniuersitate, quæ enarrat gloriam Dei. *Psal.* 19. & quasi proclamat voce, exertoque digito commonstrat sermonem illum rationemque de diuinitate, quam Theologiam appellamus.

Natura cõmunis sæpe obscuratur à particulari.

„ 6. [*Testimonium speciale, quo demonstratur, aliquam Theologiam esse, est proprium Ecclesiæ, quæ Theologiam esse agnoscit, & sibi de ea gratulatur.*]

„ 7. [*Rationes, quibus probari potest, aliquam Theologiam esse, sunt tres.*] Intellige Theologiam viatorum. Ratio 1. Eorum quæ sunt, habetur aliqua scientia: & scientia illa est attemperata cuiusque subiecti modo, hoc est, scientia est in iis qui sciunt, pro modo & captu ipsorum. Atqui Deus est. Ergo de Deo est scientia. Scientia, inquam, in Deo de seipso est diuina; in creaturis est finita: in Deo essentialis, in creaturis habitualis. 2. Si Deus est principiũ omnis boni, sequitur Theologiam esse. Ratio connexi est; quia creaturæ, quæ bonum intellectus & scientiæ habent à primo illo principio, agnoscunt illud principium suum, vnde processerunt. 3. Si Deus loquitur res, & vniuersales seu communes, & singulares ad veram ipsius cognitionem pertinentes, est aliqua Theologia. At Deus loquitur istiusmodi res. 4. Si Deus agit vt Deus erga omnes creaturas, tum non intelligentes, tum intelligentes, quarum his obscura vestigia maiestatis suæ, illis certam imaginem impressit in natura ipsarum, omnino Theologiam oportet esse, quam & res creatæ percipiant communicatione, & Deus possideat in sese tanta perfectione, vt neque apprehendi, neque enarrari possit pro dignitate ipsius, sed destringi solum pro modulo infirmitatis nostræ. 5. Si est Deus, qui cognosci potest, & sunt creaturæ, quæ cognoscere possunt Deum, vtique est aliqua Theologia. Ratio; quia ratio scientiæ alicuius constituitur hisce duobus positis, subiecto cognoscibili, circa quod, & subiecto cognoscitiuo, quod occupetur circa illud. 6. Si Deus non cognoscitur à nobis in hac vita, hoc inde est; quod Deus

vel noluerit, vel non potuerit aliquam sui cognitionem nobiscum communicare. Non illud; quia Deus amore communicationis complectitur creaturas iam conditas, inquantum illæ seruire possunt ipsius gloriæ illustrandæ. Non hoc; quia Deus est omnipotens. Nostrum igitur fuerit veram Theologiam quam diligentissime recognoscere, vt ita Deus nos amet amore complacentiæ, quo complectitur omne bonum: necessitate naturæ suæ immutabiliter, itemque amore communicationis, quo complectitur libere rem, vt bona sit, & si illa res permaneat in bonitate, eandem eodem amore gratiose prosequitur.

Deus amat res amore communicationis, & complacentia.

Cæterum Theologia viatorum alias dicitur *Theologia nostra*, *Theologia via*, *& Theologia reuelationis*. *Theologia nostra*; quoniam in hac vita nos illam excolere debemus. *Via*; quia hæc vita nihil est aliud, quam via ad veram vitam, quæ nobis in cœlis reseruatur. Non enim hic habemus manentem ciuitatem *Heb*.13.*v*.14. sed peregrinamur à Domino. 2.*Corinth*.5. Dicitur porro *Theologia reuelationis & inspirata*: sed duplici synecdoche. Primo quidem à potiori sui parte, videlicet Theologia supernaturali; quę Prophetis & Apostolis in terra degentibus immediate inspirata & reuelata est, & per illos aliis fidelibus manifestata. Deinde, quia etiam anima humana Christi plurima cognoscit per reuelationem Deitatis, cui est vnita; & sancti Angeli ex reuelatione multa mysteria rerum diuinarum cognouerunt & cognoscunt: vt *Daniel*. 8. *&* 9. reuelatur Angelo Gabrieli mysterium septuaginta septimanarum. Sic *Ephes*.3.*v*.10. docet Paulus, gratiam prædicandi Euangelium sibi datam esse, vt nota fieret per Ecclesiam imperiis ac potestatibus, quæ in cœlis sunt, multiformis illa sapientia Dei. Et Petrus ait *priori epistola c*.1.*v*.12. quod in mysteria annunciata in Euangelio Angeli cupiant introspicere. Videris hac de re *Zanchium lib*. 1. *de operib. creationis*, *c*.13. Et post hanc vitam patefactione plena & clarissima nos homines cognoscemus, quæ iam credimus, vt colligere est ex his dictis. 1.*Ioh*.3.*v*.2. *Rom*.8.*v*.18 19. 1.*Cor*.1.*v*.7. 2.*Thess*.1 *v*.7. 1.*Pet*.1.*v*.5.7.13. *&* *c*.4 *v*.13. Ex his efficitur, Theologiam viatorum per synecdochen dici reuelatam seu reuelationis, non quod anima humana Christi, Angeli, vel beati in altera vita nihil accipiant per reuelationem; sed quoniam reuelatio in hac vita tantum locum habet, non etiam visio clara.

Theologia viatorum quare dicatur reuelata?

Theologia viatorum, vel est absolute, vel in subiecto considerata. Illa etiam dicitur *Theologia simpliciter*, *hac secundum quid* considerata. Confer hanc distributionem cum illa, quæ tradita fuit supra *cap*. 5. Ibi Theologia ectypa eodem modo fuit distributa; verum diuisio illa est multo generalior hac. Ideo supra nominauimus Theologiam ectypam in subiecto consideratam cum certa *προσθήκῃ generalem in subiecto*. Possis ergo hanc appellare *specialem in subiecto*: qua de re paucis sic accipe. Theologia ectypa consideratur vel extra subiectum omne, quatenus est tota illa ratio rerum diuinarum

rum cum creatura communicabilium, sed non ex facto communicatarum: vel in subiecto, quod est vel Christus, vel membrum Christi. Theologia, quatenus consideratur in membro Christi, vel est in Angelis, vel in hominibus: & hæc est in hominibus, quatenus illi vel iam sunt in patria, vel adhuc hærent in via. Viatorum Theologia rursus consideratur duobus modis, vel absolute, quatenus inesse potest omnibus electis in hac vita, vel relate, quatenus inest pro actu. Illa potest vocari Theologia viatorum in genere & extra hoc vel illud subiectum considerata; hęc, Theologia in specie considerata, & huic vel illi subiecto tributa.

Theologia viatorum ἐν πλάτει consid rata, est veluti fons.

Theologia viatorum absolute considerata est sapientia rerum diuinarum, quatenus illa communicari potest cum viatore, seu membro Ecclesiæ militantis. Hæc consideratur tanquam fons in medio ciuitatis Christianæ seu Reipubl. Israelis positus; ad quem accurrunt singula membra, & haurit quisque suo vase, prout placet Domino, supremo illi aquilegi, hunc præ illo ditare suæ sapientiæ thesauris, & rore salutari irrigare agros cordium nostrorum. *Theologia viatorum absolute dicta est vel naturalis, vel supernaturalis.* De hac diuisione sunt theoremata.

„ I. [*Est duplex communicandæ Theologiæ cum viatoribus modus, Natura & Gra-*
„ *tia. Hinc Theologia in Naturalem & Supernaturalem diuiditur.*] Hanc rem paulo altius repetere placet. Theologia est vel independens, vel dependens. Independens est archetypa illa, quæ est increata, & simpliciter infinita, solius SS. Trinitatis. Theologia dependens seu communicata est vel permanens vel transiens. Permanens est vel Christi, vel beatorum in cœlis. Transiens est hæc nostra. Potes & hoc modo progredi. Theologia est vel infinita, vel finita. Infinita est vel simpliciter infinita, vt Theologia Dei, vel secundum quid infinita, vt Theologia Christi mediatoris. Finita, est vel perfecta, quæ cum Angelis & beatis hominibus communicatur in cœlis; vel imperfecta, quæ cum electis hominibus communicatur in terris. Has diuisiones eo commemoro, cum vt intelligant lectores non alias atque alias has esse differentias Theologiæ, sed synonymas plane; tum vt proposita diuisio Theologiæ in naturalem & supernaturalem clarior & illustrior reddatur. Hic inter alia & illud notandum est, nos minime statuere, Theologiam illam nostram in se & ex se imperfectam esse, sed solum comparate. Nam in eo, quod habet quicquid Deus vult illam habere in hac mortali vita, est perfectissima, quam dicunt perfectionem in aliquo, vel in suo genere. Sed perfectio eius cum nostra tenuitate & imperfectione contemperata est. Sicut enim naturæ nostræ insunt certa principia, quæ procedente tempore & antecedente rationis cultura assurgunt ad certas conclusiones & determinationes iustæ scientiæ pro naturæ humanæ modo: sic etiam in opere gratiæ & gloriæ Deus ferme obseruat ordinem naturæ, ita vt principia Theologiæ excelsæ nobis insint in hac vita, quæ

ta, quæ per gratiam irrigantur & augescunt, donec complementum gloriosa Dei visione in cœlis obtineamus. Principia illa in se quidem sunt perfectissima, sed imperfecta sunt secundum quendam modum, quatenus hic videmus per fidem; quæ certe perfecta est si in se consideretur, & quatenus est medium (in Scholis hanc vocant *perfectionem competentem*, nos dicamus *perfectionem medii*) sed dicitur imperfecta, quatenus spectatur *perfectio finis*, quo modo clare illa visio dicitur perfecta. Hinc iam deciditur illa quæstio, quomodo fides differat à visione beatifica, adeoque cognitio Dei in hac vita, à cognitione in altera vita, & Theologia excelsa ab humili? Qui specificam hic ponunt differentiam, errorem errant grauissimum. Nam fides est visio Dei, sed inchoata, vt supra probatum est. Et Theologia visionis à Theologia nostra differt vt excelsum ab humili, vt ipsæ voces præ se ferunt. Adde, quod vna eademq; est veritas specie, sed non gradu. Ponimus igitur hic distinctionem gradualem, non specificam. *Perfectio competens qua dicatur?*

2. [*Natura & Gratia non pugnant.*] Naturæ æque ac gratiæ commune principium est Deus, omnis boni author, siue illud secundum naturam, siue supra naturam extiterit. Non igitur pugnare possunt hæc duo, natura & gratia; quia sunt ambæ à Deo, ambæ veræ & bonæ. Hac de re infra leges plura *libro 2. horum præcognitorum*, vbi expendimus illud, quod multis in ore est. *Philosophia pugnat cum Theologia.*

Theologia naturalis & supernaturalis considerantur communiter & singulariter.

Communiter, quatenus inter se conferuntur ratione conuenientiæ & differentiæ.

Conuenientia Theologiæ naturalis & supernaturalis est ratione generis, causarum remotarum, subiecti communis, & adiunctorum communium.

CAP. IX.

Conuenientia Theologiæ naturalis & supernaturalis, ratione generis.

C*Onuenientia Theologiæ naturalis & supernaturalis ratione generis continetur hoc theoremate:*

[*Genus Theologiæ viatorum est sapientia.*] Hic incidit pulcherrima disputatio de genere Theologiæ nostræ seu humilis. Nos illam concludimus hoc syllogismo: Theologia non est intelligentia, nec scientia, nec prudentia, nec ars. Ergo est sapientia. Hic syllogismus enthymematicus nititur duobus fundamentis; quorum primum est: Theologia nostra est habitus; alterum: Quinque sunt habitus intellectuales, intelligentia, scientia, sapientia, prudentia & ars. Nam etsi dantur plures habitus intellecti- *Theologiæ viatorum genus quodnam?*

ui, tamen illi comprehenduntur ſub his quinque generibus, & ad illa quã rectiſſime referuntur. His ita conſtitutis, probamus antecedens enthymematis per partes. Principio Theologia viatorum non eſt intelligentia, vt patet ex hoc argumento. Intelligentia eſt habitus ſeu notitia primorũ principiorum tantum. At Theologia viatorum non eſt ſolummodo notitia primorum principiorum, ſed etiam concluſionum. Ergo non eſt intelligentia. Maior eſt manifeſta. Docent enim Philoſophi, hanc eſſe formalem rationem huius habitus, inclinare hominem ad aſſentiendum primis principiis abſque vlla demõſtratione. Hinc dicitur rationẽ fundare, non autem opus rationis, quod appellamus ratiocinationem, exercere. Dum enim in principiis duntaxat conſiſtit, fundamenta omnis diſcurſus ſuppeditat, ipſa non diſcurrit. Nam diſcurrere eſt concluſionem è principiis vi ſyllogiſtica deducere. Eſſet igitur hoc genus anguſtius Theologia. Deinde Theologia viatorum non eſt ſcientia. Nam ſcientia ſtricte accepto vocabulo, quod hic fieri omnino oportet, eſt notitia concluſionum neceſſariarum per demonſtrationem collectarum ex principiis. Eſt igitur concluſionum tantum; & principia non exponit, ſed præſupponit. At Theologia noſtra non ſolum habet concluſiones, ſed etiam principia. Adhæc ſcientia eſt concluſionum duntaxat demonſtratarum, vel certe demonſtrabilium. At Theologia noſtra habet multas concluſiones non ἐπιστητὰς, ſed πιστὰς, hoc eſt, tales, quæ demonſtrari ſcientifice non poſſunt, ſed creduntur. Nam qualia ſunt principia, tales etiam ſunt concluſiones è principiis deductæ. Quod ſi igitur plurima principia Theologica ſint πιστὰ, & concluſiones tales fuerint. Præterea ſcientia ſtricte dicta procedit, è principiis per ſe notis, ſiue talibus, quæ omnibus ſunt liquida, vel certe naturaliter liquida reddi poſſunt. At Theologia arcana, ſeu ſupernaturalis habet multa, quæ non per ſe, ſed per reuelationem diuinam nota ſunt, ideoque paucis. Nam fides non eſt omnium. Denique ſcientia ſtricte accepta eſt ſolum vniuerſalium, non ſingularium. At Theologia noſtra eſt etiam ſingularium: quippe tractans de Deo, qui eſt ens ſingulariſſimum, CHRISTO operibus Dei, rebus geſtis ſanctorum innumerabilium. Theologia igitur non eſt ſcientia ſtricte ſumto vocabulo ſcientiæ. Late tamen & exoterice ſumto vocabulo, prout vulgus communiter accipit vocabulum ſcientiæ, genus Theologiæ recte ſtatuitur ſcientia; cum in ſacra Scriptura paſſim res diuinæ ſciri dicantur. *Iob.* 19.*v.*25. *Ego ſcio, redemtorem meum viuere. Eſai.* 11.*verſ.*9 *Cum plena erit hæc terra ſcientia Iehouæ.* 1.*Ioan.*3.*v.*11.12. *Quod ſcimus, & quod vidimus, teſtamur.* Confer *Matth.*22.*verſ.*29. 1.*Cor.*2.*v.*2. *Eph.*1.*v.*18. 2.*Cor.*5.*v.*11. *Ioh.*2.*v.*3. *& c.*5.*v.*13. 2.*Pet.*1.*verſ.*5. Vnde *Auguſtinus* multis in locis docet Theologiam poſſe appellari ſcientiam: vt *tom.*3.*lib.*13. *de Trinitate cap.*19. ait: *Nec iſta duo ſic accipiamus, quaſi non liceat dicere, vel iſtam ſapientiam; quæ in rebus humanis eſt, vel illam ſcien-*

Theologia viatorum genus non eſt intelligentia.

Theologia viatorum genus non eſt ſciẽtia.

Scientiæ vocabulũ accipitur late, vel ſtricte.

scientiam quæ in diuinis est. Loquendi enim latiore consuetudine, vtraque sapientia, vtraque scientia dici potest. Et *lib.*14.*c.* 1.ait,se huic scientiæ(quam nos Theologiam appellamus)illud tantummodo tribuere,quo fides saluberrima, quę ad veram beatitudinem ducit,gignitur,nutritur,defenditur,roboratur;qua scientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimum. Aliud enim est scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est;aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur,& contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus. Augustinum secutus *Thomas* 1.*part.summæ,q.*1 *art.* 2. dicit sacram doctrinam esse scientiam,sed hoc cum certa distinctione dicit. Statuit enim duplex genus scientiarum. Quædam sunt,quæ procedunt ex principiis notis lumine intellectuali naturali;sicut Physica,& Mathematicæ disciplinæ. Quædam sunt,quę procedunt à principiis notis lumine superioris scientiæ;sicut Optica procedit ex principiis notis per Geometriam,& Musica ex principiis notis per Arithmeticam. Posteriori modo Theologiam dicit esse scientiam ; quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ,quæ scilicet est scientia Dei & beatorum. Vnde sicut Musica credit,non disputat principia sibi tradita ab Arithmetica:ita sacra doctrina credit sibi reuelata à Deo principia. His omnibus ego hoc addo. Distinguenda sunt naturalia à supernaturalibus in Theologia viatorum. Illa sciri possunt propriissime, ista sciri possunt, late accepto vocabulo. Ratio;quia demonstratio proprie dicta locum habere potest ibi; at hic nonnisi illa demonstratio,quæ procedit ex hoc principio, Deus dixit:quæ non est demonstratio scientiæ, sed fidei; vel non est scientia demonstrationis,sed fidei. Omnis itaq; scientia procedit ex principiis notis. Sed principia nota sunt vel per se nota, vel δι' ἀναγωγῆς ,*per reductionem*. Principia per se nota sunt in Theologia naturali. Principia in Theologia supernaturali sunt nota,non lumine intellectus humani,sed quatenus reducuntur ad superiorem scientiam. Contra hanc doctrinam sic obiicitur. 1. Omnis scientia est vna. Theologia non est vna. Ergo non est scientia. Prob.minor: Vnitas scientiæ pendet ab vnitate obiecti, si theoretica sit disciplina, sicut vnitas disciplinæ practicæ æstimatur ex vnitate finis. At obiectum Theologiæ non est vnum;quia tractat de Deo & creaturis. Resp. Ad hanc probationem, quod nitatur falsa hypothesi, quasi videlicet Theologiæ subiectum etiam sit creatura, quod non est dicendum. Nam oportet distinguere inter subiectum Theologiæ,& manifestationem subiecti. Deus est subiectum Theologiæ , sed creaturæ faciunt ad manifestationem subiecti : Itaque Theologia determinat de Deo & creaturis, sed non æqualiter. Nam de DEO determinat principaliter,tanquam de suo subiecto : de creaturis, secundum quod referuntur & ordinantur ad DEVM, tanquam principium & finem suum,

Duplex genus scientiarum apud Thomam.

Principia possunt nota esse duobus modis.

Subiectum Theologiæ est Deus.

adeoque faciunt ad illius manifestationem. Sic, verbi gratia, Theologia non docet de Angelis, vt de subiecto, sed ad manifestationem subiecti. Hoc sic probatur. Vnitas scientiæ sumi debet à formali ratione subiecti, seu à modo considerationis. Iam vero modus considerationis in Theologia est, res diuinas tractare quatenus diuinæ sunt. Itaque subiectum Theologiæ est Deus, & quicquid est Dei, quatenus illud refertur & ordinatur ad Deum, velut pertinens ad cognitionem & cultum illius. Hinc dicunt Patres & Scholastici: *Deus est obiectum Theologiæ in Nominatiuo & Genitiuo casu*, hoc est, Deus, & quicquid est Dei. Græci dicerent, ὁ Θεὸς καὶ τὰ Θεοῦ, vel τὰ θεῖα. Alii hic distinguunt inter obiectum totale seu adæquatũ, & partiale seu inadæquatum. Illud directum, hoc obliquum dici potest. Theologiæ subiectum totale faciunt Deum, partiale potest esse multiplex, vt puta Angelus, cœlum, & similia, quatenus ordinantur ad Deum cognoscendum & colendum. Alii dicunt subiectum disciplinæ non cõsiderandum esse duntaxat formaliter, sed etiam consequenter & opposite. Sic cum dico, primæ philosophiæ obiectum adæquatum est ens, non solum intellige ens formaliter, sed omnia quæ ipsum consequuntur, quæque eidem opponuntur. Ita in Theologia subiectum hoc Deus non excludit ipsius actiones & opera, neque peccatum, & similia. Ad summam: Deus est subiectum principale in hac nobilissima disciplina, & veluti mẽsura atque norma, quam in ipsius tractatione oportet respicere, vt videamus, quæ sint homogenea, quæ heterogenea. Hæc sententia probatur his argumentis. 1. Nobilissimæ scientiæ subiectum est nobilissimum. At Theologia est scientia nobilissima. Ergo subiectum eius nobilissimum fuerit. Hoc vero non põt esse aliud nisi Deus. 2. Idem est subiectum principiorum & totius scientiæ. Ratio; quia tota scientia virtute continetur in principiis, sicut arbor virtualiter continetur in semine. At principiorum Theologicorum subiectum est Deus. Ergo & totius scientiæ. Minor probatur: Principia Theologiæ sunt Natura & Scriptura. Natura in omnibus nos quasi manu ducit ad conditorem suum Deum. Scriptura similiter, & vero magis quam natura, quod sic patet. Scripturæ summa sunt articuli fidei; & præcepta Decalogi. At articuli fidei sunt de Deo Patre, Filio & Spiritu sancto, item de domo Dei, quæ est Ecclesia, & beneficiis Dei erga domum suam. Decalogus præcipit amorem Dei, & amorem proximi propter Deum. Ex his patet, Deum esse subiectum Theologiæ, ad cuius manifestationem omnia, quæ in Theologia tractantur, ordinari & referri debent. Vtinam hoc hodie perpenderent ii, qui Theologi videri volunt! Minus bellorum & disputationum esset in rebus sacris, & de iis. Si enim quisque sic statueret apud animum suum, manifestando subiecto Theologiæ, cognitioni & cultui Dei omnia θεολογούμενα debere inseruire, alii alios non morderent, proscriberent, inferno adscriberent.

Deus est mensura & norma tractationum Theologicarum.

Sed

Sed dum magna pars Theologastrorum (quo quidem vocabulo vtut paruo nondum sunt digni) aliud quiduis, quam Deum cogitant, fit vt veritas subiecti Theologici amittatur. Cogitare debebant, quam augustum sit & prope supra sortem humanam, tractare res diuinas; quæ quidem tales sunt ratione subiecti, modi & finis. Ratione subiecti; quia quicquid tractatur in sacra Theologia, denominationem suscipit à subiecto, quod est Deus gloriosus. Ratione modi; qui diuinus est principio, actione & effectu suo. Ratione finis; qui est Deus, & visio Dei, ad quam hac duce contendimus. Superest altera obiectio contra hanc sententiam, quod Theologia sit scientia: Quidquid tractat de rebus diuersis ad diuersas disciplinas pertinentibus, id non est vna scientia. Theologia tractat de diuersis rebus, ad diuersas disciplinas pertinentibus; quia docet de Angelis & homine reliquisque creaturis, quæ considerantur vel in Pneumatica, vel in Physica; item de moribus seu virtutibus, quæ sunt Ethicæ considerationis, & de aliis, quæ ad diuersas disciplinas pertinent. Non igitur est vna scientia. Resp. Maior restringenda est: Quicquid tractat de rebus diuersis ad diuersas disciplinas pertinentibus, scilicet sub multiplici non autem vna ratione formali subiecti, seu non vno modo considerandi, id non est vna scientia. At Theologia tractat de rebus diuersis ad diuersas disciplinas pertinentibus non sub multiplici, sed vna ratione formali, seu vno modo considerandi: quatenus videlicet referuntur ad Deum, tanquam ad primam causam efficientem & finalem recte cognoscendam & colendam. Licet igitur res considerata sit communis variis disciplinis: tamen modus considerandi, est propriissimus. Solent adferre hoc simile. Sicut vnus consensus communis, qui est vna potentia, sese extendit ad omnia subiecta quinque sensuum externorum: sic vnicum subiectum, Deus, virtute sua diffundit se per omnia, quæ in corpore Theologiæ considerari, possunt & debent. Sic euicimus, quod Theologia viatorum non sit scientia stricte accepto hoc vocabulo. Nunc ostendamus, quod non sit ars. Artis vocabulum itidem, vt scientiæ, duobus modis sumitur, stricte & late. Stricte accepta ars est habitus cum recta ratione effectiuus. In qua definitione vox effectionis latissime sumitur, ita vt non solum operationem aliquam externam & fabrilem significet, sed etiam internam & intellectualem, quæ dependet ab intellectu practico, vel si mauis, poetico. Sic non solum architectus dicitur artifex, sed etiam Logicus; quoniam vterque dirigitur sua arte ad faciendum aliquid vera cum ratione. Sic enim oportet explicare datam artis definitionem: ars est habitus cum recta ratione effectiuus, hoc est, talis habitus, qui cum vera ratione coniunctus vim habet ad recte dirigenda & gerenda omnia, quæ ad vitam poeticam seu factiuam degendam pertinent. Ars igitur hoc modo, qui est acroamaticus, dicta, esset angustius Theologiæ nostræ genus; quoniã

Theologiæ viatorum genus non est ars.

Theologia non solum est practica, sed etiam theoretica. Taceo, quod ars proprie est organica. Sed Theologia non est organica, hoc est, non fabricat instrumenta. Laxe sumitur vocabulum artis pro systemate præceptorum methodice dispositorum. Hoc sensu Stoici quamlibet disciplinam appellant artem. Et ita Theologia à Petro Ramo dicitur ars. Ad extremū prudentia quoque esset genus angustius Theologia. Nam prudentia est habitus practicus cum recta ratione coniunctus ad dirigenda omnia ea, quæ ad vitam operatiuam seu moralem recte degendam faciunt. Sic Ethica est prudentia, sic Politica. Sed Theologia non solum format vitam operatiuam seu actiuam, sed etiam contemplatiuam & factiuam. Vita theoretica philosophis dicitur, quæ posita est in contemplatione rerum præstantissimarum. Vita actiua, quæ actionem virtutis quærit. Vita factiua, quæ effectionem variorum instrumentorum intellectualium iuxta & corporalium tractat. Prima dicitur alias theorica; secunda, practica, stricte accepto vocabulo praxeως, quatenus nimirum respicit virtutem; tertia poetica, & practica interdum, late sumto vocabulo πράξεως. Ex his relinquitur, Theologiam viatorum neque intelligentiam, neque scientiā, neque artem, neque prudentiam esse. Quid ergo est, inquiat aliquis, si nihil est horum? Resp. vno verbo est omnia ista, ideoque sapientia. Rationes pro hac sententia sunt istæ.

Theologia viatorum genus non est prudentia.

Vita contemplatiua, actiua & factiua quæ dicatur?

Verum genus Theologia viatorum est sapientia.

1. Theologiæ competit accurata definitio sapientiæ. Ergo & definitum. Antecedens probatur: Sapientia est habitus intellectualis, quo inclinamur ad assentiendum principiis & conclusionibus. Theologia viatorum est talis habitus. Ergo Theologia viatorum est sapientia. Propositio eget illustratione. Vulgo sapientia dicitur esse habitus mixtus. Recte. Sed additur: habitus mixtus ex intelligentia & scientia. Nimis anguste. Hac enim ratione fuerit solū habitus theoreticus. Sed hoc non est verum de omni sapientia, vti de Theologia. Quare sic fuerit hexilogia vulgaris, hoc est, doctrina de habitib. intellectualibus proponenda. Habitus intellectualis verus (de hoc. n. loquimur) est vel simplex, vel mixtus. Simplex est vel theoreticus, vt intelligentia & scientia, vel Practicus, vt prudētia, vel Poeticus, vt ars. Mixtus est sapiētia; quæ vel ex theoretico & practico est cōposita, vel ex duob. theoreticis tantū. Hoc posteriori modo Metaphysica dicitur sapientia, quia intelligentiam primorum principiorū, & scientiam conclusionum includit. Priori modo Theologia est sapientia. Hæc distinctio habituum intellectualium est necessaria, si velimus naturam Theologiæ intelligere. Quod autem Theologia sit habitus mixtus ex omni theoretico & practico habitu, hoc est, intelligentia, scientia & prudētia, probatur per partes. Non enim est ars, stricte accepto isto vocabulo. Principio igitur Theologia viatorum est intelligentia. *Psal.* 119. *v.* 27.

Fac vt viam mandatorum tuorum intelligam. Confer cũ *vers.* 34. 73. *&* 99. eiusdẽ Psalmi. *Prov.* 1 *v.* 2. 3. 4. 5. 6. *Ad sciendum sapientiam & eruditionem, ad intelligendum dicta prudentiæ: ad percipiendum eruditionẽ intelligentiæ, iustitiæ, iurisq; & omnis recti: Ad dandum fatuis astutã, puero scientiã & solertiam: Quibus auditis sapiens adiiciat disciplinam, & intelligens industria consilia comparet: Ad docendum prouerbium & interpretationẽ, verba sapientum & ænigmata eorũ. Ephes.* 3. *v.* 4. *Ex quo perlecto potestis perpendere, quæ sit mea intelligentia in mystero Christi.* Excipiat aliquis: Spiritus S. in sacris literis non curauit illã ἀκρίβειαν. Ergò ex his locis probari non põt tua conclusio, quod Theologia sit intelligentia philosophice accepto vocabulo. Resp. Non nego, Spiritũ S. in verbo suo locutũ esse simpliciter & populariter seu accõmodate iis, quos erudiendos suscepit. Sed hic non infertur, doctiores nullo modo posse ad suum institutum dicta manifesta accommodare, si res ipsa illud facere imperet, vt hic. Nã Theologia viatorum simplicia quæuis principia, siue ingenerata à natura, siue per gratiam supernaturalem inspirata, & ea quidem immediata, immota atq; necessaria, nos docet apprehendere, quod est intelligentiæ. Hinc docent multi, principia Theologica intelligi, nõ sciri. Et hæc intelligentia optime naturam fidei declarat. Sicut enim principia simpliciter apprehendũtur intelligentia: sic & τὰ πιστὰ, licet modo excellentiori. Deinde Theologia est scientia conclusionum. *Psal.* 119. *v.* 66. *Præstantiam rationis & scientiæ doce me: nam præceptis tuis credo.* q. d. Iehoua doce me conclusiones, quæ à principiis creditis erui possunt. Nam ego principia illa credo. *Esa.* 5. *v.* 13. *Iccirco migrat populus meus, quod expers sit scientiæ. Iacob.* 3. *v.* 13. *Quis sapiens & scientia præditus est inter vos.* His dictis adde rationem. Theologia viatorum docet nos principia apprehensa componere & diuidere, ex compositis & diuisis ratiocinari diuino modo, ratiocinationibus ad scientiam ipsam adsurgere summe necessariam, certissimã, & sola veritatis æternæ, immutabilis, & constantissimæ contemplatione constantem atq; contẽtam. Porro Theologia viatorum est prudentia. Hoc probatur è *Prov.* 1. *v.* 2. 3. 4. 5. 6. quem locum modo allegauimus. *Psal.* 119. *v.* 110. *Senibus prudentior sum; quia mandata tua custodio. ver.* 104. *Mandatis tuis prudẽs sum: iccirco odi omnẽ semitam falsitatis. v.* 125. *Seruus tuus sum; prudentem me redde, vt cognoscam testimonia tua. v.* 130. *Aditus verborum tuorum illuminat: prudentia instruit simplices. ver.* 104. *Prudentem me effice, vt viuam. v.* 169. *Secundum verbum tuum prudentem me redde. Prouerb.* 9. *v.* 10. *Principium sapientiæ reuerentiam Iehovæ; & agnitionem sanctorum, prudentiam.* Accedit ratio. Prudentia format vitam actiuam, quę posita est in actione boni. Theologia format illam vitam. Ergo est prudentia. Prob. minor; quia ostendit optime modum necessarium, certum atque sufficientissimum veræ sanctitatis & iustitiæ nostræ: finem item summum, cum in natura, tum supra naturam rerum exponit oculis nostris; qui finis supernaturalis verę solus naturæ propositus est, aut si

fines subordinatos placet addere, finis est longe longeque præstantissimus. Quare sic concludamus: Theologia est habitus principiorum & cõclusionum, non solum quatenus illa faciunt ad cognitionem veri, sed etiam ad actionem boni. Ergo est & intelligentia, & scientia, & prudentia. Et hæc est singularis prærogatiua Theologiæ præ reliquis disciplinis. Ne hoc videatur absurdum, & contra τὰ τῶν φιλοσόφων δρέσκοντα, scire te velim, philosophiam ipsam considerari tanquam habitum mixtum è scientiis, prudentiis & artibus, hoc est, è disciplinis contemplatricibus & operatricibus. Nimirum philosophia consideratur tanquam totum collectiuum, cuius variæ sunt partes. Eodem modo consideranda est Theologia viatorum, vt infra pluribus dicetur. Iam sequitur secunda ratio, qua probari potest, Theologiam viatorum esse sapientiam.

Prærogatiua sacrosancta Theologiæ.

2. Theologiæ competit vulgaris definitio sapientiæ. Ergo & definitum. Prob. antecedens: Sapientia vulgo definitur, quod sit cognitio rerũ altissimarum, ad summum bonum, seu ad fruitionem primi vltimique finis, qui est Deus, relatorum. Hoc sensu *Augustinus tom. 1. lib. 2. de libero arbitrio*, definit sapientiam esse veritatem, in qua cernitur & tenetur summũ bonum. At Theologia viatorum est huiusmodi cognitio. Ergo est sapientia, si vocabulum hoc accipiatur modo vulgari.

3. Theologiam viatorum esse sapientiam doceri potest ex multis Scripturæ locis, quæ Polanus congessit *lib 1. syntag. Theol. cap. 13. Deuter. 4. v. 6. Obseruabitis ergo atque facietis. Nam hoc est sapientia vestra, & prudentia vestra ante oculos populorum; qui audientes omnia statuta ista dicent, tantum gens ista maxima populus sapiens & prudens est. Psal. 19. vers. 8. Doctrina Iehoua integra est, restituens animam: testimonium Iehoua verax. sapientiam adferens imperito. Psalm. 119. v. 98 Inimicis meis sapientiorem me reddis præceptis tuis. Prouerb. 2. per totum caput. & capite 3. Ephes. 1. v. 8. Quæ exundauit in nos omni sapientia & prudentia. & vers. 17. vt Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater ille gloriæ, det nobis Spiritum sapientiæ & reuelationis per agnitionem ipsius. Col. 1. v. 9. Propterea & nos ex quo die id audiuimus, non desinimus pro vobis orare, & petere vt impleamini agnitione voluntatis eius cum omni sapientia & intelligentia spirituali. vers. 28. Quem nos annunciamus, admonentes quosuis, & quosuis erudientes omni sapientia, vt quosuis sistamus perfectos in Christo. Et cap. 3. v. 16. Sermo Christi inhabitet in vobis copiose cum omni sapientia. Iacob. 3. vers. 17. Quæ autem superne est sapientia, primum quidem casta est, deinde pacifica, æqua, obsequens, plena misericordia & fructuum bonorum, absque disputatione, & minime simulata.*

Sex conditiones sapientiæ.

4. Theologiæ viatorum competunt omnes conditiones sapientiæ. Ergo est sapientia. Prob. antecedens. Sapientiæ conditiones sex recensentur à Philosophis. 1. *Versari circa omnia, eorumque omnium scientiam vt possibile est.* At nostra Theologia versatur circa omnia; quia pro subiecto habet Deum, qui re uera est omnia eminenter; itemq; omnes res diuinas, hoc est, tales,

quæ faciunt ad manifestationem subiecti, explicat, quantum fert nostri intellectus in statu viæ imbecillitas. 2. *Versari in rebus difficilioribus, & à sensu remotioribus.* Nam ea cognoscere, quæ omnibus sunt obuia, quæve sensibus percipiuntur, non ad sapientes, sed ad quoscunque vulgares homines spectat. Hæc autem conditio intelligenda est de cognitione rerum difficiliorum, quanta homini est possibilis. Nam altiora se quærere, quæ non sunt scibilia lumine naturali, neque per reuelationem sunt tradita, non sapientia est, sed temeritas. At Theologia viatorum versatur circa difficilima. Nam diuina sunt difficiliora cognitu rebus humanis. 3. *Habere demonstrationem certam, & quidem ob principiorum tum independentiam, tum euidentiam*: seu: vt sit certissima cognitio. Certissima autem cognitio & euidentia nascitur, eique commensuratur. At Theologia viatorum in certitudine & euidentia maxime consistit, adeoque demonstrationes habet, videlicet tum proprie dictas, si spectentur principia naturalia, quæ tradit, tum longe excellentiores demonstrationibus proprie dictis, si spectentur principia supernaturalia. Horũ enim respectu fit demonstratio fidei, quæ quidem est omnium certissima & euidentissima, primo certitudinis & euidentiæ gradu, vt loquuntur. 4. *Habere maximam aptitudinem ad sciendum & docendum, ratione principiorum.* Illum enim maxime dicimus sapientem, qui primas causas & radices cognitionis cognitas habet. Igitur sapientia simpliciter illa erit, quæ omnium rerum causas altissimas indicat. At nostra Theologia primas causas & prima principia rerum diuinarum tradit. 5. *Propter se, sciendique causa appeti.* At Theologia nostra propter se expetitur, sciendiq; e causa; vt nempe sciamus nos esse beatos, quæ scientia est omnium optima, vt paulo post dicetur. Theologia quoq; viatorum propter se appetitur, hoc sensu. Theologia est omnium nobilissima, & hac sua nobilitate sic imbuit animum cognoscentis, vt ille Theologiam non appetat propter diuitias, honorem, & similia. Quare quando dicimus, Theologiam propter se appeti, non excludimus gloriam Dei, tanquam finem summum, sed alios fines sub fine Theologiæ contineri asserimus. 6. *Omnibus aliis disciplinis præcipere, easque regere, adeoq; vere esse architectonicam.* At Theologia viatorum hoc facit. Imperat enim omnibus aliis disciplinis regimine tum theoretico tum practico. Regimen theoreticum est ratione subiecti & principiorum; practicũ, ratione finis. Si spectes subiectum, Theologia præcipit aliis disciplinis, non vt constituant sua subiecta (hoc enim est munus primę philosophiæ) sed vt nihil statuant contra eminentiam sui subiecti, quod est Deus. Si spectes principia, Theologia præcipit aliis disciplinis, non probando illorum principia (quod facit metaphysica) sed præfigendo illis terminos, infra quos subsistant, exempli gratia, principium physicum est, ex nihilo nihil fit. Theologia hic physicam alloquitur, vt ita dicam, hunc in modũ: ὅρον δῶ, hic subsiste, retine tuos terminos,

Theologia præcipit aliis disciplinis.

minos, contine te intra limites tuos: hoc tuum effatum verum est in tuo regno, quod est generationis & naturæ; at in meo regno non est verum, quod est regnum creationis, regenerationis, gratiæ & cursus supra naturam. Neque tamen hoc modo veritas philosophica pugnat cum Theologica. Nam diuersus respectus hic considerandus est. Vide infra *lib.* 2. Si denique spectes finem, Theologia monstrat inferioribus disciplinis finem vltimum, quem ipsæ quidem non attingere possunt, sed tamen ad illum diriguntur ab hac domina & regina. Videamus quintum argumentum, quo docetur Theologiam esse sapientiam.

5. Disciplina, quæ omnibus aliis præstat, vere est sapientia. At Theologia est disciplina talis. Ergo est vere sapientia. Suadetur minor. Præstantia disciplinæ pendet ab obiecti, principiorum, & finis dignitate. Hinc tale ast argumentum: Cuius disciplinæ subiectum est præstantissimum, principia præstantissima, & finis talis, illa est omnium præstantissima. At Theologiæ nostræ subiectum, principia & finis sunt præstantissima. Ergo & ipsa omnium disciplinarum est præstantissima. Probatur minor per partes. 1. Subiectum Theologiæ est Deus. At hoc subiectum sua altitudine & dignitate transcendit omnia alia entia; vnde & Deus vocatur transcendens, non quoad communitatem, quasi vagetur per omnia prædicamenta, sed quoad singularitatem & infinitatem suam. 2. Principia Theologiæ certitudinem suam habent vel ex naturali lumine, si spectetur Theologia naturalis; vel ex diuina reuelatione, quæ neq; falli, neque fallere potest. Hæc igitur principia Theologia accipit immediate à Deo per gratiosam reuelationẽ; ac proinde illa diuinam habet certitudinem, quæ inest cum rebus ipsis, quas tradit vt sunt, tum ipsi animo scientis, prout res illæ sunt diuinitus ab eo cognitæ. 3. Finis Theologiæ est vltimus, ita vt illa ad finem vlteriorem non ordinetur, sed ad illius finem ordinentur omnes alij fines disciplinarum. Vnde manifestum est, Theologiam omnibus modis esse priorem & digniorem aliis scientiis propter nobilitatem subiecti, certitudinẽ principiorum, & altiorem finem. Pertinent huc dicta philosophorum: *Dignitas disciplinæ theoreticæ pendet à nobilitate subiecti, & certitudine principiorum.* Item, *practicarum disciplinarum illa est dignior, quæ ad vlteriorem finem non ordinatur.* Hinc recte colligitur, Theologiam esse omnium nobilissimam, eo quod illius subiectum sit nobilissimum, principia certissima, & finis altissimus, ad cuius finem, tanquam vltimum, qui est gloria Dei, omnes alij fines disciplinarum referuntur.

Deus quo sensu vocatur transcendens?

6. Vltimo loco placet hanc eandem sententiam confirmare testimoniis magnorum Theologorum. *Thomas Aquinas*, quem vulgo vocant Angelicum Ecclesiæ Doctorem, *part* 1. *summa. quest.* 1. *art.* 6. *Iohannes Duns Scotus prologo sententiarum. quest.* 4. *Iodocus Clichtoueus, & alii Doctores Scholastici, item Franciscus Iunius in lib. de Theologia. c.* 2. *Amandus Polanus l.* 1. *Syntag. Theol. c.* 13.

c.13. & alij, Theologiam vocant sapientiam. Alij hanc ob causam vocant eam dominam atque reginam aliarum disciplinarum, quæ illis imperet, & vtatur omnibus in obsequium sui, habeatq; de omnibus iudicare propter maiorem & infallibiliorem veritatem. Quidam illam architectonicam dicunt, item certissimam principiorum indicem, amplissimã scientiarum omnium theoreticarum & practicarum principem, sapientissimam omnium actionum rationumq; arbitram, omni exceptione maiorem, aquilam omnium disciplinarum, germanam scientiarum matrem, principiorum, ratiocinationum, conclusionum ex eis, vsus, actionum, iudiciorum omnium, & totius rationis ad hæc omnia pertinentis summam perfectionem, omnia, quæ ab intellectu, & ratione, & scientia sunt, perfectissime iudicantem, & ordinantem sapientissime. Quæ cum ita sint, iniuriam faciunt Theologiæ nostræ, quicunq; intelligentiæ, aut scientiæ, aut prudentiæ nomine eam duntaxat definiunt; cum omnes illos habitus in se comprehendat, adeoque sit habitus perfecte compositus ex omnibus illis, per intelligentiam principiis assentiens, per scientiam conclusiones & determinationes è principiis deducens, per prudentiam rectè res omnes ad pietatem & vitam pertinentes dirigens. Quidam etiam artem vocant nostram Theologiam, eo quod in operibus Christianis terminetur, ab intellectu & scientia proficiscens, adeoque ostendens optime modum necessarium, certum atque *αὐταρκέστατον*, *sufficientissimum*, veræ sanctitatis & iustitiæ nostræ.

Attributa varia Theologiæ.

Hæc est vera sententia de genere Theologiæ nostræ. Contra hanc nonnulli sic disputant. 1. Theologiæ finis est contemplatio. Ergo Theologia non est habitus mixtus è theoria & praxi. 2. Theologia est practica tantum. E. non est etiam theoretica. 3. Theologiæ non competunt proprietates sapientiæ *κυρίως* dictæ. Ergo Theologia non est sapientia. Videamus singula ista argumenta.

Theologiam esse disciplinam contemplatricem hoc modo probant nonnulli. 1. præstantissimæ disciplinæ finis est contemplatio. Theologia est disciplina præstantissima. Ergo finis eius est contemplatio. Maiorem probant duobus modis. Primo, dicunt, contemplatio est actus intellectus, operatio est actus voluntatis. Atqui actus intellectus est nobilior actu voluntatis. Nam intellectus portat lucernam voluntati, vt loquuntur Scholastici, vt ne ipsa erret. Hinc intellectus domino & regi, voluntas dominæ & reginæ comparatur. Deinde, inquiunt, Christus contemplationem præfert operationi. Iohan. 17. v. 3. *Hæc est autem vita æterna, vt te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Huic *σύμφωνον* est illud Ierem. 9. v. 23. 24. Sic ait Iehoua: *Ne gloriator sapiens in sapientia sua, neq; gloriator potens in potentia sua, neque gloriator diues in diuitiis suis: Sed in hoc glorietur, se intelligere & cognoscere me; me esse Iehouam exercentem benigni-*

Sententia illorum, qui contendunt Theologiam esse theoreticam tantum.

nignitatem, ius, & iustitiam in terra: quia istis delector, dictum Iehoua. Sic *Luc.* 10. *v.* 41. & 42. *Dixit Iesus, Martha, Martha, solicita es & satagis de multis: Atqui vno opus est, Maria vero bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hinc sunt talia argumenta. Illud est optimum & summum, in quo consistit vita æterna, & de quo gloriari debent pij, & quo vno est opus. Atqui speculatio est talis, non actio. Ergo. 2. Scientiæ facientis vitam beatam finis est contemplatio. Theologia est scientia faciens vitam beatam. Ergo Theologiæ finis est contemplatio. Maior probatur; quia vita contemplatiua est beatior quam actiua: vnde & omnes sapientes vitam contemplatiuam actiuæ prætulerunt, vti anachoretæ, eremitæ & monachi innumeri. Pro solutione horum argumentorum teneantur ista theoremata.

Intellectus noster est theoreticus, practicus, & poeticus.

"" I. *Contemplatio, quæ proficiscitur ab intellectu practico, est nobilior operationis voluntatis, non autem contemplatio, quæ pendet ab intellectu theoretico.*] Intellectus vnus idemque dicitur theoreticus, practicus & poeticus. Intellectus dicitur theoreticus seu speculatiuus, qui proponit sibi nudam cognitionem: vt si contempler naturam Solis. Intellectus practicus dicitur, qui proponit sibi cognitionem propter operationem: vt si contempler naturam iustitiæ. Nam si iustitiæ naturam cognoscam hoc fine, vt sciam quid sit illa, non autem vt operer secundum præcepta illius, est theoria nociua. Intellectus poeticus est, qui cognitionē dirigit ad effectionem: vt quando in Logicis vel architectonicis aliquid cognoscimus. Si enim ibi nudam scientiam quæramus, inepti sumus. Hinc soluitur primum argumentum, & prima illius probatio. Contemplatio scilicet est vel nuda, vel actuosa.

Contemplatio est nuda & actuosa.

Contemplatio nuda & mera est actus imperfectus, & humanæ imbecillitatis indicium potius, quam laus potentiæ, si desit scilicet istius contemplationis aliquis effectus & fructus, qui cognitionem nostram consequi possit. Iam vero contemplatio Theologica talis est, quem effectus debet consequi. Hoc probatur ex 1. *Timoth.* 1. *v.* 3. 4. 5. *Denuncia quibusdam, ne doctrinam diuersam doceant: nec attendant animum fabulis & genealogiis nunquam finiendis, quæ potius quæstiones præbent, quam ædificationem Dei, quæ est per fidem. Porro finis mandati, est charitas ex mundo corde, & conscientia bona, & fide minime simulata* S CI *Ioh.* 4. *v.* 21. & *c.* 3. *v.* 18. charitas nobis commendatur. 1. *Tim.* 4. *v.* 7. *Profanas & aniles fabulas auersare: sed exerce teipsum ad pietatem.* Locus hac de re admodum euidens est *Iacob.* 1. *v.* 21. & 22. & sequentibus vsque ad finem capitis: è quibus verbis tale colligi potest argumentum. Effector sermonis prædicatur beatus, & non is, qui est solum auditor. Ergo effectio illa est præstantior nuda & inani speculatione. Sic *Apocal.* 22. *v.* 14. beati prædicantur, qui præstant præcepta Dei. Confer *Prouer.* 8. *v.* 32. 33. & *seq.* vsque ad finem capitis. Agnouerunt idem Patres & Seniores Scholastici. *Iustinus Martyr parænesi ad Græcos ait:* οὐκ ἐν λόγοις, ἀλλ' ἐν ἔργοις τὰ τῆς ἡμετέρας θεοσεβείας πράγματα: *Non in dictis, sed in factis res nostra religio-*

religionis consistunt. *Bernhardus* ait: *Is diuinas Scripturas recte legit, qui verba vertit in opere.* *Augustini* sententia est: *Credere in Deum, est amando tendere in ipsum.* *Scotus in prolog. senten. quaest.* 4. 5. Theologiam esse practicam probat hoc argumento: Cum primum obiectum Theologiae sit vltimus finis, & principia in intellectu creato sumta à fine vltimo sint principia practica, etiam principia Theologiae sunt practica. Ergo & conclusiones sunt practicae. Quia conclusiones, quae sunt practicae, habent principia practica. Hinc ὁ δεῖνα veritates illas θεολογικωτάτας, hoc est, principia illa maxime Theologica, Deus est Trinus, Pater generat Filium, Pater & Filius spirant Spiritum sanctum, asserit esse practicas, &c. prima illa veritas, Deus est trinus, includit virtualiter notitiam rectitudinis dilectionis tendentis in tres personas Deitatis nulla exclusa. Nam vel vna persona exclusa esset actus non rectus. Sic idem Scotus d. l. docet, quod fides non sit habitus speculatiuus, vt nec credere actus speculatiuus, nec visio sequens ipsum credere sit visio theoretica, sed practica. Quapropter statuerunt alij infusam Theologiam non tam speculatiuam, quam supra speculatiuam vocari debere, quae eminenter continet & speculatiuam & practicam. Causa haec est; quia Theologia infusa sub altiori habitu seu lumine considerat in Deo rationem finis vltimi, consequendi per media practica. Proinde cum doceat Theologia, Deum esse summe bonum, esse vltimum finem omnium, esse primam veritatem: demonstrat hac ratione, Deum esse supra omnia diligendũ. Rursus cum docet Theologia, Deum esse sapientissimum & iustissimum, & prouidentiam habere omnium rerum; consequenter etiam docet, illi esse fidendum, & similia, quae omnia ad praxin spectant. Vide *Thom. part.* 1. *q.* 1. *art.* 5. Haec omnia, quae modo dixi, ex aliis, sic accipi velim. Theologia est habitus mixtus, & is quidem *κυκλικής, circularis.* Nam primo incipit operari intellectus, audito, lecto vel cognito aliquo axiomate Theologico, verbi gratia, hoc: *Deus omnia creauit valde bona.* Secundo loco est voluntas, quae occupatur circa propositionem istam cognitam, & mediante vi intellectus practici videt, Deum esse amandum & imitandum. Amandum; quod fuerit adeo bonus. Imitandum; vt nempe etiam nos amemus bonum, itemq; proximum quemuis, tanquam creaturam Dei, & id non solum amore beneuolentiae seu complacentiae, sed etiam communicationis. Quando hoc ipsum facio, vel feci, sequitur voluptas summa, quae inde est, quia intellectus practicus videt, me amare vel amasse, imitari vel imitatũ esse bonum illud summum, Deum, qui omnia fecit valde bona. Hic est perfectus ille circulus, vt ita dicam, Theologicus; in quo ab intellectu per voluntatem fit reditus ad intellectũ, adeoq; à theoria ad praxin fit transitus, & à praxi ad theoriam practicam, vel praxin theoricam. Ex his patet, quae sit nostra sententia de fine Theologiae; quam etiam paulo post plenius explicabimus. Hoc loco

Theologia quibusdã dicitur super speculatiua.

teneatur breuiter; cognitionem practicam circa finem esse nobiliorem omni speculatione nuda, & nos statuere cognitionem practicam, quam diximus theorian practicam, finem Theologiæ viatorum. Nam tanta est præstantia mentis seu intellectus humani, vt voluntati nō solum præeat, sed etiam actum voluntatis cognoscat, quam cognitionem nos dicimus, practicam.

» 2. [*Sacra Scriptura nudam contemplationem reiicit.*] Hoc theoremate vtimur ad solutionem secundæ probationis, quæ fuit allata ad primum syllogismum. Theorema illud demonstrari potest ex iis Scripturæ locis, quę iam adduximus ad ἐξήγησιν primi theorematis. Quare dicta illa *Ioh.* 17. *Ierem.* 9. & *Luc.* 10. non accipienda sunt de nuda & inani speculatione, sed de cognitione practica; seu contemplatione actuosa. Nam Christus clare pronunciat *Matth.* 7. *v.* 21. 22. & 23. se non nosse illos speculatores, qui dicunt, Domine, Domine, nec illos introituros in regnum cœlorum, sed eos qui faciunt, quod vult pater ille cœlestis. Vnde etiam virum illum, qui audit sermones suos, & eos præstat, assimilat viro prudenti, qui ædificat domū suam super petram. *Ibid. v.* 24. 25. & *seq.* Confer *Luc.* 6. *v.* 46. & *seq.* Ita Christus non commendauit otiosam speculationē, sed actionem Mariæ, sed occupationem in sancto & vtili studio, destinato in eum finem, vt Deo recte seruiret, à qua actione abstrahi non debeat: eamque actionem Seruator præfert curæ seu administrationi œconomicæ, cui tum Martha tota erat addicta.

» 3. [*Vita contemplatiua est beatior actiua, si intelligatur contemplatio practica,*
» *non nuda illa.*] Hoc inde probatur; quia Scriptura docet, non auditores sermonis, sed effectores esse beatos. *Iacob.* 1. *v.* 22. & 1. *Pet.* 3. *v.* 10. 11. 12. Et vero res ipsa loquitur, cognitionem practicam esse intelligendam, si quis cum Philosophis dicere velit, vitam contemplatiuam esse beatiorem actiua. Nam nuda & inanis contemplatio nihil quicquam confert ad beatitudinem. Obiicis: Omnes Philosophi docent, disciplinas contemplatrices esse perfectiores operatricibus, & vitam contemplatiuam beatiorem esse actiua. Resp. Hoc verum est, non simpliciter, sed secundum quid. Nimirum contemplatrix disciplina est perfectior practica, si spectes ortum & exercitium vtriusque. Ortus si consideretur, patebit disciplinam practicam præsupponere theoreticam; ideoque hæc est prior illa, & potest esse sine illa, sed illa sine hac minime. Ratio petitur à necessaria connexione intellectus & voluntatis. Voluntas dependet ab intellectu, sed intellectus à voluntate non pendet. Ergo sic sunt connexæ hæ duæ facultates animæ, vt intellectus sit prior & independens, voluntas posterior & dependens. Iam si spectetur exercitium disciplinarum contemplatiuarum & actiuarū, patebit nos facilius posse vacare contemplationi, quam actioni, addo etiam perfectius. Nam plura sunt impedimenta, (in quibus

bus facile primas tenet corruptio naturæ nostræ) actionis seu exercitij moralis, quam contemplationis alicuius Physicæ, vel Mathematicæ. Verum enimuero nos hoc loco non attendimus ad illam Philosophorum collationem: sed quærimus an illa contemplatio sit perfectior actione, quando rei perfectio consistit in operatione? Hic respondemus, quod non. Exempli gratia, Ethicę finis est actio. Si quis ergo in Ethicis contempletur naturam fortitudinis & liberalitatis, & nunquam illas virtutes exerceat, hæc contemplatio tanquam inanis reiicienda. Porro hic quærimus, an non operatio proximius accedat ad finem vltimum, quam nuda contemplatio? At quo quid proximius est fini vltimo, eo censetur perfectius. Hæc accipienda sunt de nuda contemplatione. Nam contemplatio actuosa, quam diximus, vel ipsam actionem comitatur, vt quando Deum inuoco, & cognosco hoc recte à me fieri, vel sequitur, vt quando Deum recte sum precatus, scio me hoc fecisse, & inde lætor ex animo. Atque hinc iam peti potest responsio ad argumentum secundum supra allatum. Addo & hoc: vitam contemplatiuam præferri practicæ seu actiuæ, quatenus considerantur actiones fabriles, quas dicunt mechanicas.

Accedamus nunc ad confutationem secundæ opinionis, quæ tenet, Theologiam esse practicam tantum. Hic solent adduci omnia illa dicta, quæ recitauimus supra ad theorema illud primum, item multo plura tum è sacris literis, tum è Patribus, Doctoribus Scholasticis, & aliis Theologis. Verum illa argumenta solui possunt ex hisce theorematibus. *Sententia eorum, qui statuunt, Theologiã esse practicam.*

1. [*Theologia nominatur practica à mediis & fine vltimo tum formali, tum obiectiuo: sed eadem dicitur theoretica ab obiecto & fine vltimo formali, non obiectiuo.*] Practica dicitur à mediis; quoniam illa potius practica sunt, quam theorica. Quamuis enim duo sint media, quibus contendimus ad summam felicitatem, vera veri Dei cognitio, & Dei recte cogniti cultus legitimus: non tamen à cognitione potest Theologia denominari theoretica, sed à cultu denominari debet practica. Ratio; quia res denominari debet à potiori. At cultus Dei est potior cognitione. Nã cognitio ordinatur sua natura, & vero à nobis, si velimus æternum esse beati, ordinari debet ad cultum. Non igitur hæc cognitio est sincera vel pura contemplatio, sicut in Ethicis cognitio temperantiæ non est pura θεωρία, sed tendit ad praxin. Dicitur etiam practica à fine vltimo formali; quatenus in illo spectatur conformitas cum Deo. Nam hæc non solum in perfecta cognitione, sed etiam in praxi consistit. Dicitur quoque practica à fine vltimo obiectiuo, qui est gloria Dei. Hanc enim non solum cognoscere, sed etiam, idque maxime, procurare debemus. Sed eadem Theologia nostra dicitur theoretica respectu obiecti sui, quod est Deus. Huius enim naturam plenissime, quoad eius fieri potest in hac imperfectione, indagat, & ordinat omnia diuina ad manifestationem subiecti; hoc tamen fine, vt ille à no-

bis glorificetur. Nec enim Deus simpliciter, vti consideratur in suo esse simplicissimo & perfectissimo, est obiectum Theologiæ: sed quatenus à nobis est imitabilis & glorificabilis, vt ita dicamus, hoc est, quatenus nos ipsius naturam contemplamur, vt simus imitatores illius κατὰ τὸ δυνατόν, vt, inquam, fiamus ipsi conformes, adeoq; ipsius gloriam manifestemus. Ex se igitur subiectum Theologiæ, Deus, non est operabile, sed certo respectu. Verum hęc consideratio nō pertinet ad obiecti naturā, sed ad finis essentiam. Præterea Theologia appellatur theoretica à fine non obiectiuo, sed formali, quatenus in hoc spectatur visio beatifica, & sciētia nostræ beatitudinis. Finis formalis est ipsa hominis beatitudo: obiectiuꝰ est Deꝰ, quatenus glorificandus à nobis. Sed hac de re paulo post plenius dicetur.

2. [*Theologia viatorum quam rectißime vocari potest & debet habitus mixtus*
» *è theoria & praxi omnimoda.*] Ratio dicta est in superioribus; hic denuo
» dicenda (est enim controuersia, quam tractamus & difficilis, & vtilissima, & vero paucis recte cognita) sed ὡς ἐν συνόψει. Rerum diuinarum ea est maiestas, ea vis & efficacia, vt intellectum & voluntatem impleant fulgore suo. Hinc fit, vt cognitioni succedat actio, actioni cognitio, & hanc rursus alia excipiat actio, cui statim subsequa est alia cognitio, terminans omnia, exempli gratia, cognosco Deum, non vt cognoscam, sed vt ipsum imiter & glorificem. Porro ipsum imitor & glorifico, idque me facere scio seu cognosco. Hanc cognitionem sequitur lætitia. Hanc lætitiam excipit alia cognitio, qua scio me lætari, & semper lætaturum; sed hæc lætitia dirigitur ad Dei gloriam; quando sic dirigitur ad Dei gloriam, rursus contemplor hunc ordinationis actum; tum rursus adest lætitia, quam itidem cognosco. Hæc est coronis, hic colophon actionis nostræ. Propter admirandam istam θεωρίας καὶ πράξεως συμπλοκήν, *contemplationis & actionis connexionem*, fit vt Theologia dicenda sit theoretico-practica. Destituimur enim apto vocabulo. Si tamen spectes vltimum illum terminum, qui est cognitio, poteris dicere theoreticam, vel potius hypertheoreticam, sicuti supra diximus, quibusdam appellari superspeculatiuam. Nam summa & vltima illa cognitio, qua scio me videre Deum, me illi esse conformem, me lætari, me semper visurum Deum, me semper illi fore cōformem, me semper lætaturum, non est nuda contemplatio, vt supra aliquoties diximus, sed est contemplatio actuosa. Hæc quando hoc modo perpendis, iuxta mecum exclama,

Mira connexio cognitionis & actionis in S. Theologia.

J. p. 61. S. p. 49. 51.

Theologie domina est, reliqua velut vmbra feruntur.

Restat tertia circa hunc locum controuersia supra nobis mota. Theologiæ, inquiunt nonnulli, non competunt omnes proprietates sapientiæ. Ergo Theologia non est scientia. Id quod antecedit, hunc in modum probant. Sapientia, prout à vobis hoc loco sumitur, debet esse infusa, debet probare principia aliarum scientiarum, non debet esse scientia,

non debet aliunde accipere principia sua. Sed Theologia viatorum non habetur per infusionem, non probat principia aliarum scientiarum, & est scientia, & sua principia aliunde accipit. Ergo Theologia viatorum non est sapientia. Minorem quadrimembrem sic probant per partes. 1. Sapientia, inquiunt, prout à vobis supra est definita, non potest aliter haberi, nisi per infusionem; quoniam huiusmodi habitus, qui sit simul intelligentia, scientia & prudentia, non potest acquiri humana industria. At Theologia viatorum per studium nostrum acquiritur. Resp. Omnino sapientia diuina & saluifica debet haberi per infusionem. Nam hic industria humana deficit omnino. At Theologia viatorum, quatenus est notitia Dei saluifica, habetur per infusionem; acquiritur autem & comparatur diuturno labore, quatenus est notitia conclusionum, quas mẽs humana è principiis deducit. 2. Theologia viatorum non probat principia aliarum scientiarum. Resp. Supra dictum est, quonam modo Theologia præcipiat inferioribus disciplinis, ratione principiorum, non illa constituendo, sed illis terminum præstituendo. Quare illud tantum est verum particulariter, quod sapientia debeat probare principia aliarum disciplinarum, de Metaphysica nimirum; cuius est probare principia disciplinarũ inferiorum. Sic igitur dicetur: Sapientiæ est vel probare principia aliarum scientiarum, vel de iis iudicare. Probare principia aliarum scientiarum, est primæ philosophiæ. Hoc adeo verum est, vt etiam principia per se nota, quæ ostensiue & à priori demonstrari non possunt, à primo philosopho demonstrẽtur, *δι᾽ ἀπαγωγῆς εἰς ἀδύνατον, deductione ad impossibile*, seu oblique; cuiusmodi demonstratio fit beneficio primi illius principii: *impossibile est, idem esse & non esse*. Iudicare de principiis aliarum disciplinarum, est etiam Methaphysicæ: sed modo nobiliori tribuitur nostræ Theologiæ, quæ sic iudicat de aliis scientiis, vt reprobet omne id, quod illius veritati repugnat. Quicquid enim in aliis disciplinis inuenitur, veritati Theologiæ repugnans, id omne condemnatur vt falsum. 2. *Corin.* 10. *vers.* 4. 5. *Arma enim militiæ nostra non carnalia sunt, sed diuinitus valida ad subuersionem munitionum. Ratiocinationes euertendo, omnemque sublimitatem, quæ sese extollit aduersus cognitionem* Dei. Et hoc modo Theologia nostra est summus iudex controuersiarum & præses disputationum omnium, à quo nõ datur prouocatio seu appellatio ad superiorem. 3. Theologia est scientia, vt vos ipsi fatemini. Ergo non est sapientia. Hi enim habitus sua natura sunt distincti. Resp. primo; sapientia est habitus mixtus ex intelligentia, & sapientia, vt ipse Philosophus docet. Non igitur valet hæc oppositio. Deinde; scientia non est sapientia, si stricte sumatur vocabulum scientię. Sed quando nos dicimus, Theologiam esse scientiam, large sumimus vocabulum scientiæ, vti supra aliquot locis diximus. 4. Theologia supponit sua principia aliunde. Non igitur est digna nomine sapientiæ. Probatur

Primum cognitionis principium quodnam sit?

antecedens. Theologia accipit multa principia è Physica: vt *Luca* 24.39. *Videtis, quod Spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere.* 1. *Cor.* 15. 36. *Demens quod tu seris, non viuiscit, nisi mortuum fuerit. Et quod seris, non corpus oriturum seris, sed nudum granum, si casus tulerit, tritici aut alicuius ex reliquis seminibus. Sed Deus ei dat corpus ut voluit, &c.* Ita Paulus citat illud Arati: αὐτοῦ γένος ἐσμέν. *Act.* 17. v. 28. itẽ illud Menandri, *corrumpũt bonos mores colloquia praua.* Sic in disputationibus grauioribus & decisionib. multarũ quæstionũ Theologicarũ petimus argumenta è prima philosophia, & aliis scientiis, prudentiis & artibus. Vnde satis manifestum euadit, Theologiam seipsa non contentam esse, sed precario sumere principia ab aliis disciplinis, ideoque non esse sapientiam, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Resp. 1. Oportet hic distinguere inter quæstiones pure Theologicas, & mixtas. Pure Theologicæ sunt, quæ constant è terminis mere Theologicis, hoc est quarum tam subiectum quam prædicatum est terminus Theologicus. Mixtæ dicuntur, quæ constant termino vno Theologico, altero Philosophico, ita vt earum subiectum sit Theologicum, prædicatum philosophicum vel contra. Exempli gratia, Christus est Filius Mariæ, Maria est ἀειπαρθένος, Maria est θεοτόκος, sacrosancta Trinitas est adoranda. Hæ sunt conclusiones puræ. At illæ mixtæ: In Deum non cadunt accidentia; Attributa diuina non differunt realiter ab essentia, vel à se inuicem; Decreta sunt à Deo per emanationem. Quod attinet ad quæstiones pure Theologicas, illæ rursus sunt vel è naturali, vel è supernaturali Theologia depromtæ. Illæ omnino probari possunt principiis lumine naturæ notis. Hæ non possunt probari lumine naturali, sed dependent à scientia diuina, à qua tanquam à sapientia summa omnis nostra cognitio ordinatur. Quod vero attinet quæstiones mixtas, patet argumenta probantia duci posse à natura vtriusque extremi. Sic igitur nulla committitur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, à qua debet aliena esse sapientia, maxime vero diuina. His ita constitutis facile fuerit respondere ad vltimam obiectionem, hoc nempe modo. Theologia supernaturalis supponit & accipit principia sua non ab aliqua scientia humana (quod si faceret, non esset sapientia) sed à sciẽtia diuina; id quod arguit multimodam illius perfectionem. Iam quod attinet ad dicta illa S. Scripturæ, in quibus continentur argumenta ex natura petita, dicẽdum est, Theologiam nihil accipere ab inferioribus disciplinis, vt à superioribus, sed vti iis tanquam inferioribus propter nos. Sic Paulus vsus est testimonio Arati, tanquam noto & magnæ authoritatis apud eos, quibus cum ipsi tum res erat. Hinc Scholastici dicunt: Theologiam imperare omnibus aliis disciplinis tanquam principalem, & vti omnibus disciplinis in sui obsequium tanquam vsualem. Sic Metaphysica vtitur inferioribus disciplinis, non quod egeat lucis, quam necesse habeat ab ipsis mutuari, sed vt nos possimus eo melius assequi prima illa, quæ tradit, principia; quo-

Quæstiones in Theologia, sunt vel puræ, vel mixtæ.

quorum cognitio est satis euidens & certa natura sua; sed sæpe propter imbecillitatem intellectus humani fit incerta, quod est ex accidenti.

His ita disputatis, cōcludamus θέσιν nostram initio propositam: Theologia est sapientia; ideoque mater & regina intelligentiæ, scientiæ, prudentiæ, atque artis omnis, quæ in creaturam cadere possit; faciens vt Deo, qui summum est bonum, & incommutabile verum, similes fiamus, vniamur & adhæreamus. Eadem igitur est intelligentia; quia per illam, tanquam habitum primarium, qui philosopho dictus est ὁ νοῦς, inclinamur ad assentiendum primis illis & ἀναποδείκτοις veritatibus seu principiis. Eadem est scientia, constans non solum præceptis necessariis, sed etiam vniuersalibus, & quidem tantum vniuersalibus. Quamuis enim tractet de singularibus, vti est Deus, ens singularissimum, tamen pręcepta de Deo non sunt singularia, sed vniuersalia, non quidem identice, sed tamen æquipollenter, hoc est, licet Deus sit res singularissima, tamen præcepta de cognitione & cultu Dei, sunt vniuersalia, quia cognitio & cultus eius sunt res communes: & singularia enunciata, in quibus subiectum est è numero eorum, quæ non καθ' ἕκαστα, sed μοναδικὰ appellantur, huiusmodi, inquam, enunciata singularia vniuersalibus æquipollent. Quando igitur Philosophi dicunt; Rerum singularium non est scientia; intelligunt res singulares infinitas & instabiles; quales sunt Petrus, Paulus, hic canis, hic camelus: non autem res singulares finitas & stabiles, quales sunt Sol, Luna Deus Pater, Filius, & Spiritus S. Mundus, &c. Hæc vocantur μοναδικὰ; quoniam ita singularia sunt, vt eorum natura nullo modo sit communis. Dicuntur finita; quia non sunt multiplicia & vaga. Nam alioqui Deus est ens infinitum. Dicuntur stabilia; quia semper & vbique vno se habent modo. Præterea Theologia viatorum etiam hoc nomine censetur scientia; quia est maxime argumentatiua. Nam maxime proprium eius est arguere ex sacræ Scripturæ authoritate, proprie & ex necessitate: ex aliorū vero scriptis probabiliter; vt è sanctorum Patrum, qui post Apostolos floruerunt, scriptis harmonice, hoc est, vt ostendat orthodoxum consensum; è scriptis Philosophorum quasi extranee; rationibus denique naturalis rationis ad aliquam manifestationem, non ad probandam fidem. *Thom. Aquin. 1. q. 1. art. 8.*

Duæ sunt classes rerum singularium.

CAP. X.

Conuenientia Theologiæ naturalis & supernaturalis ratione finis.

Exposita est conuenientia Theologiæ naturalis & supernaturalis ratione generis: nunc exponenda est conuenientia ratione causarum remotarum.

Con-

Conueniunt enim causis remotis; sed proximis differunt.

Causæ remotæ sunt tum externæ, tum internæ.

Causæ externæ sunt finis & efficiens.

Finis Theologiæ viatorum est vel verus, vel apparens.

Finis Theologiæ viatorum verus est, vel summus, vel sub summo.

Finis summus est, ad quem inferiores ordinantur.

Estque vel obiectiuus, vel formalis.

Finis summus obiectiuus est gloria Dei.

Finis obiectiuus & formalis, quis dicatur?

Hic oportet paucis explicare terminos, qui non sunt in vulgus noti. *Finis obiectiuus* est & dicitur, qui ita est finis, vt tamen etiam sit obiectum. Ita Deus dicitur summus finis, & primus; quia est summum & primum obiectum mentis nostræ. *Finis formalis* est, qui ita est finis, vt sit actio occupata circa finem obiectiuum: sic contemplatio, qua homo Deum concipit tanquam Patrem benignissimum, est finis formalis. Diuitiæ sunt finis obiectiuus; vsus illarum est finis formalis. Hæc distinctio probe notanda est, vt decidere possimus difficilem illam quæstionem, quodnam sit summum hominis bonum? Quidam hic respondent Deum, alii gloriam Dei, quidam visionem Dei. Nos distincte respondendum esse existimamus, hoc modo. Summum bonum est vnum; quia implicat contradictionem, ponere duo vel plura summa. Interim aliquid summum dici potest duobus modis, vel simpliciter, vel secundum quid. Summum bonum simpliciter tale, est Deus, seu gloria Dei, iuxta regulam: *Summa causa efficiens & summus finis sunt res vna.* Iam subsumo: Deus est summa causa efficiens. Ergo idem quoque fuerit summus finis. Summum autem illud bonũ, Deus, vel absolute consideratur in se & natura sua: vel respectiue, quatenus refertur ad hominem. Summum bonum secundum quid tale, est ipsa æterna hominis beatitudo. Hæc dicitur summa secundum quid; quia respectu aliorum bonorum seu finium hoc bonum reuera est summum, licet ordinetur ad illud bonum, quod est simpliciter summum. Hinc iam sunt theoremata.

Quodnam sit summũ hominis bonum?

" 1. [*Finis simpliciter summus est finis perfectionis*] Finem Philosophi distinguunt ita, vt alium dicant perfectionis, alium imperfectionis & indigentiæ. Finis simpliciter summus est Deus; qui est ἀνενδεὴς καὶ αὐταρκέστατος, vt vere sit beatus, etiam si nec vna sit creatura. At reliqui fines extra hunc summum, sunt fines imperfectionis & indigentiæ; quia necessum est, vt ad illum summum ordinentur & dirigantur, si debeant esse perfecti.

Finis alius est perfectionis, alius imperfectionis.

" 2. [*Finis summus obiectiuus est perfectior fine summo formali.*] Ratio; quia
" id, quod est simpliciter tale, perfectius est eo, quod est tale secundum quid. At Deus est simpliter summus, adeoque gloria Dei. At beatitudo nostra æterna est ita summa, vt certo respectu & secundum quid dicatur.

talis.

talis. Finis summus obiectiuus alias dicitur *finis summus externus*; summus formalis dicitur *finis summus internus*. Quidam etiã distinguunt inter summum bonum & summam beatitudinem: Summum bonum dicunt esse Deum: at summam beatitudinem volunt esse fruitionem summi boni. Hi nempe stricte accipiunt summum bonum. Sed nos late accipimus, & habemus pro synonymis summum bonum & summum finem; & vtrumque diuidimus in simpliciter summum, vel secundum quid; seu in obiectiue & formaliter summum, seu in summum externum & internum. Nam hæ distinctiones sunt synonymæ.

3. [*Gloria Dei est finis concilians omnibus & mediis & finibus subordinatis amabilitatem, ordinem, & mensuram.*] Amabilitatem; quia id, quod extra Deum, vel contra ipsum est, naturam nostram destruit. Quod vero naturam destruit, nullo modo amabile est. Itaque è contrario omne id, quod est secundum Deum, & à Deo, & ad Deum refertur, non potest non esse iucundissimum. E.g. Frequentas templum hoc fine, vt tuam pietatem ostentes? Bonum opus facis male; quia id, quod ex sua natura bonum est, tuo vitio fit malum, dum non ordinas ad summum bonum, gloriam nempe Dei. Hic finis etiam conciliat omnibus mediis & finibus subordinatis ordinem. Nam imperat, vt illud prius & sæpius fiat, quod illustrat Dei gloriã maxime. Quod si igitur duo vel plura bona vno tempore se tibi offerant, tuum erit illud eligere & prius facere, quod Dei gloriam magis illustrat. Denique conciliat mensuram; quia id quod primum est in aliquo rerum genere, est omnium inferiorum mensura, & ea quidem mensurans, nullo modo mensurata. Atque hoc est primum argumentum, quo euidentissime docetur, gloriam Dei esse summum hominis finem. Syllogismus potest esse talis: Quod omnibus omnino mediis & finibus subordinatis conciliat amabilitatem, ordinem & mensuram, id est summus finis simpliciter. At gloria Dei est talis. Ergo gloria Dei est summus finis simpliciter. Sequitur alterum, quod proponimus tali theoremate.

Quomodo gloria Dei sit omniũ actionum mensura?

4. [*Gloriam Dei omnes res creatæ appetunt.*] Finis omnis, qua talis, bonus est, vel κατ' ἀλήθειαν, *vere*, vel κατὰ δόξαν, *apparenter*. At omne bonum est ἐφετὸν, *appetibile*. Ergo id quod summe bonum est, summe sit desiderabile seu appetibile necessum est. Deus igitur erit summe appetibilis. Appetunt autem omnes res creatæ Deum & gloriam ipsius appetitu vel innato, vel elicito. Cœlum mouetur propter Dei gloriam, quam dicitur appetere appetitu innato, quem vocant instinctum naturæ. At homo appetit Dei gloriam non solum appetitu innato, sed etiam elicito, qui dicitur motus voluntatis. Duplex igitur principium est in creaturis, quo illæ aguntur, vt tendant ad summum finem, gloriam Dei; aliæ nempe ex natura, aliæ ex voluntate finem illum persequuntur. Plures rationes non addo, tũ quia natura decet vnumquemque rem ita se habere, vt breuiter diximus, tum

quia hoc ipso capite hac de re pluribus agetur, vbi de causa finali apparēte dicetur.

5. [*Theologia tam naturalis, quam supernaturalis nobis spectandam exhibet gloriam Dei.*] Naturalis est veluti luna lucens de nocte; supernaturalis est veluti Sol è cœli vertice hanc sedem inferiorem nostram perlustrans, & gloriam Dei exponens ante ora & oculos omnium. Obiicis: At Sol iste non illustrat omnes homines. Respondeo cum Apostolo ex 2. *Cor.* 4. *vers.* 3. 4. *Quod si tectum est Euangelium nostrum, iis qui pereunt tectum est. In quibus Deus huius seculi excæcauit mentes, nempe infidelibus, ne irradiet eos lumen Euangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Naturale est, vt color videatur, sonus audiatur, odor percipiatur: neque tamen hæc à cæco, surdo, vel mortuo cognoscuntur. Quare vero hoc? Quoniam illi facultate naturali ad hæc percipienda carēt. Eodem certe, & potius maiore argumento concludi potest, homines esse impares & ineptos percipiendis rebus diuinis, cum ipsi naturali facultate præditi non possint sæpe percipere humana & naturalia. Quomodo igitur naturali facultate assequi possint supernaturalia? Sed nunc indicemus, quo Theologia modo gloriam Dei spectandam nobis exhibeat? Theologia naturalis ostendit vestigia Dei impressa omnibus creaturis, indicia dico bonitatis, misericordiæ, sapientiæ & omnipotentiæ. Hoc enim modo non solum cœli, sed omnes creaturæ eructant gloriam Dei. At Theologia supernaturalis illustrat eadem Dei attributa, sed modo longe eminentiori. Illa siquidem ostendit, prædicatione Euangelii hoc effici, vt cæci videant, surdi audiant, adeoque mortui ad vocem Filii Dei reuiuiscant, veramque vitam ac æternam in communione eius adsequantur. Illa Theologia supernaturalis in homine est efficax, dum ex illo tanquam cadauere vitales operationes educit, & ex eo tanquam trunco intermortuo & igni destinato vberrimos vitæ spiritualis fructus in tantis impedimentorum molibus, quas obiicit caro, peccatum, mundus, & Satanas, protrudit. Dum Theologia in homine hoc modo est efficax, fit, vt res supernaturales ac diuinæ, quæ sua natura ab hominibus videri non possunt, nec secundum sese, nec secundum communicationem ipsarum, fit inquam vt cernantur ab aliis, ratione fructuum, quos res illæ in cordibus electorum radicatæ emittunt foras, & quasi faces operum prælucentes exhibent; vt qui eas vident, Patrem nostrum, qui est in cœlis, glorificent. *Matth.* 5. *vers.* 16. Sic patet, quomodo Theologia gloriam Dei nobis spectandam exhibeat; naturalis modo humiliore, supernaturalis excellentiore, idque tum intus, in cordibus nostris, tum foris, aliis hominibus, qui videntes nostra bona opera, glorificant Patrem cœlestem, summum illum Theologum, qui arborem Theologiæ pro sua ineffabili misericordia plantat in cordibus nostris, tanquam horto & agro nobilissimo. Vide *Ephes.* 3. *v.* 10. vbi expresse dicitur, finē Theologiæ esse, vt nota fiat multiformis illa Dei sapientia.

Quomodo Theologia spectandā nobis exhibeat Dei gloriam?

Finis

Finis summus formalis, est summi boni, nimirum Dei fruitio: seu quod eodem redit, est communio viatorum cum Deo Patre, Filio & Spiritu S qui vere est summum bonum illarum, quod eos æternum beatos efficit. Dicamus igitur hunc finem summam beatitudinem. In Scripturis appellatur salus Dei, & communio nostra cum Deo. *Psal 50.v.23. Qui sacrificat laudem, honore afficit me; & qui componit viam, faciam vt is fruatur salute Dei. Ier.3.v.18. Vtiq, in Iehoua Deo nostro est salus Israelis. 1. Iohan. 1.v.3. Vt & vos communionem habeatis nobiscum: & communio nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.*

Finis summi formaliter sic dicti partes sunt duæ, libertas ab omni malo, & possessio omnis boni.

Subiectum Theologiæ viatorum est Deus; adiunctum occupatum est homo viator, quatenus ille ad nobile illud subiectum ordinatur. Quæ cū ita sint, oportet duobus modis circumscribere finem summum Theologiæ nostræ. Vnus respicit Deum, videlicet gloria Dei. Hic est eo dignior, quo dignius est obiectum, ad quod, tanquam ad finem iustum, contenditur; præsertim cum certitudo finis ad dignitatem ipsius accedit. Alter finis Theologiæ respicit hominem. Huius respectu finis constituitur summus ipsius beatitudo æterna, quæ si conferatur cum gloria Dei, hæc dici debet finis vltimus & primarius, ista finis prope vltimum, & secundarius. At si eadem hominis beatitudo conferatur cum finibus subordinatis, potest dici finis summus, secundum quid. Finis ille simpliciter summus, gloria nempe Dei, conditionem rerum creatarum omnium exuperat lōgo interuallo, æternumque superabit: sed ita vt nostra beatitudo sit illi cōiunctus finis proxime & immediate, finis in nobis constitutus maximo nostro bono. Commune bonum est gloria Dei: in hoc vero communi est positum nostrum singulare, nempe quod glorificandi sumus in gloria Dei, & omne bonum à gloria ipsius & ad gloriam ipsius percepturi. Quapropter vt gloria & beatitudo Dei in hoc cōsistit, quod ille vacat omni malo & affluit omni bono; sic & nostra beatitudo sese habebit. Hinc duas illius partes constituimus, non re ipsas distinctas, sed λόγῳ, *ratione*. Sunt enim connexæ; sed ita, vt formaliter non sint vnum in nobis. Nam ἄφεσις non est ipsa θέσις. Hinc monent Philosophi, ad veram felicitatem requiri non solum, vt aliquis sit liber à malo; sed etiam bono cumulatus quam largissime.

Finis Theologiæ duob. modis circumscribi debet.

Libertas ab omni malo, est prima pars beatitudinis æternæ; qua homo Dei ab omni malo vitii & conditionis seu culpæ & pœnæ est immunis. Hac de re insignis est locus *Apoc.7.v.13. & seq. ad finem capitis. Tum me compellauit vnus ex illis Senioribus, dicens mihi: Isti, qui amicti sunt stolis albis quinam sunt, & vnde venerunt? Et dixi ei, Domine tu nosti. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt ex afflictione magna, & lauerūt stolas suas, ac dealbarunt in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die & nocte in templo eius; & qui insidet throno, vmbraculo proteget eos. Non esurient*

amplius, neque sitient amplius, nec in eos cadet Sol, neque vllus æstus. Quoniam agnus, qui in medio throni est, pascet eos & deducet ad viuos fontes aquarum: & absterfurus est Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

Possessio omnis boni est, qua homo Dei in patria constitutus abundat omni vero bono spirituali in Deo.

Dixi, *omni bono spirituali.* Nam in altera vita corpora nostra erunt non animalia amplius, sed spiritualia, vt supra *cap.*7. explicauimus ex 1. *Corint.* 15.*v.*44.

Possessio omnis boni est visio Dei, conformitas cum Deo, sufficientia in Deo, & certa scientia æternæ felicitatis.

Sicut malum est duplex, peccatum & pœna peccati, quorum illud dicitur malum vitii, istud conditionis: ita & bonum duplex est, virtutis & conditionis. Necessum igitur est, vt summa beatitudo sit vtriusque boni possessio. Est enim status omnium bonorum aggregatione consummatus.

Visio Dei, est cognitio Dei Patris, Filii & Spiritus S. per lumen supernaturale à Spiritu S. in mentibus viatorum accendendum ad viuificandos eos vita sempiterna.

Theoremata huius loci sunt.

1. [*Visio Dei est prima beatitudinis pars.*] Hoc inde videre est, quod beatitudo communiter definitur visio Dei, vel actio perfecta, qua Deus cognoscitur. Hinc etiam illa visio dicitur beatifica; quia est palmaria, vt ita dicam, beatitudinis sempiternę pars.

Visio Dei quid sit?

2. [*Visio, quæ viatoribus obtinget in altera vita, differt à visione, quæ est in Christo secundum humanam naturam, item à visione Angelorum.*] Hoc sic patet. Visio beatifica in anima Christi est perfectissima & apertissima, quanta & qualis in creaturam rationalem cadere potest, sic vt anima Christi ineffabili claritate videat Deum à facie ad faciem, eaque visione sit beata. Anima quidem Christi ex ipsa vnione personali cum λόγῳ facta est beata, sed beatitudine increata, qua est beatitas totius personæ. Sed præter illam beatitudinem personalem seu communem habet & propriam, seu naturæ suæ conuenientem, quæ est ipsa visio Dei. Ea autem differt à visione, qua Deitas seipsam videt. Nam Deitas videt seipsam ὅλην καὶ ὅλως, *totam & totaliter*: anima autem Christi videt totam quidem Deitatem, at non totaliter. Deitas seipsam & omnia in se claritate infinita, seu lumine increato, hoc est, propria essentia: sed humana Christi natura, seu anima ipsius videt claritate finita, seu lumine creato atque finito. Deitas videt in seipsa omnia, etiam quæ nunquam futura sunt, dummodo non sint ἁπλῶς ἀδυνάτων, *simpliciter impossibilia*: sed anima Christi videt tantum in Deitate omnia, quæ fuerunt, sunt, & futura sunt. Deinde visio beatifica in Angelis est perfectior; quoniam Angelus est creatura homine perfectior: qua de re etiam supra fuit disputatum. Denique in homine

hęc

hæc visio sic est perfecta, quæ ipsius naturæ competit, & gloriæ Dei illustrandæ seruit. Postremum illud adiicio: vt determinem plane controuersiam supra tactam, an summum hominis bonum terminetur speculatione? Profecto speculatione terminatur, sed non otiosa, sed maxime practica, qua contemplamur Deum vt semper-Patrem. Hæc autem speculatio sic est vltima, vt tamen ordinetur ad gloriam Dei. Itaq; summum hominis bonum consistit in circulo illo, vt supra diximus, contemplationis & actionis, qui ferme infinitatem aliquam nobis repræsentat, hoc modo: cognosco doctrinam de merito & efficacia Christi. Hanc cognitionem sequitur actio, qua meam gratitudinem Christo tanquam summo animæ meæ medico probare cupio. Hanc gratitudinem rursus contemplor; hanc contemplationem sequitur lætitia; hanc lætitiam excipit scientia seu contemplatio, qua scio me lætari, & semper lætaturum; sed hæc contemplatio rursus dirigitur ad Dei gloriam: hanc ordinationem sequitur vel potius comitatur contemplatio, qua video gloriam Dei à me quæri; hanc contemplationem sequitur rursus lætitia, & hanc alia contemplatio. Hic est summus ille finis formalis, qui tamen est inferior summo fine obiectiuo, qui est gloria Dei. *Circulus theoria & praxis.*

3. [*Visionis beatificæ imago & quidam quasi typus est visio illa inchoata in hac vita.*] Visio, qua homo Deum videt, est duplex, obscura & clara. Visio Dei obscura est huius vitæ, dum anima adhuc existẽs in corpore mortali, cognoscit Deum, per fidem, tanquam ænigma & speculum. 1. *Cor.* 13. *v.* 12. quem locum supra explicauimus. Visio Dei clara est alterius vitæ, qua anima tum separata à corpore, tum post resurrectionem vniuersalem rursus ei vnita, Deum cognoscet facie ad faciem, sicuti est 1. *Corinth.* 13. *ver.* 12. 1 *Iohan.* 3. *v.* 2. *Videbimus eum sicuti est Apocal.* 22. *v.* 34. *Sedes Dei & agni in ea erit, & serui eius colent eum: & videbunt faciem eius.* *Visio Dei est duplex.*

Conformitas cum Deo, est per quam creatura rationalis similis est Deo in vera sapientia, iustitia & sanctitate. Dici etiam potest imago Dei, sed longe splendidius nobis reddita, quam fuit Adamo ante lapsum data. Hac de re agitur 1. *Iohan.* 1. *v.* 6. *Si dixerimus, nos communionem habere cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, nec sincere agimus. Quod si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum ipso mutuam. Et cap.* 3. *v.* 2. *Dilecti, nunc filii Dei sumus, sed nondum manifestum factum est quod erimus: scimus autem fore, vt cum ipse factus fuerit manifestus, similes ei simus.*

Sufficientia in Deo, est per quam homo in Deo sic acquiescit, eoque sic contentus est, vt extra eum nihil amplius appetat. Psal. 62. *v.* 2. *Tantummodo in Deo conquiescit anima mea. Nam ab eo expectatio mea est. Psal.* 37. *ver.* 25. 26. *Quis esset mihi in cœlis præter te? & præter te nullo delector in terra. Deficiente carne mea & animo meo, rupes animi mei & portio mea in seculum est Deus.*

Scientia æternæ felicitatis, est per quam homo non tantum cognoscit suam felicita-

citatem, sed etiam certo nouit & securus est, se perpetuo fore beatum. Rom. 8. v. 35. 36. 37. 38. 39. Quis nos separabit à charitate Christi? Num afflictio, num angustia, num persecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? (sicut scriptum est, Tui causa occidimur totum diem: reputati sumus velut oues mactationi destinatæ.) Imo in his omnibus amplius quam victores euadimus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque vllam rem aliam conditam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Theoremata hic notentur.

" 1. *Signum infallibile, quod hominem Theologum beatum esse ostendit, est triplex,*
" *efficax vocatio, studium bonorum operum, & crux.*] *Vocatio efficax*, est interna,

Τεκμήρια *beatitudinis.*

vt ita dicam, demonstratio, qua Spiritus Dei testatur vna cum Spiritu nostro, nos esse hæredes Dei, ab ipso tanquam vni domino omnium rerum institutos. *Psal. 65. v. 5. 6. & Psal. 84. v. 11. Studium bonorum operum est*, quo cauemus peccata, & facimus bona opera à Deo præcepta. *Psal. 1. v. 1. 2. Ps. 2. v. 12. Psal. 40. v. 5. Ps. 84. v. 6. 13. Ps. 112. v. 1. Ps. 119. v. 1. 2. Prou. 8. v. 32. 34. cap. 14. v. 21. c. 16. v. 20. c. 28. v. 14. c. 29. v. 18. Esa. 30. v. 18. c. 56. v. 2. Matth. 5. v. 3. 5. 6. 7. 8. Luc. 11. v. 28. Ioh. 13. v. 17. Iac. 1. v. 25. Apocal. 1. v. 3. c. 16. v. 15. c. 22. v. 7.* quibus locis beati prædicantur omnes ii, qui confidunt in Deo, verbo eius delectantur, mãdata eius obseruant; amant proximũ, &c. Profecto si Philosophi illũ censuerunt extreme beatũ, qui virtutis actionẽ omnib' aliis rebus prætulit, quid nos dicemus de Christianis, qui virtutibus vere diuinis student è præscripto illius, easque ex fide profectas ad vnius Dei gloriam referunt. *Tertium signum beatitudinis æternæ est crux*; qua Deus tanquam Pater pios tanquam filios suos tum castigat paterne, tum explorat, tum veritatis suæ martyres facit. *Psal. 94. v. 12. 13. Iacob. 1. v. 12. & c. 5. v. 11. Matth. 5. v. 4. 10. 11. 1. Pet. 3. v. 14. c. 4. v. 14.* quibus locis beati prædicantur, quos Deus castigat, qui sustinent tentationem, qui lugent, qui persecutionem patiuntur, qui patiuntur propter iustitiam, qui conuitiis afficiuntur in nomine Christi. Nec est, quod aliquem turbet, si videat impios affligi. Nam illorum pœna est τιμωρία, quæ debent satisfacere. Sed quia id non possunt, temporalem τιμωρίαν sequitur æterna illa. At piorum crux non est τιμωρία, *satisfactio*; quia Christus pro peccatis illorum plenissime satisfecit: sed est vel παιδεία, vel δοκιμασία, vel μαρτύριον. Oportet enim vt conformes reddantur capiti suo Christo, non solum in gloria, sed etiam in ignominia.

" 2. [*Theologia naturalis sibi propositos habet fines hactenus enarratos, quatenus*
" *ipsi accedit Theologia supernaturalis, tanquam συμπλήρωμα.*] Theologiam adhuc consideramus extra subiectum; ideoque statuimus Theologiam naturalem æque atq; supernaturalem respicere finem summum vtrumque, tum

tum obiectiuum, tum formalem. Sed hinc non conficitur, Theologiam naturalem nos posse perducere ad hunc finem. Nisi enim superueniet naturæ gratia, illa succumbit in primo ingressu, vt aiunt.

Considerauimus finem Theologiæ summum; finis eius sub summo, est qui dirigitur ad summum. Hic finis dicitur beatitudo corporalis, & humana. Corporalis; quia in bonorum ad corporalem hanc vitam pertinentium fruitione consistit. At æterna beatitudo spiritualis est; non quod non sit perfectio corporis, sed quia totus homo spiritualis illa ipsa perficitur; quo sensu diximus illius corpus spirituale esse. Humana dicitur; quia constat iis rebus, quæ ad vitam hanc humanam spectant, & in hac vita locum habent tanquam ἐπίσαγμα, & additamentum quoddam consolationi piorum seruiens. Huius igitur beatitudinis seu felicitatis corporalis partes describamus, vt ita Theologus videat, quomodo debeat appetere hæc vel illa bona mundana. Obseruabit hic regulam illam: *Bona corporalia sunt appetenda non sub ratione finis, sed sub ratione mediorum*, seu, non sub ratione summi, sed intermedii finis. Exempli gratia, diuitias appetere potest Theologus, sed non tanquam finem, verum tanquam media & instrumenta, quibus ad finem summum prouehimur. Hic & illud nota: nos hic nomine Theologi intelligere quemuis Christianum. Nam adhuc agimus de Theologia extra subiectum. *Beatitudo corporalis seu humana quæ.*

Finis sub summo est beatitudo viatoris Theologi, vel interna, vel externa. Nota, nos breuitatis causa duntaxat perstringere fines subordinatos formales. Nam sicut diuiditur finis summus in obiectiuum & formalem: ita etiam qui est sub summo diuidi debet: Exempli gratia, honor est bonum sub summo, idque obiectiuum; at fruitio & vsus diuitiarum est bonum formale.

Beatitudo interna est vel animi, vel corporis.

Ne mireris, cur beatitudinem internam animi adnumeremus beatitudini corporali: Nam paulo ante dixi, corporalem beatitudinem hic dici, non eam, quæ est corporis, sed eam, quæ respicit hanc vitam corporalem.

Beatitudo animi est tum voluptas theoretica, tum libertas, tum eloquentia.

Voluptas theoretica est, quæ oritur è cognitione rerum Theologicarum.

Voluptas definitur actus naturæ congruus ex operatione facili & non impedita. Is enim voluptate perfunditur, qui facile aliquid efficit. Et oritur vel ex sensu, vt tactu, visu; vel ex appetitu, vt affectu, cupiditate; vel ex intellectu. Nos hoc in loco intelligimus voluptatem ortam ex intellectu, quia videlicet intellectus viatoris Theologi perfunditur ex rerũ Theologicarum variarum iuxta & pulchrarum cognitione. Sicut enim ex aspectu lucis & pulcherrimorum colorum homo singularem percipit delectationem: ita ex speculatione rerum Theologicarum inæstimabilem *Voluptas theoretica quæ sit?*

lem lætitiam & gaudium sentimus. Ista autem voluptas, quam theoreticam diximus, eo quod oriatur ex theoria, oritur partim ex natura obiectorum, quæ contemplamur, partim ex modo cognoscendi. Nam si obiecta diuina recte contemplamur, non possumus non lætari. Deinde si modum cognitionis illius & certum & ordinatum perpendimus, gaudio itidem perfundimur.

Libertas est, qua oritur è voluptate theoretica, qua Theologus viator despicit omnia infra sacram Theologiam posita.

Estque tum iudicii, tum affectuum.

Libertas iudicii quæ sit? *Libertas iudicii est, quæ intellectum suum non suspendit ab vllius hominis authoritate.* Dum enim videt rerum diuinarum certitudinem & dignitatem, iniquum esse statuit apud animum suum, diuinam authoritatem ab humana suspendere.

Libertas affectuum quænam sit? *Libertas affectuum est, qua Theologus viator disciplinas inferiores temperato affectu prosequitur, ita vt eas ancillas esse statuat huius domina.* Non enim Pindarum Psalmis Dauidis præfert, vt Anglus quidam impurus; nec conqueritur cum Hermolao Barbaro, vel Angelo Politiano, se legendo Biblia dediscere Latinitatem.

Eloquentia est, qua Theologus viator diuina mysteria perspicue & pathetice edisserit. Hæc est singulare bonum Theologi. Sic enim fit, vt finem illum adsequatur, de quo Christus *Matth. 5. Sic luceat lux vestra*, &c. quem locum supra explicauimus. Nam dum eloquentia sua recte vtitur, non ad pompam & ostentationem, neq; ad calumniam & obtrectationem (id quod hodie nimis quam familiare est vitium quibusdam ἀναλφαβήτοις theologastris) sed ad magnalia Dei graphice è sacris literis deprædicanda, homines ipsius dictis intenti glorificant Patrem illum cœlestem, videntes vbertimos illos cognitionis thesauros in ipsius corde repositos.

Beatitudo corporis est *Beatitudo corporis est, natiuitas clara, educatio bona, longæuitas, securitas à metu, lætitia, & mors placida.*

1. Natiuitas clara. *Natiuitas clara est. 1. Familiæ & natalium nobilitas.* Hinc genealogiæ in S. literis passim cum laude recensentur: & à Christo & Apostolis Iudæis conceditur laus ortus ipsorum. *Ioh. 8. v. 37. Act. 3. v. 25. Rom. 9. v. 45.* quibus locis vocantur semen Abrahæ, filij Prophetarum, Israelitæ quorum sint Patres. 2. *Natalium honestas*; quoniam illegitimo thoro nati, à gerendis publicis officiis & dignitatibus arcentur. *Deut. 23. v. 2. 3. Patriæ celebritas & claritas. Ps. 127. v. 45.*

2. Educatio bona. *Educatio bona magnopere commendatur in S. literis: vt Prouerb. 3. v. 13. 1. Reg. 10. v. 8. Eccles. 25. v. 12. 13. cap. 50. v. 28. 29.* quibus locis beati prædicantur, qui consecuti sunt sapientiam, qui illam audiunt, & induunt animo suo.

3. Longæuitas. *Longæuitas Exod. 20. v. 12. Esa. 65. v. 22.* promittitur iis, qui dictis parentum & Iehouæ fuerint audientes.

Secu-

Securitas à metu, trepidatione, molestiis & miseriis corporalibus promittitur piis, seu Theologis viatoribus, Psal.112.v.7.8.1.Corinth.7.v.40. vbi pius dicitur non timere à rumore malo, donec videat malum in hostibus suis, & nosse bona sua exemplo Pauli. 4. *Securitas à metu.*

Lætitia manans ex vsufructu laborum & bonorum à Deo concessorum singulare est Dei donum. Ecclesiast.2.ver.23.27. Actor.14.v.17. Esa.65.v.13.14.21 22. Psal.112 v 8. Eccles.25.v.10. vbi Deus dicitur dare sapientiam & scientiam cum lætitia, implere cibo & lætitia corda nostra; & pij dicuntur canere pro lætitia, & lætari de ruina inimicorum suorum. 5. *Lætitia.*

Mors placida, itemque tempore impendentis calamitatis maximum est bonum. Apoc.14.v.13.& Esa.57.v.1.2. vbi mortui dicuntur beati, qui nempe in Domino moriuntur; item requiescere à laboribus suis, recipi ante aduentum mali, ingredi pacem, & requiescere in cubilibus suis. 6. *Mors placida.*

Beatitudo Theologi viatoris externa est, quæ extra animam & corpus illius consistit sed tamen ad alterutrum, vel vtrumque refertur. 7 *Beatitudo externa est.*

Est que coniugium florens, amicitia, gloria, habitatio commoda, & incrementum potentiæ ac diuitiarum, & denique liberatio & protectio diuina.

Coniugium felix hinc inde commendatur in sacris literis; vt Psal.127. & 128. item amplificatio & prosperitas familiæ. Psal.112.v.2. & psalmis duobus modo citatis. Psal 144.v.12. Prouerb.20 v.7. Esa.65.v.23. Quanquam *cœlibatus*, si quis dono continentiæ à Deo sit ornatus, in non postrema beatitudinis parte ponitur. *1.Corinth.7.v 40.* 1. *Coniugium felix.*

Amicitia, conseruatio, solatium & auxilium ab amico in rebus aduersis est magnum Dei donum. Hinc in sacris literis commendantur ii, qui hospitalitatem exercent & opera charitatis; item promittitur piis seu Ecclesiæ, reges fore nutritios ipsius, & reginas nutrices eius. *Esa.49.ver.23.* Sic Deus animum Pharaonis conciliauit Iosepho, Ionathanis amicitiam Dauidi fructuosam stabiliuit, cor Nebucadnezaris erga Danielem & socios eius flexit. 2. *Amicitia.*

Gloria perpetua & fama honesta, etiam post mortem permanens ob pietatem virtutem & recte facta; celebratur. Psal.112.v.6.9. Prouerb 31.v.28.29 30. Apoc. 21. ver. 24. 3. *Gloria.*

Habitatio commoda sub prudente & bono principe, tranquilla gubernatio sub optimo magistratu laudatur. Eccles.10.v.7.& Eccles.25.v.11. 4. *Habitatio commoda.*

Incrementum potentiæ & diuitiarum laudatur Psal.112.v.3 & 144.v 13 14. 15. Huc pertinent necessaria huius vitæ adiumenta, tanquam causæ sine quibus non. *Psal.33.v.19. Psal.36.v.8.9. Psal 37.v.11. 21.22.25.26.29. Matt. 5.v.5 c.6.v.33.* 5. *Incrementum potentia.*

Liberatio & protectio diuina in rebus aduersis est optimum præsidium. Psal.41. v.2.3.& 112.v.4. Deut.33.v.29. Dan.12.v.12. 6. *Liberatio diuina in rebus aduersis.*


Hi sunt fines veri, ad quos Theologia ordinata est à Deo, & à viatoribus

L

ribus ordinari debet; quorum pulcherrimam connexionem, & veluti catenam nunc subiungamus. Natura per se appetit semper bona, communia communiter, & singularia singulariter. Naturalis ille ordo appetentiæ ita est comparatus, vt singulæ naturæ suum bonum veluti proximum, & bonum commune veluti summum (in quo singulorum bonum consistit) appetant: vt ita bonum singulorum constituat quasi circumferentiam, bonum commune sit veluti centrum, in quo omnes lineæ boni singularis concurrunt. Eodem modo Deus in ratione salutaris gratiæ commune bonum, atque singulare in bono communi consistens, luce Theologiæ demonstrauit. Commune est gloria Dei: in hoc vero communi positum est singulare nostrum, nempe quod glorificandi sumus in Dei gloria æternum, & omne bonum à gloria ipsius, & ad gloriam ipsius percepturi. Quapropter vt Dei gloria in hoc seculo & futuro constanter permanet, estque fons perennis boni ad creaturas omnes pertinentis: ita etiam statuamus oportet cum animis nostris, supernaturalis istius causæ semper agentis, liberrimæ & non impeditæ vnquam, effectum semper existere, nec vnquam facto vllius intermoriturum esse. Concludimus ergo, non posse interire vnquam rerum creatarum bonum, quas Deus vnicus salutis author ad participationem gloriæ suæ efficaciter vocauerit. Cum vero homines in hac vita sint animales, & spirituales ex parte, porro concludimus, duplex illis bonum esse propositum, animale, & spirituale. Bonum animale est, quod ad hanc vitam commode transigendam facit. Bonum spirituale est, quod immortale & æternum est; cuius pregustum in hac vita percipimus, post eam æternum gustaturi dulcedinem illius diuinissimam. Quare si velimus vere θεολογεῖν, & veri appellari Theologi, omnium primo contendamus ad gloriam Dei. Ad eam enim dum contendimus, ad bonum singulare, tum spirituale, tum corporale deducimur. Nam cum illum vltimum finem nobis præstituimus, Deus tanquam Pater noster ipse nos informat gratiose in conditione iusta, quæ hæredes ipsius decet, & tum disponit bona hæreditaria, quæ hæredibus institutis sint digna. Iusta conditio hæredum est in vera pietate posita, quam pietatem circumscribit charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta. 1. *Tim*. 1. Bona vero hæreditaria in vita quidem illa vere vitali ventura sunt: sed tamen iam in hac vita ex facto communicantur, percipiunturq; per fidem, donec possessionem plenam in vita illa futura adsequamur; &, quia etiam huius mundi ciues sumus, Deus quoque prospicit nobis de bonis ad vitam in hoc mundo commode transigendam. Nam & horum bonorum Deus est effector, quæ ad capessendam hæreditatem sunt opus, tantisper dum in via sumus, contendentes ad Dominum. Horum vero bonorum percipiendorum & fruendorum modus salutaris nullus esse potest, quam reuelatio diuinæ illius sapientiæ;
1. *Cor*. 2.

quæ

quæ sapientia non est seculi huius, neque Principum seculi huius qui abolentur, sed sapientia est Dei in mysterio, sapientia illa occulta, quam præfinierat Deus ante secula ad gloriam nostram, & quam nemo principum huius seculi cognouit, sed Deus retegit per Spiritum sanctum. Hæc illa vna est sapientia, quæ & pietatem in nobis generat futuris regni cœlorum hæredibus, & promissiones omnis boni docet pios, & omnia bona hæreditaria salutemque æternam fidei ipsorum obsignat & exhibet ad gloriam Dei. Hæc est admiranda illa bonorum omnium & finium connexio, ad quæ nos perducit Theologia. Rem totam ὡς ἐν τύπῳ adumbrabo, vt fiat clarior.



Bonum commune est gloria Dei; quam si quæris serio, reliqua bona, ipsi subordinata tibi obtingent; hæreditaria quidem necessario, visio nempe Dei, conformitas cum ipso, acquiescentia in ipso, & scientia huius felicitatis; honoraria autem, quantum expedit ad Dei gloriam illustrandam, & tuam salutem promouendam. Habes hic bonum summum, gloriam Dei, bonum medium, quod diximus hæreditarium, & infimum, quod diximus honorarium.

Finis Theologiæ viatorum apparens sequitur, qui est varius, prout variæ sunt particulares naturæ. Alii enim diuitias, alij honoré, alij simile quid sibi proponunt tanquam summum bonum. Varro certe 288. diuersas hominum eade re opiniones recenset. Natura quidem communis & recta ratio non possunt non assentiri illis, quæ hactenus diximus de summo bono; sed quia persæpe obiiciuntur varia impedimenta hominibus, fit vt non omnes contendant ad verum illud bonum. Quare putamus nos operæ pretium facturos, si ordine refutemus falsas illas de bono summo opiniones, & vltimo loco redeamus ad veram sententiam, quam etiam ab initio proposuimus. Non enim potest satis inculcari hæc doctrina, non satis imprimi cordibus mortalium. Sic ergo procedamus.

Homo summum bonum habebit vel in semetipso, vel aliunde ab aliquo ente nobiliore.

Si habet summum bonum in seipso, illud erit vel in iis quæ intrinsecus possidet, bonis, vel in iis, quæ extrinsecus habere vult & optat. (Illa dicemus bona interna, hæc externa, quæ vulgo vocant bona fortunæ) vel denique in vtrisque.

Si summum hominis bonum est in bonis internis, erit vel in bonis corporis, vel in bonis animi.

Si est in bonis corporis summum hominis bonum; erit id vel in forma, vel in robore, Obserua nos hic finem apparentem & formalem & obiectiuum promiscue tradere.

Sed in forma corporis non est. Ratio 1. Quia est bonum quidem egregium, sed ὀλιγοχρόνιον, vt ait *Isocrates*, & vt Poeta:

Forma corporis non est summum hominis bonum.

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur illa suo.
Et tibi iam venient cani, formose, capilli;
Iam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Corrumpitur autem morbo, ætate, plaga, vlcere, à frigore, Sole, & similibus. Summum vero bonum debet esse perpetuum & constans, vt ne vlla ratione auferri possit. Nam si quis metus accedat, ne forte amittatur, felicitas iam nulla est; quia metus felicitatem diluit. Quo enim in fruendo voluptas maior; eo in seruando vehementior esset anxietas. 2. Quia forma corporis plus aliis prodest, quam ipsi possidenti. Spectator enim illa fruitur, non formosus, nisi vel ad speculum accedat, vel imaginatione suæ formæ seipsum oblectet. 3 Quia possessoribus suis, & spectatoribus sæpe est ad mala incitamentum. Nam qui formosi sunt, vel superbiunt, vel ipsi libidinibus seruiunt, vel alios ad libidines incitant. Exemplo nobis sint Lucretia & Helena, vt iam nihil dicamus de Sara *Gen.* 12.*v.* 9 *& c.*20.*v.*2. de Rebecca *Gen.*26 *v.*9. nihil de Bathsaba. 2.*Sam.*11.*v* 15. Obiiciunt hic varia. Pulchritudo corporis, inquiunt est quauis epistola commendatior. *Stobæus serm.* 64. est præclaræ animæ indicium: οἵα γὰρ ἡ μορφή, τοιάδε καὶ ἡ ψυχή, vt est apud *Plutarchum*, est pars imaginis diuinæ; nimirum elegantia sua proportione & maiestate repræsentat Numen; quia pulchritudinis aspectus vel prædonum ingenia sibi subiicere potest, & homines barbari in corporum maiestate singularem agnoscunt venerationem, vt *Curtius* meminit *de gest. Alexand. Mag.* Et recte Poeta 5. *Aeneid.*

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus,

Porro inquiunt, sua vnicuique animanti forma sacra est; & pulchritudo in sacris literis commendatur, vt Saræ *Gen.*12.*v.*11.14. Rebeccæ *Gen.*24. *v.*16.*c.*26.*v.*7. Rachelis *Gen.*39. *v.* 6.*c.*49.*v.*22. Mosis *Exod.*2.*v.*2. Naemi *Ruth* 1.*v.*20. Saulis 1.*Sam.*9.*v.*2.*& c.*10.*v* 24. Dauidis 1.*Sam.*16 *v.*12.18.

c.17.v.24. Abigail 1. *Sam*.25.v.3 Bathsabæ 2. *Sam*.11.v.2. Thamaris 2. *Sam*. 14.v.17. Absolomis *ibid*.v.25. Abisagæ 1. *Reg* 1.v.4. Adoniæ ibid. *versic*. 6. Vasthi *Esther* 1.v.11. Estheræ *Esther*.2.v.7. Iudithæ *Iudith*. 8.*vers*.7. Filiarum Iobi *Iob*.41.v.15. Danielis & sociorum *Dan*.1.v.4. Resp. Non negamus pulchritudinem esse numerandam in bonis, sed an bonum summum sit, hoc est quod quæritur. Illud autem non probatur allatis rationibus & dictis. Cum enim pulchritudo res sit fragilis, insidiosa, & periculosa, in ea collocare bonum summum est hominem exuere, & inter bruta cum pauonibus superbire. Viderunt hoc etiam meliores ethnicorum animæ. Hinc tot dicteria in illos, qui formam suam iactarunt.

Non etiam est in robore. Ratio 1. Quia robur corporis non omnibus contingit; quod etiam de aliis bonis, quæ illi summa vocant, dici potest. At bonum summum hominis Christiani debet ab omnibus percipi. 2. Quia robur non durat perpetuo. Nam vel morbus, vel ætas, vel denique mors illud frangit, debilitat, aufert. At summum bonum non debet sepeliri cũ corpore. 3. Quia brutis robustiora sunt corpora, quam homini. Obiicitur. 1. Roboris maxima est vtilitas ad defensionem patriæ, ad perferẽda quęuis pericula, ad bella feliciter gerenda pro aris & focis. Resp. Eam ipsam ob causam robur non potest esse summum hominis bonum; quia non propter se expetitur, sed refertur ad bellum; bellum ad pacem; pax deniq; ad Reip. salutem. 2. In sacris literis quam plurimi commendantur à robore, Nimrod *Genes*.10.v.9. Samson. *Iud*.14.v.14. Dauid.1. *Sam*.16.v.19.c.17. v.35.2. *Sam*.17.*vers*.8. Ethnici quoque honestissimam mortem eorum iudicarunt, qui pro aris & focis pugnando occubuissent. *Homerus Iliad*. 2. reliquorum mortuorum cadauera aspectu fœda esse dicit; eorum autem, qui fortiter pugnando cecidissent; esse πάντα καλά. Hippodamus quoque legem tulit, vt illorum filii ex publico alerentur. *Aristot*. 2. *polit*. c. 6. Apud Lacedæmonios, qui strenuam in militia operam nauassent, ac pro patria fortiter occubuissent, oliua & aliis ramis redimiti, laudibus vehebãtur, & amicti purpura pretiosissima honorifice sepeliebantur. *Aelian*. *lib*.6. *de var. hist*. Mors bellica Decios, & alios heroas reddidit immortales. Resp. 1. Hinc tantum probatur, robur esse bonum non autem summum bonum. 2. Eo ipso, dum mortuos illos robustos & fortes heroas dicunt, tacite innuunt robur non esse summum bonum.

Robur non est summũ hominis bonum.

Videamus nunc, an summum hominis bonum sit in bonis animi.

Si est in anima est vel in vegetatiua, vel in sensitiua, vel in intellectiua.

Si est in anima vegetatiua, erit valetudo.

Hęc enim est finis & perfectio facultatũ animæ vegetatiuæ. Tres illius facultates cõmemorãtur à Philosophis naturalibus, generatiua, nutritiua & augmentatiua. Hæ tres in eo simul occupantur, vt corpori animato sua vitalitas seu vigor conseruetur. Vitæ igitur perfectio est sanitas seu vale-

Summum hominis bonum non est valetudo.

tudo, quam tres illæ potentiæ respiciunt tanquam communem terminum. *Sed valetudo non est illud bonum.* Ratio 1. Quia facillime corrumpitur: quam ob causam homo in sacris literis confertur cum vapore. *Iac.* 4.*vers.* 14. cum vento. *Iob.* 7. cum vmbra. 1.*Chron.* 29.*v.* 15. *Psa.* 102.*v.* 12. cum fumo. *ibid.v.* 4. cum militia. *Iob.* 7.*v.* 1. Imo homo dicitur ipsissima vanitas. *Eccles.* 11.*v.* 10. lumbricus & putredo. *Iob.* 25.*v.* 6. vermiculus. *Esa.* 41.*v.* 14. *Psal.* 22. *v.* 7. ventus euanescens. *Psal.* 78.*vers.* 39. cinis. *Iob.* 13.*v.* 12. gramen & flos. *Esa.* 40.*v.* 6. fœnum & herba. *Psal.* 103.*v.* 15. herba exarescens. *Psal.* 102.*vers.* 12. 1 *Pet.* 1.*v.* 24. puluis. *Gen.* 18.*v.* 27. vas testaceum. 2.*Cor.* 4.*v.* 7. tanquam somnium auolans. *Iob.* 20.*v.* 78. tabernaculum cito deponendum. 2.*Pet.* 1. *v.* 13. & 14. domus tabernaculi terrestris. 2.*Cor.* 5.*v.* 1. Ecce quam infirma est valetudo! 2. Quia refertur ad alium finem. Nam expetimus valetudinem, vt ea præditi eo melius & expeditius negotia nostra conficere possimus. Non igitur hic potest esse summus finis. Nam vltimus finis, seu vltima perfectio, appetitum nostrum ita terminare debet ac sistere, vt præter illam nihil amplius appetere possimus, sed in eius fruitione plenissime acquiescamus. Hæc enim est illa vltima quies, quæ non est priuatio motus, vt Physici tradunt, sed perfectio rei. Obiicitur: Valetudo est pretiosissimus hominis thesaurus, vt inualetudo malum illius maximum. Corporis quippe infirmitas ipsum animum imbecillum reddit. Resp. ita est, valetudo permagnum est bonum, at non maximum.

Si est in anima sensitiua summum bonum, illud est vel carentia doloris, vel voluptas, vel hæc vita terrena.

Summum hominis bonum nō est carētia doloris.

Carentia doloris non est summum bonum. Ratio 1. Quia dari potest ab homine. At homo quod dat, non potest haberi pro summo. 2. Quia illius cupiditas homini est communis cum aliis animantibus. Omne siquidem animal, doloris est fugiens. 3. Quia miserrimus esset, qui nunquam doluit: quia bono careret. Dolendum est ergo, vt fruamur bono, & quidem grauiter ac sæpe, vt sit postea non dolere iucundius. Obiicis: Aegroti in dolore positi experiundo cognoscunt, carentiam doloris esse summum bonum. Resp. Verum est, ægroti quidem id existimant, sed illa existimatio est falsa.

Voluptas non est summum hominis bonum.

Si summum bonum in anima sensitiua, non est carentia doloris, forsan voluptas carnis erit. Hæc enim est eius perfectio. Cum enim cognoscit animal se carere omni dolore, voluptate perfunditur. *Sed voluptas carnis non est summum bonum.* Ratio 1. Quia est vanitas. *Eccles.* 2.*v.* 1. 2. Quia est mera insania. *Eccles.* 2.*v.* 2. 3. Quia illa nec reges quidem beatos facit. *ibid.v.* 3. 4. Quia est pabulum venti, seu depastio animi. *ibid.v.* 11. 5. Quia in ea animus requiescere non potest. *ibid.v.* 12. 1.*Cor.* 7.*v.* 29. 30. 31. 6. Quia non est hominis propria, sed ei communis cum cæteris animantibus. 7. Quia est breuis, iuxta illud *Boetii metr.* 7.*lib.* 3.

Habet

Habet hoc omnis voluptas:
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & minus tenaci
Ferit ista corda morsu.

8. Quia non sinit semen Dei radices agere in corde, & fructum proferre Deo gratum. *Luc.9.v.14.* 9. Quia animum deprimit, ne se ad Deum attollat. *1.Pet.2.v.11.* 10. Quia iram Dei prouocat *Deut.22.v.21.Ierem.5.v.7. Hose 4.v.14. Hebr.13.v.4.* sicuti testantur tragici voluptariorum exitus, vt Sodomitarum. *Gen.19.v.24.* Sichemitarum. *Gen.34.v.25.* Belthasaris. *Dan.5.v.1. & 30.* diuitis epulonis. *Luc.16.* 11. Quia ex homine facit belluam. Hinc *Cicero 2. de finib.* statuit illum indignum esse hominis nomine, qui vel vnum totum diem in voluptate esse velit. 12. Quia corporis vires eneruat, doloremque parit maximum. 13. Nobiliores ethnici hoc idem viderunt. *Antisthenes* ille Socraticus summum esse malum dixit; *Diogenes*, venenum mulso commixtum; *Plato*, escam malorum; *Cato maior*, pestem capitalem; *Cicero*, omnium malorum matrem. Quare Epicurus, cum summum hominis bonum statuit voluptatem, non hominem, sed pecudem se esse demonstrauit: vt, quemadmodum cerebrum, quod eam sententiam illi dictauit, helleboro; ita manus, quæ scripsit, scutica; liber, qui nugis talibus est oblitus, spongia dignus esse videatur.

Sed nec vita hac terrena & temporalis est summum hominis bonum. Ratio 1. Quia est breuis. 2. Quia innumeris malis est obnoxia. 3. Quia summum hominis bonum non est quærendum in infima mundi parte, quæ est terra. 4. Quia vana est. 5. Quia summum bonum non est corporis, sed totius hominis. 6. Quia beatum non facit, vt testatur experientia. 7. Quia nihili ducitur à sanctis, & Deo placentibus hominibus. 8. Quia sibi abrumpendam statuerunt, qui sapientissimi & fortissimi viri apud Gentiles habiti sunt, vt Cato, Bruto, Curtius, & alii. Quod si vita hæc summum est bonũ, cur vt finiretur, mortis quæsiuerunt isti auxilium? *Vita hæc non est summum hominis bonum.*

Sequitur anima intellectiua. Si in illa est summum hominis bonum, erit vel in ipsius essentia, vel in facultatibus.

Non est in animæ essentia; quia sic summum bonum foret immortalitas. Sed illa non est. Ratio 1. Quia immortalitas per se non facit beatum, cum Diabolus etiam sit immortalis, & animæ reproborum; vbi immortalitas coniuncta est cum summa miseria. 2. Quia aliquid habet se superius. Cur enim in altera vita erimus immortales? Vt Deum glorificemus. Cur Diabolus & reprobi erunt immortales? Vt Dei iustitia manifestetur modo perfectissimo. *Lactantius* hic contrarium statuit, & immortalitatem summum hominis bonum constituit. *Immortalitas non est summum hominis bonum.*

Non

Non etiam est in animæ facultatibus. Si enim in illis esset summum bonum, esset vel in intellectu scientia, vel virtus in voluntate. Nam intellectus perfectio est cognitio, vt voluntatis est virtus.

Sapientia nō est summum hominis bonum.

Sed non est in intellectu. Ratio est; quia sapientia est imperfecta, quod sic patet. 1. Quia est laboriosa & molesta. Comparatur enim cum molestia, quam Deus inflixit hominibus, vt seipsos affligant. *Ecclesiast. 1. vers. 13. & 17.* Hinc ille Græcus, *In nihil sapiendo*, aiebat, *vita est iucundissima.* Ad eam comparandam siquidem multus & animi & corporis labor requiritur. 2. Quia sapientia iam comparata multum habet molestiæ & tristitiæ. *Eccles. 2. v. 1.* quatenus scilicet videmus, res fieri præpostere, & contra omnem rectam rationem. 3. Quia versatur circa res mundanas, quæ per se sunt vanæ 4. Quia est venti pabulum, seu animi depastio, hoc est, nullum inde aliud operæ pretium refertur, quam animi quasi vento sese pascentis defatigatio inutilis, qua animus non alitur, famesque non expletur. *Ecclesiast. 1. versic. 14.* 5. Quia ne nimiam quidem rem paruam potest corrigere, nedum cœlestem perfectionem subministrare. *Eccl. 1. v. 15.* 6. Quia non parit εὐθυμίαν, *letitiam*, nec αὐτάρκειαν, *sufficientiam. Eccles. 1. v. 12. 13. 17. cap. 2. vers. 1. c. 9. v. 1. 2.* Nimirum coniuncta est cum multa indignatione & dolore; cum tantum absit, vt in hac disquisitione possit cuiusquam, quantumuis sagacissimus, animus inuenire, quod sibi satisfaciat, vt contra quo longius fuerit in ista sapientia indaganda progressus, eo magis offendatur; & quo plura didicerit, eo magis, & rerum non paucarum ignoratione, & earum, quas percepit, incertissima notitia torqueatur & doleat. Quæ enim scimus, pauca sunt; quæ nescimus, infinita; nemoque scit, quot & quanta nesciat. Ratio huius imperfectionis est, tum sensuum, à quibus cognitio oritur in intellectu, imbecillitas, tum animæ impuritas, tum denique rerum intelligibilium sublimitas. Hinc fit, vt intelligentia nostra vel nulla sit, vel mera nox sit. 7. Quia vehemens sapientiæ studium multos stolidos reddit, obliuionem & hebetudinem inducit; vti Hermogeni, Trapezuntio, Francisco Barbaro, & aliis euenisse legimus. 8. Quia sapientiæ studium multis est causa erroris. Nam dum altius sapere nituntur in densissimas errorum tenebras se quasi præcipites agunt, non secus atque illi, qui aduersum solem intuendo excæcantur. 9. Quia non valet ad euitandos casus rerum humanarum. *Eccles. 9. v. 1. & seq* 10. Quia à vere fidelibus, & probatis Deo hominibus experita non fuit. *1. Cor. 1. v. 26. c. 2. v. 1. 4. 5.* 11. Quia abolebitur & peribit. *1. Cor. 1. v. 19. 20.* tanquam inutilis ad regnum cœlorum, & salutem nemini adferens. *1. Cor. 1. v. 21. c. 2. vers. 4.* 12. Quia alterius rei gratia appetitur, non propter se ipsam. Quis enim scire contentus est, non expetens aliquem scientiæ fructum? Artes ideo discuntur, vt exerceantur. Exercentur autem vel ad subsidia vitæ, vel ad voluptatem, vel ad gloriam. Non est autem summum bonū, quod non prop-

pter se expetitur. Ad summam: sapientia humana non præstat nobis bona terrena. *Eccles.9.v.13.* plerumque est à nobis remota. *Eccles.7.v.24. 25.* nec adest homini in sepulchro. *Eccles.9.v.12.* Obiicis: Si sapientia non est summum bonum, tum illa nihil præstat stultitiæ. At hoc absurdum. Ergo & illud. Resp. Consequentia nulla est: quia sapientiæ alia sunt commoda & bona, etsi non sit summum bonum. Nam 1. sapientia præstabilior est stultitia, sicuti lux tenebris. *Eccles.2.v.14.* 2 Sapientia oculatos reddit, stultitia cæcos. *Eccles.2 v.15.* Sapiens habet oculos animi in capite, tanquã in arce, quibus præuidet, quid sequendum, quid fugiendum sit. 3. Sapientia viuum conseruat possessorem suum. *Eccl.7.v.12* 4 Sapientia melior est robore. *Eccles.9.v.18 19. 20.* 5. Sapientia robur confert sapienti, magis quam decem dominatores, qui sunt in eadem ciuitate. *Eccles.7.v.19.* 6. Sapientia Reip. conseruandæ est vtilis. *Eccles.9.v.17.* 7. Est emolumento ad dirigendas actiones humanas. *Eccles.10.v.7.* Vno verbo: Sapientiæ fructus præstantissimus, est diuinæ prouidentiæ cognitio, qua imbuti noscamus agendi tempestiuitates, rerumque humanarum vicissitudines æquo animo feramus, quæ *Eccles.3.v 1.& seq.* recensentur. Quantumuis autem hi sapientiæ fructus sint præstantes: non tamen sunt tanti, vt summum bonũ in sapientia sit ponendum, quia scilic. est imperfecta, ita vt hic illud Solonis, qui Græcis, alioquin omnium opinione delectissimis, obiiciebat, *Estis pueri*, vsurpari possit quam rectissime.

Porro summum hominis bonum non est in voluntate; quia neq; virtus eiusq; actio sola considerata, neque cum voluptate aliisue rebus fluxis coniuncta, potest esse summum bonum.

Non virtus, illiusue actio. Ratio 1. Quia non est similis, & eadem semper. At summum bonum simile est, & idem semper, non potest augeri, non imminui, non immutari. 2. Quia propter seipsam non appetitur, sed propter beatam vitam, quam consistere in exercitio virtutum moralium docuerunt ethnici. 3. Quia nostratum calamitatum testis est, & signum imperfectionis maximæ. Nam si non inuolueremur erroribus, prudentia nõ esset opus: si vnusquisque vnicuique suum redderet, iustitia possemus carere. Idem de temperantia, fortitudine, & cæteris virtutibus moralibus iudicium esto. Est enim virtus nihil aliud, quam affectuum regina. Sed affectus sæpe reluctantur, etiam in renatis. *Rom.7.v. 17.& seq.* vbi Apostolus graphice describit luctam carnis & spiritus. 4. Quia virtus indiget multis instrumentis & mediis, vt diuitiis, honore, & similibus. At summ ũ bonum debet esse αὐταρκέστατον. 5. Quia virtus sæpe non laudatur. Sis enim vir bonus, sis sapiens, sis modestus: laudabit te hic, ille vituperabit. 6. Quia virtus laudatur & alget. Sis verax, sis iustus: laudabit te ille, vel ille, at ne fame vel siti pereas curabit vix vllus. Vnde patet, quod virtus non possit quenquam efficere beatum, gradu infimo beatitudinis. Quomodo igitur

Virtus illiusque actio non est summum hominis bonum.

illa præstabit summum felicitatis apicem? Obiicis: At virtus est murus fortissimus, est asylum certissimum, est sola & vnica nobilitas, est regina potentissima. Nihil enim tam altum est, quo virtus eniti non possit. Resp. Equidem ad virtutis nomen debemus assurgere cum Seneca, & agnoscere rem esse omnium pulcherrimam. Sed hoc ita facere debemus, vt sequamur ductum Spiritus sancti, qui supra virtutem mõstrat bonum nobilius. Hinc etiam patet, quod *religio humano arbitrio inuenta* non possit esse summum bonum. Nam illa religio aut est exercitium virtutum moralium, aut non est. Si illud, effectum non potest excedere virtutem suæ causæ. Iam vero virtus moralis est causa istius religionis, vt nihil iam dicam de inuẽtione humana. Non igitur potest religio illa excellentior esse causa sua. Si hoc; est contra virtutem, ideoque nec hoc modo potest esse summum bonum. Quare grauiter errant, qui affirmant causam felicitatis Reipub. Romanæ fuisse Religionem Numæ, & multorum deorum cultum. Nec minus imponunt simplicioribus ii, qui prædicant, religionem Romanæ Ecclesiæ, qualis maxime inde à Gregorio Magno vsq; ad hodiernũ diem fuit, causam fuisse atq; etiamnũ esse felicitatis Reip. Christianę. Nã externa illa ceremoniarum humanarũ obseruatio est nauci; cum ceremoniarũ à Deo præceptarum obseruatio sine vera fide à Deo damnosa esse pronũcietur. Contra falsam religionem notentur hæ rationes. 1. Abducit à vero Deo. *Esai. 1. vers. 4.* 2. A Deo reiicitur. *Esa. 1. versic. 11. 12. 13. 14.* 3. Est mala. *Eccles. 5. v. 1.* adeoq; nihil prodest suis cultoribus. *Esa. 1. v. 15. Matth. 15. 9.*

Virtus cũ rebus fluxis coniuncta non est summum hominis bonum.

Virtus coniuncta cum aliis rebus fluxis non etiam potest esse summum hominis bonum. Ratio; quia virtus ipsa est dignior aliis rebus caducis. Itaque licet hæ ad illam accedant; tamen non possunt illius naturam adeo euehere, vt ipsa existat summum bonum. Errarunt autem maxime illi, qui existimarunt virtutem cum voluptate coniunctam esse summum hominis bonum, cum illa duo per naturam cohærere nullo modo possint. Quod si vero virtus coniuncta sit cum diuitiis, reliquisque bonis, quæ ad hanc animalem vitam faciunt, per illam perueniri potest facillime ad εὐδαιμονίαν πολιτικήν.

Sic patet, summum hominis bonum non esse in iis, quæ sunt intra hominem: videamus nunc, num forsan sit in bonis extra hominem. Sed in his non potest esse; quia si non est in bonis excellentioribus, qualia sunt animi & corporis bona, multo minus erit in minus excellentibus, qualia sunt externa illa. Verum enimuero, quia homines quidam adeo dementati fuerunt, vt in illis summum bonum posuerint, per partes refutemus illam stupidam sententiam.

Si summum hominis bonum est in bonis externis, erit vel in diuitiis, vel in honore & gloria, vel in potestate summa, vel in amicitia, vel in fauore & gratia principum, vel in fortuna. Sed in nullo horum est. Ergo summum bonum non est in bonis externis. Maior nititur sufficienti enumeratione specierum. Minorem probabimus per partes.

1. Sum-

1. *Summum bonum non est in diuitiis.* Ratio 1. Quia plerumque sunt iniustæ; vel ratione acquisitionis, vel ratione vsus. Nam vel iniuste acquiruntur, vel etiamsi iuste sint partæ, tamen iniuste iis homines vtuntur. *Ierem.5.v.27.Luc.16.v.9.* 11.*Eccles.2.vers.vlt.* Quod si non iniuste; tamen magno cũ labore, per diuinitus inflictam pœnam parantur cum anxia occupatione. 2. Quia molesto cruciatu augentur & custodiuntur. *Eccles.5.vers.*12. Non sinunt possessorem suum capessere somnum, suntque velut supplicium speciosum domini sui. 3. Quia sunt corruptibiles. *Matth.6.v.17.1.Tim.6.v.17.Iacob.5.v.2.3.* 4. Quia amitti possunt. *Matth.6.v.19.Prov.23.v.5.Eccles.5.v.14 15.16.* 5. Quia sunt inferiores cœlestibus bonis. *Matth.6.v.20.* 6. Quia non propter se ipsas expetuntur, sed vel propter sustentationem vitæ, vel propter fastum & luxum. 7 Quia sunt plerumque noxiæ. Nam sibi seruã reddunt, & affigunt mentem hominis humo, ne illam in cœlum erigere possit. *Matth.6.v.21.& cap.13.* Mentem hominis excæcant, vt vera bona possit haudquaquam cognoscere. *Matth.6.v.22.* Non reddunt hominem Deo acceptum, vt *Luc.16.* diuitis epulonis exemplum docet. Impediunt cultum Dei, & ab eo abstrahunt. *Matth.6.24.* Auctæ multiplicant vanitatem, cum satis esse deberet homini, quod ipse sit vanitas. *Eccles.6.v.*11. Neminem liberant à morte temporali, nedum æterna. *Prov.10.v.2.Psal.49.v.7.Psal.52.v.7.8.9.Prov.11 v.4. Luc.16.v.22.23.* Sunt laquei. *1.Tim 6.v.9.10.Eccles.5.v.13.* Suos possessores reddunt deteriores, vtputa delitiosos, intemperantes, fastuosos, crudeles & immites in pauperes. *Prov.10.v.16.Iacob.2.v.6.7.cap.5.v.5.6.Luc.16.v.19 20.21.* Impellunt hominem, vt se efferat aduersus Deum, & superbe verbum eius contemnat. *Prov.10.v.16.* Impediunt plerosque ab ingressu in regnum cœlorum. *Matth.19.v.23.24.* Solet nempe Diabolus lutum nobis commendare (quid enim aurum est aliud, quam lutum paulo solidius & splendidius?) vt eripiat cœlũ. Multis igitur nominibus noxiæ sunt diuitiæ. 8. Quia hanc temporalem vitã non cõseruãt, sed Deus sua prouidẽtia. *Matth.6.v.25.& seq.Luc.12.v.15* 9. Quia illas appetere & coaceruare prohibemur. *Matth.6.v.19.c.10.v.9.19.Prov.23.v.4.* 10. Quia non adferunt animi tranquillitatẽ, sed potius sollicitudinem & inquietudinem, cum desiderium diuitis expleri nequeat. *Eccles.6.v.7.* 11. Quia in illis fiduciã ponere prohibemur. *1.Tim.6.v.17.* 12. Quia illis totis nemo fruitur. Nã illarũ possessio huius angustæ vitæ spatiis terminatur, & hæreditates transferũtur vel ad stolidos homines, qui eas magnis laboribus partas stolide dissipant. *Eccles.2.v.19.20.21.22.23.24* vel ẽt adhuc viuentibus possessoribus sæpe in manus eorum veniunt, qui nec sanguine, nec affinitate illis sunt iũcti, quæ res hominis, qui opes magnas collegit, animum diuino spiritu destitutum, vehementer excruciat. *Eccles.6.v.1 2.* quod etiam sæpissime post mortem diuitum illorum Crassorum contingit. *Luc.12.v.20.* Quid? Sæpe perueniunt ad inimicos nostros. *1.Reg.*

Diuitiæ nõ sunt summum hominis bonum.

14.v.25.26.2.Reg.24.v.15.Ezech.26.v.12.Ezec.29.v.19.2.Reg.18.v.14 2.Reg. 23.v.35.Heb.10.v.34. 13. Quia illas probati Deo viri non expetinerunt. Heb.11.v.26.37.38.2.Cor.6.4.& 10. 14. Quia illas neque Dominus noster expetiit.2.Cor.8.v.9.Matth.8.v.20. Obiicis:1. An igitur diuitiæ sunt malæ. Respond. Diuitiæ sunt ἀδιάφορόν τι, mediæ & indifferentis naturæ, quam determinat vsus; qui si bonus sit, & ipsæ bonæ sunt, sin ille malus, & diuitiæ malæ sunt. Eccles.2.v.24. 2. At diuitiæ coniunctæ cum sapientia sunt summum bonum. Resp. Ne hoc quidem verum est. Nam etiam hoc modo sunt vanitas. Eccles.2.v.11. Neque sic animum tranquillum reddunt, vti suo exemplo docet Salomon. Eccl.2.v.5.& seq. Hoc etiam intellexerunt sapientiores ethnici. Nam alii diuitias vocarunt irritamenta malorum, alii προκαλύμματα τῶν κακῶν, alii aliis titulis illorum & instabilem & nociuam, vel saltem periculosam possessionem notarunt.

Gloria non est summum hominis bonum.

2. *Summum bonum non est in gloria & honore.* Ratio 1. Quia est instabilis, siue ortum ipsius consideres, siue progressum, siue terminum. Vnde enim oritur? Ex factis momentaneis. Qua re conseruatur? Opinione aliorum & existimatione. Qua re terminatur? Morte, vel etiam commutatur ignominia. Quis igitur summum bonum in re tam lubrica ponat, quæ in alieno posita est arbitrio? Hinc illud: Honor est in honorante. Cum enim nihil sit inconstantius populi voluntate, gloria, quæ in populi existimatione posita est, non poterit etiam constans esse. Honor reuera fumus est, qui ludit, spatiatur & gloriatur in aere, quoque altius se effert, eo facilius citiusque dissipatur. Eccles.2.v.17.18. 2. Quia gloriæ cupiditas est communis homini cum brutis. Sic in equis victoribus & victis alius atque alius affectus deprehenditur. 3. Quia eius studium excitat inuidiam mutuam. Gal.5.v.26. 4. Quia plerumque paratur factis, quæ humano quidem iudicio egregia putantur, verum coram Deo nihil aliud sunt, nisi gloriosa & splendida peccata, nempe absque fide, & propriæ gloriæ causa perpetrata: vti sunt heroica facinora Bruti Consulis Romani filios proditionem patriæ molientes occidentis; Torquati, qui filium suum occidit, quod pugnando in hostem violasset legem militarem; Curtii armis instructi & in equo sedentis, & in hiatum terræ se abiicientis, quo patria liberaretur à lue; Alexandri Magni, Iulii Cæsaris, & aliorum. 5. Quia impedit veram fidem in Deum. Nam qui pluris faciunt gloriam propriam, quam pietatē, quam liberam atque ingenuam confessionem veritatis Christi, non possunt in Christum vere credere. Ioh.5.v.44.c.12.v.33.44. 6. Quia illam Christus, cuius imitatores nos esse decet, non appetiuit. Ioh.5.vers.41. Matth.8.v.3.4. Ioh.8.v.50. Matth.9.v.30.c.12.v.16. 7. Quia illam vere fideles & Deo probati homines non tantum non appetiuerunt, verum etiam contempserunt, probro Christi in sese potius suscepto. Heb.11.v.24.25.26.2.Corin.4.v.5.6.6.v.8. 8. Quia illius captatores & mancipia sunt plerumq; homines infi-

infideles, hypocritæ, & Deo displicentes. *2.Cor.5.v.12.* 9. Quia nemini adiumento est aduersus mortem temporalem, vel æternam. *Psal.49.v.14.15.18.* 10. Quia non est à fidelibus apperenda, nisi quantum ad Dei honorem pertinuerit. *Matth.5.v.16. Philip.2.v.15.16. 1.Thessal.2.v.6.10. Rom.1.v.8. 1.Thess.1.v.3.& seq. Matth.6.v.1.& seq. Gal.5.v.26. Philip.2.v 3.*

3. *Summum bonum non est in potestate & dignitate summa.* 1. Quia frequenter in alios est iniuria, armans quasi publica authoritate omnem iniustitiam. *Eccles.3.v.16.& seq.c.4 & 5.* 2. Quia est vanitatis, molestiarum & doloris plena. *Eccles.4.v.11.12.* 3. Quia amitti potest, sic vt is qui cum potestate summa erat, seruus fieri possit. *Eccles.10.ver.4. 2.Reg.24. Iud.1.ver.7.* 4. Quia morte terminatur. 5. Quia sæpe contingit hominibus improbis, stolidis & indignis, *Psal.12.v.9. Eccles.4.v.9.c.10.v.2.3.4.* 6. Quia sæpe est damnosa possidentibus. *Eccles.8.v.8.* dum facit, vt qui illa pollent, non seruent fidem, dum ambitiosos & auaros impellit, vt alios malis afficiant contra diuina & humana iura. 7. Quia per illam ne vna quidem nocte potest homo consistere. *Psal.49.v.13. Dan.5.v.30.* 8. Quia per illam non possunt etiam potentissimi monarchæ impetrare à subditis, nedum a vicinis, aut remotis populis, quæcunque volunt, vt docent exempla omnium temporum. 9. Quia dignitas & potentia ne reges quidem immunes facit à ludibriis, etiam subditorum. *Ioh.12.v.21.* *Summa potestas & dignitas non est summum hominis bonum.*

4. *Summum bonum non est in amicitia.* Ratio 1. Quia amicitia est instabilis. 2. Quia amicus ipse est opis indigus. 3. Quia morte dissoluitur. *Summum hominis bonum non est in amicitia.*

5. *Summum bonum non est in fauore & gratia principum, aut aliorum magnorum virorum.* Ratio 1. Quia illi sunt homines. *Psal.146.v.3.* Homines dum dico, intelligo hominum vanitatem & inconstantiam. Omnis enim homo est vanitas. *Psal.62.v.10.* Omnis homo est mortalis. *Psal.146.4. Es.2.v.vlt.c.40.v.6.7.8.* Ideoque gratia humana est vana, temporaria, momentanea, pendens ab inconstante voluntate, quæ & sua natura est flexilis, & calumniis aliorum, vel leuibus etiam suspicionibus mutatur. 2. Quia in hominibus fiduciam collocare prohibemur, & fiducia in illis posita, est maledicta. *Ier.17.v.5. Psal.146.v.3.* 3. Quia gratiam atque fauorem hominum, etiam eorum, qui corporaliter multum prodesse poterant, vere fideles repudiare non dubitarunt. *Heb.11.v.24.25.* Sic Samuel, Esaias, Ieremias, Iohannes Baptista & alij Prophetæ non dubitarunt reges ob peccata grauiter reprehendere. *Non in fauore magnatum.*

6. *Summum bonum non est in fortuna.* Ratio 1. Quia fortuna non est. Est enim purum putum figmentum quorundam poetarum gentilium, qui eam finxerũt esse Deam cæcã, quæ det bona & mala quibus velit. 2. Quia fortuna est abnegatio Dei & prouidentiæ eius. 3. Quia si quid est fortuna, nihil aliud est, quam rerum accidentium subitus atque inopinatus euentus. Grauissimus igitur est illorum error, qui statuunt hominem esse fe- *Non in fortuna.*

licem tantisper, dum fortuna se accommodat complexioni & humori leuis.

Non in omnium bonorum hactenus dictorum aggregatione.

Sic euicimus, summum bonum non esse positum in bonis hominis vel internis, vel externis: sed nec in vtrisque simul est positum, quasi status bonorum omnium hactenus enumeratorum aggregatione adeptioneque perfectus, sit summum nostrum bonum. Ratio 1. Quia status ille est incertus, ideoque non est omnium. 2. Quia huius vitæ terminis coarctatur. 3. Quia sancti Dei homines huiusmodi statum non habuerunt pro summo bono.

Cum igitur homo in seipso non habeat summum bonum, necessum est vt illud habeat ab alio ente nobiliore, in quod competant summi boni conditiones, quæ sunt numero nouem.

Nouem conditiones summi boni.

1. *Vt sit ab omnibus malis liberum.* Nam si vel vnicum malum, siue illud sit vitij, siue conditionis, adsit, non erit summum bonum; sicuti facies non potest dici summe pulchra, in qua vel hilum maculæ alicuius.

2. *Vt omnibus bonis affluat, adeoque sit αὐταρκέστατον.* Si enim aliquid ei desit, summum non erit.

3. *Vt sit à se, per se, suaque natura bonum.* Nam si sit dependens, summum esse non potest.

4. *Vt se suamque bonitatem optime noscat.* Ratio; quia scientia bonitatis propriæ maximum est bonum, quod si desideretur in aliquo, non potest appellari summum bonum.

5. *Vt sit summe desiderabile.* Nam id quod bonum est, desiderabile est. Ergo quod summe bonum est, summe desiderabile sit oportet.

6. *Vt bonum sit perpetuo, & immutabiliter.* Nam id quod deficere potest, non est summum bonum.

7. *Vt sui sit communicatiuum.* Nam hoc est de formali ratione boni, ἑαυτοῦ εἶναι κοινωνικόν.

8. *Vt sit prima idea boni.* Nam id, quod primum est, est idea omnium sequentium.

9. *Vt sit vniuersale.* Nam id in quo antegressæ conditiones reperiuntur, omnino est catholicum bonum. *At hæ nouem conditiones soli Deo competunt; id quod probabimus per partes,*

1. *Deus est ab omnibus liber.* Nam liber est à vitiis. *Psal. 5. Non es Deus volens iniquitatem.* Nec vllum malum pœnæ in ipsum cadit, vtpote sanctissimum ens, & plane immutabile. *1. Ioh. 1. v. 5.*

2. *Deus est principium, fons & origo omnis boni.* Hinc Iehoua dicitur nobis esse salus, gloria, robur, clypeus, atque adeo omnia quæcunque sunt necessaria ad beatitudinem nostram. *Gen. 15. v. 1.* ait Deus ipse de se ad Abrahamum: *Ne timeas Abram, ego clypeus sum tibi, merces tua ampla valde. Psal. 16. v. 5. Iehoua portio prædii mei & poculi mei. Psal. 33. v. 12. Beata gens illa, cui Iehoua*

DEVS

DEVS est. *Psal.*40.*v.*5 *Psal.*73.*v.*25.*Psal* 144.*v.*15.*Psal.*27.*v.*1.*Psal.*28.*v.*7.*Ps.* 62.*v.*3.*&* 7.*Psal.*18.*v.*2.*Col.*3.*v.*11.1.*Cor.*15.*v.*28.

3. *Deus per se, suaque natura est bonus.* *Matth.*19.*v.*17. *Nemo bonus, nisi Deus;* nimirum à se. Et vero si Deus est ens independens, bonitas ipsius non habebit aliquod sui principium. Bonitas enim Dei est ipse Deus, ipsa diuina essentia, ratione ratiocinata ab illa differens.

4. *Deus seipsum, intra seipsum, suamque bonitatem clarissime, plenissime, firmissime, cum incredibili gaudio & semper cognoscit.* Cum enim sit purissimus & infinitus actus, auctor & largitor omnis sapientiæ, quæ est in hominibus & Angelis, non potest non sese nosse actu intimo, indiuiduo & perfectissimo, infinitus infinitum se comprehendens infinite. Nec tamen dum intelligendo se comprehendit, alius est intellectus Dei, quo comprehendit, alius quem ipse comprehendit. Nam esse, intelligere, comprehendere in Deo sunt vnum & idem. Neque etiam dum Deus se comprehendit, esse finitus statuitur. Nam hæc cognitio non dicitur comprehensiua ideo, quod finita sit: sed hic terminus opponitur illi, *apprehensiua cognitio*; quæ aliquid imperfectionis importat. Sic nos cognoscimus Deum non comprehensiue sed apprehensiue: at solus Deus seipsum comprehendit, seu comprehensiue cognoscit. Vide supra *cap.*4.

Cognitio est comprehensiua, vel apprehensiua.

5. *Deus est summe desiderabilis*; quia in illo, & ex illo, & propter illum omnia sunt desiderabilia, quæ appeti possunt, & ad illum omnia bona referuntur. Ad hæc omnia appetunt suam perfectionem, quæ illos reuera perficit. Omnium autem rerum perfectio est Deus. Ergo omnes res eum appetunt, id quod experientia vniuersalis testatur. Quis enim est, qui Deum videre, & eo frui non desideret?

6. *Deus est perpetuo & immutabiliter bonus.* Est enim æternus, omnis successionis, finis & principij expers. *Psal.*90.*v.*2 *Esa.*44 *v.*1. *Thren.*5.*v.*19. *Dan.* 6.*v.*27 *Heb.*1.*v.*12. *Apoc.*4.*v.*8. Est immutabilis, quia simplicissimus, nullamque supra se causam, vel intra se habens, à qua possit mutari vel corrumpi. *Psal.*102.*v.*27.28. *Rom.*1.*v.*23.1. *Tim.*1.*v.*17. Neq; solum est immutabilis quoad essentiam suam, sed etiam quoad voluntatem. 1. *Sam.*15.*v.* 27. *Esa.*46.*v* 10. *Malach.*3.*v.*6. *Rom.*11.*v.*39. Ergo cui Deus semel voluit bonum, illi nunquam volet malum, vti loquuntur.

7. *Deus seipsum communicat, in quantum creaturæ finitæ fulgorem bonitatis ipsius capere & perferre possunt.* Ille solus nos beatos facit. Nam vti nos esse fecit, ita etiam per lapsum malos factos rursus facit bonos adeoque beatos. *Psal.*32.*v.*1.2. *Beatus leuatus defectione, cuius tectum est peccatum. Beatus, cui non imputat Iehoua iniquitatem, & cuius spiritui non inest dolus.* *Psalm* 36.*ver.*10. *Penes te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* *Psal.*94. *v.*12.13.14. 1.*Corinth.*11.*v.*32. Præterea Deus animum tranquillum, pacatumque & ab omnibus affectibus vitiosis liberum facit. *Psal.*23.*v* 3.4. *Animam meam quietem efficit, ducit me per orbitas iustitiæ propter nomen suum. Etiam cum ambulare*

rem per vallem lethalis vmbræ, non timerem malum, quia tu mecum es. Psal. 27. v. 1. 2. 3. In solo quoque Deo est consolatio nostra perfecta atque solida aduersus omne malum. *Iac.* 5. v 11. Hinc cognitio, fiducia, amor, & timor Dei nos faciunt vere beatos. Nam Deus cum iis, qui ipsum cognoscunt, cognito fidunt, cognitũ amant & timent, cum iis, inquam, seipsum communicat quam gratiosissime. *Prouerb.* 3. v. 13. 2. *Tim.* 3. v. 14. *Ioh.* 17 v. 3 *Esa.* 53. v. 11 2. *Pet.* 1. v. 2. 3. 4. *Psal.* 2. v. 12 *Ierem.* 17. v. 7. *Psal.* 146. v. 5. Et hæc quidem dicta loquuntur de cognitione Dei, & fiducia in illo. Sequentia loquuntur de amore & timore Dei. *Psal.* 112. v. 1. *Psal.* 1. v. 1. 2. *Psal.* 119. v. 1. 2. 3. *Esa.* 56 v. 2. *Matth.* 5. v. 3. *& seqq.* *Prou.* 8. v. 34. c. 28. v. 14. *Eccles.* 12. v. 15. *Iacob.* 5. v. 11. *Apoc.* 16. v. 15. *Prou.* 8. v. 17. *Ioh* 13. v. 17. c. 14. v. 23.

Dicimus autem cognitionem Dei, fiduciam, amorem & timorem eius facere nos beatos, non sicut causas efficientes principales, sed tanquam media. Ducunt enim nos ad Deum, qui se cum sui similibus communicat, non cum iis, qui ipsum contemnunt.

Idea prima boni quæ sit? 8. *Deus est idea boni prima & perfectissima.* Nam idea prima boni nihil est aliud, quam rerum omnium principium vnum ineffabile, à quo vno omnia, & ad quod vnum omnia. Atqui Deus solus est talis idea boni. Nam ipsius essentia continet formas exemplares, incorporeas, inuisibiles, æternas & immutabiles, veritates rerum omniũ quæ sunt, semper in mente diuina existentes, semper eodem modo sese habentes, quæ ipsæ formatæ non sunt, sed secundum quas omnia à Deo creata sunt, quarum participatione fit, vt sit, quidquid est, quoquo modo est. Hanc etiam *Platonis* sententiam fuisse probant *Augustin. tom.* 4 *lib.* 83. *quæst. c.* 46. *Clemens Alexandrinus lib.* 4. *&* 5. *Stromatum. Theodoretus de curatione Græcarum affectionum sermone secundo, qui est de principio, & sermone quarto, qui est de materia & mundo. Tertullianus lib de anima. c.* 18. *Eusebius de præpara. Euangel. lib.* 15. *c.* 44. Alij tamen contendunt, Platonem per ideas intellexisse species nescio quas in aere volitantes.

Deus est bonum vniuersale tribus modis. 9. *Deus est bonum vniuersale.* Vniuersale dico bonum, non est in essendo, non in prædicando, sed in causando; seu, vt alij loquuntur, Deus est bonum vniuersale causaliter, exemplariter & obiectiue. *Causaliter*, seu secundum efficientiam; quoniam omnes res facit bene esse, & dat illis omne bonum. *Exemplariter*; quoniam ille est fons omnimodæ perfectionis: est ipsum pulchrum, primum pulchrum, pelagus pulchritudinis, πρῶτον φίλον, *primum amicum*, αὐτόφιλον, *ipsum amicum*, αὐτοφῶς, *ipsum lumen*, αὐτοὸν, *ipsum ens*, & vt Scaliger ait, αὐταυτός, *ipsius ipse*, αὐτἀγαθόν, *ipsum bonum*. *Obiectiue*; quoniam omnes res creatæ occupantur circa hoc bonum, vt de ipsius plenitudine accipiant. *Psal.* 104. v. 27. 28. 29 30. *Omnia ista in te expectationem habent, vt des escam ipsorum tempore suo: Te dante ipsi colligunt, aperiente manum tuam satiantur bono: Abscondente faciem tuam conturbantur;*

tur; recipient spiritum eorum expirant, & in puluerem suum reuertuntur; Emittente spiritum tuum recreantur: denique renouas faciem terræ. Locus παράλληλος est *Psal. 145. ver. 15. 16. Oculi omnium ad te spectant, quibus tu das escam tempore suo: Aperis manum tuam, & saturas quidquid viuit ex beneplacito.*

Ex his ita recitatis & demonstratis necessario infertur conclusio hæc: Deus solus est summum bonum. Audiuimus siquidem nouem requisita seu conditiones summi boni; & illas in solum Deum competere audiuimus. Vnde necessario infertur conclusio illa, quam tot rationibus κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν probatam oportuit; quoniam illa est prora & puppis, vallum & fossa omniũ operum & actionum nostrarum, atque inprimis sacræ nostræ Theologiæ. Hinc iam facillimo negotio probatur, fruitionem Dei esse summam nostram beatitudinem. Nam summum bonum formale ordinatur ad summum bonum obiectiuum, & ab eo perficitur. Dicitur autem fruitio Dei summum bonum, certo respectu, vt supra exposuimus, videlicet ratione omnis omnino fruitionis, quæ respicit bonum finitum. Exempli gratia, si recte frueris diuitiis, hæc fruitio est bona, sed non summe bona; quia non est fruitio Dei. Colligamus iam & in vnum fasciculum conferamus, quæ hactenus de fine Theologiæ viatorum diximus. Finis Theologiæ vel verus est, vel apparens. Verus est vel obiectiuus, vel formalis. Obiectiuus est vel summus, Deus laudandus in secula: vel infimus, vt omne bonum, circa quod versari potest Theologus viator, vti est cibus & potus, vt sunt diuitiæ. Formalis itidem est vel summus, Dei fruitio: vel inferior, vt fruitio diuitiarum, fruitio cibi & potus. Finis apparens est omnis finis inferior, quando habetur pro summo. Exempli gratia, diuitiæ sunt bonum seu finis obiectiuus inferior; quod si homo illas concipiat tanquam bonum summum, hic finis non amplius est verus, sed apparens. Sic fruitio diuitiarum est finis formalis inferior, sed si homo statuat huiusmodi fruitionem esse summum bonum, finis verus fit apparens. Nostri officij nunc fuerit finem illum nobis præstituere tanquam τέλος σκοπιμώτατον, qui est æternus & immutabilis. Talis autem est solus Deus, & gratiosa ipsius fruitio. Non igitur oculos nostros conuertamus ad creaturas, quæ finitæ sunt & mutabiles, vti nos docet gentium totarum interitus, temporum vicissitudo, & actionum humanarum inconstantia. Nulla actio humana nobis potest præstare animum tranquillum, *Eccles. 1. v. 3.* nullum opus hominis, nulla creatura potest satiare & terminare appetitum nostrum. *Eccles. 1. v. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Rom. 8. v. 20. 1. Cor. 7. v. 31. 1. Ioh. 2. v. 17. Nulla actio*; vt est inuestigatio rerum naturalium, omnisque alia, siue sit contemplatio, siue actio proprie dicta, siue affectio qua liberalis qua illiberalis. *Nullum opus*; vt iustitia, fortitudo, arx, munitio. *Nulla denique creatura*; vt cœlum, terra, homo, ager, fundus. Adsurgamus itaque ad illum, à quo omne bonum, cui soli sit laus in secula.

N CAP.

CAP. IX.

Conuenientia Theologiæ naturalis & supernaturalis ratione causæ efficientis.

Dicta est conuenientia Theologiæ naturalis & supernaturalis respectu causæ finalis: sequitur conuenientia respectu causæ efficientis.

Causa efficiens Theologiæ nostræ est principalis, vel instrumentalis.

Causa efficiens principalis Theologiæ nostræ est Deus.

Hic sunt theoremata.

„ 1. [*Nulla creatura potest esse causa efficiens princeps Theologiæ.*] Ratio; quia Theologia est sapientia rerum diuinarum. Res autem diuinæ omnibus modis naturam nostram & totius huius vniuersi superant. Quare oportet causam infinitam quærere huius diuinæ sapientiæ, hoc est, Deum ipsum. Cæterum quotiescunque de causa efficiente alicuius rei agitur, tria potissimum obseruanda sunt. 1. Vtrum causa efficiens sua ipsius vi agat, necne? 2. Vtrum efficiat totum, an ex parte? 3. Vtrum efficiat rem essentialiter, an vero accidentarie? Quare & hoc loco tria ista expendamus, idque sequentibus theorematibus.

„ 2. [*Deus est causa efficiens Theologiæ & principalis, & absoluta.*] Causa principalis vel præcipua dicitur, quando causæ vnius cũ altera ad eundem effectum pertinentis fit comparatio. Causa absoluta dicitur, quæ sine alia adiuuante præstat effectum suum, vi sola & facultate sua. Deus est causa Theologiæ, vtroque modo. Sed hoc alicui videatur implicare contradictionem. Si enim causa principalis dicitur respectu inferiorum, Deus non potest appellari causa Theologiæ & principalis, & absoluta. Resp. Hæc duo in rebus creatis non concurrunt: at in diuinis vtrumque simul est. Nam Deus in omnibus, etiam subordinatis causis operatur vt causa efficiens absoluta, quia nulla causa inferior adiuuat primam causam, sed dicitur causa adiuuans, respectu effectus, qui producitur. Ergo Deus, etiam dum vtitur instrumentis, est causa absoluta. Aliter enim Deus vtitur, exempli gratia, ministro verbi sui in conuertendo peccatore, aliter homo vtitur calamo in producendo scripto. Ratio diuersitatis pendet ab omnipotentia & impotentia, sufficientia & indigentia, libertate & necessitate. Deus vtitur ministerio creaturæ suæ tanquam causa omnipotens & sibi sufficiens, sed libere tamen agens, semper tamen sapientissime & optime. At homo vtitur instrumento tanquam causa impotens & indigens, ideoque necessario, vt plurimum. Nam interdum potest, vel non potest adhibere instrumentum, quod tum dicitur arbitrarium, & distinguitur ab eo, quod in Logicis dicimus necessarium. Cæterum si res vlla est, quæ causa admirabili & potentissima opus habuerit, ea certe est Theologia viatorũ, quam oportuit ita contemperari, vt & naturam subiecti cognosci-

Mira ratio actionum diuinarũ.

cognoscibilis, quod est Deus, manifestaret, & naturæ subiecti cognoscentis, quod est homo viator, congrueret. Solus igitur Deus hoc potuit præstare. Nam hanc ad rem requirebatur omni-sapientia & omnipotentia, quæ solius est Dei.

3. [*Deus est causa efficiens totalis Theologia quoad essentiam & communicationem illius.*] Hoc theorema seruit soluendæ quæstioni secundæ, vt antecedens primæ, & subsequens tertiæ. In rebus creatis plurimum accidit, vt causis pluribus inter se subordinatis, singulæ partiales sint, & pro sua parte in communi effectu operentur: contra vero, quæ causæ solæ sufficientes per se efficientesque sunt, eæ dicuntur absolutæ, seu totales. Deus est causa totalis Theologiæ vti iam attigimus theoremate superiori. Sed hic addunrur plures. Vulgo in Logicis causam diuidunt in solitariam & sociam, illam vocant totalem, hanc partialem. Totalis, est quæ sola producit effectum sine aliis: vt quando præceptor solus disputat coram discipulis. Partialis est, quæ vtitur opera aliorum; vt quando idem præceptor ex libro recitat responsionem. Hic iam quæritur, quid dicendum sit de actionibus Dei, quando ille vtitur instrumentis? Resp. Deus non est causa socia, sed totalis, & quidem perfectissimo modo, non solum quando rei largitur essentiam, sed etiam quando rem illam, cui elargitus est essentiam, communicat cum creaturis suis. Sic etiam Theologia totam suam essentiam habet à solo Deo. Id ἔυδηλον. Quod eadem Theologia, iam producta à solo Deo, communicatur nobiscum, hoc idem est à solo Deo. At Deus non communicat Theologiam nobiscum sine instrumentis, excipiat aliquis. Ergo non est causa illius, quoad communicationem, totalis. Hoc enim repugnat definitioni causæ totalis & particularis, quæ modo data fuit. Resp. Definitiones illæ sunt intelligendæ de actionibus causarum secundarum, non primæ illius, quæ semper est totalis & solitaria, etiam tum, quando vtitur instrumentis. Iis enim non vtitur ex parte sua, sed ex parte nostra. Vide quæ diximus ad declarationem 2. *theorematis.*

Causa est totalis, vel partialis.

4. [*Deus est causa efficiens Theologia quoad essentiam, & accidentia perfecta ipsius.*] De essentia iam dictum est. De accidentibus sic accipe. Accidentia Theologiæ viatorum dicunt vel perfectionem, vel imperfectionem. Illa sunt ab ente perfectissimo Deo. Hæc sunt ab infirmitate subiecti, in quo est. Quod igitur vitia quædam Theologiæ adsperguntur, hoc non est à Deo, sed ab imbecillitate nostra.

Causa instrumentalis Theologia viatorum, est lumen illud, per quod Deus efficit cognitionem rerum diuinarum in nobis, & alia creatura, qua vel obiectiue, vel effectiue nos docet cognitionem rerum diuinarum.

Sic in Theologia naturali est lumen naturæ & cœlum, vel alia creatura, quæ enarrat Dei gloriam obiectiue: at in Theologia supernaturali

est lumen gratiæ, item Propheta, Apostolus, vel persona à Deo vocata ad annunciandum verbum ipsius. Sed de his plenius infra præcipietur.

CAP. XII.

Conuenientia Theologiæ naturalis ratione causarum internarum.

Causæ internæ, quibus conuenit Theologia naturalis cum supernaturali, sunt materia & forma remota.

Causæ internæ dicuntur etiam essentiales, quia essentiam constituunt rei illius, de qua habetur sermo; cuiusmodi sunt materia & forma. Nam finis & efficiens rei constitutæ quasi adhærescunt, siue ad operationem & effectum eius faciant, vt finis, siue ad generationem, vt efficiens. Finem & efficientem Theologiæ nostræ absolute dictæ indicauimus; nunc materiam & formam indicabimus, nimirum vtramque remotam. Ostendimus enim conuenientiam Theologiæ naturalis & supernaturalis.

Materia Theologiæ quæ sit?

Materia Theologiæ sunt res diuinæ, nimirum Deus, & quæcunque ad Deum ordinantur, prout disciplinam Dei, de natura, operibus, & iure ipsius tradi oportuit viatoribus.

Theoremata hanc definitionem declarantia sunt.

„ 1. [*Materia disciplinæ consideratur, vel quatenus illa disciplina est methodice dis-*
„ *posita, vel quatenus spectatur in idea sua.*] Sic, verbi gratia, Logicæ materiam considero, vel quatenus Logica iam est disposita integro systemate, vel in idea ipsius, quatenus modo longe perfectiori consideratur absolute & in natura sua. Nos hoc loci consideramus Theologiam viatorum, non quatenus iam disposita est pleno syntagmate, sed quatenus in natura & idea sua est habitus, non quidem extra subiectum existens (nam de formali ratione accidentis est τὸ inhærere, seu habere subiectum inhærentiæ) sed tamen mente sic abstractus, id quod omnino fieri debet in habitibus speculatiuis, actiuis & factiuis. Theologiæ sic consideratæ materiam constituimus res diuinas; at si consideretur vt systema, materiale ipsius principium erunt præcepta. Ita Logicæ materia, quatenus illa consideratur abstracte, sunt ipsa instrumenta ad bene disserendum facientia, seu res Logicæ, quibus hæc relatio accidit, vt fiant præcepta. Eodem modo diuinis rebus idem respectus accidit. Hinc patet, materiam Theologiæ, vt & cuiusque habitus abstracte considerati, non esse *ex qua* proprie, sed *circa quam*; quæ materia dicitur *subiectum*, item *subiectum tractationis*, *subiectum occupans*, *obiectum*, & *argumentum* alicuius disciplinæ.

„ 2 [*Res diuinæ sunt subiectum Theologiæ viatorum, quatenus à viatoribus capi*
„ *possunt, & ab illis capi illas expedit.*] Res diuinas hoc loco accipimus, quæ vel

vere

vere diuinæ sunt, vel, si ad rerum naturam pertinent, ad Deum tamen aliquo modo referuntur. Hoc est quod supra diximus è Patribus & Scholasticis, materiam Theologiæ esse, quod aut Deus est recto casu, aut quod obliquo casu Dei, Deo, ad Deum, aut à Deo esse dicitur, seu quod secundum omnes casus (vt Grammatici loquuntur) suam certam ad Deum relationem & ordinationē habet. Ac propriè quidē simpliciterque Deus est subiectum, seu materia Theologiæ, quemadmodum vniuscuiusque disciplinæ vnum aliquod certū definitumque subiectum haberi est necesse. Perinde enim subiectum in vnaquaque disciplina se habet ad disciplinam, vt obiectum se habet ad potentiam naturalem, vel habitum nostrum. Constat autem propriè obiectum potentiæ, vel etiam habitus humani assignari, sub cuius ratione omnia ad suam potentiam seu habitum referuntur: quemadmodum, exempli gratia, sermo articulatus & fragor referuntur ad auditum, qua sonora sunt; quia sonus, vel res sonora qua sonora, proprium est obiectum auditus nostri; similiterquē homo & bestia referuntur ad visum, qua colorata sunt; quia color vel res colorata est obiectum visus. Eodem modo omnia tractantur in SS. Theologia sub ratione Dei, tanquam propriæ materiæ, quæ tractatur in Theologia; quia aut Deus ipse est, de quo agitur, aut res sunt ad Deum ordinatæ vt ad principium vniuersale & finem ipsarum. Sic, verbi gratia, de homine docetur in Theologia, non qua homo est sed qua ordinatur ad Deum, tanquam principium & finem suum: vnde iam docetur de creatione, iam de electione, iam de fide, iam de bonis operibus, quoniam hæc talia dicuntur de homine, quatenus ad Deum ordinatur. Atque hanc ipsam quoque rationem sancti Apostoli, aut proximi tempora illorum viri Apostolici in sancto symbolo obseruarunt, cum subiectum principiorum credendorum, in quibus tota scientia virtute continetur, posuerunt Deum esse; & articulis de Deo certa capita de Ecclesia, diuinisque erga eam beneficiis subiecerunt; vt principia priore loco posita, id quod subiectum est per se Theologiæ nostræ, ostenderent; posteriore vero, quæ ad subiectum singulari modo se habent, & affecta sunt, tenerentur. *Franciscus Iunius de Theologia c.* 13. Harum autem rerum, quæ diuinæ dicuntur, duplex ordo constitui debet, vt ex *Augustino lib.* 1. *de doctrina Christiana* docebimus hoc typo:

Duplex ordo rerum diuinarū.

**
*

Ordo rerum diuinarum est vel
- *Primarius, de Deo, quo nos frui oportet; cuius consid.*
  - *Natura, secundum*
    - *Essentiam in tribus personis subsistentem.*
    - *Distinctionem personarum in vnitate essentiæ.*
  - *Voluntas, quæ est*
    - *Vniuersalis, & fertur ad omnes res creatas quodammodo.*
    - *Communis, communiterque exposita in genere humano.*
    - *Singularis, singulari ratione gratia in Ecclesia exposita.*
- *Secundarius, de rebus Dei, quib. nos vti oportet; vbi consid.*
  - *Natura rerum, quæ ad Deum ordinata est.*
  - *Opera Dei illius qui agit*
    - *Vniuersaliter idq; vel*
      - *Ordinarie*
      - *Extraordinarie*
    - *Communiter*
    - *Singulariter*
  - *Ius illis à Deo assignatũ, idq;*
    - *Vniuersale*
    - *Commune*
    - *Singulare.*

Hæc est certissima illa materia, in qua Theologia viatorum, Deo summo Theologo authore & duce, occupatur; & in qua si nos occupabimur, vere futurum est, vt retecta facie gloriam Domini tanquam in speculo intuentes in eandem imaginem, tanquam à Domino, spiritu transformemur 2. *Cor.* 3. Sed vt typus propositus paulo clarior fiet, pergamus in theorematis nostris.

3. [*Rerum diuinarum duo sunt summa genera; vnum eorum, quibus nos frui oportet, alterum eorum, quibus nos vti conuenit.*] Res diuinæ, quibus nos frui oportet, multæ quidem sunt, vt Deus, & creaturæ ipsius, quatenus animalem hanc vitam illæ secundum Deum conseruant. Verum in Theologia spectatur summa fruitio, quæ est summa nostra beatitudo. Summa autem fruitio debet respicere bonum summum, quod est Deus, cuius naturam & voluntatem si cognoscimus, manu quasi ducimur, ad illud summum bonum, eoque fruimur, cum in hac vita, tum in futura. Res diuinæ, quibus vti oportet, sunt omnia illa, quæ relationem & affectionem habent ad summum illud bonum; & in iis expendimus, tum illarum naturam, quatenus ad Deum ordinata est, tum opera Dei in illis, tum ius illis à Deo assignatum.

4. [*Theologia explicat naturam rerum, non simpliciter, qua sunt; sed secundum id, quo suum respectum ad Deum habent.*] Nam prius illud est Physicorum & Medicorum munus, qui explicant naturas animalium, elementorum, hominis, plantarum, &c. item Mathematicorum, qui explicant τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντα, & Metaphysicorum vt quidam volunt, vel vt nos, Pneumato-

matologorum, qui Angelorum naturam docent. Theologus vero considerat naturam rerum, prout ad Deum ordinantur, hoc est, quatenus affectione sui faciant ad manifestationem subiecti huius.

5. [*Theologia explicat opera Dei in creaturis, non simpliciter*], *sed secundum id, quo faciunt ad manifestationem subiecti.*] Hoc cōmune habent opera Dei cū natura rerū. Non.n. simpliciter & vniuerse opera ipsius, quæ pstat in creaturis, in rationem hic veniunt; sed tantūmodo quæ secundū hanc ordinationem, quam theoremate præcedenti expressimus, aut Deus agit in illis, aut illæ agunt secundum Deum. Opera quidem Dei respiciunt creaturas libertate voluntatis eius: sed opera creaturarum habent respectum ad Deum, necessitate naturæ. Agit autem Deus liberrima sua voluntate tribus modis. 1. *Vniuerse*: idque tum ordinatie, secundum naturam; tum extra ordinem, secundum prouidentiam suam. 2. *Communiter*; secundum vocationem communem salutaris gratiæ omnibus expositæ. 3. *Singulariter*; secundum vocationem singularem salutaris gratiæ electis ipsius inditæ per Spiritum sanctificationis ad vitam æternam. E diuerso creaturæ agunt itidem tribus modis, ministrantes ordinationi diuinæ. 1. *Vniuerse*; naturæ vniuersalis instinctu, & communi lege obsequētes naturæ & prouidentiæ Dei. 2. *Communiter*; respicientes ad communem illam vocationem omnibus expositam communi modo. 3. *Singulariter*; multiplicem illam & admirabilem sapientiam Dei ad salutem ipsarum efficacissimam omni honore & obsequio, vt par est, prosequentes.

Deus agit trib. modis.

Creaturæ agunt trib. modis.

6. [*Euidentißimus secundum doctrinam de Deo locus in Theologia est ius Dei creaturis ab ipso aßignatum.*] Omnis virtutis laus in actione consistit, ait Cicero. At ea demum vera laus est, quæ non ab hominibus, iudicio falsis, studioque instabilibus, sed à Deo ipso proficiscitur. Non potest autem aliquid à Deo laudari, nisi sit ipsius, hoc est, diuinum, seu ab ipso, & ad ipsum. Hoc nos vocamus ius Dei creaturis ab ipso assignatum. Paulus *Rom.* 2. aliquoties vocat δικαίωμα τοῦ Θεοῦ. Hoc δικαίωμα est ius illud Dei impositum ab ipso tum naturæ, tum gratiæ. Illud principiis naturæ hic, hoc superne principiis gratiæ à Deo communicatis asseritur. Ius naturæ est rectitudo, siue κατόρθωμα, *officium rectum*, à Deo, humano generi constitutum: idque duplex. Vnum commune bona ex parte cum rebus cæteris, quæ in hac vniuersitate sunt, nempe ius naturæ, quod docemur, instinctu illius. Alterum singulare humani generis, vtpote quod solum ad imaginem Dei creatum est; quod dicimus ius morale, seu morū. Ex illo iure bona & mala secundum naturam; ex hoc bona & mala secundum mores cēsentur. Illa à principio communi, quod naturæ instinctum aut voluntatem naturalem vocant; hæc à principio singulari, quod mentem, id est, rationis voluntatisq; fontem dicunt, proficiscuntur. Hoc vero ius morū,

Δικαίωμα τοῦ Θεοῦ quid sit?

quo

quo homines oportet ad Deum accedere, & sacræ voluntati eius, quam maxime fieri potest, conformari, sacra Theologia exponit perfectissime; naturalia principia vitiositate nostra in nobis obruta, quasi refodiens, & perfectione donans, gloriamque supernaturalem tanta luce, fide & virtute exponens ante oculos nostros, vt nihil ad hanc sapientiam cæteræ. Atque hoc est illud ius gratiæ, quod nisi superueniat iuri, quod diximus, naturæ, tum communi, tum singulari, sumus Theologi imperfecti.

Forma Theologiæ est diuina veritas.

Forma Theologiæ.

Sine forma omnis materia est ἀκατάληπτος, & quasi infinita. Per formam enim materiæ superadditam rei natura tum in seipsa constituitur, tum vero percipitur ab intellectu nostro. Si Theologia consideretur vt systema, materia ipsius sunt præcepta; forma, dispositio, per quam præcepta non sunt id quod sunt, sed disposita sunt. Nam præcepta illa ratione fundamenti considerata, habent formam longe eminentiorem, quam est illa dispositio. Hæc forma est diuina veritas. Hoc vt clare intelligi possit, paucis oportebit doctrinam de vero tum in communi, tum in particulari circumscribere. Veritatem cum ente conuerti & reciprocari, vel, vt alii loquuntur, æquiparari docent primi Philosophi. Nam omne ens, eo ipso quod est, verum est; & omne verum est ens. Hæc ita necessario inter sese cohærent & commeant, vt nihil plane in rerum natura, aut supra naturã adferri possit, quod non vtraque hac lege communi teneatur. Etsi autem hæ duæ leges in omnibus rebus sunt perpetuæ, & ad omnes adhibendæ perpetuo; tamen diuersa ratione vtrumque dicitur. Nam si quid esse dicimus, id in re contemplamur; sin autem verum esse prædicamus, contemplamur id, quod est in intellectu nostro. Est igitur veritas alia rerum, alia orationis de rebus enunciata. Earum vero rerum quæ sunt, duplex est ratio. Nã aliæ in re sunt, aliæ in intellectu. In re sunt τὰ καθ' ἕκαστα, *singularia & indiuidua*, prout ea sunt, quæ percipiuntur sensu. In intellectu vero sunt formæ, cum earum rerum, quas sigillatim sensu percipimus; cum aliarum omnium, quas alio quocunque modo, vt sunt Angeli, & anima intellectiua. Et rerum harum, quas dicunt intelligibiles, forma longe est dignior atque amplior, quam earum, quæ sunt sensiles. Sunt enim formæ à materia abstractæ & depuratæ digniores materiatis rebus; quarũ generatio & constitutio ex differentibus principiis inter se composita, manifesto clamat, non esse penes eas res proprie & per se veritatem. Et hæc veritas rerum intelligibilium vel humano intellectu reuera comprehendi potest, aut modo vmbratili. Illam dicimus veritatem humanam, hanc diuinam. At diuina veritas non dicitur vno modo. Nam aut infinita est & exprimens, aut finita & expressa. Illa est incommunicabilis, quippe essentialis, vel potius ipsa Dei essentia; hæc cum rebus humanis à Deo communicata est. Veritas infinita, est archetypum immutabile, formaque prima


Doctrina de vero tradita.

ma veritatis: at veritas finita, est velut speculum, expressaque imago illius archetypæ: ita vt sit relatio quædam necessaria inter veritatem sese exprimentem, & veritatem expressam. Veritas sese exprimens est conceptus formaque illa admiranda & immutabilis in Deo, quam adoramus: veritas expressa est imago & quoddam quasi speculum illius æternæ veritatis. Hæc veritas secundum illam, est perfectus riuus de perfecto fonte, perfectusque radius de perfecto sole veritatis, perfecta denique imago expressa in speculo verbi veritatis, & naturæ veræ, quatenus ad Deum ordinatur; quæ imago tantisper micatura est, dum peruenerimus omnes ad principium illud veritatis in cœlis.

Theoremata huc pertinent ista.

1. [*Forma Theologiæ consideratur vel absolute, vel relate.*] Obiectum intellectus nostri, hoc est, veritatem, duobus modis consideramus. Aut enim illam contemplamur in toto aliquo vniuerse aut in parte. Si contemplamur eam in toto aliquo vniuerse, contemplamur eam vel simpliciter & absolute, vel comparationem huius totius cum illo instituimus: veluti si quis Ecclesiam vniuersalem consideret absolute & simpliciter extra collationem, aut eam cum reliquo mundo comparet. Eodem modo forma Theologiæ consideratur. Aut enim veritatem diuinam in hac Theologia nostra totam seorsim in se expendimus; aut cum veritate naturæ nostræ, aut cum aliis rebus. Rursus dum contemplamur obiectum intellectus nostri, hoc est, veritatem, in parte partes vel absolute consideramus, tanquam si vnaquæque pars totius constitueret per se aliquod totum; vel respectiue, & hoc rursus bifariam. Aut enim partem vnam cum alia comparamus, aut partem cum toto vel proprio, vel alieno conferimus: Exempli gratia, si quis Ecclesiam Corinthiorum, aut Philippensium, aut aliam quamlibet particularem consideret absolute, tanquam totum; aut eam comparet cum Ecclesia vniuersali, quæ est totum proprium, vel cum reliquo mundo, quod est totum diuersum. Eodem modo veritas in partibus Theologiæ spectanda est, ne quis aberret à ianua, verbi gratia, pars illa, *beneficium creationis*; considerari potest vel absolute, tanquam totum aliquod, cum tamen sit pars, vel sub ratione partis comparari potest cum prouidentia in natura rerum, tanquam altera parte, vel cum tota veritate rerum diuinarum, quod est totum proprium, vel cum veritate rerum Philosophicarum, quod est totum alienum & peregrinum. Typus hic esto.

* * *



Et hæc quidem veritatis diuinæ consideratio omnino necessaria est, vt omnimoda illius cognitione imbuamur. Exempli gratia, Theologia est totum. Veritas illius cōsideratur vel absolute, vt in se est diuina; vel comparate, quatenus illius eminentia magis conspicitur, si confertur cum veritate rerum Philosophicarum. Locus de Christo mediatore itidem consideratur vel absolute, vt in se est diuinus, vel relate, idque vel ad aliū sacræ Theologiæ locum, vt puta de Spiritu sancto, vel ad totam rerum Theologicarum veritatem, vel ad totam veritatem rerum humanarum.

2. [*Veritas diuina est forma Theologiæ, non solum quia ortum habet à Deo, sed etiam ratione modi, & ordinationis.*] Diuinum dicitur multis modis. Hoc in loco diuinum nobis est, quidquid Dei est, & quidquid à Deo est, atque ad Deum ordinatur, cuius item modus diuinus est, naturam rerum aliarū multis parasangis post se relinquens. Habent Metaphysici sua transcendentia. Res diuinæ modo longe nobiliori possunt appellari transcendētes. Hæ namque in se & partibus suis omnibus, & in qualibet ordinatione sui, transcendunt omnia alia, quæ quidem à Deo oriuntur, sed tamen eo modo non sunt diuina, quo modo veritatem Theologiæ diuinam nuncupamus.

3. [*Veritas Theologica est sancta, iusta & perfecta, nihil profani, iniusti & imperfecti docens; nihilque sancti iusti & perfecti non docens; vt ad sanctimoniam in nobis, iustitiam erga omnes, & perfectionem per omnia quam perfectissime dirigantur.*]

Tres proprietates veritatis diuinæ.

Hoc theoremate continentur essentiales proprietates veritatis diuinæ, numero tres, nimirum quod sit sancta, iusta & perfecta. Nam si rectam alicuius doctrinæ constitutionem recte velimus explorare, omnino tria hæc oportet obseruare, vt bona sit in se, erga alios, & per omnia. Nam si vnum ex his desideretur in doctrina vlla, non potest iure recta pronunciari constitutio illius. Ad hæc igitur effecta respicientes, totidem attributa veritati diuinæ adscripsimus, cum eam sanctam in sese, iustam erga omnes, & perfectam per omnia esse diximus. Etenim quid sanctum iustum & perfectum in rebus humanis aut creatis vllis affirmari posset, obsecro, præ illa veritate, quæ à Deo, & secundum Deum est? Nam siue archetypam veritatem spectes, fons est perennis sanctimoniæ, iustitiæ & perfectionis; siue communicatam illam à Deo veritatem, & humano generi

neri expositam; sanctissimum, iustissimum, & perfectissimum est (vt loquuntur artifices) castellum fontis illius, siue conceptaculum, & caput aquæ salutaris, vnde hauriamus omnes doctrinam sanctimoniæ, iustitiæ & perfectionis certissimam, cui nos religiose conformemus, expectantes præmium fidei nostræ, id est, salutem animarum .1. *Pet*. 1. Cæterum modus horum attributorum à nobis ostenditur ratione substantiæ, & effectus veritatis illius. Substantiam veritatis diuinæ demonstrauimus κατ᾽ ἄρσιν, καὶ θέσιν. Primo namque remouimus illa, quæ his attributis aduersantur, dum diximus, diuina veritate nihil profani, iniusti & imperfecti doceri: deinde contrarium de illa veritate expressimus, quod nihil sancti, iusti & perfecti non doceat, quod quidem est διδακτόν τε καὶ μαθητόν, hoc est, *quod doceri atque disci possit*. Hoc fusius ostendere conabimur. Res humanæ cum sint profanæ, sanctimoniam ab illis expectare nullam possumus; cum sint iniustæ, nullam possunt conferre iustitiam, quam non habeant; cum sint imperfectissimæ, nulla ab iis perfectio proficisci potest. *Quis enim edat mundum ex immũdo? Ne vnus quidem, Iob* 14. Causatum certe singulatum natura propria ex qualitate virtutis, virtus ex effectionibus ipsarum cognoscitur. Nec enim fieri potest, vt causæ à suis effectis superentur, nisi aliæ superiores causæ insuper accesserint, quarum effectus improprie solum causis inferioribus tribuitur. Cum autem omnis doctrina humana ab homine profano, iniusto, & imperfecto sit, sane his attributis, quæ prædicauimus de Theologia diuina, carebit. Sola hæc doctrina, quæ Deum authorem habet sanctissimum, iustissimum, & perfectissimum; sola, inquam, hæc doctrina his elogiis exornatur. Aliæ doctrinæ omnes etsi à Deo sunt, tamen ab instrumentis sunt aliqua profanitatis, iniustitiæ & imperfectionis labe inquinatis. Imo nihil tam sancti, iusti & perfecti docent, quin vitium aliquod ipsis semper ab authore, & modo docendi adhærescat. Obiicis: Etiam Theologia naturalis est imperfecta, est iniusta. Quid? Ipsa Theologia supernaturalis etiam imperficitur, vt ita dicam, & coinquinatur ab hominibus. Respon. Annon audis, nos loqui de forma Theologiæ, seu de ipsa formaliter, extra subiectum, considerata. Quomodo sese habeat in subiectis suis, infra multis explicabitur. Obiicis rursus: Etiam aliæ doctrinæ, quæ dicuntur humanæ, vt scientiæ, prudentiæ & artes, eodem modo considerari possunt, & ita illas debere considerari recta ratio docet; nimirum formaliter, quatenus sunt in idea, & subiectiue, quatenus sunt in hoc vel illo indiuiduo. Respon. Ne hoc quidem nego: sed magnum, imo maximum discrimen esse statuo inter doctrinam diuinam & humanam, etiam formaliter consideratam. Ratio disparitatis est. Doctrina diuina nullo modo appellari potest humana. Licet enim Theologia viatorum dicatur nostra; tamen hoc non fit ratione ortus, modi, vel ordinationis ipsius, sed solum ratione

subiecti, quod sumus nos. At doctrina humana non potest hoc modo appellari diuina. Quamuis enim etiam dependeat à bono summo, quatenus ipsa bona est; tamen modus illius non est diuinus, neq; etiam ordinatio. Iam vero omne id, quod non est modo & ordinatione diuinum, non potest, non debet appellari sanctum, iustum & perfectum. Vno verbo: Etiamsi doctrina humana consideretur formaliter, & extra subiectum, semper tamen est humana, & ita post lapsum (nam ante lapsum his doctrinis nihil fuisset opus) omnino sunt profanæ, iniustæ & imperfectæ: & nonnisi sanctæ, iustæ & perfectæ sunt ab illa diuina veritate & per illam. Hæc diuina veritas à Deo est, qui est ipsissima sanctitas, eamque sic in Deo esse docet, vt illam ab homine & omnibus omnino creaturis abiudicans, in Deo solo & ab eo solo demonstret obtineri. Quæso te, num vlla doctrina humana hoc docet? Iustitiam vero, qua suum cuique redditur, Deo secũdum pietatem; hominibus secundum naturam, & iura communia ac singularia ipsorum, nulla doctrina humana sic docet, quin de iure Dei, officioque in illum deminuatur plurimum, & à recta ratione humani iuris deflectatur; siue quid iustum non præcipiatur, quod præcipi oportuit; siue statuatur iniustum, quod oportuit præcaueri. Quapropter omnis doctrina humana imperfecta est necessario; quippe quæ neque rationem sanctitatis, neque rationem iustitiæ monstrat, quam Deus desiderat, vt nihil dicam de natura. At doctrina diuina est ab authore, & secundum authorem & in authore suo veluti exemplari est, qui ipse est sanctitas, iustitia & perfectio. Ex quo fit, vt nihil mali insit, & nihil non insit omnino boni in ea doctrina, quam veluti speculum sui ipsius æterna illa sanctitas, iustitia, atque perfectio in genere humano indesinenter repræsentat. Atque hæc est substantia illorum attributorum veritatis diuinæ. Qualia putas hanc substantiam effecta consequuntur? Causam bonam bonos edere fructus necessum est, & quidem in eo, cui inest. Cum igitur Theologia nostra sit sancta, iusta & perfecta, vtique in sanctimoniam in nobis, iustitiam erga omnes, & perfectionem per omnia nos diriget; videlicet tanquam face ante oculos nostros à Deo deposita, vt ea prælucente indesinenter in via veritatis ambulemus.

CAP. XIII.

Conuenientia Theologiæ naturalis & supernaturalis, ratione subiecti & adiunctorum communium.

SEquitur *conuenientia Theologia naturalis & supernaturalis ratione subiecti & adiunctorum communium.* Intellige hic subiectum recipiens, non occupans.

Subiectum *Subiectum commune vtriusque Theologia est viator.* Viator est homo electus

ctus contendens ad cœlestem patriam. Hunc nos solum agnoscimus Theologum. Non enim hic agimus de hominibus reprobis, nec Theologiam naturalem tradimus, quæ opposita sit supernaturali, sed subordinata, & quidem in eodem subiecto, quod diximus viatorem. Hoc etiam atque etiam hic notandum fuerit, vt ne Theologiæ naturali, quatenus illa cadere potest in homines non viatores, tribuantur elogia illa, quę cap. proxime antecedente commemorauimus. Nos veritatem Dei, seu diuinam hic proponimus. Sane si quis velit Theologiæ naturam metiri hoc vel illo subiecto, Theologiæ supernaturali tribui non possunt, quæ supra commemorauimus. Nam in multis subiectis non cedit fructus sanctitatis, iustitiæ & perfectionis: quia videlicet ibi non consideratur secundum formam suam & vniuoce, sed æquiuoce, quatenus est φαινομένως ἢ δοξαστῶς Theologia. *Commune Theologia.*

Adiuncta Theologia communia sunt vnitas, æternitas, & immutabilitas. Est enim Theologia naturalis itemque supernaturalis, est, inquam, vna, æterna & immutabilis. Vna quidē; quia vera. Non omne ens est verū, & omne verū est ens; & omne ens est vnum. Quidquid igitur summe ens est, & summe verum, id etiam summe vnū sit oportet. At Theologia secundū Deum est summe ens, & summe vera est. Erit igitur eadem summe vna, secundum Deum. Obiicis: Si vna est, cur diuiditur in naturalem & supernaturalem. Resp. Non est hæc distributio & differentia specifica, quam sic vocant presse sumto vocabulo, sed è differentia graduali, seu, vt planius dicam, est sumta à modo. Vnitas Theologiæ est summa; sed modi illam communicandi sunt duo, qui tamen ipsius essentiam nullo modo multiplicem aut compositiorem (sit venialis locutio) reddunt. Porro Theologia est æterna; quia iusta, sancta & perfecta. Quæ vero talia sunt, eadem quoque fuerint immutabilia necessum est. Cum igitur nostra Theologia nihil sit aliud, quam expressa quædam delineatio illius vnicæ, æternæ & immutabilis perfectionis, quæ est ipse Deus, itemque index veritatis sanctæ, iustæ, & perfectæ; concludamus eandem esse vnam, æternam & immutabilem. *Adiuncta Theologia.*

CAP. XIV.

Differentia Theologia naturalis & supernaturalis.

Expendimus conuenientiam Theologia naturalis & supernaturalis: nunc expendamus differentiam.

Philosophi docent naturas rerum perfecte cognosci, si conuenientias & differentias illarum studiose inuestigemus. Idem nos facere cœpimus in natura Theologiæ viatorum enucleate proponenda. Absoluamus igitur hanc operam cœptam. Hic protestamur, nos minime sequi

Philosophos, qui Theologiam naturalem constituunt partem Philosophiæ, vt nempe sit vel ipsa Metaphysica, vel peculiaris pars philosophiæ. Non sic, non sic accipimus. Theologia naturalis hoc in loco est nobis illa veritas rerum diuinarum, quæ in sacris literis est tradita, quatenus illas homo quidem nouit natura, sed non ita perfecte, vti ea ipsa principia, quæ natura nobis nota sunt, cognoscuntur è sacris literis. Certe multis in locis libri Iob, & in multis Psalmis continentur illa Theologiæ naturalis præcepta. Quis illa argueret imperfectionis? Vno verbo: Nos Theologiam naturalem subordinamus supernaturali, tanquam Lunam Soli, & dicimus illam esse manuductionem ad supernaturalem; qua de re paulo post pluribus dicetur.

Theologia naturalis & supernaturalis differunt causis proximis, & adiunctis propriis.

Causæ proximæ sunt externæ, vel internæ.

Causæ externæ sunt finis & efficiens.

Finis Theologiæ naturalis. *Finis proximus Theologiæ naturalis est.* 1. Reddere hominem inexcusabilem. *Rom.*1.*v.*20. *Ipsius enim inuisibilia iam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta peruidentur; æterna videlicet eius tum potentia, tum diuinitas: ad hoc vt sint ἀναπολόγητοι, inexcusabiles.* 2. Vt sit χειραγωγία, *manuductio*, & præparatio ad Theologiam supernaturalem. Nam lumen naturæ se habet ad lumen gratiæ, sicut Luna ad Solem. 3. Excitare nostrum affectum ad Deum creatorem cognitum amandum & colendum. Nam qui intuetur cœlum, eiusque magnitudinem, motum & pulchritudinem attente considerat, ille assurgit ad contemplationem opificis; quem inde & esse, & diuinum atque potentem esse, concludit. Hinc porro sic ratiocinatur: Si effector huius rei tam excellens est, quin amas ipsum. Hanc eandem conclusionem etiam elicit homo, si cognoscat rem conditam multis modis esse vtilem. Cur non ames, concludit, eum, qui te amat? Hominem te amantem redamas. Ergo tuum erit multo magis redamare Deum, qui te vsque adeo dilexit. At *finis proximus Theologiæ supernaturalis est.* 1. Reddere hominem perfectum ad salutem. 2. *Tim.*3.*ver.*14.15.16.17. *At tu maneto in iis, quæ didicisti, quæque tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris: Teque à puero sacras literas nouisse, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem per fidem, quæ est in Iesu Christo. Tota Scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia: Vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus.*

Supernaturalis.

Hæc enim Theologia tradit ea, quæ non possumus scire per humanam inuestigationem, sed tantum per reuelationem, quæ facta est à Deo in Scriptura sancta. 2. Perficere Theologiam naturalem. 3. Excitare nostrum affectum ad amandum Deum redemtorem & sanctificatorem.

Causa efficiens proxima Theologiæ naturalis est natura & lumen naturale nostri in-

stri intellectus: Theologia supernaturalis, est gratia & lumen supernaturale. Gratiose visum est Deo, in ipso creationis tempore, nonnullas de creaturis suis donare naturali aliqua Theologia, eiusque principia in eorum intellectu conserere: ita vt etiam gratiæ sit donum hæc Theologia naturalis; vnde quibusdam dicitur gratia naturalis. Verum gratiæ vocabulum hic accipitur angustiori quidem, sed tamen augustiori significatu, sicut vulgo in Scholis Theologorum lumen naturæ distinguitur contra lumen gratiæ. Et hoc sensu illud lumen constituimus principium Theologiæ naturalis: istud, supernaturalis. Patres nonnulli hanc gratiam specialiter sic dictam vocarunt gratiam supernaturalem, satis apposite.

Gratia naturalis quid sit?

Causa interna hoc loco sunt materia & forma proxima.

Materia proxima Theologiæ naturalis sunt præcepta, puta principia & conclusiones, de rebus diuinis naturaliter nota, seu natura hominibus insita: vt Deum esse colendum: *sed Theologiæ supernaturalis materia proxima sunt præcepta rerum diuinarum natura ignota & gratiose reuelata:* qualia sunt, Deus est vnus & trinus, Pater generat Filium, &c. Scholastici principia Theologica communiter, & vsitate, & eleganter vocant veritates diuinas & Theologicas, & dicunt veritates Theologicas supernaturales haberi supernaturaliter per inspirationem seu reuelationem à Deo in Scripturis.

Veritates Theologicæ quæ dicantur?

Forma proxima Theologiæ naturalis est veritas diuina modo perfecto quidem à Deo communicata, sed non ita perfecto, vt supernaturalem communicauit; cuius forma est veritas rerum diuinarum in summo perfectionis gradu, quem Deus & suæ gloriæ manifestandæ, & viatoris natura vidit conuenire.

Breuiter: veritas naturalis seu naturæ est forma illius, vt huius, veritas gratiose superaddita naturali. De gratiosa illa veritate accipi debet illud Seruatoris Ioh. 17. v. 17. *Sanctifica eos tua veritate: sermo ille tuus est veritas.*

Adiuncta propria Theologiæ naturalis sunt, clariorem & perfectiorem esse omni humana scientia, sed obscuriorem & imperfectiorem Theologia supernaturali, cuius proprium est perspicuam esse & perfectam. Hæc omnia deinceps plenius persequemur.

CAP. XV.

Theologia naturalis absolute considerata.

ADhuc considerauimus Theologiam viatorum communiter: iam considerabimus singulariter.

Hactenus instituimus collationem Theologiæ naturalis & supernaturalis, ratione conuenientiæ & differentiæ: deinceps dicturi sumus de vtraque seorsim, quatenus vtraque spectatur absolute, extra subiectum.

Theologia naturalis absolute considerata, est tota sapientia rerum diuinarum, quatenus

tenus illa communicari potest cum viatore, vt ad supernaturalem gratiam accipiendam sit aptus.

Theologia naturalis considerari debet quatuor modis.

Theologia naturalis considerari debet quatuor modis. 1. Absolute, quatenus est tota sapientia rerum diuinarum, communicabilis quidem cum viatore, sed non facto communicata. 2. Relate, idque in natura integra. 3. In natura corrupta, sed vniuersaliter, ratione omnium hæredum Adami. 4. In natura corrupta, sed particulariter, quatenus huic vel illi subiecto inest. Et ita est vel nuda, vel vestita: vt infra explicabitur. Quæ hactenus disputata sunt de Theologia absolute considerata, & pertinent ad Theologiam naturalem & supernaturalem simul, ad illam secundum sub, vt loquimur in Scholis, ad istam secundum supra, hoc est, Theologiæ supernaturali competunt in gradu excellenti seu intenso, Theologiæ naturali in gradu remisso. Hoc loco nobis finita fuit Theologia naturalis absolute considerata; quam definitionem certis theorematis explicabimus.

Theologia naturalis num sit sapientia?

1. [*Sapientia est genus Theologiæ analogicum.*] Supra euicimus, sapientiam esse genus Theologiæ. Sed cum genus sit perfectum, vel imperfectum; quorum illud dicitur vniuocum, hoc diuiditur in analogicum & æquiuocum; quæritur, quale nam genus sit sapientia, si consideretur Theologia naturalis in collatione cum supernaturali? Resp. Est genus analogicum. Sunt qui Theologiæ naturalis genus faciunt scientiam, sunt qui conscientiam, & asserunt sapientiam minime omnium esse posse illius genus. Alij ὁμωνύμως, *æquiuoce*, sapientiam appellari posse contendunt. Prior sententia consistere non potest. Etenim Theologia naturalis est habitus mixtus, siue consideretur absolute, siue relate; & quidem est habitus mixtus constans rerum diuinarum intelligentia, scientia & prudentia. At hæc est formalis ratio sapientiæ diuinæ, quæ hoc singulare habet præ sapientia humana, quod hæc solum constet ex intelligentia & sapientia, duobus habitibus theoreticis; illa insuper duobus habitibus theoreticis adiiciat tertium, eumque practicum, qui est prudentia. Posterior sententia defendi potest, si hoc modo explicetur. Genus æquiuocum est vel pure & simpliciter æquiuocum, vel secundum quid. Illud nos diximus æquiuocum, hoc analogicum. Si igitur illius sententiæ authores hoc modo accipiant genus æquiuocum, conuenit illis cum hac non dico nostra, sed omnium recte sentientium assertione, sapientiam esse genus πρὸς ἕν. Id porro sic demonstratur. Theologia naturalis non solum docet cognitionem Dei, sed etiam cultum Dei, licet non ita perfecte, vt Theologia supernaturalis. Etenim si æque perfecte doceret vtrumque, iam esset supernaturalis Theologia, nec ab illa differret vllo modo. Vtrumque illud monstrat, non solum ex principiis, sed etiam ex conclusionibus, quæ deducuntur ex illis principiis. Sic igitur patet Theologiam naturalē esse & intelligen-

telligentiam, & scientiam, & prudentiam; quos tres habitus concurrere oportet ad constituendam sapientiam diuinam.

2. [*Causa efficiens Theologiæ naturalis est lumen naturale intellectus humani.*] Natura quidem dicitur principium huius Theologiæ; sed hoc est commune. Definitur siquidem natura in genere, principium & causa motus & quietis eius, in quo est, primo ac per se. Natura igitur est principium commune, à quo naturalis hæc Theologia impressa est. Sed quoniam principium illud commune restringitur ab eo subiecto, in quo est, à quo etiam denominatur, vt natura humana, natura arboris, &c. Propterea intellectus humanus, velut subiectum proprium huius Theologiæ substernitur, cuius luce naturali tum principia cernuntur, tum processiones è principiis consequuntur iusto naturæ ordine.

3. [*Materia Theologiæ naturalis, sunt principia & conclusiones, quatenus illa communicari potuerunt cum genere humano.*] Principia hic appellamus, quæ per se nota sunt naturæ luce, quæ immediate seu primo nota sunt, & quæ immota seu immutabilia sunt, vt ex iis tandem certa scientia consequatur.

Ex his principiis certos processus, tanquam ex fontibus riuos, deducit ratiocinatio; principia naturæ comparat cum rerum veritate, aut ea inter sese disparat, causas cum effectis iungit, atque ex iis concludit; res communes & singulares determinat; deniq; sic omnia ordinat, vt scientiam adipiscatur earum rerum omnium, quas ratio humana inuestigare & consequi potest.

4. [*Forma Theologiæ naturalis, est processus ex principiis secundum se notis, pro rationis humanæ modo.*] Cum enim perangustus sit rationis humanæ modus, si spectentur res diuinæ, forma totius cognitionis huius pendebit à modo rationis humanæ. Etiam in Adamo, natura adhuc integra, hæc fuit forma Theologiæ naturalis. Nec enim lumen naturale in Adamo ad supernaturalia se extendisset, si perstitisset in integritate sua, vt infra probabimus. Vniuerse igitur de Theologia naturali hoc asserendum fuerit, quod forma ipsius sit circumscribenda his verbis, *pro rationis humanæ modo.*

5. [*Finis Theologiæ naturalis absolute dicta est, præparationem esse viatoris, ad supernaturalem gratiam suscipiendam.*] Decreuit Deus, sapientissimus naturæ conditor, suam gloriam homini manifestare. Huic fini obtinendo ordinauit media modo admirabili sane, prout ipsius sapientia exigebat. Condidit igitur hominem ad suam imaginem: Hæc imago est omnimoda hominis perfectio, ratione animæ, corporis & totius compositi, maxime tamen ratione animæ. Secundum hanc imaginem homo in hac vita constituendus debebat respicere ad Deum, tanquam ad exemplar suum, proprio & interno motu, cuius motus principium singulare in natura

ipsius, & commune in natura omnium ingenerauerat. Ad hoc vero principium internum in natura hominis constitutum (quod gratiam naturalem appellamus) alterum Theologiæ communicandæ modum Deus volebat accedere, quem Patres appellant gratiam supernaturalem, si quidem homo colendus præstaret in integritate naturæ. Quamprimum autem homo se auertit à gratia illa supernaturali, principium naturæ corruptum fuit atque miserrimum. Hinc efficitur, Theologiam naturalem absolute consideratam non fuisse perfectam summo perfectionis gradu, sed sua natura ordinatam fuisse ad Theologiam supernaturalem, in qua ordinatione seu relatione consistit ipsius perfectio, non aliter atque hominis perfectio consistit in ordinatione ipsius ad Deum, à quo si vel tantillum recedat, ædificat ad ruinam. Errant igitur omnes illi, qui existimant, Theologiam naturalem in se & absolute consideratam nihil perfectionis habere, vel contra illam omnibus numeris absolutam esse.

CAP. XVI.

Theologia supernaturalis absolute considerata.

THeologia supernaturalis absolute considerata, est tota sapientia rerum diuinarum, secundũ veritatem diuinam à Deo inspirata, & per enunciatiuũ sermonem in Christo commissa seruis eius, atque in Testamento Vetere & Nouo per Prophetas, Apostolos & Euangelistas consignata, quantum eius viatoribus expedit reuelari, ad gloriam ipsius & electorum bonum. Alio nomine dicitur *Theologia arcana.* Quoniam naturalis Theologia non poterat hominem perducere ad finem supernaturalem, nisi perficeretur, vel potius plus quam perficeretur; superuenire oportuit illam Theologiam, quam supernaturalem & inspiratam appellamus. Illa debet etiam considerari absolute, vel relate. Etenim quæcunque scientia aut sapientia in quæstionem venit, ea consideratur, aut prout est natura & genere suo, simpliciter & absolute; aut prout non est natura & genere, sed quodam modo concreto, & composite. Id quod est natura & in genere, abstractum appellatur; quod secus, concretum: vt iustitia est abstractum, iustum est concretum. Illius natura simpliciter & absolute spectatur, hic relate; quia in iusto iustitia cum subiecto hæret. Id quod abstractum est, longe præstantius est concreto. Nam quæcunque in natura & genere sunt, sunt absoluta & pura; nec quicquam habent commixtum & concretum, dispar sui & dissimile. Iustitia enim est semper vna & eadem, in nullis personis, locis, & temporibus mutabilis. At iustus mutabiliter habet naturam, mutationemque ipso facto suscipit, cuius est iustitia expers. In hunc modum de Theologia supernaturali etiam dicendum est, ne forma Theologiæ supernaturalis secundum naturam & genus ipsius, prout est integerrima & incorruptissima, admixtio-

Discrimen permagnũ inter concreta & abstracta.

mixtione vllius rei concretæ deformetur adultereturque, aut fiat, vt ita dicamus, ὑπόχαλκος. Nam si id quod subiecti est, aut secundum subiectum illius, cum sanctissima & intemerata illa matre & indice salutis nostræ confuderis; neutrum profecto horum assecututus es, nec dignitatem Theologiæ, nec veritatem subiecti, quod hæc Theologia generat, & qui cum à Deo communicata est. *Franciscus Iunius de Theolog. c.* 11. Hæc distinctio eo magis hic notanda nobis est, quo Theologia supernaturalis est excellentior naturali. Theologia supernaturalis absoluta, est veluti forma simplex & purissima, & conceptus quidam purus à Deo oblatus; sed Theologia supernaturalis relate & secundum quid considerata, est velut forma materiæ superaddita, & pro conditione materiæ suæ determinata angustius, finitaque facta, & conceptus ab homine apprehensus, sed impuratus conditione illius, & imperfectus redditus. Constat autem quo angustior & indignior est materia, eo angustiorem effici formam, quæ illi accesserit. Itaque plurimum interest, tum veritatis diuinæ, tum institutionis nostræ, Theologiā supernaturalē absolutam & simpliciter dictam distingui à Theologia secundū quid seu relate cōsiderata. Cæterū instituamus analysin definitionis allatæ; quæ cum causalis sit, oportet causas ex ordine videre, finem videl. efficientem, materiam & formam.

Finis Theologiæ supernaturalis est perficere Theologiam naturalem, vt & illa faciat ad consequendum summum bonum. Finem communem supra persecuti sumus prolixe. Hic duntaxat finem proprium breuiter attingimus, qui est, perficere Theologiam naturalem, vt ita his duobus mediis homo contendat ad felicitatem supernaturalem, hoc ordine. Primo contemplatur homo Christianus opificium mundi. Sed hæc contemplatio non est salutaris ex sese. At si loco secundo accedat Theologia supernaturalis, illa contemplationem istam plusquam perficit, vt ita dicamus, & ordinat ad finem supernaturalem, quem supra descripsimus copiose. Manet igitur, quod supra diximus, vtramq; Theologiam, naturalem iuxta & supernaturalem esse medium perducens ad summam felicitatem, sed ita, vt naturalis ad supernaturalem ordinetur, & ab ea suscipiat sui perfectionem.

Causa efficiens Theologiæ supernaturalis est cum principalis, tum instrumentalis.

Causa efficiens principalis est Deus Pater in Filio per Spiritum suum: h. e. vnus, verus, æternusq; Deus, seu in vnitate essentiæ tres personæ communiter operantes in hac communicatione gratiæ. Quis enim reuelet ea, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei? Et in quo, aut à quo Spiritus idem reuelaturus est, nisi in Filio mediatore nostro, & à Patre, qui Filium dedit Prophetam & magistrum vnicum Ecclesiæ suæ? Huius autem communicationis modus diuinus, est inspiratio, qua Deus doctrinam diuinissimam communicat cum omnibus electis suis, pro demenso donationis suæ. 1. *Cor.* 12.

 ver. 3. 4.

ver. 3. 4. 5. 6. Quapropter notum vobis facio, nullum per Spiritum Dei loquentem, dicere Iesum anathema, & neminem posse dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum sanctum. Distinctiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus. Et distinctiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus: Et distinctiones operationum sunt, sed idem est Deus efficiens omnia in omnibus. Et *ver. 11. Sed hæc omnia efficit vnus ille & idem Spiritus, distribuens priuatim illa singulis, sicut vult.* Hoc iam ante dixerat etiam Christus *Matth. 11. v. 27. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo; & nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quisquam nouit nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius retegere.*

Causa instrumentalis est verbum Dei, seu sermo ipsius.

Verbum Dei appellatur causa efficiens instrumentalis, quatenus ad Deum refertur, & accidentaliter consideratur, tanquam viua voce, vel scripto, vel interiori afflatu comprehensum. Alioqui Theologiæ supernaturalis causa efficiens proxima & immediata est verbum Dei secundum οὐσίαν consideratum, quod inde principium SS. Theologiæ appellatur.

Verbum Dei est vel internum, vel externum.

Verbum Dei est internum, vel externum.

Hæc distributio fundata est in illis Scripturæ dictis. *Esa. 59. v. 21. De me autem: hoc erit fœdus meum cum istis, ait Iehoua, Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, ait Iehoua, ex hoc tempore, vsque in seculum. Act. 5. v. 32. Et nos sumus ei testes horum, quæ dicimus: atque etiam Spiritus ille sanctus, quem dedit Deus iis, qui dicto sunt audientes ipsi. Rom. 8. v. 16. Et ipse spiritus testatur vna cum Spiritu nostro, nos esse filios Dei. 1. Corinth. 2. v. 10. 11. 12. 13. Nobis autem Deus ea retexit per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Quis enim hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo? Ita etiam ea, quæ sunt Dei, nemo nouit nisi spiritus Dei. Nos vero non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo: vt sciamus quæ Deus est nobis gratificatus. Quæ etiam loquimur, non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus, spiritualia cum iis quæ sunt spiritualia coniungentes.*

Theoremata hic notentur ista.

» 1. [*Verbum Dei re & substantia vnicum est & simplex sed reuelationis modo du-*
» *plex est, internum & externum.*] Ratio; quia vnum idemque Dei verbum est, siue intus feriat cor, siue exterius feriat sensus. Nam & causa illius efficiens est vna, Deus, sibi semper similis, & effectũ illius vnum est, Theologia, & veritas ipsius hoc postulat. Si enim verbum Dei verum est, etiam vnum est; quia verum & vnum reciprocantur, vt supra diximus. Non igitur differt re, sed ratione & modo verbum Dei internum ab externo.

» 2. [*Vtrumque Dei verbum est instrumentale.*] Solent quidam verbum Dei internum vocare principale, & verbum externum instrumentale, & vtuntur hoc simil. Sicut in tenebris foris opus est lucerna, intus oculorum

luce (nam nec in tenebris sine lucerna videmus, quamuis oculis valentissimi, nec in media luce vident, qui oculis capti sunt) ita in cognitione rerum diuinarum semper coniungere debemus Scripturæ facem foris, & Spiritus sancti illustrationem intus, sic vt Deus & per verbum internum nos doceat principaliter, & per verbum externum instrumentaliter. Sic illi. Sed sententiæ istæ hoc in loco non sunt aduersæ, sed diuersæ. Quare conabimur illas conciliare. Instrumentum est vel coniunctum, vel seiunctum. Nam aliud coniunctum est causę principali, aliud separatum ab ea: quemadmodum in agendo manus coniunctum est instrumentum, baculus separatum: in loquendo quinque organa pronunciationis, lingua, palatum, guttur, dentes, labia, sunt coniuncta causæ principali, aer, quem verberamus, separatim est instrumentum. Vtrumque modum in verbo suo interno vsurpat Deus analogice; siue sermone suo, tanquam instrumento analogo vtatur solum, siue sermone Angelorum, siue nostrum ipsorum occupare intus voluerit. Stat igitur illud theorema immotum, instrumentalem Theologiæ supernaturalis causam esse sermonem Dei, quemadmodum instrumentalis causa sapientiæ in rebus humanis est hominis sermo docentis & instruentis alterum. Est autem sermo hominis multiplex: vnus innatus, quem Patres Græci vocarunt λόγον ἔμφυτον καὶ φυσικόν; atq; hic sermo est intellectus nostri apud se & per se. Alter inditus, quem illi dixerunt ἐνδιάθετον, quem sermonem concipit ratio ex rerum foris perceptarum compositione, diuisione, ratiocinatione, & conclusionibus inde existentibus. Tertius denique enunciatiuus, qui vulgo προφορικός, quo homo conceptum mentis suæ, siue ingenitum in intellectu, siue ratione perceptum foris, cum aliis communicat. Horum sermonum primus naturalis est, ideoque semper est actu in subiecto suo: secundus ab alio efficitur in subiecto: tertius in alio efficit. Cum itaque hic de eo sermone sit quæstio, qui causa instrumentalis est analogice; profecto nec sermonem illum ἔμφυτον hoc loco intelligi oportuit, (nam sermo ἔμφυτος est immanens, & non transiens ad alium) neque sermonē ἐνδιάθετον, cum hic passiuus sit, non actiuus, ideoq; Deo ex veritate attribui nō possit. Restat igitur, vt sermonem illum Dei, quem hoc loco nominamus instrumētalem sacrosanctæ Theologiæ causam, definiamus esse προφορικόν, *enunciatiuum*. Merito id quidem. Etenim si nemo nouit quę sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso, & cuicunq; homo sermone suo enunciatiuo, aut signo aliquo ipsius voluerit exponere, quanto magis sermone Dei opus habuimus, vt res diuinas, cœlestes, & supernaturales, quas homo, terra, & natura tota vniuersitatis capere non potest, aliquo pacto caperemus? Hic igitur sermo Dei προφορικός à Deo ipso fluit, & per fluxionem quandam siue processionem ab illo (vt ita dicamus) producit effectum suum in iis, ad quos dirigitur. Dirigitur autem ad hominem duobus

Instrumentum est coniunctum, vel seiunctum.

Sermo hominis est triplex.

modis, vel interne, vel externe. Illum sermonem diximus internum, hūc externum, non ratione effectionis, sed ratione receptionis. Et hoc sensu quidam illum vocant ἐνδιάθετον, quia recipitur intrinsece, hunc προφορικόν, quia recipitur extrinsece. Sed hæc est κατάχρησις vocabulorum, vt è modo dictis colligere est.

Verbum Dei internum est, quo Deus hominibus intus Theologiam communicat, oculis mentis illorum illustratis, & luce spirituali cognitionis saluifica accensa. Dicitur etiam *sermo enunciatiuus spiritualis*: item, *afflatus internus. Heb. 8. v. 11. Neque docebunt singuli proximum suum, & singuli fratrem suum dicentes, cognosce Dominum. Nam omnes cognoscent me, ab eo qui pusillus fuerit inter eos, ad eum vsque qui magnus fuerit inter eos.* Itaque intellectui humano per Verbum Dei internum imprimitur notitia rerum vel credendarum, vel faciendarum, adeoque etiam fugiendarum. Et hoc dicitur *intellectualis reuelatio*; quia non ducit originem à sensu interno, vel externo, sed oritur immediate per lumē infusum intellectui, & per species intellectuales, vel de nouo intellectui inditas, vel præexistentes, sed diuina virtute ad naturalem aliquam mentis conceptionem formandam applicatas.

Ὀπτασία & ὅραμα differunt.

Verbum Dei internum obiiciebatur vel in vigiliis, vel in somno. Illud dicitur ὀπτασία, istud ὅραμα. Sic *Luc. 1. v. 22. & cap. 24. v. 23. Act. 26. v. 19.* ὀπτασία, *apparitio*, dicitur, *quæ accidit vigilantibus*: ὅραμα, *apparitio, quæ accidit dormientibus. Act. 10. v. 17. & 19. cap. 11. v. 5. c. 16. v. 19.* quanquam & reperitur ὅραμα pro ὀπτασία. *Matth. 17. v. 9. Act. 10. v. 3. Henricus Stephanus in thesauro ling. Græcæ* ad vocem ὅραμα sic annotat. *Interpretor nomine visus, masculino genere potius, quam neutro visum, quod hoc de eo sæpius dicatur, quod apparet dormienti: at visus pro eo, quod quis etiam vigilans videt, frequens sit, & quidem apud poetas præsertim, è quibus quidam dixit, turbari subito visu, quod ex illo Xenoph. loco interpretari possit,* τὸ ὄπλεσθ᾽ ἐξαπιναίῳ ὁράματι. *Alioqui tamen & neutrum nomen, visum, hanc significationem alicubi habere non nego.*

Verbum Dei internum quod obiiciebatur in vigiliis, erat vel per ἐνθουσιασμόν, *vel per* ἔκστασιν.

Sacer enthusiasmus quis?

Per ἐνθουσιασμόν, *cum Deus instinctu singulari homines ita afflabat, vt intellectus eorum sine operatione phantasiæ voluntatem ipsius cognoscerent.*

Vocatur etiam reuelatio *extra ecstasin*. Huius exemplū est, *1. Sam. 16. v. 8. Edixit vero Iehoua Samueli: Ne respicito ad speciem eius, aut ad altitudinem staturæ eius: nam respui eum.* Et *2. Sam. 23. v. 2.* Dauid in verbis suis postremis dicit: *Spiritus Iehouæ locutus est in me, & sermo eius per linguam meam.* Confer *2. Regum 3. v. 15. Matth. 22. v. 43. Act. 1. v. 16. Act. 4. v. 25. Act. 10. v. 19.*

Verbum Dei, quod obiiciebatur per ἔκστασιν, *erat, quo Deus homines quasi extra se rapiebat, & externis sensibus sopitis eorum mentes tingebat rerum sciendarum imaginibus, quas illi, quasi extra se rapti, animo intuebantur.*

Ex-

ἔκστασις dicitur, cum aliquid ἐξίσταται *statu suo dimouetur*: quocunq; modo id fiat, siue naturaliter, siue diabolice, siue supernaturaliter. Hinc ecstasis triplex esse dicitur. 1. *Naturalis*; cum copia & vehementia atræ bilis crasin cerebri & spirituum immutat, & fit velut animæ secessus in sese, ac applicatio actior in cogitatione. Et hæc est species melancholiæ 2. *Diabolica*; cum Diabolus effectionibus melancholicis abutitur. Hic non exit anima è corporibus ecstaticorum, & circumuolitat hinc inde, mundi angulos perreptans diuino ductu, vt censuit antiquitas, sed Diabolus texit seriem illarum cogitationum. 3 *Diuina*; quæ à Deo fit, vbi, quæ vult Deus, aut plane perspicueque menti imprimit, aut si figuris ea adumbrat, per interpretationis dona explanat. Hic est diuinus raptus, cum quis quasi relicto corpore ἐν πνεύματι γίνεται, *est totus in Spiritu*. Hæc est ἀναγωγή, *deductio*, à terrenis ad cœlestia. Hic duo quęrũtur. 1. Quo κριτηρίῳ ecstasis diuina discerni possit à Diabolica? 2 An anima extra corpus reuera rapiatur? Resp. ad 1. Ecstasis diuina est clara, certa, vera. *Clara*; quia vel clare perspicueque menti illucescunt ea, quæ cognoscenda sunt, vel si figuris adumbrantur, ab ipso Spiritu sancto explicantur, qui confert bona interpretationis. *Certa*; quia iis, quibus huiusmodi visiones exhibentur, semper euidentia adiunguntur cœlitus testimonia, quæ certo confirmant, non ex ipsis nasci, aut à natura commoueri eas, sed iniici ac proponi diuinitus. *Vera*; quia congruunt perpetuo traditis antea, ac diuina authoritate constitutis regulis ac metis de veri Dei cognitione, & cogniti cultu. Vide *Peucerum*, virum vere magnum, *in comment. de diuinat. generib. sub titulo* θεομαντεία. Ecstasis autem Diabolica se habet modo contrario. Nam ea, quæ obiiciuntur, aut inexplicabilibus nodis sunt irretita, aut ob lubricam flexibilitatem, in omnes torqueri sensus possunt, aut falsum statuunt, vtcunque se veritatis specie ostentent, perpetuoque à cœlesti doctrina recedunt. Hæc κριτήρια sedulo tenenda sunt, vt fanaticos à vere ecstaticis discernere possimus, itemque enthusiastas ab iis, qui sacro illo, de quo paulo ante diximus, enthusiasmo corripiuntur. Resp. ad 2. Paulus 2. *Corin*. 12. *v*. 2. 3. 4. 5. Sic ait: *Noui hominem in Christo ante annos quatuordecim (an in corpore, nescio; an extra corpus, nescio: Deus nouit) raptum in tertium vsque cœlum. Et noui huiusmodi hominem (an in corpore, an extra corpus, nescio: Deus nouit) raptum fuisse in paradisum, & audisse ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui. Super huiusmodi homine gloriabor: de meipso vero non gloriabor, nisi ex infirmitatibus meis*. Ecce Paulus pro me respondet ad illam quæstionem loco secundo propositam. Cæterum ecstatici fuerunt, *Moses* quadraginta diebus in monte Sinai, vt *Philoni placet. lib. de somniis*. & *Adam*, secundum *Tertullianum. lib. de anima*. cum *Gen*. 2. *v*. 21. dicatur, Deum fecisse cadere somnum super Adam: item *Abraham*, vt quidam volunt, *Gen*. 15. *v*. 12. Huc ẽt nonnulli referunt *Iob*. 4. *v*. 12. & 33. *v*. 14.

Ecstasis sacra quid sit?

Maxi-

Maxime vero illustres visiones sunt in Apocalpsi; quibus nihilo est inferior illa *Esa. 6.* capite, per totum: qui vidit Deum & Seraphim alta voce ingeminantes τερσάγιον illud *Sanctus, Sanctus, Sanctus Iehoua exercituum, &c.* Vide *Ezech. c.1. toto. item 8.9.10. ca.* item *Ier. 24.* Consule *Pet. Gregor. Tholozan. in prolegom. artis mirabil. c. 12.*

Verbum Dei in somno, seu dormientibus obiectum erat, quo Deus hominibus dormientibus se reuelabat, res illas animis illorum imprimendo, quas illos scire volebat.

Somnia diuina. Dicitur alias *somnium* θεόπεμπλον: qua de re videris *Peucerum d.l. de diuinat. gen. trib. ti. de somniis.* Vocatur etiam *visio noctis. Dan. 2. v. 19.* ὅραμα *locis* paulo ante citatis. χρηματισμὸς *Matth. 2. v. 12.* ἐνύπνιον. *Actor. 2. v. 7.*

Somnium diuinum, erat vel theorematicum, vel allegoricum.

Somnium theorematicum erat, quod explicate, diserte & vere monebat de euentibus futuris aliisque rebus, quas prasciri Deus voluit ab hominibus, vt auerterentur, vel cauerentur pericula publice, vel priuatim nocitura. Exempla vide *Genes. 20. vers. 3. cap. 31. vers. 24. cap. 46. v. 2. 2. Sam. 7. v. 4. 1. Reg. 3. v. 5. Matth. 1. v. 20. 21. c. 2. v. 12. 13. 19. 20.*

Allegoricum somnium erat, quod ambagibus erat implicatum & figurate res futuras docebat: vt Gen. 37. v. 7. 9. c. 40. v. 9. c. 41. v. 17. Iud. 7. v. 13. Dan. 2. v. 31. Et huiusmodi somnia interpretari, peculiare erat χάρισμα Spiritus S. quale tributum esse legimus Iosepho Patriarchæ, *Gen. 40. v. 12. 18. c. 17. v. 26.* & Danieli, *Dan. 2. v. 36.*

Vtrumque somnium spectabat vel ad somniatorem, Gen. 28. v. 13. c. 40. v. 9. 10. 11. 16. 17. vel ad alios. Matth. 2. v. 13. vel ad somniatorem & alios simul. Gen. 37. v. 10. vel ad publicum Ecclesia & Reip. statum. 1. Reg. 9. v. 3. Gen. 41. v. 17. 18. 19. Dan. 7. & 8.

Externum verbum Dei est, quo Deus homines foris alloquitur, illius pradicatione dicitur alias *sermo corporalis.*

Hoc consideratur vel vt prolatum viua voce, vel vt scriptum.

Hic sunt theoremata.

" 1. [*Verbum Dei externum est testificatio Spiritus S. externa, idem prorsus de rebus diuinis docens, quod verbum internum.*] Ratio huius est; quia eadem veritas nobis patefit per vtrumque hoc instrumentum.

" 2. [*Externum verbum ab interno non est separandum, sed coniunctum cum eo esse necessum est, vt efficax & salutare sit.*] Distinguendum tamen est verbum externum ab interno, vt intelligamus, quatenus opus Dei in nobis procedat, ne hominibus, qui ministri tantum Dei sunt, tribuamus id quod Dei est proprium. Cæterum hoc verbum Dei externum est multiplex modo patefactionis seu communicationis, vt è sequentibus patebit.

Verbum Dei externum prolatum viua voce, est vel immediatum, vel mediatum.

Immediatum erat, quo Deus se reuelabat, homines in persona propria alloquens, obiiciendo visui aliquod notabile signum, vel auditui vocem articulatam. Exempla vide

vide *Gen.2.v.17.c.3.v.9.14 13. & seq. c.6.v.13. & seq. ad finem capitis. Gen. 9.v. 1.9.10.11 12.c.12.v.33 c.17.v.12. Exod.3.v.4.7.8.9.10.* Totus deniq; Pentateuchus plenus est eiusmodi reuelationibus. Huc etiam pertinent quædam locutiones Dei extraordinariæ. *Ios.6.v.1.2.3.1.Sam.3.v.4.Matth.3.v. 17.Matth.17.v.5.Ioh.12.v.28.* Adhibuit autem Deus signa vel consueta, quæ in natura erant nota, vt ignem, columnam nubis, &c. Vide, *Gen.18.v. 2.c.32.v.24. Exod.3.v.2. Exod.13.v.21.c.19.v.16.18.c.24.v.10.c.40.v.34. Deut 5.v.30.Matth.3.v.16.* vel insueta, quæ supra naturæ ordinem adhibebantur: quale fuit Vrim & Thummim. *Exod.28.v.20.*

Verbum Dei externum immediatum.

Verbum Dei externum mediatum erat, quo Deus se reuelabat per creaturas intelligentes.

Reuelabat autem se per Angelos, & homines peculiariter delectos.

Angeli apparuerunt plerumque in specie virorum seu iuuenum formosorum, tum vigilantibus, tum dormientibus.

Apparitiones Angelorum.

Vigilantibus; vel ruri, vel domi, vel in templo, vel in horto, vel in fornace accensa, vel in sepulchro, vel in loco deserto. *Gen.22.v.1.c.32.v.1.Exod. 3.v.2 Iud.13.v 3.& 9.Luc.2.v.8.9. Act.1.v.20.Gen.18 v.2.c.19.v.2. Iud.6.v.12. 2 Reg.1.v.3.Luc.1.v.28. Act.10.v.3.Luc.1.v.11.Luc.22.v.43. Daniel.3.vers.28. Matth.28.v.5. Gen.21.v.17.*

Dormiētibus vel ruri, vel domi, vel in carcere, vel in ἐκστάσιν raptis. *1.Reg.19. v.5.7.Gen.31.v.11.Zach 1.v.9 Matth.1.v.20. Matth.2.v.13.& 20. Act.12.v.7. Apoc.1 v.1.c.19.v.17.& 20.v.1.& 21.v.9.*

Homines peculiariter delecti erant in V.T. Patriarchæ, ante legem latam, & post legem Prophetæ diuinitus excitati, & extraordinarie missi: in N.T. erant Apostoli, cū primis autem ipse Dei Filius. Atque hi sunt modi reuelationis diuinæ; de quibus breuiter ait Apostolus. *Heb.1.v.1. Multis vicibus, multisque modis olim Deus locutus Patribus in Prophetiis vltimis diebus hisce nobis est locutus in Filio.*

Consideremus nunc verbum Dei externum vti est scriptum.

Postquam Deus nō amplius immediate Prophetas & Apostolos in Ecclesiam mittit, alloquitur eam extrinsecus per verbum scriptum interno verbo coniunctum. De hoc sunt theoremata.

1. [*Vtrumque Dei verbum, tam internum, quam externum in sacris literis vocatur Scriptura; internum quidem Scriptura cordis; externū vero Scriptura, κατ' ἐξοχὴν, & Theologis Scriptura vtriusque Testamenti. Et posteriori modo hic accipimus vocabulum Scripturæ.*] Scriptura illa cordis seu interna est, quam Spiritus sanctus immediate in carneis tabulis filiorum Dei ad vitam æternam præordinatorum inscribit, vt θεοδίδακτοι, *à Deo docti*, credant ad salutem. *Ierem. 31.v.33.& Hebr.8.v.10.&c.10.v.16. Hoc illud est fœdus, quod pangam cum domo Israelis post dies hos, dictum Iehoua, indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam eam: & ero eis Deus, & ipsi erunt populus meus. 2.Cor.3.v.3. Dum manifestum*

Scriptura sacra est vel cordis, vel Testamenti.

festum sit, vos esse epistolam Christi subministratam à nobis, inscriptam non atramento, sed Spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in carneis tabulis cordis. Scriptura Testamenti Veteris & Noui, seu externa est, quæ à Prophetis & Apostolis & Apostolorum comitibus Euangelistis per chartam & atramentum est consignata, ad tradendam, propagandam, & ad posteros transmittendam sanam sapientiæ cœlestis doctrinam. 2. *Corint.* 3. *v.* 3 2. *Ioh. v.* 12. *Cum multa haberem vobis scribenda, nolui per chartam & atramentum.* 3. *Ioh. vers.* 13. *Multa possem scribere, sed nolo per atramentum & calamum.* *Philip.* 3. *v.* 1. *Eadem scribere vobis me quidem haud piget, vobis autem tutum est.* Et hæc Scriptura externa vsitate intelligitur, cum sacra Scriptura nominatur.

Scriptura sacra consideratur duob. modis.

" 2. [*Scriptura externa sine interna non prodest nobis ad salutem.*] Si enim Scriptura externa separetur ab interna, tanquam lumine superiore, nulla in nobis potest esse fides saluifica. Ratio; quia Spiritus sanctus accendit fidem saluificam, per verbum, tanquam instrumentum. At instrumentũ agit dispositiue, vt loquuntur Logici, hoc est, pendet à directione causæ principalis, sine qua non producit effectum.

3. [*Scriptura externa alias consideratur secundum essentiam, alias secundum accidens.*] Scriptura sacra secundum essentiam, est verbum Dei, seu doctrina ipsa cœlestis, quæ libris sacris continetur, cuiusmodi inde ab initio fuit, etiam antequam scriberetur, & viua tantum voce traderetur. Hoc modo accepta Scriptura fuit prius quam Ecclesia esset. Est enim æterna in ipso Deo sapientia. Neq; eius notitia tum demum Ecclesiæ patefacta fuit, quando literis est consignata: sed eius patefactio cum ipsa creaturarum rationalium creatione & primordiis Ecclesiæ cœpit. Quin verbum illud est immortale semen, ex quo Ecclesia nascitur. Non igitur potuit Ecclesia existere, nisi verbo Dei prius tradito. Quapropter Scriptura sacra, quoad essentiam, natura vt causa prior est quam Ecclesia, ac perinde antiquior, quam Ecclesia. Scriptura sacra secundum accidens, est verbum Dei, quatenus suo tempore literis exaratum est in libris Veteris & Noui Testamenti, singulari prouidentia Dei, vt esset veritatis diuinæ, quæ est secundum pietatem, ad salutem nostram æternam necessariũ instrumentum. Hęc distinctio est pernecessaria, vt intelligamus, ecquonam modo sacra Scriptura se habeat ad Theologiam viatorum. Sacra Scriptura consideratur vel secũdum essentiam, vel secundum accidens. Illo modo est ipsum Dei verbum, quod est causa efficiens proxima & immediata Theologiæ nostræ, adeoque principium eius. Hoc modo est instrumentum Theologiæ tradendæ, sicut viua vox erat instrumentum eiusdem. Quod autem verbum Dei sit principium Theologiæ nostræ sic patet. Primum principium in aliqua scientia dicitur id, in quod omnes conclusiones resoluuntur. Atqui omnia dogmata Theologica resoluuntur in hoc principium, Dominus dixit, seu, Deus dixit. Hoc principium vnicum est, atque vnicum esse necessum est; tũ quia omnes Prophetæ & Apostoli ad

Primum cognitionis principium in sacris.

illud ſolum nos reuocant, vt tota Scriptura teſtatur; tum quia non poteſt Deus, niſi per Deum intelligi; tum deniq; quia omnes cōditiones primorum principiorum competunt in hoc principium. Primum eſt manifeſtum ex ſacris literis, in quibus vrgetur illud diuinum αὐτὸς ἔφα, vel potius αὐτοπιστὸς ἔφα. Secundum probatur hoc modo. A Deo diſcendum, quid de Deo intelligendum; quia nonniſi ipſo authore cognoſcitur. Hac de re inſignis eſt locus apud *Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromatum*. Neceſſe eſt enim labi in maximis, eos qui res maximas aggrediuntur, niſi regulam veritatis ab ipſa veritate acceptam tenuerint. Qui autem ſunt eiuſmodi, vt qui à recta via exciderint, merito etiam fallūtur in plurimis ſingularibus, propterea quod non habeant verorum & falſorum iudicium plane exercitatum in iis, quæ oportet eligere. Si enim haberent, parerent ſcriptis diuinis. Quemodo ergo ſi quis fiat beſtia ex homine, ſimiliter atque ii, qui fuerant infecti venenis Circes. Ita homo Dei eſſe, & Domino fidelis eſſe perdidit, qui aduerſus Eccleſiaſticam recalcitrauit traditionē, & in humanarum hæreſium deſiliit opiniones. Qui autem ex errore reuerſus, obediit Scripturis, & vitam ſuam permiſit veritati, Deus quodam modo ex homine efficitur. Principium enim doctrinæ habemus Dominum, qui & per Prophetas, & per Euangelium, & per B. Apoſtolos multifariam multiſq; modis à principio ad finem deducit cognitionis. Principium autē ſi quis alio opus habere exiſtimauerit, non vtiq; vere potuerit conſeruari principium. Qui eſt ergo ex ſeipſo fidelis, Dominica Scriptura & voce eſt fide dignus, quæ per Dominum exercetur ad hominum beneficium. Ipſa autē Iudice vtimur ad res inueniendas. Quidquid autem iudicatum, non creditur, priuſquam fuerit iudicatum. Quare nec eſt principium id, quod opus habet iudicio. Merito ergo cum fide comprehenderimus principium indemonſtrabile, & ex redundanti quadam copia demonſtrationes ab ipſo principio ſumpſerimus de principio, voce Domini erudimur ad agnitionem veritatis. Non enim abſolute enunciantibus hominibus fidē habuerimus, quibus licet etiam enunciare contrarium. Si autem nō ſatis eſt ſolum abſolute dicere quod viſum eſt, ſed oportet etiā probare quod dictum eſt, non expectamus teſtimoniū, quod datur ab hominibus: ſed voce Domini probamus quod quæritur, quæ eſt magis fide digna, quā quæuis demonſtrationes, vel potius quæ eſt ſola demonſtratio, per quam ſcientiam, qui ſolum quidem guſtauere Scripturas, ſunt fideles. Qui autem etiā vlterius proceſſerunt, ſunt perfecti gnomones veritatis; ii ſcil. qui ſunt cognitione præditi, quandoquidem etiam in iis, quæ ad vitam pertinent, eos qui ſunt rudes ſuperant artifices, & per communes notiones exprimūt id quod eſt melius. Sic ergo nos quoq; ex ipſis de ipſis Scripturis perfecte demonſtrantes, ex fide perſuademus demonſtratiue. Sic ille. Ad extremum requiſita ſeu conditiones principii primi (intellige principium co-

Conditiones primorum principiorum.

cognoscendi) competunt in verbum Dei. Primorum siquidem principiorum conditiones sunt, vt sint vera, immediata, caus dogmatũ omniũ, priora, & notiora. At hæ conditiones competunt soli verbo Dei; quod nemo nisi impius negare potest. Solum igitur Dei verbum est principium nostræ Theologiæ; quatenus verbum Dei spectatur secũdum essentiam, non secundum accidens. Hoc enim modo est instrumentum Theologiæ supernaturalis, absolute dictæ, prout illam adhuc consideramus. Ideo supra diximus, sermonem Dei enunciatiuum esse instrumentum Theologiæ. Nam supernaturalis Theologia hic absolute considerata est tota scientia rerum diuinarum, quatenus communicari potest cum viatore; cuius communicationis organon non potest aliud assignari præter verbum Dei enunciatiuum. Iam dicamus de materia & forma Theologiæ supernaturalis.

Materia Theologiæ supernaturalis, sunt principia seu veritates, lumine fidei cognoscibiles. Hoc clarum est ex iis, quæ supra diximus de materia Theologiæ in genere consideratæ. *cap.* 12.

Forma Theologiæ supernaturalis. est veritas diuina, quatenus se extollit supra veritatem diuinam, quam diximus esse formam Theologiæ naturalis. Huic veritati competunt modo eminentissimo omnia illa, quæ supra diximus communiter de forma Theologiæ. *cap.* 12. Illa igitur accommodari debent Theologiæ naturali in gradu remisso; Theologiæ supernaturali in gradu excellenti.

CAP. XVII.

Theologia naturalis in subiecto considerata.

EXposuimus Theologiam viatorum absolute consideratam: nunc exponemus illam, prout secundum quid, seu relate & in subiecto consideratur.

Duo genera actionum Dei.

Illius Theologiæ, quam Deus perfecte nobis exhibet gratiosa communicatione, forma quædam imperfecta est hæc Theologia in subiecto humano. Quemadmodum enim actiones diuinæ, vt creatio, & similes, quas producit sine ministerio creaturarum, formam perfectam sui obtinent: ita è diuerso, quæcunque actiones communiter à Deo hominibusque proficiscuntur, & in quibus Deus homines quodammodo συνεργοὺς sibi esse vult, eæ tantisper dum in hac vita sumus, forma quadam imperfecta in suis subiectis insunt, nec in hoc seculo obtinẽt perfectionẽ suam. Et quemadmodum natura ab imperfectissimo gradu incipiens paulum tendit ad perfectionem sui: ita etiam hæ actiones à tenuissimo imperfectoque principio per suos gradus atque incrementa in aliquam perfectionis suæ imaginem paulatim virtute Dei perducuntur. Oportet igitur quam accuratissime hanc Theologiæ rationem in subiecto ab illa absolute dicta distinguere.

Theo-

Theologia in subiecto considerata, est eadem illa sapientia rerum diuinarum, sed communicata ab ipso facto cum viatoribus, & pro ratione illorum modificata.

In hac definitione duo vocabula sint insignia. Primum; quod dicitur *communicata ab ipso facto*. Nam Theologia absolute dicta consideratur, quatenus est communicabilis, ideoque perfecta censetur. Alterum; quod dicitur *modificata pro ratione viatorum*. Modificata, hoc est, mensurata, contemperata, modum habens, admensa, ac proinde determinata & distincta. Nam modificare idem valet, quod metiri, dimetiri, mensurare, definire, determinare: & modificatio nihil est aliud, quam dimensio, mensura, modus, determinatio. Christo Domino quidem Deus non admetitur Spiritum, *Ioh.* 3. *v.* 24. ac proinde nec Theologiam, seu sapientiam rerum diuinarum. Sed cæterorum fidelium vnicuique attribuit eum definito modo, sicut partitus est vnicuique certam mensuram fidei. *Roman.* 2. *v.* 3. *Distinctiones enim donorum sunt, sed idem Spiritus.* 1 *Cor.* 12. *ver.* 4. *qui distribuit illa priuatim singulis, sicut vult.* 1. *Corinth.* 12. *v.* 11. *Vnicuique nostrum est data gratia pro mensura doni Christi. Ephes.* 4. *v.* 7. Quo pertinet illud 2. *Pet.* 3. *v.* 15. *Sicut & dilectus frater noster Paulus pro data sibi sapientia scripsit vobis.* Dicitur etiam *Theologia obscura*. Nam Theologia visionis est clara, itemque Theologia absolute dicta; sed eadem Theologia absolute dicta, in subiecto suo est obscura. Nam cum subiecti huius natura semper sit imperfecta, nihil profecto perfectum potest per se capere; aut si quid perfectum per gratiam Dei, vt facit, capit, id tamen perfecte capere non potest.

Modificare quid sit?

Theologia in subiecto consideratur vel in subiecto communiori seu latiori, vel in angustiori. Illam dicemus docendi causa, *Theologiam in subiecto, hanc in indiuiduo.*

Theologia in subiecto considerari debet duobus modis. Aut enim consideratur subiectum communiori modo acceptum, aut καθ' ἕκαστα, *secundum indiuidua* spectatur.

Theologia in subiecto latiori, est vel naturalis, vel supernaturalis.

Theologia naturalis in subiecto communiori consideratur aliter ante lapsum, aliter post lapsum.

Theologia naturalis ante lapsum fuit tota sapientia rerum diuinarum lumine naturæ scibilium in Adamo, qui illam augere ratiocinatione poterat, quamque gratia perfici oportebat.

Theologia naturalis ratio ante lapsum.

Admodum necessaria est hæc distinctio Theologiæ naturalis. Illa siquidem in natura integra longe excellentiori modo se habuit, quam nunc in natura corrupta.

Teneantur igitur theoremata de illa.

1. [*Theologia naturalis in Adamo versabatur in principiis naturæ.*] Principia hoc loco vocamus; quæ Cicero vocat notiones, Græci κοινὰς ἐννοίας & προλήψεις, quarum sedes est intellectus noster. Hæc principia in cuiusq;

intellectu sic hærent, vt simpliciter in eo sint citra rerum, quæ foris sunt, contemplationem. Hæc igitur horum principiorum notitia sic est à natura, vt aliam omnem notitiam soleat antecedere, adeoque notitiæ cuiuis, siue illa sit per institutionem diuinam, siue humanam, velut fundamentum commune substernatur. In his principiis versabatur Theologia naturalis in Adamo; quatenus nimirum illa principia respiciebant res diuinas.

» 2. [*Principia Theologiæ naturalis in Adamo erant communia, obscura, & imper-*
» *fecta, ideoque illa excoli ratiocinatione, & gratia perfici oportebat.*] Tria ad iustam rerum cognitionem sunt opus: vt subiectum, quod agitur, vere comprehendamus, vt perspicue, vt plene. Nam si pro subiecto vero respiciamus falsum vel inopinabile (quemadmodum fere fit, vt verum quidem in communi agnoscamus, in particulari autem à vero aberremus) falsa est principiorum accommodatio. Si ex principiorum luce non satis subiectum, aut actiones eo pertinentes videamus, notio est obscura. Si autem eas res, quas spectare oportet, nonnisi ex parte possumus intueri, notio imperfecta est. Exempli gratia, principium naturale est, *ius suum cuiq; tribui oportet.* Hic tribus modis in vtendo principio hoc plerumque fallimur. Nam quod natura dictat communiter de vnoquoque, nos restringimus exceptionibus, & ita aberramus in subiecto. Deinde non satis colligere possumus ex illo principio, quo tandem modo cuiq; debeamus suum tribuere. Deniq; cum videmus media, quibus oportet suum cuiq; tribuere, illa obscure assequimur. Sic & hoc est principium naturale, *Deus est colendus.* Sed hoc principium & commune in vnoquoque, & obscurum, & imperfectum. Commune; quia Deum non docet singulariter, tanquam si digito iudicaret hunc Deum ipsum esse. Obscurum; quia idipsum quod nobis iudicat, non tamen ostendit perspicue. Imperfectum denique; quia non ostendit plene. Vidimus ita principia naturæ, quæque sit eorum ratio, vidimus. Hic, inquiat aliquis, num ergo eadem fuit principiorum naturæ integræ conditio, qualem tu nobis expressisti modo? Resp. Natura, quæ subiectum est illorum principiorum, aut secundum se consideratur, prout à Deo creata fuit, aut secundum accidens illi peccatum, & corruptionem consecratam ex protoplastorum lapsu. Principia naturæ ex se sunt communia, obscura, & imperfecta, quatenus naturæ sunt, & quatenus natura referuntur ad gratiam; non aliter atque si dicas Lunam cum Sole collatam esse obscuram & imperfectam. At principia naturæ integræ sunt clariora & perfectiora principiis naturæ corruptæ. Hanc rem paulo altius perscrutemur. Principia naturæ considerantur ratione ortus, ex incrementi seu progressus sui. Ratione ortus sunt incorrupta, prout naturæ sunt. Ratione progressus recti, itidem incorrupta sunt. Sic enim natura hominis comparatum est, vt principia quidem in se habeat, pro-

Tria requiruntur ad iustam rerum cognitionē.

Principiorum naturæ duplex est ratio.

gressum vero ratiocinatione & studio assequatur, donec ad instam scientiam peruenerit. Hæc, inquam, est ratio naturæ in nobis, Adami posteris. Nullum igitur dubium esse debet, quin communis etiam in Adamo fuerit naturæ ratio, quæ adhuc est illius ratio in posteris recte se habentibus in cognitione rerum naturalium. Habuit ergo Adam principia ista incorrupta, prout naturæ sunt: tum ex horum principiorum cum rebus & signis comparatione potuit successiue ratiocinationis opere componere, diuidere, concludere, & determinare, etiam secundum naturam, quidquid facultate illius in rebus diuinis assecutura natura integra fuit; denique scientiam aliquam rerum diuinarum comparare, secundum integræ naturæ modum. Sed supra naturam non potuit transcendere, nisi supernaturalis gratiæ beneficio; non autem virtute naturæ suæ. Quanquam enim erant in illo incorrupta & integra omnia; non tamen illa supra naturam poterant assurgere, sed contenta erant naturæ finibus. Sed hoc demonstremus per partes. Diximus principia naturæ in Adamo fuisse communia, obscura, & imperfecta. Communia fuerunt; quia si fuissent singularia, non iam fuissent principia, sed conclusiones, & determinationes *rationis* ad veram iustamq; scientiam pertinentis. Fuerunt eadem obscura; quia si fuissent clara & euidentia plane, non iam fuissent principia solum, sed media quoque infuissent ei. At media illa non ad intellectum, principiorum sedem, sed ad rationem pertinent. Fuerunt denique imperfecta; non imperfectione priuationis, quę est vitiosa, nec imperfectione naturæ, seu negationis, quam ex creatione obtinebat; sed imperfectione secundum quid, hoc est, comparate, non dico ad illam infinitam perfectionem Dei, rerumq; diuinarum, sed ad Theologiam supernaturalem. Porro in theoremate diximus, oportuisse excoli illa principia ratiocinatione. Nam Deus, quæ est summa ipsius sapientia, principia illa tanquam semina deposuerat in Adami intellectu, ceu aruo quodam. Hæc coli & augeri oportuit, naturæ opera accedente principiis. Naturæ vero operaria, & ea quidem non infimæ classis, est ratio in homine ad imaginem Dei condito; cuius rationis cultura prouehi principia illa oportuit, à communitate ipsorum ad opera singularia, ab obscuritate in lucem, ab imperfectione ad perfectionem, videlicet secundum facultatis naturalis modum; vt conficeretur ex principiorum semine & rationis cultura in mente hominis scientia. Denique in theoremate adiecimus, Theologiam naturalem oportuisse perfici à gratia. Non enim Theologia naturalis potuisset perfici, vel, vt antea diximus, plus quam perfici his naturæ instrumentis, principiis dico, & ratiocinatione; nec natura integra potuisset ad amplius fastigium scientiæ assurgere, quam ipsa superstruere potuisset principiis & ex principiis ipsius. His positis, concludimus, Theologiam naturalẽ in Adamo fuisse perficiendam gratia; vel potius gratiosa perfe-

Imperfectio est priuatiua, vel negatiua.

perfectione ingressa in locum ipsius, quasi abolendam; vt Theologia supernaturali locupletatus permaneret homo, hoc est, præditus illa sanctitate, quam ex creatione obtinebat, & supernaturali virtute ad beatam illam in cœlis conditionem transmitteretur per gratiam. Neque est cur miretur quisquam, quod Theologiam naturalem in Adamo fuisse abolendam supernaturali dicimus. Nam ita nos docet Apostolus, cum de Theologia hac nostra & illa futura in cœlis loquitur. 1. *Corinth.* 12. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit perfectio, tunc quod ex parte est, abolebitur.* Illa ἐπεισαγωγὴ formæ alterius, & quidem generis alterius & perfectissimi, hanc formam Theologiæ nostræ quasi absorptura est, & vindicatura in perfectionem. Eodem modo statuimus de Theologia naturali Adami. Illa superueniente Sole gratiæ, seu lumine Theologiæ supernaturalis absorpta, & plus quam perfecta fuisset.

Theologia naturalis post lapsum consideratur in natura vel corrupta, vel regenerata.

Theologiæ naturalis post lapsum potest duplex esse subiectum recipiens, quod Græci δεκτικὸν vocant: homo nempe, vel qua corruptus, vel qua regeneratus. De qua vtraque distincte dicemus.

Theologia naturalis in homine corrupto qui se habeat?

Thologia naturalis in natura corrupta est sapientia rerum diuinarum, qua homo assequitur quidem, Deum esse, & Deum colendum esse, sed modum cognitionis, & cultus non percipit vitiositate sua.

Theoremata hic sunt.

" 1. [*Principia Theologiæ naturalis permanserunt in homine, sed communissima, obscurissima, & imperfectissima.*] Principia permansisse probat experientia; & esse communissima, obscurissima & imperfectissima, testatur eadem experientia. Et ratio hoc idem euincit. Naturalia dona per lapsum sunt corrupta (regula est Patrum & Scholasticorum Patrum è sacris literis petita) & supernaturalia amissa. Manserunt enim omnia, quæ ad naturam pertinent, sed miserrime deformata. Itaque & illa principia naturæ manserunt, sed tanquam rudera vel cadauera naturæ integræ. Quare si principia illa ante lapsum fuerunt communia, post lapsum communissima sint oportet, infestante vitio. Si obscura fuerunt ante lapsum, per lapsum longe obscuriora effecta sunt. Si denique ante lapsum fuerunt imperfecta, omnino in grauiorem multo imperfectionem inciderunt. Nam si principia illa ante lapsum talia fuerunt, vt diximus; superueniens hominis corruptio non potuit illa perficere, non seruare in eodem statu, non denique ab vlla determinatione ipsorum defendere. Quapropter principia Theologiæ naturalis in homine corrupto sunt corruptissima. Hoc eleganter ostendit Apostolus *Actor.* 14. Lystrensibus ipsi sacrificare volentibus sic loquens: *Cur ista facitis? Nos quoque sumus homines, iisdem quibus vos obnoxii affectionibus, annunciantes, vt à vanis istis rebus conuertatis vos ad Deum il-*

lum

lum viuum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in iis sunt; quique præteritis ætatibus siuit omnes gentes suis ipsarum viis incedere: quanquam non passus est expertem se esse testimonii, bona tribuendo, dans nobis cœlitus pluuias, ac tempora fructibus edendis apta, implens cibo & lætitia corda nostra. Communem fuisse Lystrensibus notionem de Deo impressam, ac non singularem illam, qua hunc verum Deum esse agnoscerent, Lystrenses ipsi demonstrant facto, & Paulus arguit. Obscuram esse demonstrant argumenta illius; cum nihil Apostolus, nisi naturæ testimonia, aut res in natura à Deo gestas, adferat, vt declaret Dei illius summe adorandi veritatem. Hæc autem tenuissima duntaxat vestigia sunt veri illius & viuentis Dei, quæ non id quod Deus inde à principio est humano generi, sed quod Dei est, potius testificata sunt. Imperfecta denique sunt hæc eadem principia; quia licet de Deo testentur permulta, ab illius tamen perfectione absunt quam longissime. Huc etiam pertinet illud *Actor.* 17. vbi Apostolus Athenienses ab idololatria reuocat: *Pertransiens*, inquit, *& contemplans sacra vestra, inueni etiam aram cui inscriptum erat: Ignoto Deo. Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego vobis annuncio. Deus ille qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, cum sit cœli & terræ Dominus, in manufactis templis non habitat*, &c. Quibus verbis conditionem illorum principiorum Theologiæ naturalis in homine corrupto declarat luculentissime; cum nec Deum singulariter nouerint; quem principia communia docent colendum communiter; nec euidenter nouerint, vt qui in temporibus ignorantiæ dissimulatis vixissent, nec denique nouerint perfecte, cum Deus dicatur omnibus vitam dare, & halitum, & omnia, fecisseque ex vno sanguine totam gentem humanam, vt videlicet quærerent Deum, si forte palpando ipsum inuenturi essent, & cætera, quæ illic grauissime à Paulo adferuntur. Sicut autem principia illa Theologiæ naturalis in homine corrupto reliqua sunt corruptissima in peruestiganda rerum diuinarum veritate: ita etiam in eo iure peruestigando accidit, quod Apostolus *Rom.* 1. τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ appellat. Nam siue ius naturæ, quod Deus omnia animalia docuit, siue ius morale, quod ad solum hominem pertinet, spectare lubet, deprehendes omnia etiam hic esse communia, obscura, adeoque imperfecta.

2. [*Principia Theologiæ naturalis in homine corrupto inter se sunt conturbatissima.*] Præcedente theoremate ostendimus modum corruptionis, si principia Theologiæ naturalis in se considerentur; hoc theoremate nunc ostendimus, quomodo se habeant eadem principia inter sese collata. Non enim duntaxat ipsa in sese sunt corruptissima: sed (quod amplius est) ab omni iusto ordine & relatione conueniente inter se alienissima. Nam quid *ἄτακτον, inordinatum*, excogitari potest, quam si quis nec cum toto suo, nec cum partibus totius illius sui, nec cum aliis extra totum suum obseruet debitum ordinem? Eiusmodi autem sunt principia illa Theo-

logiæ naturalis post lapsum in homine reliqua, tanquam rudera naturæ integræ. Nam quemadmodum domus alicuius elegantis, si de subito corruat, partes quantumuis affabrè factæ, supraque modum speciosæ, iacent afflictæ & conturbatissimæ, sine forma, sine decore & ordine, & veluti sepultæ in aceruis ruderum: ita etiam quidquid in natura humana fuit elegans, abiit, euanuitque, & tanquam in mole indigesta & incomposita vitiositatis nostræ sepultum est.

„ 3. [*Theologia naturalis hominem corruptum non potest ad perfectionem perducere, nec ipso facto perducit vnquam; ac perfectionis quidem non est per seipsam capax superuenientis gratiæ.*] Si Theologia naturalis in Adamo ante lapsum, non potuit ipsum perducere ad perfectionem, quid dicemus de illa post lapsum? imperfecta illa est secundum δύναμιν, ἔργον καὶ πάθος, *potentiam, actionem, & affectionem seu passionem*; quæ tria in theoremate isto expressimus. De potentia istius Theologiæ diximus; *non potest hominem corruptum ad perfectionem perducere*. Nec mirum. Cum enim ipsa sit imperfectissima, & ad perfectionem venire non possit, alios quomodo proueheat ad perfectionem iustam? De opere seu actione diximus, *non perducere ipso facto ad perfectionem*. Hæc res apud omnes recta mente omnino est extra controuersiam. Constat enim causam imperfectissimam effectus perfectissimos edere non posse, vt arborem malam, bonos fructus.

Tertio passionem huius Theologiæ expressimus illis verbis; *Perfectionis per seipsam non est capax superuenientis gratiæ*; hoc est, natura sua nullam affectionem, relationem, ordinationem aut dispositionem habet, qua suscipiat illam perfectionem, quæ superfunditur cœlesti gratia. Hoc mirum videbitur illis, qui non possunt ferre, vt naturæ nostræ derogentur omnia, & gloriosæ Dei gratiæ arrogentur. Sed illos velim hæc expendere. Id quod naturale est, habet in se potentiam passiuam seu susceptiuam, quam vocant obedientialem, qua in natura & à natura suscipiat secundum genus illud potentiæ perfectionem naturalem, ex habilitate tamen & dispositione naturæ. At si spectemus perfectionem aliquam supernaturalem, illius ex se non potest esse susceptiua.

Est quidem vtriusque subiectum idem, circa quod Theologia naturalis & supernaturalis versantur; sed tamen vtraque hæc sapientia inter se differunt modo tractationis, seu totalitate naturę suæ. Non enim scientias facit congeneres subiecti eiusdem communicatio, sed modus ipsarum: quemadmodum Arithmeticus & Musicus occupantur circa numerum; sed tractationis modo inter se differunt. Hoc vel inde videre est. Ad Theologiam naturalem, natura adhibet & intellectum, & principiorum semina ad dispositionem illius occupat: At Spiritus Dei ad Theologiam supernaturalem omnes partes omnino sibi vendicat, vt omni iure supernaturalis appelletur.

Theolo-

Theologia naturalis in homine regenerato est sapientia rerum diuinarum, quatenus illa faciunt ad creatoris manifestationem in natura quidem expressam, sed in sacra Scriptura clarius & perfectius repetitam. *Theologia naturalis in homine renato qua sit ratio?*

Hoc nimirum est, quod perpauci in constituenda Theologia naturali obseruant. Nam multi eam esse nullam post lapsum aiunt; plures eam gentilibus relinquendam esse vociferantur, tanquam corruptam: plurimi superuacuum esse statuunt, Theologiam naturalem in Scholis Christianorum explicare, cum habeamus supernaturalem, quæ longe est diuinior. Frugibus inuentis, inquiunt illi, stolidum est, vesci glandibus. His oppono illam Theologiæ naturalis distinctionem:

Theologia naturalis consideratur vel
- *Absolute.*
- *Relate, in subiecto. Sicque est natura.*
  - *Integra*
  - *Corrupta*
    - *Sibi relicta; & dici potest* Theologia naturalis nuda.
    - *Regenerata; & dici potest* Theologia naturalis vestita.

Sane oportet has ipsius differentias ad vnguem cognoscere, si velimus Theologiæ supernaturalis naturam plene intelligere. Multum enim interest pietatis nostræ, vt fines seu termini naturæ & gratiæ distinguantur. Huc accedit, quod in SS. Scriptura distincte & clare repetita sunt principia & conclusiones Theologiæ naturalis. Quare si consequamur S. Scripturam ducem, elegantissimum Theologiæ naturalis systema constituemus, vt suo tempore, Domino studiis nostris benedicente, planum faciemus. Sic ergo (vt paucis rem totam expediam) statuere oportet. Theologia naturalis hodie in Scholis Christianorum tradi debet, obseruata collatione naturæ cum Scriptura, quatenus hæc continet principia illius: idque duplici de causa; tum vt intelligamus naturæ principia rebus diuinis nullo modo repugnare, sed optime cum illis conuenire, obseruata tamen distinctione, quæ inter naturã & gratiam est perpetua; tum vt Theologia naturalis sit nobis χειραγωγία, qua possimus infideles quasi manuducere ad assentiendum principiis Theologiæ naturalis, diuina gratia præeunte. Sed hac de re in methodo Theologiæ naturalis agetur pluribus.

CAP. XVIII.

Theologia supernaturalis in subiecto.

Theologia supernaturalis in subiecto qui se habeat?

THeologia supernaturalis in subiecto communiori considerata, est eadem illa sapientia supernaturalis rerum diuinarum, sed modificata pro ratione illorum hominum, qui regeniti quidem sunt, sed imperfecte.

Subiectum recipiens Theologiæ est homo. Sed hoc subiectum duobus modis consideratur. Aut enim in natura, aut in gratia constituitur, vt ita dicamus. Quatenus in natura sua consideratur, non potest esse subiectum Theologiæ supernaturalis. Idem vero subiectum in gratia consideratum; seu (vt communiter loquuntur) in statu gratiæ, dum hic est, donum quidem perfectum, & bonam donationem à Deo venientem, vt *Iacob.c.*1. loquitur, percipit: sed quia semper in aliqua naturæ imperfectione hæret, & agitur tantum inchoatione gratiæ, donum illud perfectum bonamque donationem à Deo proficiscentem non potest perfecte capere; quamuis à singulari gratia interdum contigerit, vt id donum homo Dei perfectum caperet. Ex hac itaq; subiecti ratione procedit illa Theologiæ nostræ modificatio: quia etsi Theologia supernaturalis in se perfecta est, in subiecto tamen (vtcunque perfecta sit) mutilata est quodammodo imperfectione subiecti: ac proinde Theologiæ supernaturalis in se forma perfecta est; Theologiæ vero in subiecto, forma imperfecta, quia hæc est puræ inchoationis per gratiam: quod autem inchoatum duntaxat, id non potest dici consummatum. Nihilominus hæc Theologia in subiecto censeri & dici potest perfecta, tum in genere suo, tum si conferatur cum Theologia naturali, tum denique ratione finis, quatenus est medium Dei ordinatione sufficiens, ad illum assequendum. Hæc studiose notare oportet multas ob causas quas paulo post attingemus.

Theologia supernaturalis in subiecto est partim infusa, partim acquisita. Sic consideratur Theologia nostra seu viatorum secundum quid considerata, ratione causarum efficientium.

Theologia supernaturalis infusa.

Infusa est, vt includit fidem infusam: seu, quod idem est, vt est cum fide infusa: hoc est, vt clarissime dicamus; Theologia nostra infusa est, quatenus est saluifica cognitio Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, aliarumq; rerum diuinarum ad salutem necessariarum, ac proinde etiam quoad salutarem intelligentiam principiorum fidei & bonorum operum, à solo interno lumine Spiritus sancti manantem, quæ principia fide iustificante creduntur esse nobis à Deo reuelata, vt sint potentia Dei instrumenta ad salutem cuiuis credenti. Illa principia sub rationis humanæ disciplinam minime cadunt, neque percipi possunt salutariter, neque in actum deduci, sine interno lumine Spiritus sancti mentes nostras illustrantis.

Theologia supernaturalis acquisita.

Theologia acquisita est, vt includit fidem acquisitam & habitus acquisitos euidentes tam propositionum quam consequentiarum, & denique actus comprehensiuos complexorum & incomplexorum. Sic finimus illam è Dd. Scholasticis. Clarius sic dicas: Theologia nostra acquisita est, quoad cognitionem propositionum, seu principiorum & conclusionum ex principiis deductorum perceptorumque assiduo labore, operatione, industria & exercitatione per verbi Dei scripti religiosam, attentam & decentem meditationem, ad

recte colendum Deum. Potest & sic definiri: Theologia nostra acquisita est, quatenus est notitia conclusionum ex principiis Theologicis per discursum syllogisticum collectarum, & certo ordine dispositarum atque animo impressarum diuturno labore ac exercitio; sic vt habitus Theologiæ in vere fidelibus, non simplex sit in hac vita, sed mistus, seu compositus, includens fidem fusam & acquisitam reuelatorum à Deo in Scriptura. Hoc est quod *Scotus* dicit *in prolog. sent. quæst. 1. Habitus Theologiæ perfectus existens includit fidem infusam & acquisitam articulorum fidei, & aliorum à Deo reuelatorum in Scriptura: ita quod Theologia non est tantum hic infusa, neque acquisita tantum, sed simul amba.* Hinc sequuntur duo porismata.

1. [*Dæmones & reprobi homines non sunt Theologi, nisi valde æquiuoce.*] Vulgo faciunt quatuor modos dicam an species Theologiæ; ita vt aliam dicant esse Dei, aliam beatorum, aliam dæmonum, qui certe Deum cognoscũt, vt est *Iacob. 2. v. 19.* Sed sciendum est, quod Theologia supernaturalis non solum sit habitus acquisitus, qui versetur circa conclusiones, sed etiam habitus infusus, quoad fidem, quæ illi deseruit loco habitus principiorũ. Quod cum ita sit, Diabolus & reprobi non possunt appellari Theologi, nisi valde æquiuoce. Quamuis enim in iis possit esse habitus acquisitus, tamen destituuntur infuso illo, sine quo acquisitus ille est perniciosus, faciens ad maiorem reprobatorum damnationem. Adde, quod habitum acquisitum non totum habent reprobi, sed ex parte. Nam duntaxat habere possunt habitum theoreticum, & practicus quam longissime ab illis abest. Vera autem Theologia tam infusa quam acquisita quam plurimis constat habitibus, quorum alii sunt theoretici, & alii practici.

Diabolus & reprobi dicuntur Theologi æquiuoce.

2. [*Theologia, quatenus est infusa, non potest conscribi systematice, sed solum, quatenus est acquisita.*] Ratio theorematis est clara. Cum enim Theologia infusa sit duntaxat habitus θεόσδοτος, præceptis methodice dispositis comprehẽdi non põt. At, quatenus Theologia est habitus ἐπίκτητος omnino potest & debet tradi per certa præcepta, quæ respectu tradentis sunt ἔκτυπόν τι, & habitus, secũdum quẽ expressa sunt, est ipsum archetypum; sed respectu discentis, eadem præcepta sunt ἀρχέτυπον ipsum, secundum quod imprimitur habitus, tanquam ἔκτυπον, animo discentis. Probe igitur oportet tenere discrimen inter Theologiam infusam & acquisitam: qua de re sic docuerunt veteres. Sapientia & scientia in omnibus electis hominibus triplex est: vna est *infusa*, vti est cognitio per Spiritum sanctum indita; altera est *acquisita*, qualis est, quam acquirimus tum priuatim lectione & meditatione sacrarum literarum, & aliorum vtilium scriptorũ, tum publice in Scholis & Ecclesiasticis conuentibus ex instructione, & ex quotidiana experientia, quæ propterea etiam scientia *experimentalis* dicitur. Atque hæ duæ tantum habentur in præsenti seculo. Tertia dicitur *beata*, & ad futuram vitam pertinet, estque ea, qua omnes beati Angeli & homi-

Scientia in electis hominibus est triplex.

homines per lumen creatum, Deum à facie ad faciem vident. Sicut etiam triplex est sapientia & scientia in anima Christi, beata, infusa, & acquisita.

Theologia supernaturalis acquisita est Theologorum vel initiatorum, vel confirmatorum.

Consideramus hic Theologiam in subiecto. Proinde & illius distributio è subiecto sumenda. Est autem subiectum Theologiæ supernaturalis homo Christianus regenitus. Quanquam enim multi reprobi sibi acquirant sæpe maximam rerum diuinarum cognitionem: illa tamẽ à nobis non consideratur. Nos enim informamus ciuem Dei. Ciuis ille Dei est vel initiatus, puta tyro, vel confirmatus, qui iam solido opus habet cibo; quam distinctionem nobis subministrat Apostolus 1. *Corint.* 3. *v.* 1. 2. vbi infirmos, vocat infantes in Christo, eosque lactis potu se aluisse scribit, & non esca. Et *Hebr.* 5. *v.* 12. 13. 14. sic ait: *Vos enim, quos oportuit pro temporis ratione doctores esse, rursum opus est doceri, quæ sint elementa initii eloquiorum Dei: factique estis ii, quibus lacte sit opus, & non solido cibo. Enimuero cui cum lacte res est, is rudis est sermonis iustitiæ: infans enim est: Sed adultorum est solidus cibus, eorum videlicet qui propter habitum sensus habent exercitatos* (αἰσθητήρια γεγυμνασμένα) *ad discretionem boni ac mali.* His locis Apostolus facit duas, vt ita dicam, classes Theologorum; nouellorum, seu nouitiolorum, vt cum Tertulliano loquar, & adultorum. Iis dicit proponẽdum esse lac, tanquam cibum delicatiorem, his autem cibum solidiorem. Per tyrones non solum oportet intelligere Christianorum liberos paruos, quos imbibere oportet elementa religionis, sed omnes illos, qui nondum habent sensus exercitatos in rebus diuinis. Hos igitur vocemus Theologos catechumenos. Nõ enim illi duntaxat appellandi sunt Theologi, qui ex professo suscipiunt enarrandam aliis doctrinam; sed omnes illi, qui doctrinam illam quomodocunque excolunt; licet illi priores κατ' ἐξοχὴν Theologi appellentur. Theoremata sunt.

Theologi nouitioli qui sint?

1. [*Theologia initiatorum non differt re à Theologia confirmatorum, sed duntaxat modo.*] Hoc innuit Apostolus, quando lac, cibum teneriorem, opponit cibo solido. Modo, inquam, tractationis differt. Quamuis igitur eadem proponantur in Theologia illa, quam dicemus Catecheticam, quæ etiam traduntur in illa pleniore: non tamen committitur tautologia, sed modus tractandi mensura est vtrobique, qui quidem modus pendet à captu Theologorum initiatorum & confirmatorum.

2. [*Vtraque Theologia, catechetica & plenior, est tum theoretica, tum practica.*] Vtraque siquidem est sapientia diuina, pluribus constans habitibus, quorum alii sunt theoretici, alii practici, & amborum generum diuersæ species. Vtraque igitur procedit sub lumine diuinæ reuelationis fidei, quatenus mediate ac per discursum syllogisticũ applicatur ad conclusiones in prin-

Theologia est theore-

principiis fidei virtualiter contentas. Fides aũt non ſolum reuelat Deum *tica & practica.*
vt finem vltimum omnium, ſed ẽt ſpecialiter docet, in eo, ſeu fruitione ipſius conſiſtere hominis beatitudinem, ac proinde non ſolum reuelat fidei veritates ſpeculatiuas circa Deum, ſed etiam practicas, imo etiam omnia principia prima morum reuelat, & eadẽ certitudine atq; ex ſe eodem modo circa hæc omnia verſatur: ex quibus ratiocinatur Theologia, conſiderans in Deo non ſolũ ſpeculatiue rationem vltimi finis, ſed ẽt moraliter in ordine ad media, quibus iſte finis eſt conſequendus. Sic igitur vtraq; illa Theologia eſt ſpeculatiua & actiua ſimul. Hoc idem quoque accipies de Theologia naturali. Quid, inquis, tu dicis de Theologia? Mõſtroſa eſt hęc tua ſententia. Si enim Theologia eſſet theoretica & practica ſimul, duplici in ea tradenda vti oporteret methodo, ſynthetica & analytica. Sed impoſſibile eſt, in vna eademq; diſciplina tradenda vtramq; illam methodũ obſeruare. Reſp. Bona verba quæſo. Principio non eſt hæc ſententia mea, quaſi ego illius ſim author, ſed eſt multorum virorum in Theologicis optime verſatorum, qui ſic iam olim hac de re docuerunt, & ẽt nunc ita docent. Theologia (inquiunt illi) non tantummodo eſt theorica, verum ẽt practica eminenti quodam modo. Id liquet, quod ſub obiectũ eius multa cadunt, quorum ſcientia nequit haberi practica; qualia ſunt Deus, Angeli, anima rationalis, cœlum, & reliquus mundus. Hæc enim à nobis effici nõ poſſunt. Cadunt item ſub eiuſdem Theologiæ obiectũ alia, quæ quoniam à nobis fiunt, practicam ſcientiam conſtituunt; cuiuſmodi ſunt pręcepta Decalogi, ac Chriſtianæ vitæ officia omnia. Accedit, inquiunt itidẽ, ratio materiæ, de qua tractat Theologia. Eius enim materia complectitur res, quas cognoſcimus & non agimus, itẽq; quas cognoſcimus & agimus. Quippe Deus duo genera rerũ nobis reuelauit ad ſalutẽ; alterũ earũ, quæ credendæ, alterũ earum, quæ agẽdæ ſunt. Præterea principia quædã ſunt, quæ ad ſolã veritatis cognitionẽ cõparata ſunt, qualia principia (hoc eſt, capita fidei) ſunt: Deum eſſe vnum & trinum; Deum condidiſſe mundum ex nihilo, &c. Quædam autem ad agendum iuuant, & practica ideo ſunt: vt, diligendus eſt Deus ſupra omnia; modus diligendi Deum eſt eum ſine modo diligere, &c. Quamuis autem articuli ſeu principia fidei, quæ recte vocantur cardines religionis noſtræ; quamuis, inquam, articuli fidei ad actionem referantur, vt ſupra ex Scoto oſtendimus; conſtat tamen illos natura ſua eſſe ad rerum diuinarũ cognitionem inſtitutos: ſicuti altera ex parte præcepta Decalogi, quamuis coniunctam habeant multarum rerum notitiam, natura tamen ſua comparata ſunt ad agendum. Theologia quoque tradit tres nobiliſſimas ſcientias, Metaphyſicam & Phyſicam, ſpeculatiuas, & Ethicam, actiuam. Intellige Metaphyſicam, prout vulgari modo traditur, ita vt in ea de Deo & intelligentiis tractetur. Hæc ex aliis adſcribere placuit, vt oſtẽderẽ, me non eſſe authorem illius ſententiæ, qua ſacroſancta Theologia ſimul theoretica & practica eſſe ſtatuitur.

Nunc venio ad quæstionem ipsam, vtra methodo disponi debeat Theologia? Syntheticane an analytica? Paucis hic me conabor expedire. In ore est Philosophis illud non inelegans: A potiori debet fieri denominatio. Hoc ipsum obseruari debet in constituenda methodo partium Theologiæ. Theologia siquidem vt totum integrale, vel si ita placet, collectiuũ, diuiditur in partes, si excipias Theologiam naturalem; quanquam & illa possit appellari pars. In his igitur partibus oportet expendere, vter finis dominetur, num cognitio veri, an actio boni. In Theologia naturali finis practicus prædominatur theoretico. Illa igitur disponi debet methodo analytica, qua disponuntur disciplinæ actiuæ, incipiendo à fine, qui debet introduci in subiectum, & percurrendo media, per quæ finis in subiectum introduci debet. In Theologia catechetica, casuum, Propherica & Acroamatica, finis itidem est actio magis quam cognitio. Quare in illis quoque methodus analytica obseruari debet. At in Theologia Scholastica; quam dicunt, obseruari debet methodus synthetica, quæ obseruatur in disciplinis speculatiuis methodice tradendis. Etenim huius finis est cognitio potius, quam actio. Nam Theologus Scholasticus cognoscit res diuinas modo, quo fieri potest, exquisitissimo; quas ita confirmatas accipit Theologus Ecclesiasticus, & ad suum institutum populariter accommodat. Vnum hic monendum esse duco. Quando dicimus Theologiam Catecheticam, Scholasticam, &c. non recensemus species Theologiæ, sed partes, & quidem partes varias pro varietate subiecti recipientis. Ideo supra diximus, has Theologiæ diuisiones è subiecto recipiente petitas esse. Obiicis: Quæ differunt formis, differunt essentialiter, ideoque specifice. At hæ, quas tu dicis partes Theologiæ, differunt formis. Ergo & differunt essentialiter. Respond. Leuis est ista obiectio. Quando duas vel tres Logicæ partes constituis, non multiplicas essentiam Logicæ; quasi pars prima non conueniat cum secunda vel tertia ratione formæ totalis seu totius. Quamuis enim pars quęque alicuius totius habeat formam partialem seu partis; illa tamen continetur à forma totius; vt in homine est forma totalis, est & partialis, si caput, si manus, si alia membra spectes; & nihilominus non dicis, vel si dicis, minus philosophice dicis, specificam ibi esse differentiam. Nam specifica differentia separat speciem à specie, vt hominem à cane. Iam vero constat omnem disciplinam esse vnam vnitate specifica, vtvt partes illius inter se dissentiant. Hoc idem cogitare te velim de Theologia arcana seu supernaturali, cuius partes constituimus numero quinque.

Qua methodo disponi debeat S. Theologia?

Theologia Catechetica quæ sit?

Theologia initiatorum, seu Catechetica, est sapientia rerum diuinarum, quatenus illæ à tyrone sunt cognoscibiles.

Quemadmodum qualitas est, ex qua dicimur quales: ita etiam Theologiam oportet dici, ex qua Theologi appellantur. Est autem conditio

Theo-

Theologorum huiusmodi, vt subiecto quidem conueniant inter se, qua homines, qua item Christiani sunt; sed ratione plurimum discrepẽt; quia his plus, illis minus videmus inesse Theologiæ. Non enim tyro Theologus adeo sapiet Theologiam, vt Paulus Apostolus; nec idem homo Theologus tantundem præstare potest, cum prima Theologiæ elementa discit, quam cum propter diuturnum habitum sensus habet exercitatos ad discretionem boni & mali ex canone veræ Theologiæ. Hoc ideo monendum duximus, vt fastum illorum retunderemus, qui ex quo gustum aliquem vel minimum imbiberunt huius sapientiæ, se puros putos esse Theologos, & nihil non Theologum crepare putant.

Theologia confirmatorum, est illa eadem sapientia rerum diuinarum, quatenus illa à Theologo exercitatos sensus habente sunt cognoscibiles. Dicamus *Theologiam perfectiorem.*

Theologos confirmatos hic dicimus comparate, videlicet respectu initiatorum: non hoc sensu, quasi in hac imperfectione rerum humanarum possit aliquis esse perfectus Theologus. Minime. Subiectum, in quo est Theologia, de virtute in virtutem, de gradu in gradum prouehi oportet diuina gratia. Sæpe enim Theologia in subiecto sic obscuratur, vt vix vmbra illius & vestigium animaduerti possit. Hoc ideo moneo, vt ne animaduersa exilitate Theologiæ nostræ in subiecto suo, vel etiam Theologorum multorum (pro dolor!) vanitate, nihil putemus non esse μάταιολά-γον; id quod faciunt homines quidam, qui certatim ruunt in nefariam & notoriam ἀθεότητα, dum in suis illis cogitationibus euanescunt.

Theologia perfectior est vel Scholastica, vel Ecclesiastica. Illa dici potest *magis theorica, hac magis practica.*

Vsitata est in Scholis distinctio Theologię, in positiuam, scholasticam, in practicam, & in controuersam. Positiuam Theologiam appellãt ipsam sacram Scripturam, seu diuinam historiam, quam vulgo vocamus Biblia, item Testamentum. Augustinus diuinum codicem dixit, Gregorius Magnus Epistolam omnipotentis Dei & Imperatoris cœli & terræ ad creaturam suam. Dicitur autem *Theologia positiua*; quia legibus ratiocination[illegible]n, definitionum ac diuisionum nõ coarctatur, nec in eam tradendam cadit omnino ea disceptãdi ratio, quæ Scholasticæ penitior adhibetur. Ac quidem quæ Græcis est θέσις, hæc Latinis est positio, quæ non semper significat assertionem probabilem, vt vult Philosophus in Topicis, sed etiã sententiam ratam, stabilem & firmam denotat. Huiusmodi sententię cum in sacra Scriptura præcipuum locum habeant, illa appellata est Theologia positiua. Augustinus vocat artem Patris: *qui* (sunt illius verba) *potest speciem imprimere, ac lumen infundere, atq; virtutem dare cordi audientis, cathedram habens in cœlo, & intus corda docens Filius Dei, & Ars Patris.* Hæc Theologia positiua est vniuersæ Theologiæ, quatenus in subiecto est, basis & fundamentum.

Vsitata Theologiæ πδεγχημα-ρία.

Theologia Scholastica est, quæ positiones sacræ Scripturæ, seu Theologiæ positiuæ in methodum redigit, & conclusiones rationibus petitis inprimis è sacris literis probat. Quod cum in Scholis potissimum argumentando comparatur, id nomen sortita est. *Theologia practica* illis specialiter dicitur Theologia casuum. Sed latius oportet extendere illud vocabulum, ita vt Propheticam & Acroamaticam quoque complectatur. *Theologiam controuersam* vocant, quæ tractat de controuersiis religionis. Verum hæc est pars Theologiæ Scholasticæ.

Theologia Scholastica.

Theologia Scholastica est sapientia magis theoretica, quæ sacrarum literarum nixa fundamentis, ex principiis fidei à Deo reuelatis conclusiones colligit theoreticas, in principiis ipsis implicatas. Hæc igitur differt à Theologia positiua, naturali itē & practica. A positiua differt non re, sed modo. Nam positiua non proponit res disputandas, sed sententiam ratam & firmam ponit, præcipue in pietatem incumbens. At Theologia Scholastica disputat de rebus iusto ordine comprehensis, vt ne pietatis fundamenta ab hæreticis & schismaticis conuellantur. Porro Theologia naturalis, Dei naturam & cultum per naturæ argumenta & rationes inquirit: at Scholastica Dei naturam, virtutem, proprietates, cæterasque res diuinas per ea principia vestigat, quæ sunt in hominibus reuelata diuinitus. Denique hæc ipsa differt à Theologia Ecclesiastica, seu practica; quia illa procedit methodo accuratiore, & potissimum propositam habet cognitionem, ista populum res easdem docet, sed populariter, & magis propter actionem.

Theologia Ecclesiastica, est sapientia rerum diuinarum magis practica, quæ sacrarum literarum nixa fundamentis ex principiis fidei & vitæ sanctæ à Deo reuelatis conclusiones colligit practicas pro ratione subiecti populariter. Dicitur *Ecclesiastica*; quia magis locum habebat in Ecclesia, quam in Schola.

Estque vel communis, vel propria.

Theologia casuum.

Communis est, quæ omnem omnino Christianum, sine discrimine informat, ad pacandam conscientiam tentatam. Hæc dicitur ab aliis *Theologia casuum*, item *Theologia casuum conscientiæ*: ab aliis *Theologia* simpliciter, sicut theoretica pars Theologiæ illis dicitur *Theosophia*. Dici quoque potest *Soterologia* ἐξοχῆ quadam.

Propria, est vel Prophetica, vel Acroamatica. Hæc dicitur propria; quia non concernit communiter quemlibet Theologum, seu Christianum; sed vel doctorem Ecclesiæ, vel auditorem.

Prophetica quæ dicatur?

Prophetica, est sapientia rerum diuinarum, quatenus illas tractare debet Doctor Ecclesiæ: cuius pars præcipua est illa, quæ dicitur *politia Ecclesiastica*.

Acroamatica, est sapientia rerum diuinarum, quatenus circa illas occupari debet Christianus auditor in Ecclesia Dei existens.

Hanc SS. Theologiæ è subiectis distributionem hoc modo probamus. Theologia debet diuidi secundum subiecta ædificabilia, seu secundum

subie-

subiectum informationis, quod est homo. Ratio est; quia Theologia sic debet proponi, vt per illam possit Theologus esse perfectus. Hinc iam argumentari licet hunc in modum. Quot modis homo Christianus est ædificabilis, tot debent esse media, vt ita dicam, ædificatoria, seu ædificantia. Atqui homo Christianus sex modis est ędificabilis, quod sic patet. Homo Christianus consideratur vel in latitudine seu amplitudine naturæ suæ, quatenus est homo, vel quatenus est Christianus. Hominem Christianū in amplitudine naturæ, seu qua hominem, informat Theologia; quæ docet cognitionem Dei, & cultum eius, per principia naturæ quatenus illa sunt repetita in sacris literis. Homo, qua Christianus, est vel initiatus, vel confirmatus. Illum informat Theologia Catechetica. Homo, qua Christianus confirmatus, consideratur vel tanquam membrum Scholæ Theologicæ, vel tanquā membrum Ecclesiæ. Illum informat Theologia Scholastica, hoc est, accuratior illa & disputatoria: hūc informat Ecclesiastica. Hic velim te notare, magnum esse discrimen inter cathedram Scholasticam & Ecclesiasticam. Illa breuiter, sine coloribus oratoriis, & accurate; hæc cum ornatu Rhetorico, & populariter proponit res diuinas. Nō igitur hanc vocem *Scholastica* cum Seneca, Beda, & aliis, sed cum Cicerone hominem de Schola vocat, qui optime eruditus & doctus fuisset à magistro: Scholas item quinq; dierum vocat, quæ habitæ fuerant à præstantibus viris, accuratas & politas disputationes. Seneca vero Scholasticū dicit eum, qui probe erat in declamationibus exercitatus; quem secuti *Beda, Gennadius, Sidonius, Apollinaris, & Hieronymus*, qui oratores disertos vocant Scholasticos, & eloquentiam Scholasticam, quæ perfecta & summa est, dicunt. Vide *Cic.* 1. *de orat. in Pison. &* 1. *Tuscul. Senec. lib.* 10. *controuers. Bedam de arte metrica. Gennadium in vita Iuliani Capuani. Sidoniū lib.* 16. *ep. epis.* 17. *Hieron. in epist. ad Titum.* Hinc factum est, vt vir doctissimus qui docendæ iuuentuti pręficiebatur, Scholasticus appellaretur. Et hoc modo postremo tuū erit accipere vocabulum, quando audies nominari Theologiam Scholasticam. Cæterum homo Christianus confirmatus, quatenus est mēbrum Ecclesiæ, consideratur vel communiter, vel singulariter. Illum informat Theologia casuum: hunc Prophetica, & Acroamatica.

CAP. XIX.

Theologia in indiuiduo.

C*Onsiderauimus Theologiam in subiecto communiori; considerabimus nunc illam vltimo loco in subiecto angustiori, quod est indiuiduum*: vnde & potest appellari *Theologia in indiuiduo.*

Indiuiduorum nullam esse scientiam iam olim tradiderunt Philosophi. Sed hoc cum grano salis accipi debet. Nam indiuidua sunt vel μοναδικὰ, vel καθ' ἕκαστα. Μοναδικὰ sunt certa & stabilia, numeroque *Indiuidua sunt vel*

μοναδικὰ vel καθ' ἕκαστα.

certo finita seu comprehensa: qualia sunt Deus, Mundus, Sol, Luna, &c. quæ considerari possunt & debent tanquam vniuersalia. Indiuidua καθ' ἕκαστα rursus duobus spectantur modis. Nam vel nobiliora, vel omnia promiscue veniunt in considerationem. Nobiliora illa omnino cognosci possunt in certis disciplinis. Ratio; quia finita sunt. Omnia vero indiuidua, promiscue spectata non cadunt sub cognitionē; quia sunt infinita. At infinitorum nulla est scientia. Certe cribro citius hauseris Oceanum, quam certam infinitorum scientiam assequare. Nos igitur considerabimus Theologiam ratione nobiliorum indiuiduorum; quæ consideratio multum vtilitatis habet, tum ad decidendas quæstiones multas controuersas, tum ad cognoscendam ideam Theologi viatoris, quatenus illa idea in hac vita potest obtineri Dei miseratione.

Theoremata hic sunt.

αʹ 1. [*Theologiæ modus in indiuiduo est varius.*] Modum hoc loco appellamus, non formam Theologiæ (nam hæc in omnes ipsius gradus semper diuina est) non viam comprehensionis & perceptionis illius (nam hæc quoq; diuinum opus est, & gratiæ diuinæ signaculum) sed quantitatem, vt ita dicamus, comprehensionis & perceptionis illius, quæ ad hominem peruenerit. *Franciscus Iunius de Theol. cap.* 17. Nam vt vasis pro quantitate ipsorum plus liquoris, aut minus infunditur: ita etiam animæ hominum plus aut minus dilatantur virtute Dei, vt fiant capaces cum aliorum donorū spiritualium, tum huius ipsius sapientiæ. Cum igitur sint infinita, vt ita dicam, indiuidua, hanc Theologiam participantia, non potest certa illorum indiuiduorum singulorum haberi scientia, nisi respiciamus nobiliora, tanquam capita certa, quibus aliqua saltem huius rei, quæ agitur, ratio demonstrari possit ad commoditatem instituti nostri.

βʹ 2. [*Theologia in vnoquoque indiuiduo variat.*] Theoremate primo diximus, Theologiæ in indiuiduo spectatæ, modum esse varium. Varietatis istius causa nobis inuestiganda nunc est. Causa illa non est in ipsa Theologia; quippe quæ absolute considerata est vniformis, vt supra prolixe multis in locis demonstratū. In subiecto igitur ipso, seu indiuiduo, causas illas quæramus oportet. Causa huius varietatis est duplex; vna est in subiecto, absolute & in se spectato, altera in eodē, cum aliis collato. Causam primam hoc theoremate expressimus. Mutari vnumquemque Christianum in sese, communis experientia testatur luculentissime. Proinde in eodem mutari oportet Theologiæ modum. Mutatio autem illa Christiani hominis in seipso à duobus existit principiis, quorū vnū est natura, alterum, gratia. Natura est principium Christiani, qua homo est: gratia est principium Christiani, qua Christianus est, hoc est, euectus & cōstitutus supra terminos naturę, & pręditus sapiētia supra naturę suæ modum. Naturā, prius illud principium, mutabilē esse, & quasi volui perpetuis gyris & cir-

Causa, ob quam Theologia variat in variis indiuiduis.

& circulis mutationum est ὀφθαλμοφανής. Gratiam quoque per varios mutationum gradus in homine agere docet Scriptura, & vident ipsi electi, & vere alij hoc colligunt è signis gratiæ & effectis variis, quæ homines renati edunt. Horum duorum principiorum in homine concurrentium effectus plane sunt diuersi. Etenim natura consideratur, vel vt corrupta, vel vt regenita. Quatenus corrupta est, per se fertur ad interitum. Quatenus renata est, ex parte talis est. Oportet igitur hominem illum nostrum ψυχικὸν 2. *Corinth.* 4. *naturalem*, seu externum minui atque corrumpi corruptione admodum salutari (nam hominis nostri externi corruptio est generatio illius interni, vt ita dicamus) internum vero, quem agit gratia, indies augeri atque renouari. Quo fit, vt nos omnes, quos Deus Theologiæ suæ alumnos gratiose fecit, retecta facie gloriam Dei vt in speculo intuentes, in eandem imaginem transformemur ex gloria in gloriam, sicut à Domino, Spiritu. 2. *Corinth.* 3. Sic naturæ corruptæ infirmitas per se indies eo magis deficit, quo magis proficit gratiæ efficacitas, cuius gratiæ author est Spiritus virtute sua; Spiritus, inquam, ille Dei, qui omnia hæc in omnibus efficit, distribuens priuatim singula sua dona sicut vult, Theologiam hanc singulariter cum vnoquoque hærede diuinæ gratiæ, communicat; pro suo beneplacito. Si quæras, cur Deus pedetentim, vt ita dicam, nos promoueat de vno gradu in alium, sicut in Schola discipulus ex inferiore classe ad superiorē ascendit; respondebo, primo Deum esse agens liberrimum, ideoque liberam eius voluntatem esse supremam huius rei causam. Deinde Deus vult augescere sensim virtutes illas supernaturales in nobis, vt magnitudinem miseriæ nostræ agnoscamus, & nos nihil sine auxilio diuino posse præstare in his rebus sentiamus, adeoque misericordiā ipsius deprædicemus; denique, vt vnus alterius onera portet, & firmior infirmiori succurrat.

3. [*Theologia in indiuiduo considerata variat inter omnes.*] Præcedens theorema ostendit primam causam varietatis: hoc alteram causam monstrat, videlicet quod vnus homo ab alio maxime differat. Nam quemadmodum ex duobus illis principiis, natura & gratia, mutationem in seipsis experiuntur singuli: ita etiam ab eisdem principiis fit, vt sapientiæ huius cœlestis modus inter omnes sit diuersissimus. Naturam si spectemus, illa est vel communis, vel singularis. Ratione naturæ communis nulla est differentia in hominibus. Illa siquidem in omnibus est eadem. Singularis autem natura est vniuscuiusque propria, siue, vt Græci Patres dixerunt, χαρακτηριστική. Sicut igitur omnibus hominibus maxima intercedit conuenientia cum seipsis ratione naturæ communis: ita maxima differentia intercedit ex illa singulari & propria. Ergo vt secundum naturæ communis leges & mutationes, mutationem subeunt omnes homines communiter: ita quoque secundum naturæ particularis rationem, suas quisq; mu-

tationes fert singulariter. Prout igitur natura singularis in hoc magis, in illo minus diminuitur, eo magis, vel minus augescit gratia. Hæc enim naturam corruptam oppugnat, & tandem expugnabit. Prout, inquam, in mentibus piis effertur & adsurgit gratia, pari modo, ac velut contrariis, vt loquuntur, gradibus natura deprimitur. Pari passu procedunt illæ; hæc deficiens, illaque proficiens: perinde ac si quis dolium vtrinque pertusum inferne deplens, superne impleret liquore altero, qui inferiorem detruderet, aut aliquem impurum liquorem subsidentem puro spiritu superne immisso deturbaret.

» 4. [*Theologia in vnoquoque indiuiduo, in quo vere inest, perfecta est, perfectione* » *partium, at non graduum.*] Duplex est perfectio, vt theoremate hoc innuitur. *Perfectio partium* dicitur, qua res habet partes sibi debitas: vt corpus hominis, quod constat omnibus membris tum essentialibus, tum integralibus. *Perfectio graduum* est, qua res possidet omnes suas partes in gradu excellenti: vt si corpus humanum sit in gradu intenso formosum. Theologia viatorum (quæ etiam bonorum operum est ratio in fidelibus) perfecta est, perfectione partium, quatenus vere Theologi, hoc est electi, cognoscunt totam rationem rerum diuinarum, secundum omnes partes, quas ad salutem scire oportet. At nullus viatorum totam formam Theologiæ absolute dictæ per omnia comprehendit. Si placet, sic distingue: totam Theologiam scit electus, & non totum Theologiæ. Plenius hæc excutiamus. Gradus in modo Theologiæ sanctæ sunt innumerabiles, nempe quantū ab imo illius gradu, qui nihilo est proximus, ad summum gradum, quem homo nunquam potest contingere, interuallum accidit & graduum differentia. Quod si vllus homo summū istum gradum posset contingere, vtique Prophetæ & Apostoli illum contigissent. Sed hi non contigerunt. Etenim summus Theologiæ gradus est solius Dei proprius; huic proximus est, qui cadit in personam Christi, quatenus ille consideratur, non dico vt Deus, (sic enim primus gradus ibi locum habet) sed vt mediator; hunc sequitur gradus tertius, qui in tres alios subdiuiditur. Aut enim in Angelis & beatis consideratur, aut in renatis, & iis quidem, vel perfectioribus, vel imperfectioribus. Inter renatos perfectiores facile excellunt Prophetæ & Apostoli, in quos singularia dona contulit Dominus pro singulari vocatione & administratione ipsius, ad Spiritus illius & sapientiæ demonstrationem. Quomodo in illis se habuerit Theologia, declarabit sequens theorema.

Perfectio duplex, graduum & partium.

» 5. [*Propheta & Apostoli quatenus amanuenses fuerunt Spiritus sancti, totam* » *perfectamque Theologia formam acceperunt, quatenus illa hominem debebat sapien-* » *tem reddere ad salutem, sed totam ipsius formam omnibus numeris absolutam non* » *acceperunt.*] In hoc theoremate multa dicuntur, quæ studiosissime obseruare oportet. Principio dicitur, *quatenus amanuenses fuerunt Spiritus sancti*, Consi-

Propheta & Apostoli quomodo fuerint Theologi?

Conſiderari ſcil. duobus modis debent ſancti illi homines, ſingulariter & communiter. Singulariter tanquam organa Spiritus ſancti peculiariter ſanctificata ad cœleſtem veritatem annunciandam. Communiter conſiderantur tanquam fratres noſtri, eiſdem infirmitatibus obnoxii, quibus in hac noſtra peregrinatione à Domino obnoxii ſumus. Hic quæſtio ſuboritur, num ne illi priori modo ſpectati totam diuinarum rerum cognitionem, quatenus illæ cognoſcibiles ſunt, habuerint communicatam à Deo? Reſp. negando. Ratio: Quod ſolius Dei eſt proprium, id ſeruis eius non eſt transſcribendum, Quod competit cauſæ principali, iniq; tribuitur inſtrumentali. Obiicis: Ergo Scriptura eſt imperfecta. Reſpon. Conſequentia hic nulla: Prophetæ & Apoſtoli non cognouerunt res diuinas, prout illæ ſunt cognoſcibiles. Ergo illa cognitio, qua fuerint prædíti, fuit ſimpliciter imperfecta. A negatione modi ad negationem rei nō valere conſequentiam, iam olim in ſcholis didicimus. Perfectio eſt illa res, quæ hic in conſiderationem venit. Modus illius varius; quæ varietas ſi probe aduertas animum, ad tres gradus reducitur. Eſt perfectio independens & illimitata. Hæc eſt ſolus Dei. Eſt enim ipſa diuina eſſentia. *Deinde* eſt perfectio dependens, ſed illimitata. Hæc eſt Chriſti Seruatoris, cui Pater non admenſus eſt Spiritum. Tertio eſt perfectio dependens & limitata. Hæc eſt gloriæ, gratiæ, & naturæ. Tribus hiſce gradibus, qui ſunt in vltimo gradu tanquam genere ſuo, accidere dependentiam, eſt manifeſtiſſimum. Dependent enim à Deo, datore omnis boni in natura & ſupra naturam. Limitationem iiſdem accidere, probatur per partes. Primum (vt ordine retrogrado procedam) perfectio naturæ eſt limitata fine & modo rebus naturalibus competēte. Finis illis propoſitus eſt perfectio vniuerſi, ad Dei gloriam demonſtrandam. At vniuerſum finitum eſt. Ergo & res omnes naturales tales ſint oportet. Si finis limitatus, etiam modus ſeu media limitata erunt. Hæc enim amabilitatē à fine, & menſuram ſuam habent. Deinde perfectio gratiæ limitata eſt ſubiecto & fine. Subiectum huius perfectionis eſt homo peccator, ſed reſtitutus, adhuc ſubſiſtens in via ad patriam. Finis, eſt cognitio ſeu viſio Dei in ſpeculo & in ænigmate, 1. *Cor.* 13. Hunc enim finem in hac via aſſequitur viator. Deniq; perfectio gloriæ quoque limitata eſt, ſubiecto item & fine. Subiectum eſt homo, ſed finitus, non infinitus. Finis iſtius perfectionis, eſt viſio Dei clara, ſed ita vt maneat diſcrimen inter viſionem, qua Deus videt ſeipſum, & illam, qua creatura videt eſſentiæ illius ſtructuras, quales ferre poteſt lumen intellectuale finitum. His ita conſtitutis ſic aio. Prophetæ & Apoſtoli aut fuerunt naturaliter perfecti in hac vita, aut non, perfectione totali & omnimoda. Si illud, habuerunt corpora Adamico illi in ſtatu integritatis ſimilia; quod abſurdum eſſe docet Scriptura. Si hoc, multo minus perfecti fuerunt ſupernaturaliter. Accedit & hoc. Si Apoſtoli totam for-

Tres gradus perfectionis Theologica.

mam

mam rerum diuinarum habuissent cognitam gradu eminentissimo; Angelis & beatis fuissent perfectiores. Manet igitur, quod non acceperint cognitionem rerum diuinarum, prout illa in se perfecta est. Perfecta autem illis obtigit cognitio rerum diuinarum, quatenus illas Deus voluit Ecclesiæ suæ militanti reuelare. Hæc est vera perfectio, quæ rei alicui competens est. At perfectio illa est talis, quam tribuimus hoc loci Prophetis & Apostolis. Hic non discutio illud, annon Deus perfectiori modo potuisset tradere verbum suum per Prophetas & Apostolos; quam fecit? Videtur, quod potuerit, si spectemus absolutam illam potentiam, qua Deus plura potest, quam vult. At si spectemus illam actualem, qua Deus facit id, quod vult, & vult id, quod videt optimum, dicamus oportet; Deum cornu copiæ, thesaurum, & penu perfectionis supernaturalis in sacra Scriptura tradidisse. Hoc si ita est, dicat aliquis, cur tot volumina sunt tradita, quæ constituunt sacrum canonem? An non vnico scripto potuisset totum salutis nostræ negotium proponi? An canon in libris Mosis non fuit perfectus? Resp. Perfectio Scripturæ consideratur vel secundum essentiam, vel secundum quantitatem. Canon est perfectus essentialiter in vno aliquo scripto, verbi gratia, prophetia Ieremię: sed perfectio quantitatiua pendet à iusta singulorum voluminum complexione, qua fit vt habeamus systema systematum perfectissimum. Quare vnus Scripturæ liber ab altero non differt essentia aliqua specifica, sed gradu perfectionis; quem gradũ Deus accommodauit tempori. Sic perfectus fuit canon in politia Mosaica; sed illi accessit (nihil essentiale,) gradus duntaxat nouus per canonem Apostolicum superadditum. Totam igitur Theologiam Moses tradidit, totam illius formam literis consignauit, si spectes principia illa prima fidei nostræ & vitæ; in quibus principiis tota Theologiæ natura virtualiter continetur. Hæc principia progressu temporis fuerunt clarius explicata à successoribus Mosis, Prophetis, & horum successoribus, Apostolis, pro exigentia circumstantiarum. Hæc principia, & conclusiones ex illis deductas, Prophetæ & Apostoli singulari quadam & extraordinaria virtute, sibi à Spiritu sancto indita, comprehenderunt; sed totam Theologiæ formam gradu excellenti non comprehenderunt. Mens illorum fuit illustrata & dilatata virtute illa diuini Spiritus, at non in infinitum, vel infinita quadam perfectione. His obstare videtur illud, quod Prophetæ & Apostoli interdum falsa dixisse & scripsisse videntur. Nam 2. *Sam.* 16. dicebat Samuel, cum videret Eliabum, fratrem Dauidis maximum, hic vtique coram Iehoua est vnctus ipsius. Dicebat item Nathan Dauidi 2. *Sam.* 7. ædificationem domus sacræ cogitanti, quidquid est tibi in animo, fac: nam Iehoua adest tibi. Scribebat Paulus *Rom.* 11. se profecturum in Hispaniam, & ea profectione ad Romanos venturum esse. Idem Corinthiis & Thessalonicensibus. Cum igitur falsum dixerint, & scri-

Perfectio Scripturæ considerari debet duobus modis.

& scripserint illi, quomodo (dixerit quispiam) Scriptura perfectum instrumentum appellari potest? quomodo numeris omnibus absoluta, in qua responsa & promissa falsi comperta sint? Resp. 1. Oportet distinguere scientiam rerum diuinarum à consiliorum, voluntatis & humani iudicij scientia. Res diuinæ sunt, quas Deus facit, & testatur sermone suo. In consiliis & iudiciis humanis numeramus ea, quæ citra testimonium Dei ab hominibus quamuis sanctissimis, proferuntur. Eiusmodi fuerunt illa Samuelis & Nathanis iudicia, cum suo iudicio seu secundum opinionem suam minime malam, inconsulto Deo, contra statuerent, quam Deus arcano suo consilio definierat. Neque enim quia Prophetæ erant, homines esse desiuerant: sed vtrumque genus actionum ab illis exercebatur, humanum secundum naturam, propheticum vero secundum reuelationem gratiæ. Atque hoc est, quod paulo ante diximus, Prophetas & Apostolos considerandos esse communiter & singulariter. Sic Samuel & Saul communiter considerati non fuerunt constituti extra periculum errandi, vt ex hoc falso ipsorum iudicio videre est, quod Scriptura narrat ex veritate; id quod fides historiæ sacræ postulat. 2. Aliud est promittere in certitudine veritatis; aliud, in veritate mentis. Solus Deus promittit in certitudine veritatis; Paulus promisit in veritate mentis, permittens Deo rei totius certitudinem, hoc est, humanitatis studio, & reuelationis particularis conscientia Paulus promisit se aduenturum Romam, Corinthum & Thessalonicam, certa fiducia diuinæ gratiæ; quæ promissa hæc humana probat, etsi minime perficit. Hac de re vide quæ ipse Apostolus adfert ad huius dubij solutionem. 2 *Corinth.* 1. *à v.* 15. *ad finem*. Sed nunc percenseamus nobiliora indiuidua, in quibus Theologia nostra præ aliis veluti emicuit, adeoque illius originem, incrementum, & gradus varios inspiciamus: vnde & præter commoda paulo ante dicta, & hoc cumprimis ad nos perueniet, vt habeamus catalogum testium veritatis diuinæ, adeoque successionem seruorum Christi peruideamus. Historicam autem seruare methodum oportebit.

Theologi fuerunt vel ante lapsum, vel post lapsum. Ante lapsum Theologi fuerunt illi protoplasti, Adam & Eua. His inerat rerum diuinarum, quatenus humana conditio patiebatur, perfecta cognitio, quæ durauit, quamdiu illi non peccarunt. Et hæc fuit quasi infantia & innocentia S. Theologiæ.

Theologi post lapsum floruerunt tempore Veteris vel Noui Testamenti.

Theologi, qui floruerunt tempore V. T. considerari possunt secundum quatuor potestates in populo Dei, quæ fuerunt, patria, iudiciaria, regia, & sacerdotalis. Quatuor hæc regimina populi Dei satis commode obseruari posse in texendis Chronologiis sacris existimo: ita vt potestas patria dicatur illa, qua Patriarchæ familias suas regebant, ab Adamo peccatore vsque ad Mosen exclusiue: iudiciaria, qua iudices præfuerunt populo Dei, à Mose vsque

ad Saulem: regia, qua regibus commissum fuit sceptrum, à Saule vsque ad Ezram & Nehemiam: sacerdotalis, qua sacerdotes ferme præfuerunt populo Dei, ab Ezra vsque ad Christum.

Theologi tempore potestatis patriæ.

Theologi, qui floruerunt tempore potestatis patriæ, fuerunt ipsi Patriarchæ, tum ante, tum post diluuium.

Hic est theorema:

„ [*Ab Adamo peccatore vsque ad Mosen quatuor interualla constitui possunt, per*
„ *quæ continuata fuit doctrina cœlestis successio.*] *Primo*, Adam à Deo accepit suam Theologiam post lapsum. *Secundo* ab Adamo Mathusalem accepit Theologiam vna cum cæteris. *Tertio* à Mathusalem accepit Sem vna cum cæteris. *Quarto* à Sem acceperunt illam Iacob, & reliqui vsque ad Mosen: quanquam fuit ab ipso Deo immediate repetita & confirmata sæpius. Variis autem modis fuit infestata, & obscurata doctrina sacra hoc toto tempore. Nam inde ab Adamo vsque ad confusionem Babylonicam, annis bis mille licet falsis de Deo opinionibus deprauata non sit (dum enim fuit vna omnium hominum lingua, nulla fuit idololatria) tamen inscitia partim, partim malitia posteritatis Cain valde fuit obscurata, adeo vt pauci fuerint, quos Deus è tanta multitudine è diluuij periculo liberaret. At deinceps vsque ad exitum Abrahami ex Mesopotamia (quamuis breuissimo spatio, nempe annorum triginta vel quadraginta) valde excreuit idololatria. Ac tamē à magistro ipso Abrahamo orbis terræ pars maior, si non omnino saltem aliquam Theologiæ & religionis Iudaicæ partem suscepit. Hinc enim factum est, vt tam multæ gentes amplexæ sint circumcisionem. Quæ res vetustissimis authoribus occasionem dedit disputandi contra Græcos de religione, sumto hinc argumento, religionem Iudæorum omnium esse antiquissimam. Quæ item causa fuit, cur Ægyptij & Chaldæi inter omnes gentes, quoniam edocti fuerant ab Abrahamo, maximi Theologi habiti fuerint, eorumque scripta Theologica magno in pretio fuerint, nempe Trismegisti, Berosi, Iamblichi & aliorum. Vide orationem Stephani *Act.7. à v.1 vsque ad 36.* Theologi huius temporis præcipui à lapsu Adami vsque ad Mosen missum, hoc est, annum mundi 2450. fuerunt hi, Adam, Seth, Enos, Enoch, Noa, Sem, Eber, Abraham, Isaac, Iacob, Iob, Ioseph.

Theologi tempore potestatis iudiciariæ.

Theologi, qui floruerunt tempore potestatis iudiciariæ, à Mose vsque ad Saulem, fuerunt Moses, Aharon, Sacerdotes, Leuitæ, & Prophetæ, iudices item ipsi, tanquam custodes vtriusque tabulæ Decalogi. Moses doctrinam primum accepit à maioribus suis, deinde fuit immediate edoctus à Deo, quo docente, manumq; eius & cogitationes ducente, historias à prima mundi origine descripsit. *Aharon* sacerdotium perpetuum cum sua progenie obtinet. *Sacerdotes* explicabant populo legem, administrabant ceremonias sacras à Mose præscriptas, & inprimis sacrificia, populo benedicebant, causas ad ipsos delatas

delatas iudicabant, exhortabantur milites in prælium aduersus hostem processuros, clangebant denique cum tubis clangoris contra hostes. *Mat.* 2.*v* 7. 2.*Chron.*13.*v.*10.11. *Num.*6 *ver.*13. 2.*Chron.*19.*v.*8. *Deut.*21. *v.*5. *Deut.* 20.*v.*2. 2.*Chron.*13.*v.*12. *Leuitæ* adiuuabant Sacerdotes in peragendo cultu Dei, curabant tabernaculum, & omnia ad id pertinentia, & causas dubias vna cum Sacerdotibus diiudicabant. *Num.*1. *ver.*50. *cap.*3. *v.*7. *cap.* 4. *v.*2. & 2. *Chron.*19. *ver.* 18. Et hi erant ordinarij Theologi: sed *Prophetæ* erant extraordinarij, qui excitabantur diuinitus, ad instaurationem doctrinæ corruptæ, ad accusanda peccata, & prædicendas pœnas, tum ad vaticinandum de Messia exhibendo, eius conceptione, natiuitate, passione, morte, glorificatione, & aliis rebus, tum denique ad quorundam politicorum consiliorum gubernationem. Inter Sacerdotes & Leuitas huius temporis post Aharonem fuerunt præcipui Eleazar & Pinehas. Debora fuit dux & prophetissa. Eli functus est officio Sacerdotis & Ducis seu iudicis. Samuel fuit Propheta & dux seu iudex. Hoc igitur tempore à Mose, vsque ad annum mundi 2878. quo Saul vnctus fuit in regem, Theologia maxime floruit; quippe quæ tum primo literis fuit consignata, tumque constituti sunt Sacerdotes, Leuitæ, & Prophetæ vocati, qui omnes Theologiam profiterentur. Apertæ quoque fuerunt Scholæ, in quibus filij Prophetarum instituti sunt.

Theologi tempore potestatis regiæ.

Theologi, qui floruerunt, tempore potestatis regiæ à Saule, vsque ad Ezram, præcipui fuerunt, Dauid Rex & Propheta, Nathan Propheta, Elias, Elisæus, Prophetæ sedecim, quorum scripta ad nos peruenerunt, aliique Sacerdotes & Leuitæ. Hoc tempus distingui potest in duo insigniora interualla. *Primum* est à Saule, vsq; ad Roboamum & Ieroboamum; quo tempore Theologia maxime floruit, Sub Saule, Dauide & Salomone. *Alterum* interuallum est à diuisione regni vsque ad Ezram. Diuisio illa regni, qua Ieroboam rex Israel est factus, Rehabeam vero rex Iudæ, diuisionem religionis attulit. Nam Ieroboam conflatis duobus vitulis aureis, decem tribus in idololatriam compulit, pretioque Sacerdotes & Prophetas constituit. Erant quoque continua bella inter duos reges Iudæ & Israelis, quæ faciebant, vt sacrarum literarum studia ferme silescerent. Res nimirum eo deuenerant, vt aliquando vnus duntaxat insignis ac celebris Propheta esset Elias, qui veram Theologiam tenuerit, cum quadringenti falsam profiterentur. Ac in ipsa Iudæ Ecclesia, vbi tum religio vera colebatur, vix vnus aliquando liber legis inueniri poterat. Nam Iosias singulari Dei beneficio tribuit, quod quendam librũ legis Helckias Sacerdos in templi quodam angulo compererit. Et vero deportatio Babylonica non parum damni dedit professioni Theologicæ. Hæc tamen sic accipi velim, vt simul & hoc teneatur, nunquam penitus intercidisse vel intermortuam esse veram religionem. Nam Deus excitauit Prophetas & ante deportationem Babylonicam,

& in ea, & post eam. Ante deportationem claruerunt hi: sub Ieroboam, Ionas, Amos, Hoseas & Ioel: sub Vsia, Iotham, Achas & Ezechia Esaias; sub Iotham, Achas & Ezechia, Micheas: Nahum sub Ezechia: Ieremias sub Iosia; sub eodem Sophonias; circa idem tempus Habacuc; Abdias, post deportationem Ioachinis. In deportatione Babylonica claruerunt Ezechiel, anno quinto à deportatione Ioachinis, & Daniel, tempore Nebucadnezaris, Balthasaris, &c. Post captiuitatem prophetarunt Aggæus, Zacharias & Malachias.

Theologi tempore potestatis sacerdotalis.

Theologi, qui floruerunt tempore potestatis sacerdotalis, hoc est ab anno mundi 3550. *quo Ezra profectus est Hierosolymam, vsque ad Christum, quem natum volunt anno mundi* 3947. *finiente, considerari debent secundum duo interualla. Primum* est ab Ezra vsque ad Aristobulum. Hoc tempore cœpit Theologia sacra paulatim reuiuiscere; sub Ezra, qui ab Artaxerxe Mnemone dimissus, politiam Iudaicam feliciter instaurauit; libros Mosis publice interpretatus est; sacra, dies festos, disciplinā restituit; corruptelas, superstitiones, gentilitatem extirpauit, & connubia cum ethnicis contracta diremit. Post Ezram Theologi fuerunt. 1. *Iaddus* summus sacerdos, qui Alexandrum sanctam vrbem hostili animo aggressurum placauit. 2. *Onias*, Iaddi filius, item summus sacerdos. 3. *Simon*, summus sacerdos, Oniæ filius, cognomento Iustus, qui munere sacerdotis functus est splendidissime, quod de ipso testatur Iosua filius Sirachi, qui librum ab auo Iosua inchoatum absoluit. 4. *Eleazar*, Oniæ alter filius, Simonis frater, summus sacerdos, qui Ptolomæo Philadelpho misit 72. è tribubus duodecim selectos, vt libros sacros in linguam Græcam transferrent. 5. *Onias*, Sacerdos, Simonis Iusti primus filius, Oniæ nepos, qui tanta gratia, propter pietatem fuit, vt apud suos esset venerabilis; tanta dignitate propter humanitatem, vt exteri quoque eum colerent. At *Iason*, sacerdos, ante dictus Iosua, Simonis alter filius, Oniæ frater, & nomen, & religionem mutauit, homo teterrimus. Hunc imitatus est *Menelaus* frater, subdole sacerdotij nomen in se transferens. 6. *Eleazar*, doctor legis, qui carnes suillas edere recusans suo sanguine doctrinam obsignauit. 7. *Matathias*; qui contra Antiochum Epiphanem arma cepit, religionem & populum Israeliticum fortiter defendit. 8. *Iudas Maccabæus* Matathiæ filius, premit vestigia parentis, & suscipit legis diuinæ defensionem. 9. *Ionathas*, dux & Pontifex, succedit fratri suo Iudæ, cui fuit per omnia similis, zelo, pietate, & reliquis virtutibus. 10. *Simon*, frater Iudæ, repulit Tryphonem & Antiochum Gryphum. 11 *Iohannes Hircanus*, Simonis filius, Mathathiæ nepos, tribus præcipue rebus insigniter fortunatus fuit habitus, principatu gentis, pontificatu, & rerum futurarum præsagitione. Sub hoc sectæ tres in populo Iudaico ortæ, Pharisæi, Sadducæi, & Hessæi.

Secundum huius temporis interuallum, est ab Aristobulo vsque ad Chri-

Christum. Hoc tempore cœpit Theologia magis magisque obscurari, tum multas ob sectas, quæ tunc ortæ sunt; de quibus *Epiphanius initio Panarii*: tum ob flagitia regum, tum indigenarum, tum alienigenarum. Nam sacerdotes illi, quos recensuimus, præfuerunt populo, nomine ducum: at, qui insecuti, vsurparunt titulum regium: vt Aristobulus, Hircani filius, patricida & homo nefarius: Alexander Iamneus, Hircani filius, Aristobuli frater: Alexandra Salome, vxor Iamnei, cuius filii fuerunt Hircanus, maior natu & segnis, Aristobolus minor natu & industrius. Tunc Pompeius cepit Herosolyma, & Hircano sacerdotium restituit absque regno, & Antipatrum præfecit Iudææ procuratorem. Erepta autem vrbe Romanis Antigonus fit rursum rex; at Herodes magnus, Antipatri Ascalonitæ filius, rex à Romanis contra Antigonum factus. Hoc tempore Christus est natus.

Theologi, qui floruerunt tempore N. T. sunt Christus & ipsius membra. *Theologi N. T.*

Christus fuit pater & princeps omnium Theologorum; ante quem fuit Iohannes Baptista, vnde & eius præcursor dictus fuit. Princeps hic Theologus, Iesus Christus, interpretatus est Legem & Prophetas, & noua, priscis abolitis, instituit Sacramenta, &, vno verbo, Solem Euangelii ipse Sol iustitiæ existens in tenebroso hoc mundo accendit.

Theologi Noui Testamenti, qui fuerunt membra Christi, sunt primarii, vel secundarii.

Primarii sunt duodecim Apostoli (quibus adde Paulum) item septuaginta discipuli, & quatuor Euangelistæ. Hoc tempore hæretici fuerunt Simon Magus, Hymenæus, Philetus, Alexander, Hermogenes, Ebion & Cerinthus.

Secundarii sunt veteres, vel neoterici.

Theologi veteres, sunt vel Ecclesiastici Doctores, qui dicuntur Patres, vel Scholastici.

Patres sunt Ecclesiæ doctores, qui inde ab Apostolorum temporibus floruerunt vsque ad annum Christi ferme millesimum. *Patrum Ecclesiasticorum tres classes.*

Hi in tres ordines, siue classes & ætates, *distribui possunt*: ita vt quilibet ordo propemodum 300. annos complectatur.

Primi ordinis Patres sunt, qui inde à tempore Apostolorum vsque ad Concilium Nicenum floruerunt: hoc est, vsque ad annum Christi 325. Suntque Ignatius, Episcopus Antiochenus; Dionysius Areopagita, à Paulo Athenis in Areopago conuersus; Polycarpus, Iohannis Euangelistæ auditor; Iustinus Martyr; Tatianus, illius discipulus, sed postea in hæresin lapsus; Irenæus; Clemens Romanus; Hermes, quem Paulus salutat *Rom.* 16. Athenagoras; Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus; Origenes; & Latini, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Minutius Felix Octauius.

Secundi ordinis Patres sunt, qui claruerunt inde à Concilio Niceno vsque ad Concilium Constantinopolitanum secundum; hoc est annum Christi 681. Hoc tempus diuidi potest secundum sex œcumenica concilia, & secundum illa recenseri possunt Patres.

Sex concilia œcumenica.

I. Conciliū Nicenum.

1. *Concilium primum Oecumenicum est Nicenum*; indictum à Constantino Magno, anno Christi 325. Habuit Patres ex toto orbe Christiano conuocatos 318. præter infinitam presbyterorum, diaconorum, aliorumque virorum Ecclesiasticorum multitudinem: inter quos vnus Athanasius, Alexandrinæ Ecclesiæ tum Diaconus, editis scriptis claruit. Symbolum eius tantam in Ecclesia meruit authoritatem, vt in ea tanquam canonicum cantetur.

II. Concilium Constantinopolitanum primum.

2. *Concilium secundum Oecumenicum fuit Constantinopolitanum*; ab Imperatore Theodosio maiore conuocatum. Patres hoc tempore, ab anno videlicet Christi 383. quo fuit habita illa Synodus, vsque ad annum 431. alii floruerunt in Ecclesia orientali; alii in Ecclesia Occidentali. In Orientali quidem; Basilius Magnus, vna cum fratre Gregorio Nysseno; item Cyrillus Hierosolymitanus; Macarius, Epiphanius, & Chrysostomus. In Occidentali vero Latini Patres illo tempore claruerunt, Ambrosius in Italia, Hieronymus in Palæstina, Augustinus in Africa, Hilarius, Orosius, Prosper, Prudentius.

III. Concilium Ephesinum.

3. *Concilium tertium Oecumenicum fuit Ephesinum*; à Theodosio iuniore indictum, anno Christi 431. Hoc tempore claruerunt Flauianus & Theodoretus, qui etsi hæresi Nestorianæ initio fuit addictus, postea tamen veriori cedens sententiæ, eam anathematizauit.

IV. Concilium Chalcedonense.

4. *Concilium quartum Oecumenicum fuit Chalcedonense*; indictum ab Imperatore Martiano, anno Christi 451. Tum claruerunt Leo Papa Romanus, Vigilius, Fulgentius, Gelasius Papa, Boetius Theologus & Philosophus.

V. Concilium Constantinopolitanum secundum

5. *Concilium quintum Oecumenicum est Constantinopolitanum secundum*; coactum ab Imperatore Iustiniano Primo, anno Christi 548. vel vt alii volunt, 553. Hoc tempore maxime clarus fuit Isidorus Hispalensis. Post hoc concilium tres nocentissimæ extiterunt bestiæ, quæ Theologiæ lumen mirum in modum obscurarunt; videlic. Gregorius Magnus Episcopus Romanus, Phocas Imperator & Machomed.

VI. Concilium Constantinopolitanum tertium.

6. *Concilium sextum œcumenicum est Constantinopolitanum tertium*; coactum ab Imperatore Constantino Barbato, anno Christi 681. Hoc tempore nō extiterunt Patres scriptis clari.

Tertii ordinis Patres sunt, qui post concilium sextum œcumenicum floruerunt, ab anno Christi, vsque ad Scholastica Theologiæ originem, hoc est, annum Christi 1000. Habuit hæc ætas Bedam presbyterum in Anglia, è cuius schola plerique docti viri prodierunt; Damascenum; Bonifacium, Archiepiscopum Mogunti-

guntinum, Germanorum & Gallorum Euangelistam; Paulum Diaconũ, Alcuinum, alias Albinum, Caroli Magni in Dialecticis & Theologicis Præceptorem, qui à Carolo Magno fuit adhibitus ad instituendam Academiam Parisiensem. Tempore huius Caroli Theologia maxime floruit. Ille siquidem bene multas Ecclesias fundauit, & viros literatos multis honoribus auxit. Paulo post obitum Caroli Magni, anno Christi 830. clarissimum in Ecclesia lumen extitit Rabanus Maurus, Alcuini discipulus, Abbas Fuldensis & Archiepiscopus Moguntinus, tantæ eruditionis vir, vt nec similem Italia, nec parem Germania habuerit. Huius condiscipulus fuit Haymo Abbas Hirsfeldensis, & postea Episcopus Halberstadensis. Claruerunt post hæc tempora Theophylactus, Bertramus & alii.

Scholastici Theologi sunt, qui doctrinam Theologicam in Scholis proposuerunt, disputando de controuersiis Scholastice

Scholasticorum tres sunt ætates, prima seu vetus, media & vltima. *Scholasticorum tres ætates.*

Prima ætas cœpit anno Christi 100. & durauit vsque ad annum 1220. Scholastici huius ætatis inuectas in Ecclesiam opiniones & errores, non diuinarum Scripturarum testimoniis, sed Patrum male detortis sententiis, quas scripto Dei verbo æquabãt, defendere conati sunt. Primus fuit Lanfrancus, Scholæ Papiẽsis in Italia Professor, acerrimus propugnator horrendi dogmatis de transsubstantiatione, quod Berengarius reiiciebat. Hoc tempore quoque floruerunt Guitmundus, Anshelmus, Hugo de S. Victore, Lombardus & Gratianus. Lombardus quidem Scholasticam Theologiam quatuor libris congestam, non Scripturarum testimoniis, sed sententiis Patrũ, subinde male detortis, confirmare studuit, vnde & magister sententiarũ appellatus est. Gratianus autẽ monachus, decretorum opus è conciliis, epistolis decretalibus Pontificum, è libris Patrum, ex historiis Ecclesiasticis, è legibus denique Imperatoriis congessit (hodie hæc est pars prima Iuris Canonici) in quo opere primatum sedis Romanæ propugnat. Hi duo quam plurimos inuenerunt asseclas. Lombardi siquidem libri quatuor sententiarum, tanquam fundamenta & loci communes Theologici, in Scholas recepti sunt, tanta cum authoritate, vt nemini quidem contra illos hiscere liceret. Gratiani autem canones qui profitebantur, Canonistæ, quadam excellentia dicebantur; sicut interpretes Lombardi, Scholastici. Primus inter eos, qui in magistrum illum sententiarum commentatus est, fuit Alexander de Ales, siue Alensis, quẽ vocarunt Doctorem irrefragabilem.

Media Scholasticorum ætas cœpit anno Christi 1220. *& durauit vsque ad annum Christi* 1330. Hac ætate Philosophia secularis S. Theologiam sua curiositate inutili fœdare cœpit, vt scribit *Trithemius*. Nam erores ritusque à Pontifice Romano in Ecclesiam inuecti, iam non è Patrum sententiis,

vt superiore ætate factum erat, sed ex Aristotele defendebantur, at Scriptura parce attingebatur. Hinc illæ argutulæ distinctiunculæ, & ratiunculæ operosæ, quæstiunculæ quoque futiles de quodlibetis, de realitatibus, de hæcceitatibus. Hinc factum, vt qui tum temporis vellent celebriores haberi, in Aristotelem tricubitalia volumina scriberent, Scripturas læua, quod aiunt, tractarent. Scriptores huius ætatis præcipui sunt Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Iohan. Duns Scotus, cognomento Doctor subtilis, Occam, Alanus de Insulis, Alexander de Alexandria, Bonauentura, Durandus, Nicolaus de Lyra, &c. Non simpliciter repudio huius classes authores (habent enim multa egregia, vt dicetur libro 2. horum præcognitorum) sed hoc reprehendo, quod S. literis non habuerunt eum honorem, quem decet subditos habere epistolæ Principis sui.

Vltima Scholasticorum ætas cœpit anno Christi 1330. & durauit vsque ad annum 1517. quo tempore Lutherus cœpit florere. Habuit hæc ætas Ioannem de Regno, Henricum de Vrinaria, Iohanem Capreolum, Petrum de Aliaco, Iohannem Gersonem Cancellarium Parisiensem, Cardinalem Cameracensem, Gabrielem Biel, Eccium, &c. Fuit autem hæc ætas superioribus longe deterior. Nam quæ in media ætate tantum in quæstione & deliberatione erant posita, ea omnia hæc ætas definiuit.

De his Scholasticis est theorema.

[*Scholastici Doctores Theologiam quidem contaminarunt, sed formam eius non sustulerunt.*] Nam & ipsi sæpe præclara scripserunt, & alii præter illos puritatem doctrinæ, quantum fieri potuit in tenebroso illo seculo, asseruerunt; vt Bernhardus, Petrarcha, Wiclefus, Hussus, &c.

Theologi neoterici.

Theologi neoterici sunt varii; quos computamus inde ab anno Christi 1517. ad nostram vsque memoriam. Præcipui sunt Lutherus, Caluinus, Zwinglius, Melanchthon, Beza, Sadael, &c.

Hæc sunt nobiliora illa indiuidua, in quibus Theologia, quoad essentiam, fuit vna, sed ratione existentiæ diuersissima.

PERORATIO LIBRI PRIMI PRÆCONITORVM THEOLOGICORUM.

HAEc sunt, quæ pro tempore summus Theologus dedit nobis seruis suis, vt ad communem ædificationem adferremus de natura Theologiæ; quam docuimus perfectissimam esse & infinitam in Deo; perfectissimam & finitam in Christo, secundum Deitatem ipsius; perfectam absolute & in se consideratam; perfectam item in Angelis & beatis, cuius symbolum & ænigma est Theologia in Scripturis reuelata, cuius utrum

rum particula est Theologia hæc nostra, quæ quidem in nobis hic inesse potest; ita vt hi sint gradus veræ Theologiæ. 1. Archetypa in Deo. 2. Vnionis in Christo. 3. Visionis in Angelis & beatis. 4. Reuelationis in Scriptura. 5. Circumscriptionis (vt ita dicamus) seu modificationis in subiecto. Hæc est scala illa, cuius gradus infimus est in his terris, summus vbique; cuius gradus infimus est cum summo connexus per intermedios; cuius denique gradus infimi cum reliquis collatio veram in nobis humilitatem accendere, verum item rerum diuinarum desiderium excitare debet. Humilitatem quidem; vt ad celsitatem illam & augustam dignitatem rerum diuinarum adsurgamus, & alter alterius infirmitatem subleuemus. Desiderium autem, vt ad patriam nostram anhelemus, vbi ipsum Deum habebimus Theologum Doctorem, Christum Theologum exemplarem, & beatos Angelos, reliquosque homines Theologos symmistas. Humilitas illa faciet, vt in hoc seculo nobis proponamus finem illum optatissimum, vnitatem fidei & cognitionis Filii Dei. *Ad hanc siquidem vnitatem in communione Sanctorum omnes nos, qui filii Dei audire cupimus, concurrere oportet, & ad eam tanquam scopum coniunctissimum, collineare.* Fides *est; per quam Christum apprehendimus voluntate, & studio religiosissimo, & per quam motu vniuerso ad ipsum ferimur.* Cognitio est; *per quam Christus seipsum cernendum exhibet, & intus habitat in mentibus nostris. Horum donorum vnitas debet esse finis proximus, ad quem in hac via ad vitam illam vitalem contendamus; vt cognitione Christum sentiamus, fide ad Christum moueamur, feramur, rapiamurque motu sanctissimo, vt in nobis verum sit illud dictum Christi* Matth. 12. *vim fieri regno cœlorum, & violentos esse qui rapiunt ipsum. Quod si hunc finem in via hac nobis proponemus serio, in patria illa superna non poterit non accedere alter ille, quem desideramus,* vnitas *nempe* perfectionis in CHRISTO capite. *Cum enim Christus sit caput nostrum,* Ephes. 4. vers. 15. *ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum, per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura vniuscuiusque membri, incrementum capit corpori conueniens ad sui ipsius extructionem per charitatem; certe necessarium est, vt tandem euadamus omnes in vnitate fidei & agnitionis Filii Dei in virum perfectum seu adultum, ad mensuram staturæ pleni Christi. Ac propterea tum hoc beneficium in Christo capite nos certo assecuturos esse credendum est; tum in tota hac vita nobis sic tractanda est Theologicarum rerum cognitio, vt omnia ad hanc coagmentationem sacrorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi conferamus, donec euehamur ad iustam illam mensuram spiritualis staturæ, quam Deus Ecclesiæ suæ in Christo præparauit gloriosissimam. Atque hæc quidem est gloria illa amplissima, quam nobis Deus gratiose verbo Theologiæ suæ reuelauit, & tandem in nobis certo consummaturus est, quod Christus, ὁ λόγος ἀΐδιος τοῦ πατρὸς, in quo Pater voluit habitare omnem plenitudinem Diuinitatis, tantam communionem nobiscum statuere dignatus est, vt nos in ipso compleamur, qui est caput omnis imperii atque potestatis. Quæ cum ita sint, maximi oportet nos facere Theologiam, & hunc in modum cum Apostolo Paulo iubilare, ex* Philip. 3. v. 7. 8. 9. 10. 11. Sed quæ mihi erant lucra, ea duxi propter Christum damnũ esse. Quinetiam certo duco omnia dam-

Gradus veræ Theologiæ.


num esse propter eminentiam cognitionis Christi Iesu Domini mei: propter quem omnibus istis meipsum multaui, eaque duco pro stercoribus vt Christum lucrifaciam: Et comperiar in eo, non habens meam iustitiā, nempe quæ ex lege, sed eam, quæ per fidem est Christi, id est, iustitiam, quæ est ex Deo per fidem. Vt cognoscam eum, & vim resurrectionis eius: & communionem perpessionum eius, dum conformis fio morti eius: experiens ecquo modo perueniam ad resurrectionem mortuorum.



TYPVS

TYPVS LIBRI PRIMI PRÆCOGNITORUM Theologicorum.

De natura Theologiæ.





PRÆCOGNITORVM THEOLOGICORVM

LIBER SECVNDVS.

Qui est de Theologiæ studio recte formando.

CAPVT I.

Scopus qui propositus esse debet studio Theologiæ.



NATVRAM *Theologiæ considerauimus: nunc rationem studii Theologici consideremus.*

Non satis est scire, quid sit Theologia, quisnam illius sit ortus, quænam amplitudo & dignitas. Oportet insuper augustissimam illam facultatem excolere, si velimus vt nobis sit augusta, hoc est, vt fructus illos in nobis edat, quos superiore libro indicauimus. Nemo vero feliciter agrum aliquem colet, qui modum colendi, stercorandi, subigendi, arandi, & occandi, non habet cognitum. Ad eundem modum inepti sumus, si studio Theologico nos conseeramus non percepta ratione studendi. Hanc igitur, quod iubet præcognitorum alicuius disciplinæ lex, nunc pluribus expediemus. Agemus autem hic de ratione discendi potius, quam de modo Theologiam docendi. Sic enim persuasi sumus, non infeliciter docere posse Theologiam, aliamve facultatem, qui plenissime illam perdidicit.

Studium Theologicum est actio, qua studiosus Theologiæ occupatur circa cognitionem rerum diuinarum, vt eas aliquando possit alios docere.

In eo spectanda sunt tria, scopus, meta, & media.

In omni actione spectare oportet tria ista, finem, metam, & media. Finem quidem primo loco considerare decet; quia ille mediis conciliat amabilitatem, ordinem, & mensuram. Metam vero temporis non constituere, est hominis ignaui, & ingenij minus excitati. Denique finem sibi præstituere, & metam temporis constituere, nunquam vero media adhibere, est hominis stolidi. Cum igitur nobilissima sit illa actio, de qua tractare cum Deo instituimus, tria ista cum primis in illa obseruanda esse statuimus. Videamus singula.

In omni actione spectāda sunt tria.

Scopus in studio Theologico spectandus, est vel remotus, vel proximus.

Remotus est tum summus, gloria Dei, tum subordinatus, videlicet felicitas æterna studiosi ipsius & proximi, itemque perfectio intellectus, voluntatis, & sermonis.

De hoc scopo non est quod pluribus dicamus. Nam libro primo hac de re satabunde hoc præstitimus. Vno tamen verbo rem totam complectamur. Studiosus SS. Theologiæ in omni meditatione, disputatione, lectione, declamatione, quouis denique opere Theologico hanc sibi tabellam proponat, in qua scripta sint ista tria verba aureis literis: DEO MIHI, PROXIMO. Sic nempe fiet, vt fructuosissimas reddat horas suas, rejectis omnibus παρέργοις, vel potius ἀεργίαις. Deum primo loco sibi ob oculos ponat, vt illius gloriam ex animo quærat. Hoc erit summum illud bonum, quod per occultos misericordiæ diuinæ canales secundabit omnia media, omnes conatus, actiones omnes studiosi; quod qui sibi non proponunt, næ illi male sibi consulunt. Quod si studiosus nocte dieque Deum meditetur, eiusque gloriam vnice quærat, fiet vt & sibi & proximo fructuosa sit tota studij ratio. Nam nihil vnquam nocere potest iis, qui gloriam Dei ὁλοψύχως καὶ ὁλοκαρδίως quærunt. Præterea hoc modo fiet, vt totum hominem, hoc est, seipsum, Studiosus sacrosanctæ Theologiæ perficere studeat; intellectum quidem cognitione veri, voluntatem actione boni, & sermonem facundia spiritus. Nam non potest is gloriam Dei quærere, qui hanc triadem, vt ita dicam, vel in dyadem, vel imperfectam monadem malitiose transformat. Hoc sic accipe. Condidit te Deus Vnus & Trinus, ô homo; te vnum & trinum condidit; non quidem eo modo vt ipse est ineffabiliter Triunus, sed ad similitudinem & imaginem suam fecit te vnum & trinum. Vnus es; quia homo es, non Cerberus. Vnus, dico, ratione suppositi. Trinus es; quia homo est constans anima, spiritu, & corpore, vt docent sublimiores Theologi, quibus discrimen inter animam & spiritum est perspectissimum. Rursus trinitas illa in te multis modis emicat. Aut enim es homo ψυχικός, *animalis*; aut homo πνευματικός, *spiritualis*. Si es homo animalis, hoc est, nondum regenitus, nilque habens eximium præter animam intellectiuam, spiritus, qui ani-

Tabella, quam Studiosus Theologiæ sibi proponere debet.

mam corpori tuo coniungit, imbecillis est, anima ipsa nullo modo præstantior. At si es homo spiritualis, in te est Spiritus Dei, infinitis modis exuperans præstantiam animæ tuæ. Præterea hoc modo trinitas in te, ô homo, conspicitur. Anima tua intelligit, vult, & prodit vtrumque per corpus, nominatim per sermoné, qui est index animi & viuus quasi character illius. Ecce rursus trinitatem! Quæ cum ita sint, tuum est anniti, diuina fauente gratia, vt ne facias diuortium illorum, quæ summus ille tuus Dominus in te voluit triuna, hoc est, sic distincta, vt tamen harmonice conspirarent. Quare Triunius illius Dei gloriam vnam tum demum recte quæsieris, factoque comprobaueris, te illam quærere, si intellectum, voluntatem, & sermonem conspirare & concurrere siueris ad centrum illud, gloriam nempe Dei. Itaque in omnibus tuis actionibus, quisquis es SS. Theologiæ vere Studiosus, hoc age, hoc meditare, vt intellectum συνέσις rerum diuinarum, voluntatem πρᾶξις illarundem, linguam δύναμις ἑρμηνευτική τῶν λογίων Θεοῦ perficiat. Sic, sic euades vere Theologus; quippe conformis Deo, summo illi Theologo. Quid multis? Quoties aliquid rerum diuinarum legis, audis, meditaris, commentaris, coniunge hæc tria, & cogita, quanam ratione hoc ipsum illuminare possit tuum intellectum; qui flectere tuam voluntatem ad obsequium Dei; qui denique linguam conformare, vt illa fiat interpres, vector & portitor intellectus illuminati, & voluntatis, vt ita loquar, rectificatæ. Est enim rerum diuinarum ea excellentia, ea efficacia, vt tria illa simul præstent modo diuino, verbi gratia, versaris in loco communi Theologico, qui est de misericordia Dei, vel vt ἐμφατικώτερον dicam, de ipsius φιλανθρωπίᾳ; continuo tibi succurrat hæc nostra monitio, de perfectione triadis mycrocosmicæ per mysteria diuina. Sic fiet, vt non solum intelligas superabundantes thesauros gratiæ Dei; sed etiam Deo assimilari cupias voluntate; & adeo sermone vtrumque testatum facere studeas, vt homines videant tua bona opera (hæc enim est lux illa, per quam lumen animæ regeneratæ se diffundit, quam ex se spargit) & celebrent Patrem tuum cœlestem qui est in cœlis. Clarius dicam: In loco illo de misericordia Dei sic debes versari, vt rem hanc intelligas pro modulo fidei; tum vt intelligentia inte procreet πρᾶξιν, seu rectitudinem voluntatis; denique vt cogites de verbis, quibus hanc rem intellectam & volitam eloquare, ad ædificationem proximi. Sed quæ prolixius forsan dixi, breui canone, prout methodus nostra iubet, complectamur:

Perfectio admiranda triadis microcosmica.

" [*Studiosus Theologiæ in studiis suis spectet gloriam Dei, ædificationem sui ratio-*
" *ne intellectus, voluntatis, & linguæ, itemque ædificationem proximi, ratione trium*
" *istorum.*] Hoc canone contraxi in pauca, quæ pluribus modo dixi: & insuper aliquid adieci, quod in superioribus prætereram. Dixi modo. Studiosum Theologiæ debere anniti, vt in studiis suis quærat triplicem perfectio-

fectionem ratione sui. Sed hic aliquid amplius dico. Volo nimirum, vt triplicem illam perfectionem etiam respectu proximi quærat. Ratio huius est manifesta è sacris. Præcipit ibi Deus, vt proximum diligamus sicut nosipsos. Quare si volo, vt rerum diuinarum tractatio perficiat meum intellectum, meam voluntatem, meam linguam; necessum est, vt solicitus quoque sim, quomodo hæc tria in proximo quoq; meo obtineri & præstari queant. Exempli gratia, si modo propositum locum de misericordia Dei præ manibus habeam, mensura mei studij erit triplex illa iam aliquoties inculcata perfectio, tum quoad me, tum quoad proximum. Triplex autem illa perfectio ordinabitur ad felicitatem æternam & meam & proximi; & hæc ad gloriam Dei.

Scopus proximus, est vel simplex, vel mixtus.

Scopus simplex, est propositum, quo quis cupit excellere in vno Theologiæ gradu, eoque vel Ecclesiastico, vel Scholastico.

Scopus mixtus est propositum, quo studiosus Theologiæ cupit vtrumque illum gradum coniungere.

De hoc vtroque Scopo sunt hi canones. Sic potius dico quam theoremata; quia hæc secunda præcognitorum pars non est theoretica, vt prima, sed practica. Dicuntur autem regulæ in practicis canones potius quam theoremata.

1. [*Duo sunt veluti summi gradus & apices studii Theologici, genus docendi Ecclesiasticum & Scholasticum.*] Magna est canonis huius necessitas, vtilitas magna. Nam solent plerumque in Theologicis ita versari; vt sine delectu obuios quoscunque authores Theologos excutiant, susque deque habito discrimine illo, quod hic canon exprimit. Tu vero, qui recta es mente, diligenter illud discrimen obseruabis. Aut enim docebis populariter in Ecclesia Dei, aut acroamatice & accurate in Schola, aut vtrumq; præstare per Dei gratiam cogitas. Si illud; Scholasticos leges primo, vt intelligas fundamenta religionis, iisque ex methodico aliquo systemate cognitis superstrues Theologiam illam copiose docentem, quam vocant Ecclesiasticam, & in ea te exercebis diligentissime. Si hoc; Scholasticam Theologiam ex professo & semper euolues, & authores, qui illam scriptis comprehenderunt, tibi reddes quam familiarissimos; Ecclesiasticos etiam leges, sed ita, vt potiorem habeas rationem & curam tuorum Scholasticorum. Per Scholasticos hic intelligo omnes illos, qui controuersias religionis scriptis methodicis complexi sunt. Ad extremum, si vtrumque illud tibi proponis, vide in vtro velis excellere, in Scholasticone an in Ecclesiastico Theologiam docendi genere: Raro siquidem fit, vt aliquis in vtroque excellat. Quando iam constitutum tibi est, in vtro velis excellere, media fuerint adhibenda fini illi excellenter obtinendo.

„ *Duo docendi Theologiæ genera.*

2. [*Scopus hic erit accommodatus, fixus, & excellens.*] Hoc canone comple- „

ctimur

Tria requisita scopi in studio Theologico.

ctimur tria requisita scopi. *Primum* est, vt scopus sit accommodatus studiosi, qui Theologicis se dedere cogitat, non dico temperamento, sed genio. Per genium hic intelligo cœlestem afflatum, sine quo nullus vnquam fuit Theologus. Quapropter excutiat & rimetur intimos cordis sui recessus, qui huic diuinissimo studio vacare cupit, vt cognoscat, numne interne à Deo ad hoc munus vocetur. Nam si in artibus humanis nemo excellere potest, nisi qui diuinitus afflatus illarum rerum studio incenditur & rapitur; multo minus in hoc sublimi & diuino studio quisquam operam vtilem sumere poterit sine vocatione & afflatu diuino. Eapropter omnis is, qui Theologicis cum fructu incumbere cupit, explorabit suum ingenium & inclinationem, vt cognoscat, num impetu quodam diuino nō tam rapiatur quam feratur ad diuinæ illius sapientiæ studium. *Studium* requisitum est, vt scopus Theologi futuri sit fixus & stabilis. Nam si velit variare in studiis, & nunc his, nunc illis adiicere animum desultoria & volatica quadam leuitate, fiet vt duos vel plures insectando lepores, nullum capiat. *Tertium* requisitum est, vt scopus sit excellens. Excellentia illa scopi vertitur in hisce 1. Vt Studiosus Theologiæ cogitet suum esse, non solum nosse legem Dei, sed etiam sequi & quantum potest in hac naturæ humanæ fragilitate, præstare. Nam si omnes Christiani debent esse factores verbi, & non auditores tantum, vt est *Iacob*. 1. certe omnium maxime in verbi doctore requiritur hoc ipsum, qui aliis lucem præferre debet, ne cum alios docuerit, ipse reprobus fiat. Episcopus enim irreprehensibilis esse debet 1. *Timoth*. 3. & ab illo requiritur, vt sit forma seu exemplum gregis. 1. *Pet*. 5. Nam qui bene docet, & male viuit, id quod vna manu extruxit, altera destruit. 2. Vt insuper hoc cogitet, non sufficere si Theologus scripturas norit, & quæ lex Dei postulat, præstet; sed etiam requiri, vt alios ad iustitiam erudiat. Seruum enim Dei oportet esse διδακτικὸν, hoc est, aptum ad docendum, ait Apostolus 2. *Tim*. 2. Et vt idem ait *Tit*. 2. debet esse potens exhortari in doctrina sana. 3. Vt cogitet à Theologo requiri, vt in priuatis & publicis colloquiis, puta disputationibus & concionibus veram fidem, virorumque bonorum, qui tanquam athletæ spirituales pro regno Christi pugnarunt fideliter, innocentiam defendere, & à calumniis vindicare possit. Addo & hoc, vt quoties opus est, scriptis publicis & Latine & in lingua vernacula, & veritatem asserat, & aduersariorū mendacia & calumnias refellat. 4. Vt denique cogitet, Theologi boni esse, peccatores monere, corrigere, & calamitate aliqua fractos solari & iacentes erigere. Hanc scopi excellentiam præcipue nobis monstrat insignis ille locus 2. *Timoth*. 3. *v*. 14. 15. 16. 17. *At tu maneto in iis, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris: Teque à puero sacras literas nouisse, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem per fidem quæ est in Iesu Christo. Tota Scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem,*

rectionem, ad institutionem quæ est in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus. Cui loco addatur ille *Rom.* 15. *v.*4. *Nam quæ ante scripta sunt, ad nostram doctrinam ante scripta sunt: vt per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Hisce duobus locis inter se iunctis monstratur excellentia scopi, quem Theologus spectare debet. *Primo* sic euoluet Scripturam, adeoque tractabit res Theologicas, vt per illas sapiens reddatur ad salutem. *Secundo*, vt possit docere verum. *Tertio*, vt possit refutare falsum. *Quarto*, vt corrigere queat malum. *Quinto*, vt instituere in bono. *Sexto*, vt consolari infirmos. Hæc autem sic accipi velim, vt semper obseruetur discrimen, quod esse diximus inter munus docendi Ecclesiasticum & Scholasticum. Quanquam enim vtriusque Theologiæ Doctor ad sex illa collineare debet; Ecclesiasticus tamen de tribus vltimis præcipue solicitus erit.

CAP. II.

Meta temporis in studio Theologico quæ obseruanda.

Meta studii Theologici, est certum temporis interuallum, quo quis se præparat ad augustum hoc munus dextre obeundum.

De hac meta sunt sequentes canones.

1. [*Meta temporis debet esse certa, iusta, & distincta.*] Certam esse volo, vt ne Studiosus cogatur esse anxius & quasi fluctuabundus. Si enim non constet de certo tempore, quod impendi debeat huic studio, non fieri potest, vt Studiosus faciat in illo operæ pretium. Contra si sciat, quamdiu incumbendum sit in hoc studium, Studiosus, cui quidem res hæc est cordi, omnem mouebit lapidem, vt cursum suum rite conficiat. Deinde meta sit iusta. Iusta autem erit, quæ scopo est adæquata & velut commensurata. Quare necessum est, vt Studiosus Theologiæ cum animo suo voluat & reuoluat finem capite præcedente præscriptum, & tempus sic distribuat, vt ad illum scopum pertingere possit. Hinc iam porro fluit tertium illud de temporis distinctione. Cum enim scopus studij Theologici sit distinctus, ipsum quoque tempus distinctissimum esse oportebit, vt ne confusio turbet memoriam, & ingenium obtundat. *Meta temporis in studio Theologico.*

2. [*Meta temporis regi debet methodo prudentiæ.*] Methodum faciunt duplicem in Schola Logica, vnam sapientiæ, alteram prudentiæ. Illa est exquisita, hæc popularis. Methodus popularis reget metam temporis. Est autem lex huius methodi, vt habeatur ratio circumstantiarum. Quare oportebit Studiosum Theologiæ ad circumstantias loci, temporis, & personarum conuertere animum suum, vt metam temporis, quod studio impendendum est, tribus hisce attemperet. Hoc volo. Locus, vbi literis incumbere cupit vel iubetur Studiosus, accurate cognoscedus est. Quod

si videat, se ibi magno cum fructu posse versari, diutius subsistat; sin, non ita diu. Hic à multis grauiter peccatur, qui missi ad Scholam aliquam putant sibi necessario ad aliquot annos ei loci subsistendum esse, vbi studium illud, quod ipsis excolendum est, non ita serio, vt fieri debebat, tractatur. Sciat ergo Studiosus, quibus in locis paulo diutius versandum sit, quæ item velut in transcursu perlustranda. Temporis quoque rationem habere debet, videlicet publici & vniuersalis, vt sic dicam. Hoc siquidem erit mensura particularis temporis, quod studiis dandum. Tempus vniuersale voco Ecclesiæ vel Scholæ illius statum, cui suam operam iam addixit, vel addicere cogitat. Huic accommodabit tempus particulare, vt ne habendo potiorem huius rationem, illud magno commodi publici intertrimento negligat. Nam nunquam oportet virum bonum in publica peccare commoda. Denique personis, puta parentibus & patronis, morem geret, vt ne contra illorum voluntatem tempus proroget, vel etiam decurtet. Breuibus: Studiosus Theologiæ nec in Scholis consenescere, nec illis iusto citius nuntium remittere debet. Nam illud est negligere publicum bonum, hoc est & se & alios in salutis discrimen adducere; quia nondum iactis fundamentis festinare ad coronidem, est hominis nefarij.

CAP. III.

Precatio in studio Theologico quam necessaria, & quis eius modus.

M*Edia studii Theologici sunt, quæ per metam ad scopum legitime deducunt.* Scitum est illud: *viator cogita, quo & qua eundum*, hoc est, finem itineris perpende primum, de hinc de via compendiaria & regia solicitus esto. Hoc idem cogita, quicunque sacris Theologicis operari discupis. Non satis est, si finem vere regium huius diuini studij tibi præstituas; non satis, si temporis metam scopo isti attemperes. Præterea requiritur, vt media, quibus per metam ad scopum istum perducare, adhibeas. Varia hic consilia, iudicia varia. Ego, Deo dante, tibi hac in parte probabo ingenuitatem meam, quam æqui te facere par est. Hic autem non est mei instituti, disserere de mediis illis remotis, vti sunt sumtus necessarij, quos à parentibus & patronis petere oportet, item libri, habitatio commoda, Musei decus & ornatus, librorum mundities & dispositio (de his enim & alibi à nobis copiose satis tractatum, & vero hæc cuiusq; studiosi arbitrio relinquenda, cum sint plane singularia) sed de mediis propinquis, quæ proxime faciunt ad scopum illum laudabilem assequendum, agere est nostri instituti.

Media studii Theologici sunt vel diuina, vel humana.

Media diuina, sunt spiritus sancti illuminatio & gubernatio, quæ precibus & sancta vita tum impetranda, tum fouenda.

In primo limine collocamus hæc media. Causam facti quilibet videt. Cum enim de Numine sine Numine nemo homo loqui vel cogitare possit recte, necessario requiritur Dei auxilium præsentissimum, vt ita Solem illum iustitiæ lucente nobis hoc ipso Sole videre queamus. Intellectum nostrum si tenebrosum dixero, minus dixero; si tenebras, scapham dixero scapham & ficum ficum. Ad eundem modum voluntas nostra tota propendet ad malum. Quare nos ipsi per nos nihil rerum diuinarum intelligere, nihil ad nostri aliorumue institutionem vsurpare possumus sine superna gratia. Hanc igitur nos decet impetrare, & fouere tum piis precibus, iisque ardentibus & frequentibus, tum sancta vita; de quo vtroque nunc dicendum est.

Precum in studio Theologico considerari debet tum necessitas, tum modus.

Necessitatem precum nemo non videt. Nemo enim hic aliquid sibi sumere potest, nisi cœlitus ei detur, vt ait Seruator noster *Iohan.* 3. *v.* 27. Et alibi Petro ait: Caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. *Matth.* 16. *v.* 17. Is nimirum est, qui aperit intellectum, vt intelligamus Scripturas. *Luc.* 24 *v.* 36. Is est qui retegit oculos nostros, vt intueamur mirabilia eius. *Psalm.* 119. *v.* 18. Is est, qui dat os & sapientiam. *Luc.* 21. *v.* 15. Ideo *Iacob. c.* 1. *v.* 5. nos ita monet: Si cui vestrum deest sapientia, postulet à Deo, qui dat eam omnibus benigne. Idem iubet æternus Dei Filius *Apocal.* 3. *v.* 18. Suadeo, inquit, tibi vt emas à me aurum igni exploratum, vt locuples fias, & collyrio inungas oculos vt videas. Hoc idem docent exempla sanctorum. Sic enim orat Dauid *Psal.* 119. *v.* 18. Retege oculos meos Domine, vt intuear mirabilia tua ex lege. Et Salomon *Sap.* 9. *v.* 10. ait: Mitte, ô Iehoua, sapientiam tuam è sancto tuo cœlo, ex throno gloriæ mitte eam super me, vt cognoscam voluntatem tuam. Sic Paulus pro Ephesiis orat. *Ephes.* 1. *v.* 16. 17. 18. &c. Non desino gratias agere pro vobis, mentionem vestri faciens in precibus meis: Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater ille gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & reuelationis per agnitionem ipsius: Illuminatis oculis mentis vestræ; vt sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis: Et quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius. Hac igitur nostræ imbecillitatis consideratione, diuinoque mandato, & exemplis sanctorum moniti, precationem statuamus proram & puppim studii Theologici, & memores simus dulcissimæ illius cantionis, quam Philo-Mela Germaniæ nobis præiuit:

Precum necessitas in studio Theologico.

Nullius est felix conatus & vtilis vnquam,
Consilium si non detque iuuetque Deus.

Tunc iuuat ille autem, cum mens sibi conscia recti,
Mandati officii munera iusta facit:
Et simul auxilium præsenti à numine Christi
Poscit, & expectat non dubitante fide.
Sic procedit opus faustum populisque tibique:
Diriget & cursus aura secunda tuos.

Quapropter Studiosus Theologiæ constituat sibi Oratorium, vt ita dicam, & laboratorium; & illud quidem in isto extruat, vt ita nihil aggrediatur sine prece, vt oratorium sit in medio laboratorio. Hac ratione cognoscet, verissimum esse illud Lutheri; *Bene orauisse, est pene studuisse.* Item: *Tria faciunt Theologum, Precatio, Meditatio, & Tentatio.* O vtinam hoc perpenderent Studiosi Theologiæ! O vtinam artem precandi sibi haberent quam commendatissimam! Fieret profecto, vt spatio vnius dieculæ plus proficerent, quam hodie multi, qui vel non precantur, vel male precantur, spacio annuo, vel semestri. Hac de re multa habet diuino Spiritu plenus vir *Henricus Khunrath in amphitheatro sapientiæ æternæ solius veræ*, vbi hoc vnum agit, vt artem orandi Deum instillet rectis Theosophis.

Ars orandi Deum.

Modus precum in studio Theologico gubernari debet iuxta hos canones.

„ 1. [*Indesinenter quidem orandus est Deus; attamen vtile est huic exercitio certas* „ *horas dicare, quibus anima excitetur.*] Ratio canonis hæc est. Sancti Dei homines obseruarunt horas certas, quibus animam suam ad Deum eleuarunt, vt exemplo Dauidis & Danielis probari potest. Hoc igitur ipsum faciat Studiosus Theologiæ. Ordinarias horas tribuat huic pio exercitio, cumprimis matutinas & vespertinas, itemque illas, quibus se accingit ad tractationem arduæ alicuius materiæ, vt puta loci de mysterio sacrosanctæ Trinitatis & prædestinationis. Sed dum precationem requirimus, non excludimus gratiarum actionem, quæ est ad plus dandum inuitatio. Quare non solum imploret Dei auxilium, quoties ad operas Theologicas sese accingit; sed etiam gratias agat pro illo præstito.

„ 2. [*Formulas precum habebit ordinarias & vsitatas; quibus accedent precula in-* „ *terno Spiritus S. ductu & dictamine in corde concepta, quas Lutherus vocat* Stoßgebetlein „] Duo sancit hic canon. Primum, vt Studiosus Theologiæ habeat formulas vsitatas precum; deinde, vt mens ipsius concipiat certas formulas intra se. Vtrumque est valde necessarium. Illud quidem, vt animus excitetur verbis sacris; istud, vt animus libere loquatur cum Deo. Formulas precum quod attinet, tres illarum gradus constituimus. 1. *Est formula perpetua*, quam habemus à Seruatore nostro. Hanc tanquam perfectissimam, breuissimam & cœlestem semper recitemus. Est enim ita vt Cyprianus ait: *Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ à Filio, qui est veritas, de eius ore prolata? Vt aliter orare, quam docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa.* Hinc oratio Dominica à Tertulliano vocatur *Breuiarium totius Euangelii.*

Formulæ precum in tres classes diuiduntur.

gelii. Nam compēdio paucorum verborum complectitur edicta Prophetarum, Euangeliorum, & Apostolorum. Reuera sic est. Soleo sæpe mirari methodum perfectissimam in illa oratione obseruatam, quam hac tabella placet subiicere;

Oratione Dominica petimus
- *Vitæ nostræ finem, tum*
  - *Principalem; qui est gloria Dei.* Petit. 1.
  - *Subordinatum; qui est nostra salus.* Petit. 2.
- *Quæ ducūt ad vtrumq; illum finem; videl.*
  - *Acquisitionem mediorum: tum*
    - *Principalis; quod est pietas.* Petit. 3.
    - *Secundarii; quod est sustentatio vitæ.* Petit. 4.
  - *Remotionem impedimentorum, vid. peccatorum.*
    - *Præteritorum.* Petit. 5.
    - *Futurorum.* Petit. 6.

2. *Sunt formulæ variantes*; & eę quidem propriæ seu singulares, quibus à Deo precamur felicem successum in studiis. Hæ dicuntur variantes; quia possunt esse variæ. Dicuntur propriæ; quia aliis sunt aliæ. 3. *Sunt formulæ communes*; quas studiosus SS. Theologiæ cum aliis Christianis habet communes. Vtrobique potest esse modus duplex. Aut enim retinemus formulas in sacris literis expressas, aut vsurpamus illas, quæ ab aliis hominibus sunt conscriptæ; vbi itidem modus est duplex. Nam alii preces suas collegerunt è dictis sacræ Scripturæ perpetuis, apto ordine connexis; alii preces accommodarunt temporibus, locis, adeoque circumstantiis. Agamus de singulis, vt hac ratione artem orandi Deum aliquo saltem modo conscribamus hoc loco.

Principio sunt formulæ precum, quas vsurparunt sancti Dei homines, in sacris literis occurrentes; quarum syllogen edidit superiori seculo *Otho Brunfelsius*. Formulæ illæ sunt sat multæ, quarum loca nos adnotabimus.

1. *Præparatio animi* & excitatio excellens extat *Deut.* 32. vbi recitatur Testamentum Mosis.

2. *Orationes pro peccatis populi sunt Exod.* 32. *v.* 11. 12. 13. *& ibid. v.* 31. 32. *Num.* 14. *v.* 17. 18. 19. *Num.* 16. *Deut.* 9. 3. *Reg.* 8. 1. *Ezr.* 9. *Neh.* 1. *v.* 2. *Ezr.* 9. *Sapi.* 15. *Ier.* 3. *Ier.* 13. *Baruch.* 2. 3. *Dan.* 9.

3. *Orationes in afflictione & pro peccatis propriis Gen.* 32. *Iof.* 7. *Iudic.* 10. *Iudic.* 16. 2. *Paral.* 14. 2. *Paral.* 20. *Neh.* 4. *Tob.* 3. 2. *Paral.* 28. *Iudit.* 9. *Iudith.* 13. *Esther.*

13.*Esther*.14.*Iob*.1.*Esa*.37.*Esa*.63.64.*Ier*.17.*Ier*.31.*Thren*.3.*Thren*.5.*Dan*.13.*Ion*.2.1.*Maccab*.4.1.*Maccab*.7.2.*Maccab*.6.

4. *Gratiarum actiones & benedictiones Patrum*. Exod.15. Numer.6.1.Reg.2.2.Reg.7.2.Reg.22.Tob.13.Iudith.16.Esa.6.Esa.25.Esa.26.Ierem.32.Luc.1.Luc.2.1.Timot.1.Apoc.5. Apoc.7. Apoc.11. Apoc.15. 3.Reg.8.

5. *Orationes pro subsidiis vitæ*, sapientia, humilitate, ac cæteris donis temporalibus, & cæteris. *Gen*.18.1.*Reg*.1.3.*Reg*.3. *Prov*.30. *Sap*.9.*Eccles*.23.*Eccles*.vlt.*Habac*.3.*Act*.14.*Ioh*.17.

Psalmi Dauidis sunt anatome conscientiæ.

6. *Psalmi Dauidici*, qui reuera sunt anatome conscientiæ, & oratorium diuinissimum, Selectiores aliquot hic commemoremus. *Psalm*.5. recitari potest, vt eruamur ab impiis, ne pereamus cum iis, qui nituntur omnibus modis à via veritatis pios abducere; & vt boni quique diuina protectione circumdentur. *Psalm*.6. recitari potest, vt iram Dei deprecemur, & illius misericordiam impetremus, quando infirmiores sumus, quam qui manum Dei possimus effugere. *Psalm*.7. nobis inseruit, cum falsa nobis intentatur calumnia ab hostibus nostris. *Psalm*.9. est sanctificatio pro misericordia Dei, in tentatione & aduersitatibus, proque aduersariorum auersione & destructione. *Psalm*.10. est suspirium ad Deum, dum sæuiunt hostes nostri. *Psalm*.13. est supplicatio pro auxilio diuino impetrando. *Psalm*.17. recitari potest, cum aduersarii potentes nos persequuntur. *Psalm*.25. est oratio pro largitione Spiritus sancti, & remissione peccatorum. *Psalm*.31. recitari potest in afflictione spiritus & carnis. *Psam*.33. est sanctificatio seu gratiarum actio pro misericordia Dei, cuius plena est terra, & qua operatus est omnia. *Psalm*.39. est animi excitatio, ne hostibus nostris patia faciamus. *Psalm*.51. est pœnitentialis. *Psalm*.67. recitari potest, vt gratia Dei illuminati, cognoscamus in his terris viam, qua itur ad Deum; quæ est fiducia in Deum, & charitas in proximum; vtque cognoscamus salutẽ eius. *Psal*.79. recitari pōt contra Antichristũ, sanctos Dei persequentem. *Psal*.88. recitari potest, nulla penitus relicta consolatione. *Psal*.90. est deploratio corruptæ nostræ naturæ, & miseriæ nostræ, ob peccatũ. *Psal*.95. est sanctificatio nominis Dei, quod omnia fecerit, & in eius manu sint omnia. *Psalm*.102. recitari potest, cum in media sumus tribulatione, & ab hominibus, imo & à Deo derelicti nobis videmur. *Psalm*.103. & 104. sunt gratiarum actio lætissima & magnifica. *Psalm*.113. est sanctificatio Dei, quod suos mirabiliter exaltet. *Psalm*.119. recitari potest, vt Deus ipse nos ducat, regat, doceat, & dirigat in via sua, in præceptis, & Euangelio suo, vt custodiat nos à doctrinis & traditionibus hominum. *Psalm*.130. recitari potest, quando sumus contrito corde. *Psalm*.140. recitari potest, vt à viris sanguinum liberemur, qui nituntur nos abducere à vita Dei. *Psalm*. 141. recitari potest, vt Deus nos seruet, ne lingua nostra peccemus, neque excusemus peccata nostra sicut hypocritæ. *Psalm*.142. recitari potest, vt è carcere angustiæ

gustiæ peccatorum & mortis educamur, in laudem & gloriam Dei. *Psal*. 143. recitare possumus, cum nulla in nobis merita inuenimus, nullamque propriam iustitiam, recordamur autem, quod ab exordio mundi Deus mirabilia in sanctis suis sit operatus, & nunquam inuocantes se deseruerit. *Psalm*. 144. est gratiarum actio, quod licet viles simus, tamen virtute Dei fortes simus contra omnes inimicos nostros. *Psalm*. 145. est laus Dei de mirabilibus eius.

7. *Orationes breues in S. literis sunt. Num.* 10. *Num*. 12. *Deut*. 31. *Ios*. 7. 2. *Reg*. 12. 4. *Reg*. 20. *Matth*. 8. *&* *Marc* 1. *Matth*. 9. *Matth*. 8. *Matth*. 9. *Matth*. 11. *Marc*. 10. *Matth*. 14. *Matth*. 15. *Matth*. 26. *Marc*. 14. *Luc*. 22. *Luc*. 18. *Luc*. 23. *Luc*. 23. *Act*. 7. *Ioh*. 4. *Ioh*. 11. *Act*. 1. *Act*. 9.

Preces congesta è perpetuis SS. literarum dictis, editæ sunt à *Iulio Sperbero*, quæ inscribūtur orationes Kabbalisticæ; in quibus author plane entheus è diuinis literis hinc inde comportauit sanctificationes, seu glorificationes sacro-sancti nominis diuini; & vt habet titulus libri istius, continentur ibi selectiores sacrosancti nominis diuini glorificationes è SS. Bibliorum fontibus, & præsertim ex medulla Psalmorum Dauidis haustæ, & ita concinnatæ, vt iis Deus Opt. Max. facilius placari, & ad exaudiendum atque auxiliandum melius commoueri, mens etiam orantis ardentius in Deum eleuari possit. *Preces è perpetuis Scripturæ dictis.*

Tertio loco nobis videndum est de precibus, quę accommodatę sunt tempori cuique. Has dictauit ipsa calamitas & tentatio; ideoque vtiliter leguntur præsertim si conferantur cum sacris illis, quarum breuem catalogum modo texuimus.

Atque hæc volui paulo prolixiuis de precibus persequi; vt Studiosum Theologiæ non solum inuitarem ad religiose & deuote orandum, sed etiam ansam præberem vberius cogitandi de ratione artem illam artium, quæ docet modum cum Deo loquendi, paulo plenius constituendi, quā hactenus factum est. Ego propediem, Deo vitam mihi suppeditante, aliquid hac in parte pro gratia mihi data præstare conabor, scripto Germanico edito, hoc titulo Betkunst der Kinder Gottes.

CAP. IV.

Sancta vita Studiosi Theologiæ.

Vita sancta est medium diuinum, quo studiosus Theologia mortificat veterem, & viuificat nouum hominem.

Sicut populus Israel ad legem audiendam non est admissus, nisi post bidui purgationem. *Exod*. 19. & Moses ad Deum non potuit accedere, nisi postquam calceamenta pedum exuisset: ita nec Theologiæ Studiosus ad diuinæ illius sapientiæ studium accedere debet, nisi exutis veteris

teris illius Adami desideriis & inquamentis morum, & contra noui Adami toga albicante, quam præcedat vestis sanguinea Iesu Christi superinduta. Itaque Doctor Theologiæ futurus cogitet illud Pauli. *Rom.2.* Qui alium doces, te ipsum instituis. Quare in Theologo requiritur & morum sanctitas, & animus ab omni vitiorum labe purus. Si enim populus vtiliter non potest audire Dei verbum, nisi qui mente purgata semen illud verbi incorruptum excipit: doctori multo magis affectuum puritas est necessaria.

Partes sanctæ vitæ. *Sanctitas vitæ consideratur quoad partes, & regulam suam.*

Partes sanctæ vitæ, sunt pietas erga Deum, iustitia erga proximum, & temperantia erga seipsum.

Hanc methodum nobis suppeditat Paulus *Tit.2.v.11.& 12. Illuxit enim gratia illa Dei salutifera quibusvis hominibus: Erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis cupiditatibus temperanter, & iuste, & pie viuamus in præsenti seculo.* Hæc in genere dicta sunt omnibus Christianis seu Theologis. Cum vero Doctores Theologi sint Theologi in gradu excellenti; hanc ipsam regulam Paulinam cum primis sibi præscriptam esse cogitabunt. Hanc regulam conferant cum illa tabella cap.1.huius libri præscripta, & existet perelegans harmonia, hunc in modum:

DEO.	MIHI.	PROXIMO.
PIETATEM.	TEMPERANTIAM.	IVSTITIAM.

Dona requisita in vero Theologo sunt in anima tribus partibus I. Intellectiua. Hanc harmonicam tabellam pluribus explicemus. Dona requisita in vero Theologo pro tribus animæ facultatibus, sunt vel in intellectiua, vel in concupiscibili, vel in irascibili; Græci vocant τὸ λογικὸν, ἐπιθυμητικὸν, καὶ θυμικόν. In intellectiua est mens ipsa, quæ erit instructa I. *Sapientia rerum diuinarum. Esa.11.v.2.Luc.12.Ioh.14.16.17.Ioel.2.Act.2.1.Cor.2.1.Cor.12.1.Timot.4.Tit.1.* II. *Prudentia*, in administratione pro ratione temporum, personarum, & locorum. *1.Cor.3.Ioh.16.* Adhuc multa habeo, quæ vobis loquar; sed non potestis portare modo. *Esa.11* Spiritus consilii. *1.Cor.9.* Factus sum Iudæis Iudæus. *Matth.24.27. 2.Tim.2.* III. *Facundia spiritus*, non Rhetorum. *Col 4.v.3 4.Luc.21.Ephes 1.*

II. Concupiscibili. In concupiscibili animæ parte, vt loquuntur, sunto. I. Amor erga Deum, Christum, & homines. *Ioh.21.2.Corint.12.Rom.9.Gal.4.Phil.1.2.Cor.5.1.Thess.2.7 8.* II. Amor erga veritatem & iustitiam, & contra odium peccatorum. *1.Tim.6.vers.11.12.Apoc.2.v.2.& c.3.vers.20.Actor.16.v.7.* III. Desiderium & zelus gloriæ Dei, & salutis hominum. *2.Cor.11.v.12.2.Tim.2.vers.10.* IV. Contemtus mundi, voluptatum, honorum, diuitiarum. *Ioh.5.2.Cor.8.1.Thess.2.v.5.6.1.Tim.6.vers.11.12.1.Tim.3.v.3.2.Tim.2.v 4.22.* Scilicet Theologus hæc talia contemnet ita, vt tamen reputet ea pro donis Dei, & fine secundario, vti diximus supra *lib.1.cap.10.* V. Misericordia erga ignaros, lapsos, & afflictos. *Matth.9.v.26.Actor 16.vers.9.* VI. Mansuetudo & tolerantia infirmorum. *2.Cor.11.*

v.12.Gal.2.v.1.2.Tim.2.v.4.Rom.15.v.1. VII. In munere fidelitas, cura, diligentia, solicitudo; vt faciat libenter & diligenter. Matth.24.v.45. 1.Cor.4.v.1.2.2.Tim.4.v.2.Act.20.v.26.Ezech.33.Heb.13.v.17. 1.Pet.5.v.2.2.Tim.2.v.3.Deut.18.v.20 1.Reg.22.v.14. Hinc sequitur gaudium è felici successu. 1.Thess.3.v.8.9.Phil.2.v.1 Act.20.v.24.Ioh.3.v.29.Phil.4.v.1. Contra existit dolor ex infelici successu. 2.Cor.1.v 29.Phil.3.v.18.19. 2 Cor.2 v.3 Gal.4. vers.11. In irascibili parte requiruntur. I. Spes & fiducia in Deum & Christum eius. 2.Cor.4.v.13.14. 2.Tim.2.v.5.Actor.18.v.9 10.2.Tim.1.vers.11.12. II. Timor Dei.1.Cor.2 3.2.Cor.2.v 17.1.Sam.12.v.23. III. Fortitudo, constantia & magnanimitas. 2.Tim.1.v.7.Rom.1.v.16.c.12.v.3 2.Cor.1.v.23.1.Cor.4.v 21.Apocal.20.v.10. Act 20.v.24.Phil.1.v 14.c.2.v.17. Coloss.1.v.24. Act.5.v.41. IV. Παῤῥησία, libertas loquendi. Act.4.v.29.c.2.v.8.2.Cor.3.v.12.Ephes.6.v.19. Horum donorum omnium conseruatrices sunt pura conscientia & humilitas.1.Tim.3.v.9 Eph.4.v.3.Iacob.4.v.6.1.Pet.5.v.5.

III. Irascibili.

Regula sanctæ vitæ, est tum generalis, tum specialis.

Regula sanctæ vitæ.

Regula sanctæ vitæ, quam Theologus viuere debet, generalis, est ipsi communis cum aliis Christianis; estque Decalogus; in quo est summa faciendorum & fugiendorum, vti in symbolo est summa credendorum.

Regula specialis, est tum doctrinalis, tum exemplaris.

Doctrinalis continetur certis Scripturæ dictis, quæ loquuntur de officio Theologi doctoris. Huiusmodi dicta sunt multa, è quibus præcipua sunt hæc. Esa.62.v.6. vbi vocantur *vigiles*. Confer. Ezech 3.v.17.& c.33.v.3 Ier.3.v.15. appellantur *pastores*. Obad.v.21. vocantur *seruatores*; quia prædicatione Euangelii, fideliumque seruorum opera adhibita Christus Ecclesiam suam seruat. Sic igitur vitam & vocationem suam instituent Theologi futuri, vt hosce titulos summo iure possidere queant.

Regula exemplaris, est illa, qua Theologus inspicit in aliorum legatorum Dei exempla, tanquam in speculum, & eos sibi proponit tanquam ideam. Cognoscat igitur historias sacras de Samuele, Nathane, Elia, Elisa, item libros Prophetarum & Apostolorum, quos sibi tanquam antecessores virtutibus Propheticis & Apostolicis præluxisse statuat.

Vtraque illa regula, tum generalis tum specialis illustrior euadet, spero, si in medium adferam quæ *Iohannes Picus Mirandula* de spirituali pugna scripta reliquit *pag.219.220.221.tom.1 edit.Basiliens.*

REGVLAE XII. PARTIM EXCITANTES, partim dirigentes hominem in pugna spirituali.

Regulæ in militia hominis Christiani obseruandæ.

1. *Si homini* videtur dura via virtutis, quia continue oportet nos pugnare aduersus carnem, & diabolum, & mundum, recordetur, quod

 quam-

quamcunque elegerit vitam etiam ſecundum mundum, multa illi aduerſa, triſtia, incommoda, laborioſa patienda ſunt.

2. *Recordetur*, quod in rebus mundi, diutius pugnatur, & laborioſius, & infructuoſius, in quibus labor eſt finis laboris, & tandem pœna æterna.

3. *Recordetur*, ſtultum eſſe credere, ad cœlum poſſe perueniri, niſi per huiuſmodi pugnam, ſicut & caput noſtrum Chriſtus non aſcendit in cœlum, niſi per crucem, nec debet ſerui conditio melior eſſe, conditione Domini.

4. *Recordetur*, non ſolum non eſſe ægre ferendam hanc pugnam, ſed optandum, etiamſi nullum nobis inde præmium perueniret, ſolum vt conformemur Chriſto Deo & Domino noſtro, & quoties reſiſtendo alicui tentationi, alicui ex ſenſibus tuis vim facis, cogita cuinam parti crucis Chriſti conformis reddaris. Vt quando gulæ reſiſtens guſtum affligis, recordare, illum felle potatum & aceto: quando manus retrahis à rapina alicuius rei quæ tibi placet, cogita manus illius pro te ligno crucis affixas: & ſi reſiſtis ſuperbiæ, recordare illum, qui cum in forma Dei eſſet, pro te formam ſerui accepiſſe, & humiliatum vſque ad mortem crucis: & cum de ira tentaris, recordare, illum qui Deus erat, & omnium hominum iuſtiſſimus; cum ſe tamen videret quaſi latronem & illudi, & conſpui, & flagellari, & opprobriis omnibus affici, & cum latronibus deputari, nullum tamen vnquam aut iræ, aut indignationis ſignum oſtendit, ſed patientiſſime omnia ferens, omnibus manſuetiſſime reſpondebat: & ſic diſcurrendo per ſingula, inuenies nullam eſſe paſſionem, quæ te Chriſto aliqua ex parte conformem non efficiat.

5. *Quod* in illis duodecim armis, nec in quocunq; alio humano remedio, confidas, ſed in ſola virtute Ieſu Chriſti, qui dixit: *Confidite, ego vici mũdum*: & alibi; *Princeps mundi huius eiicitur foras*. Quare & nos ſola eius virtute confidamus, & mundum poſſe vincere, & diabolum ſuperare: & ideo debemus ſemper petere eius auxilium, per orationem. [Hic Picus addit: & ſanctorum ſuorum. Sed hoc olet blaſphemiam Papiſticam : quippe cum oratio religioſa ſit cultus ſoli Deo debitus. *Matth.* 4.

6. *Recordare*, cum vnam viciſti tentationem, ſemper aliam eſſe expectandam; quia diabolus ſemper circuit, quærens quem deuoret. Quare oportet ſemper ſeruire in timore, & dicere cum Propheta: Super cuſtodiam meam ſtabo.

7. *Vt non ſolum* non vincaris à diabolo, cũ te tentat, ſed vt vincas ipſum; & hoc eſt, quando non ſolum non peccas, ſed ex ea re, vnde te tentauerat, occaſionem ſumis alicuius boni: vt ſi opus tuum bonum aliquod tibi offert, vt inde in vanam gloriam incidas, tu illud ſtatim nõ vt opus tuum, ſed vt beneficium Dei cogitans, humilias te, & iudicas parum gratum te eſſe Deo de beneficiis eius.

8. *Vt*

8. *Vt cum pugnas*, pugnes quasi vincendo; deinde perpetuam pacem habiturus; quia forte hoc tibi dabit Deus ex gratia sua, & diabolus amplius non redibit, confusus de tua victoria: sed eum vicisti, geras te quasi mox pugnaturus, vt in pugna semper victoriæ, & in victoria semper sis memor pugnæ.

9. *Vt quamuis te sentias* vndique bene munitum & paratum, semper tamen fugias occasiones peccandi, quia vt dicit sapiens: Qui amat periculum, peribit in illo.

10. *Vt in tentationibus* semper in principio occurras, & allidas paruulos Babylonis ad petram. Petra autem est Christus. Quia, *sero medicina paratur,*

Cum mala per longas inualuere moras.

11. *Recordare*, quod licet in ipso conflictu, tentationis arma, videantur pugna: tamen longe dulcius est, vincere tentationem, quam ire ad peccatum, ad quod te inclinat. Et in hoc multi decipiuntur; quia non comparatant dulcedinem victoriæ dulcedini peccati, sed comparant pugnam voluptati: & tamen homo, qui millies expertus est, quid sit cedere tentationi, deberet semel saltem experiri, quid sit vincere tentationem.

12. *Propterea* quod tentaris, ne credas te à Deo derelictum, aut Deo parum gratum esse, aut parum iustum & perfectũ. Memor sis, quod postquam Paulus vidit diuinam essentiam, patiebatur tentationem carnis; quia permittebat Deus eum tentari, ne de superbia tentaretur. In quo etiam homo debet aduertere, quod Paulus, qui erat vas electionis, & raptus vsque ad tertium cœlum, tamen erat in periculo, ne de suis virtutibus superbiret, sicut ipse dicit de se: ne magnitudo reuelationum extolleret me, datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet. Quare super omnes tentationes, homo debet maxime se munire, contra tentationem superbiæ; quia radix omnium malorum superbia est; contra quod, vnicum remedium est, cogitare semper, quod Deus se humiliauit pro nobis vsque ad crucem: & mors nos vel inuitos, eousque humiliabit, vt simus esca vermium.

EIVSDEM PICI, SPIRITVALIS PVGNAE ARMA XII. quæ homo, cum peccandi eum tenet libido, in promtu habere debet.

Arma duodecim militis Christiani.

1. Voluptas breuis & exigua.
2. Comites fastidium & anxietas.
3. Iactura maioris boni.
4. Vita, somnus & vmbra.
5. Mors instans, & improuisa.
6. Suspicio impœnitentiæ.

7. Æternum præmium: æterna pœna.
8. Hominis dignitas, & natura.
9. Pax bonæ mentis.
10. Dei beneficia.
11. Crux Christi.
12. Testimonia martyrum, & exempla sanctorum.

Duodecim conditiones hominis amantis Deum.

EIVSDEM PICI, DE DVODECIM AMANTIS (Deum) *conditionibus.*

1. Amare vnum tantum, & contemnere omnia præ eo.
2. Infelicem putare eum, qui non est cum amato.
3. Omnia pati, vt cum illo sit, etiam mortem.
4. Ornare se, vt illi placeat.
5. Esse cum illo quomodo potest, & si non re, saltem cogitatione.
6. Amare omnia, quæ ad eum attinent, amicos omnes, domus, vestes, imagines.
7. Cupere laudes, nec posse pati aliquam eius ignominiam.
8. De eo credere omnia summa, idemque cupere, vt omnes credant.
9. Optare etiam pro eo pati aliquod incommodum, & dulce esse illud incommodum.
10. Flere cum eo sæpe, vel si absens ex dolore, vel si præsens ex lætitia.
11. Semper languere, semper ardere eius desiderio.
12. Seruire illi, nihil cogitando de præmio aut mercede.

Solemus autem ad hoc induci, præcipue ex tribus causis. Prima est, quando seruitium ipsum per se est appetibile. Secunda, quando ille, cui seruimus, est in se valde bonus, & amabilis, sicut solemus dicere: seruimus illi propter suas virtutes. Tertia est, quando ille priusquam inciperes, multa tibi beneficia contulit. Et hæc tria sunt in Deo. Quia pro seruitio eius nihil nouiter accipitur, quod non sit nobis bonum, & quoad animam, & quoad corpus; quia seruire ei non est aliud, quam tendere ad eum, hoc est, ad summum bonum. Similiter ipse est optimus, & pulcherrimus, & sapientissimus, & habet omnes conditiones, quæ solent nos mouere ad amandum aliquem: & seruiendum ei gratis: & in nos contulit summa beneficia, cum nos & ex nihilo creauit, & per sanguinem Filii sui, ab inferno redemit.

Hæc optimus ille princeps *Picus* militi Christiano reliquit consilia; quę Theologus sibi cumprimis dicta statuat, cum ille non debeat esse gregarius miles in hac pugna, sed cataphractus.

CAP. V.

Naturæ dona in Theologo requisita.

F*Verunt media diuina studii Theologici: sequuntur humana, quæ sunt Natura, & Cura.*

In Logicis dici solet, principale non tollit accessorium. Idem cense de mediiis studii Theologici. Media illa diuina, precatio & vita sancta, sunt primaria. Sed ideo non excluduntur secundaria, quorum duo capita summa constituimus, Naturam & Curam; sub cura comprehendentes, artem & exercitationem. Nam hæc tria, *natura, ars, & exercitatio*, requiruntur ad quamlibet disciplinam solide cognoscendam. *Natura* ideo; vt homo sit habilis & πεφυκὼς, vt eleganter Græci, ad capessendum ea, quæ proponuntur in aliqua disciplina. *Ars* ideo; vt homo reddatur facilis. Natura siquidem dat dispositionem; ars habitum inducit. *Exercitatio* ideo; vt homo reddatur promptus. Itaque natura dat habitum inchoatum; ars inducit pleniorem; exercitatio reddit consummatissimum. *Tria sunt necessaria ad discipli næ alicuius studiũ.*

Natura complectitur bona naturalia tum animi, tum temporis, quæ ad perfectionem Theologi opus sunt. *Natura dona in Theologo.*

Horum bonorum consideratur tum partitio, tum conseruatio.

Partitio bonorum seu mediorum naturalium est, quod alia sint animi, alia corporis.

Media naturalia, seu bona naturalia *animi, sunt ingenii dexteritas*, in apprehendendo & iudicando; *memoriæ fidelitas*, in imprimendo, retinendo, & recordando seu reddendo; *& affectus vehementia*, in amore & impetu ad hoc studium.

Bona corporis sunt totius corporis dignitas & constitutio bona, vox clara & flexibilis, membrorumque ad studia inprimis seruientium, vt cerebri, cordis, & ventriculi, bona crasis.

Canones hic notentur duo.

1. [*Non percipi potest hæc tam recondita sapientia sine ingenio, nec comprehendi vel quod discitur, vel quod docetur sine memoria. Pronunciatio autem & actio decora, vbi vox deest, & summa est vultus aut corporis deformitas, haberi certe non potest.*] Hoc canone sufficientia mediorum naturalium probatur.

2. [*Bona naturæ præsupponuntur in futuro Theologo, si non excellenter, saltem mediocriter.*] Hic canon additur præcedenti, vt ne Studiosus Theologiæ despondeat animum, si audiat tot & tanta naturæ bona exigi & requiri ad studium Theologicum feliciter inchoandum, & felicissime absoluendum. Non requiruntur hæc talia in gradu summo, quem dicunt excellentiæ: sufficit, si sint talia in gradu remisso, quem vocant temperamenti. Nam *Omnia non omni dat sua dona Deus*. Vult enim sapientissimus Pater,

 esse

esse discrimina donorum. Et idem dat vnicuique manifestationem Spiritus ad vtilitatem. 1.*Corinth*.12.

Conseruatio bonorum naturæ est, qua illa, quæ Dei munere habemus, religiose & prudenter custodimus. Græcis dicitur φυλακὴ *custodia*.

Custodiuntur autem, imo & augentur, precibus, temperantia, & exercitatione.

De precibus dictum est. Temperantia corpori vigorem, & ex consequenti ingenium & memoriam homini Studioso rerum diuinarum conseruat. Exercitatio, ingenium firmat, memoriam roborat, & vocem mirum in modum expolit.

CAP. VI.

Studium linguæ vernaculæ.

CVra, *est diligens operarum, quæ ad perfectionem Theologi conducunt, tractatio*.

Estque vel artis, vel exercitationis.

Cura artis, est vel propædia, vel pædia.

In studio Theologico sunt alia discendi media remotiora, & vt ita dicam exoterica, seu externa, alia proximiora, & velut οἰκεῖα, *domestica*, seu interna. Illa sunt, quæ petuntur à linguis & aliis facultatibus; hæc proxime concernunt ipsam Theologiam. Illa insigniuimus nomine προπαιδείας, q.d. *institutionem quæ præmittitur*; ista, nomine παιδείας, q.d. *ipsam eruditionem*. Secutus hic sum Philosophos nobiles, qui disciplinas liberales diuidunt in propædeuticas, & pædeuticas; seu, quod idem est, Philosophiam diuidunt in propædiam & pædiam.

Propædia in studio Theologico quid sit?

Propædia est tractatio subsidiorum, quæ Theologus ab aliis facultatibus habere potest.

Propædia, est vel magis principalis, vel minus. Illa necessaria, hæc honoraria.

Propædia magis principalis est, sine qua Theologus suo munere non potest dextre perfungi. Itaque omnis omnino Theologiæ Studiosus hanc propædiam præmittere debet pædiæ Theologicæ, non solum is, qui Theologiæ palmam quærit.

Estque tum Philologia, tum Philosophia.

Hic non disputo, an Philologia sit distinguenda à Philosophia: sed hanc διάσκεψιν aliis relinquo.

Philologia, est propædia de studio linguarum Theologo necessariarum.

Quatuor linguæ sunt necessariæ Theologo.

Linguæ Theologo necessariæ sunt quatuor, Vernacula, Latina, Græca, & Hebræa.

Hac de re notetur illud Augustini; *Latinæ linguæ homines duabus aliis linguis ad Scripturarum diuinarum cognitionem opus habent, Hebrææ scil. & Græcæ*. Loquitur hic Augustinus de iis, qui natione erant Latini. Sed quia nostro

ſtro tempore lingua Latina nobis non eſt vernacula, illa nobis addiſcenda eſt. Vernacula quidem non addiſcenda, ſed tamen excolenda. Cæterum in recenſendis linguis Theologo neceſſariis non ſecutus ſum ordinem accuratæ doctrinæ (hic enim à lingua ſancta faceret initium) ſed melioris doctrinæ, vti vocant, quem in docendis diſcendiſque linguis oportet obſeruare. Præterea dixi, quatuor duntaxat linguas eſſe neceſſarias Theologo, Vernaculam, Latinam, Græcam & Hebraicam. Hic ſub Hebraica complexus ſum Chaldaicam & Syriacam, dialectos maxime cognatas. Illa quidem neceſſaria eſt duas ob cauſas. Primo, vt illa Chaldaica, quæ in Daniele & Ezra occurrunt, intelligamus. Deinde vt paraphraſin Chaldaicam Veteris Teſtamenti euoluere poſſimus; præſertim, quando nobis res eſt cum Iudæis, qui iſtam paraphraſin maxime faciunt. Adde; quod multa V. T. vaticinia de Meſſia ita clare ſint explicata ab illis paraphraſtis, vt magno cum fructu poſſimus illis vti contra Iudæos, qui bene multa loca de Meſſia tradita ſuis gloſſis malitioſe corrumpunt. Syriaca autem verſio N. T. magnæ eſt authoritatis apud Chriſtianos Orientales; ideoque & huius linguæ initia cognoſcenda fuerint. Accedit, quod multa vocabula Syriaca occurrunt in N. T. quæ non poſſunt explicari ſine aliqua ſaltem huius linguæ cognitione. Linguam Arabicam ſi quis poſſit addiſcere, operam non ludet. Sunt enim ſacri quidam libri, & hiſtoriæ, quæ faciunt librorum ſacrorum penitiorem intelligentiam, hac ipſa lingua conſcriptæ. Linguas alias non tam propter intelligentiam ſacrarum literarum, quam propter conuerſationem addiſcere poterit Studioſus Theologiæ, otio & occaſione abundans. Interim ſi Germanus qualem qualem guſtum habeat linguæ Gallicanæ, magno cum fructu verſionem Gallicam Bibliorum, alioſque tractatus in hac lingua editos legere poterit. Quod ſi Gallus ſit, linguam Germanicam eaſdem ob cauſas cognoſcere poterit.

Chaldaica editio V. T. cui rei ſeruiat?

Syriaca verſio N. T. quanta ſit authoritatis?

De ſtudio linguæ vernaculæ hi ſunt canones.

1. [*Studioſus Theologiæ ſtylum linguæ vernaculæ Eccleſiaſticum diſcernat à politico.*] Dicunt Theologi noſtri: Ein Prediger ſoll nicht Stadtſchreibers Teutſch reden. Hoc ipſo non prohibent ſtudium elegantiæ in lingua vernacula; ſed ineptam illam quorundam concionatorum facundiam forenſem notant; qua nihil eſt indignius in tractatione rerum diuinarum. Legantur itaque Scriptores illi Eccleſiaſtici in lingua Vernacula; qui ſtylum rebus ſacris conuenientem vſurparunt: in quibus apud Germanos noſtros facile princeps eſt Lutherus, in verſione Germanica Bibliorum inprimis, & in aliis ſcriptis Germanicis.

" Studiũ " linguæ vernaculæ in Theologia.

2. [*Operæpretium fuerit, dicta ſacræ Scripturæ imprimere memoriæ lingua Vernacula.*] Ratio canonis eſt; quia hæc res mirifice conducit ad facundiam ſacram. Nam in concionibus, & priuatis conuerſationibus dicta ſacrarum

crarum literarum nobis succurrent eo facilius. Taceo, quod etiam hoc modo auditores, & alij quibuscum conuersamur, magis afficiuntur, dum audiunt ipsissima formalia à nobis recitari, quam si nos ex archetypo Hebraico vel Græco nostris verbis rem ipsam recitemus.

„ 3. [*Formulæ figurarum dictionis & sententiæ, Exordiorum item, Narrationum, Propositionum, Consolationum, Adhortationum, Epilogorum, &c. consignabit Studiosus Theologiæ in lingua Vernacula.*] Quorundam animis insidet opinio puerilis, & eadem noxia, Rhetoricam tradere instrumenta ornandi orationem Latinam duntaxat. Quasi vero tropi & figuræ in aliis linguis non habeant locum. Aliter statuat Studiosus Theologiæ, & consilium nostrum hoc canone propositum sequatur. Reipsa cognoscet, consilium hoc non esse ineptum. Manuductionem ad hoc audendum & feliciter præstandum videbit in nostris Rhetoricis. Ego certe persuasus sum, formulas figurarum Rhetoricarum, non quidem ita frigide & nude traditas, vt vulgo fit, sed diffuse explicateque recitatas, præcipuum esse subsidium ad eloquentiam in quacunque lingua comparandam.

CAP. VII.

Studium linguæ Latinæ.

DE *studio linguæ Latinæ Studiosum Theologiæ velim hos canones notare.*

Studiũ linguæ Latinæ in Theologia.

„ 1. [*Exactißime cognoscat linguam Latinam, vt ea in oratione soluta & ligata vti poßit quam dexterrime.*] Cum enim hæc lingua in toto ferme mundo dominetur, Theologo turpissimum est nescire Latine, & quidem bene Latine, idque in prorsa, vt aiunt, & vorsa oratione. De prorsa, seu vt corrupte vocant prosa, nullus ambigit. De ligata seu poetica aliquis quæsierit, cui bono illa sit excolenda Studioso Theologiæ? Dicam verbo. Poesis est insigne medium, ad laudes Deo Optimo Maximo concinendum. Quid vero magis est Theologum, quam laudes Deo dicere? Huc accedit, quod poetica maxime facit ad concitandos affectus. Est enim quædam quasi tacita Musica.

„ 2. [*Stylum Theologicũ à puro puto oratorio discat discernere.*] Quod monuimus capite præcedenti de turpi & indigna illa confusione styli Ecclesiastici & forensis seu politici: hoc idem nunc monendum duco de stylo Latino Theologico, & puro Oratorio. Ille mixtus est, eloquentiam secularem tegens, vel potius temperans eloquentia Spiritus. Vtinam hoc considerarent Theologi quidam huius æui, qui hoc vno se Theologos putant, si mangonizata oratione se possint efferre? Quanta per Deum immortalem hæc est impietas, ne quid grauius dicam, in rerum diuinarum tractatione id quod palmarium est negligere, & illis intentum esse, quæ nihil faciunt ad institutum? Huius styli Theologici artifices principales sunt

Prophe-

Prophetæ & Apostoli. Sed cum illi scripserint vel Hebraice, vel Græce, quæritur ecquinam interpretes Latini Bibliorum peruolutandi? Quæstio hæc, fateor, ardua est. Dicam tamen quid mihi videatur, qui cum hominibus sane doctissimis hac de re non semel contuli. Versiones duæ hic facile excellunt; vna Pagnini, Tremellij & Iunii altera. Hæc in quibusdam locis est horrida, præsertim iis, qui non docti sunt literas Hebraicas; illa in quibusdam non satis accurata. Fiat igitur quoddam temperamentum ex hisce duabus. Si Pagnini versio non satis est accurata, recurratur ad Tremellianam; quod si hæc paulo horridior videtur in quibusdam locis, substituatur Pagniniana. Sed, ais, vtri oportet vt adsuescam? Hic cauto est opus, ac distinctione commoda. Si versatus es in contextu Hebraico, Tremellii versionem cum fructu & voluptate peruolues; sin, versio Pagnini tibi fuerit euoluenda. Quia vero Tremellius & Iunius N. T. non Græcum, vel Syriacum verterunt, versio Th. Bezæ, vel alterius adhibenda erit. Præterea stylum Theologicum è bonis authoribus, qui superiori seculo decimo quinto, & hoc currente scripserunt de materiis Theologicis rite, conformare disces.

3. [*Formulæ figurarum Rhetoricarum insigniter faciunt ad nitorem styli Theologici.*] In manus igitur sume formulas Ciceronianas, & mutatis mutandis adhibe ad materias sacras.

CAP. VIII.

Studium Linguæ Græcæ.

Studium linguæ Græcæ in Theologia.

Studium linguæ Græcæ necessarium est Theologo, vt possit legere N. T. in lingua originali, vti vocant, nec non LXX. Interpretes V. T.

Eius studium sic instituet futurus Theologus, vt possit N. T. sine interprete legere & intelligere in lingua prototypa. Huic rei seruient sequentes canones.

1. [*Themata, vt vocant Græci, seu voces primitiuas, tribus modis memoriæ imprimere poterit studiosus. Primus modus est harmonicus; secundus procedit per nomina propria Græca; tertius procedit per terminos technicos variarum disciplinarum.*] Dicamus de singulis.

Primus modus est harmonicus, hoc est, talis, quo fit, vt è linguæ notæ vocabulis addiscantur ignota. Confiant itaque varia Alphabeta harmonica, quorum alia contineant harmonias διὰ δυοῖν; vt, Pasco, βόσκω: Fero, φέρω: Arg/ἀργός: Faul/φαῦλος: alia διὰ τριῶν; vt, Ochs/Bos, βοῦς: Acht/Octo, ὀκτώ: alia διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, &c. quibus quatuor, quinque, vel plures linguæ inter se harmonice conferuntur.

Secundus modus est historicus, qui è nominibus propriis Græcanicis, quæ maximam partem nota sunt pueris, colligit vocabula Græca: e. g. Agathocles,

thocles, Aristoteles, Theodorus in memoriam nobis reuocant nomina Græca ἀγαθὸς, κλέος, ἄριστος, τέλος, θεὸς, δῶρον.

Tertius modus est technologicus, qui è terminis disciplinarum Græcis colligit nomina Græca. Cum enim Græci primitus excoluerint disciplinas, & Latini eas ab illis acceperint, factum est vt bene multi termini Græci remanserint: quales sunt pleraque disciplinarum definita, vt Metaphysica, Logica, Arithmetica, &c. item termini isti Grammatici, Etymologia, Prosodia, Syllaba, Syntaxis; plerique Rhetorici, vt Tropus, Synecdoche, Climax, Aposiopesis; & multi Logici, vt axioma, syllogismus, methodus, &c. Primo modo condiscere poterimus quingentas, vel plures voces; secundo, centum & vltra; tertio ducentas plus minus. Neque solum themata seu voces primæ hunc in modum addisci possunt, sed etiam voces deriuatæ multæ; de quibus tamen speciales quoque canones obseruandi sunt.

» 2. [*Voces deriuatæ in lingua Græca facillime perdisci possunt, si terminationes illorum ad vnguem teneantur.*] Notentur itaque terminationes denominatiuorum, vti sunt ρὸς, ώδης, ειος; verbalium, vti sunt μος, μα, μων, ις, ια, τὸς, κὸς; verborum, vt sunt άω, έω, ύνω; aduerbiorum, vt sunt ως, ον, &c. Hac ratione mirum in modum dulcescet huius linguæ studium.

» 3. [*Vocabula composita linguæ Græcæ facili negotio addiscentur, si nomina vsitatiora compositioni seruientia, itemque series præpositionum notentur.*] Nomina vsitatiora sunt ἄλλος, φίλος, πολὺς, &c. Præpositiones sunt ἀνὰ, ἀντὶ, ἀμφὶ, διὰ, ἐκ, &c.

» 4. [*In lectione N. T. probe obseruentur hellenismi, quos ita vocant.*] De istis hellenismis vide nostrum Lexicon Theologicum in calce. Rem totam hic attingam breuibus. Principio Hebraismi occurrunt in N. T. iuxta illud: *Nouum Testamentum Hebraizat*. Deinde sunt ibidem Atticismi, seu puri Græcismi, quibus Attici Rhetores etiam sunt vsi. Tertio multa sunt Græce versa è V. T. à LXX. Interpretibus, quæ retinuerunt Apostoli; qui ipsi tamen interdum loca è V. T. suis verbis reddiderunt. Quarto loco sunt etiam ibi Thalmudismi, hoc est, formulæ quædam, quibus Iudæi tum temporis vtebantur. Denique sunt ibidem Latinismi, h. e. vocabula Latina. Nisi hæc studiose obseruaueris, operam luseris in lectione Noui Testamenti Græci. Plura hac de re vide infra.

CAP. IX.

Studium Linguæ Hebraicæ.

Studium linguæ sanctæ in Theologia.

STudium linguæ Hebraicæ à multis commendatum est studiosis S. Theologiæ. Hoc igitur nos labore supersedemus, & modum studij istius breuiter attingimus, certis canonibus.

1. [*Vocabula Hebraica tribus modis addiscenda sunt, quorum primus est Harmonicus, secundus Historicus, tertius Grammaticus.*] *Modus harmonicus* est, quo è lingua vernacula, vel Latina iam nota colliguntur vocabula Hebraica harmonice; siue iam duæ, siue plures linguæ inter sese conferantur: vt, Schibbern/שבר, *Schibber*: Erd/ terra, ἔρα, ארץ, *Erez*: Taurus, ταῦρος, תור, *Tor*. *Modus historicus* est, quo è nominibus propriis Hebraicis in V. T. occurrentibus addiscuntur vocabula Hebraica. Cum enim anniculi ferme Christianorum pueri possint sonare Adam, Daniel, Abraham, & similia, quid vetat quominus ignota è notis deducamus: vt, אדם, rubra terra; הבל, *Hebel*, vanitas, & infinita alia. *Modus Grammaticus* est, quo è terminis Grammaticis discuntur voces Hebrææ: vt è nominibus literarum, vocalium, &c. vti sunt, Aleph, Beth, Cametz, &c. Computant quidam radices linguæ sanctæ mille quingentas. Has tribus istis modis quam felicissime memoriæ impresseris.

2. [*Singulare subsidium ad discendam linguam sanctam est, si quis accepto Psalterio Dauidico, Psalmos illos conuertat in rhythmos sacros, quos populus in Ecclesia cantare consueuit.*] Hæc siquidem res præterquam quod singulari quadam lætitia cor perfundit, multum quoque adiumenti adfert, ad linguam sanctam felicius addiscendam, e. g. Accipiantur melodiæ Gallicæ Psalmorum Dauidis, prout eas in linguam nostram vernaculam transtulit Ambrosius Lobwasser/ & κατὰ πόδας rhythmi Germanici transferantur in linguam Hebraicam. Specimen huius rei tibi exhibeo in decem Psalmis: videlicet 47. 130. 121. 128. 131. 133. 134. 100. 117. 23.

PSALMVS XLVII.

Nun jhr Völcker all.

עתה כל עמים ותקעו כפים

הודו לאלהים בקול כנורים

כי הוא יהוה עליון ונורא

ומלך גדול וגבור מכל

על כל הארץ וראשון בלי קץ

וגם אחרון אין אדן קטון:
הוא ידבר עמים תחתינו אמים
תחת רגלינו הוא יבחר לנו
נחלתינו הוא אדונינו
עלה אלהים רם על כל עמים
הוא בשמים מלך עלמים
גם על כל ארץ מלכותו אין קץ:
שירו אלהים זמרו גוים
אלשעשנו כי הוא מלכנו
אנחנו עמו וצאן מרעיתו
עלה יהוה גדול בתרועה
בקול השופר עלה הוא יש דבר
יי זמרו זמרו שירו:
הוא מלך תבל ולא שם הבל
זמרו משכיל הוא על כל הגדיל
ישב על כסא מכודד מלא
תכל אלהים על כל הגוים
מלך לעולם לאל אברהם
הודו צדיקים המגן אמים

PSAL.

PSALMVS CXXX.

Zu dir von Hertzen grunde/ꝛc.

1. ממעמקים אנא יקראתיך
בקולי אלי שמעה יבוא לפניך
אתה רחום אהני והטה יה אזניך
ואבין ודל אני זכרה ניך

2. כי אם עונותינו
תשמר באפיך
מי ימצא בתוכנו
לקום בעיניך

3. מי אדוני יעמד
אם תשמר חטאים
אם בני אדם תפקד
הנה לא צדיקים

4. הסליחה עמך
למען תורא
קויתי יה אליך
ונפשי נא ירא

5. בטחתי אל אלהים
ובכל דברים
לבקר משומרים
לבקר שומרים

6. ישראל אל יהודה
יחל בכל ימים
הוא לנו מגן הודה
חסד עם אלהים

7. והרבה פדות עמו
על דבר עדותיו
והוא יפדה את עמו
מכל עונותיו.

PSALMVS CXXI.

Mein Augen ich gen Berg auffrichte.

אשא עיני אל ההרים מאין עזרי בוא

כי האמנתי לו עזרי מעם האלהים

אשר עשה שמים וארץ, וכל מים

אל יתן למוט רגלך
יו אה בטובה
יציל מכל דברה
ואל ינום שמרך
לא ינום ולא יישן
נ מר ישראל עולם:
יהוה נא שמרך
נ דה בכל מקום
ו לילה ויום
: לך על ימינך
א יככה השמש
ירח באמש:
הוה ישמר מכל רע
שמר את נפשך
ו ישמר צאתך
ו בואך כי זרוע
יהוה עם חסידים
מעתה עד עולמים:

PSALMVS CXXVIII.

Selig ist der geprenset/rc.

אשרי ירא יהוה ההולך בדרכיו

ממשפטו ומצוה לא יסוד כל ימיו


כי יגם אכלתך יגיע כפיך

אשריך בביתך הנה טוב עליך


כי תהיה אשתך
כגפן פורידה
בירכתי בי תך
כתר יהיה אשה
ותראה בניך
כשתילי הזתים
סביב לשלחנך
הן בכל העתים
הנה כי כן יבורך
גבר ירא האל
יהיה כשם בן נח
לא יבל פהבל
ירא ״ יר אה
בניסר בים בכירת
לדרך רע לא יגלה
אלא יהי כוירת

PSALMVS CXXXI. קלא


Mein Hertz sich nicht erhebet sehr.




יהוה לא נבה לבי



ולא הרימותי עיני



ולא בגדולות הלכתי



לא בנפלאות ממני

כה אמר אם־לא שויתי
ורוממתי אבין נפשי
כגמל עלי האמי
כגמל עלי־נא לבי :

אל־יי יחל ישדאל
מעתה ועד העולם
כי־יש צדק וחסד שם
ציון בא ישועת אל :

PSALMVS CXXXIII.

Schaw wie so fein vnd lustig ist zusehen/ꝛc.


ראו ושמעו בני האלהים: מה טוב בעיני ״ומה נעים:

גם יחד שבת האחים: בהר ציון וקהלת תמים:


המה יהיו כטוב בעל שמן: רגליהם יהיו כאבן:

יהיו כשמן וורד על־ אהרון
כשמן הטרב שהיה עם אדון
כשמן על ראשו ירד
ועל זקן הכהן שעמד
לפני ״שירד על הפי
מדותיגלדה זמר פודי:
גם חם כטל על־ ההר גדול הרמון
שירד על הה ירם בציון
שם צוה ״ברכה:


PSALMUS CXXXIV.




הנה ברכו צדיקים



בבית יהוה עמדים



עבדי יה שירו תהלות




בבית יהוה בלילות:

ידכם אל קדש שאו
אלהיכם נא ברכו
אנא בשמחה גדולה
הללו רמום יהוה:


יהוה עשה שמים
יברכך כל ימים
יאירה לך כמו נשר
מאר סתר וכישר:

PSALMVS C.


Ihr Völcker auff der Erden all/2c.




העמים שבכל־ארעא



הריעו ליהוה אנא



עבדו את־יי בשמחה



באו לפניו ברננה׃

דעו כי הוא אלהינו
הוא עשנו ולא אנו
ואנחנו קהלתו
גם עמו וצאן מרעיתו׃

באו שעריו בתודה
חצרתיו בתהלה
הודו לו כי־גדול הוה
יחדיו ברכי שם קדשו׃

שמעו־נא כי־טוב יהוה
הוא זכר לנו לטובה
הן לעולם ועד חסדו
עד־דור ודור אמונתו׃

PSALMVS CXVII.

Den Herren lobt jhr Heyden all/ ꝛc.

הודו ליהוה כל־גוים

שבחו אומו כל־אמים

כי גבר עלינו חסדו

על־כן נהלל בריתו

אמת יהוה בתמים

להודות לו לעולם:

PSALMVS XXIII.

Mein Hüter vnd mein Hirt ist GOtt der HErre.

רעי ואבי אלהים יהוה
על כן לא יהא לא אחסר ברעה
כי בנאות דשא הוא ירביצני
ועל מי מנוחות ינהלני
נפשי ישובב על שמו ינחני
במעגלי צדק הוא יביאנו
גם אלך בגיא צלמות לא אירא
כי הוא עמדי אשר תכל ברא
בשבט צדק אתה תוליכני
ומכל המרמה תמיד תצילני:

ושלחן תערוך לפני אתה
נגד צררי שקמו בי עתה
כי אתה דשנת בשמן ראשי
ואתה נותן לי רויה כוסי
אך טוב וחסד המה ירדפוני
כל ימי חיי השם יצילני
יתן לי יהוה לכל עולמים
לשבת קביתו לאורך ימים:

Atque hæc volui hoc loco paucis attingere de studio linguarum; quia iudicaui me aliquid auxilij allaturum hisce minimis obseruationibus, non certe iis, qui hæc talia damnant titulo puerilitatis, ipsi interim asini ineptissimi, sed iis, qui cum Hieronymo statuunt, parua non esse contemnenda, sine quibus ad magna peruenire non possumus.

CAP. X.

Studium Philosophiæ ~~non~~ Theologo necessarium.

VIdimus breuiter propædiam philologicam in studio Theologico: videamus & nunc propædiam philosophicam in eodem.

Propædiæ philosophicæ vtilitas & necessitas videnda nobis est tum in genere, tum in specie.

In genere Philosophiæ necessitas & vtilitas in studio Theologico ostenditur his canonibus.

Tres sunt viæ naturaliter cognoscendi Deum.

„ 1. [*Philosophia docet nos cognitionem Dei, ex opificio mundi petitis rationibus;* „ *quæ res plurimum facit ad erudiendum populum.*] Tres sunt viæ, vt discimus ex Dionysio Areopagita, quibus mens hominis extra verbum Dei in cognitionem Dei prouehitur. *Prima via* dicitur *negationis*, qua quidquid in rebus creatis imperfectionem innuit, à Deo remouemus: v.g. in rebus creatis imperfectionem arguit esse compositum, esse mutabile, locale, & temporale. Hæc igitur de Deo negamus, cumque pronunciamus esse simplicem, immutabilem, immensum, & æternum. *Secunda via* dicitur *eminentiæ*, qua id, quod in rebus creatis excellit, de Deo enunciamus modo supereminenti: vt in creaturis summa perfectio est intelligere seu sapere, velle bonum, posse bonum, & esse beatum. Hinc de Deo dicimus, illum esse omniscium, liberrime volentem, omnipotentem, ac beatissimum; imo ipsam omnisapientiam, omnipotentiam & beatitatem. *Tertia via est causalitatis*, qua ex creaturis, in quibus est vestigium, vel insuper imago Dei, mens humana eleuatur ad ipsum creatorem. Vestigium quidem Dei est in omnibus creaturis, vt docent Scholastici, imago autem est in homine & Angelis. In tertia hac via potissimum triumphat philosophia. Dum enim homo naturas creaturarum altiori indagine peruestigat, non potest non admirari opificem, cuius essentiam colligit esse primam, dum essentias creaturarum introspicit; cuius virtutem colligit esse summam, dum virtutes creaturarum cognoscit. Vide quæ supra *lib.* 1. diximus ad locum illum Apostoli, *Rom.* 1. *v.* 20. Hoc intellexit Cicero, quando dixit: *Nec pietas erga Deum, nec quanta huic gratia debeatur, sine contemplatione naturæ constare potest.* Et *Basilius* pulcherrimum hoc mundi domicilium vocat πηγὴν τὸ τέλειον τῆς θεογνωσίας καὶ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον. Hinc est & illa

illa Theologorum regula: *Error in cognitione creaturarum, errorem parit in cognitione creatoris, & mentem à Deo abducit.* Soleo subinde vsurpare illud: *Introitus Symboli Apostolici est, cognitio creaturarum.* His enim cognitis, melius cognoscimus, quantus sit creator, qui omnia creauit in numero, pondere & mensura, vt ait Sapiens *c.* 11. *Sapientiæ*, quod Christianus poeta sic reddidit:

Pondere, mensura, numero, Deus omnia fecit.

Per *numerum* Sapiens intelligit rerum ordinem ac dispositionem, Per *pondus*, rerum efficacias, ac virtutes & fines, quibus veluti ponderantur. Per *mensuram* denique, rerum quantitates, *συμμετρίαν*, *proportionem*, & corresponsum admirabilem. Sed de his copiose in Theologia naturali.

2. [*Philosophica naturæ contemplatio mirifice in nobis accendit amorem Dei; ita vt vsus philosophiæ sit in Theologia, & quoad theoriam, & quoad praxin.*] Hac de re adscribam pulcherrimum locum è *Ludouico Viue*, qui lib. 1. de tradendis disciplinis inter alia sic scribit: *Res omnes quo exactius cognoscuntur, eo magis fores ad ingressum intelligendi Numinis aperiunt: nempe causam supremam ex effectis, quod est cognoscendi genus captui mentis nostræ accommodatissimum. Sic peruenisse Abrahamum ad inuestigationem Dei scribit Philo Iudæus. Nam ex cœlis atque elementis, ex sempiternis motibus, ex ordine inuariabili, ex stata ratione annorum & temporum assecutus profecto est sapientiam aliquam, à qua ista omnia tam certa & constantia regerentur. Ergo illam ipsam quæsiuit & coluit, abiectis spretisque Deorum insaniis, quos ipse sibi homo erat fabricatus, vt opus suum author adoraret. Basilius Magnus tradit, Mosen cognitione Ægyptiarum disciplinarum ita mentem exercuisse, vt perueniret ad contemplationem τοῦ ὄντος. Hac de causa canit sanctus vates, cœlos enarrare gloriam Dei. Et Paulus inuisibilia Dei per visibilia intelligit. Præterea quæ de naturali Magia scribit Ioannes Picus, quod vtilis sit, vt deprehendatur manifeste, miracula Seruatoris nostri, naturæ vim & facultatem omnem excessisse. Equidem inimiciorem censeo pietati superbam ignorantiam, quam modestam peritiam: idque videmus passim vsu venire, vt vbi sit inscitia, ibi non admodum vigeat vera sinceraque pietas. Cognitionem veram voco, aut vero quantum liceat confinem ac similem. Nam rudes falsæque coniecturæ pro fundamentis cognitionis positæ pietatem possent lædere.*

Contemplatio naturæ in nobis accendit pietatem.

3. [*Philosophia est necessaria ad rerum diuinarum tractationem methodico aliquo systemate comprehendendam.*] Oportet hic probe distinguere fidem seu religionem & Christianismum ipsum, à disciplina Theologica. Nam si quis Theologiam pro ipsa fide accipiat, philosophia ad illam non est necessaria. Fuerunt enim Christiani innumeri, & hodie sunt, qui philosophicarum rerum cognitione mentem non tincti, fuerunt optimi Theologi, prout libro primo multis in locis diximus. At si quis Theologiam dicat recte constitutam disciplinam rerum diuinarum, & Theologum ἐξόχως dicat illum, qui est διδακτικὸς, h. e. *alios debet docere*, & insuper debet esse δυνατὸς ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας, vt est 1. *Tim.* 3. *v.* 2. quis non videt, philosophiam esse necessarium Theologo instrumentum?

Theologia duobus modis considerari potest.

4. [*Multis

„ 4. [*Multi termini simplices, multa item conclusiones seu quæstiones Theologicæ,*
„ *nec plene intelligi, nec satis diiudicari, possunt sine cognitione rerum philosophicarum.*] Huiusmodi termini in sacris literis sunt: ex Metaphysica, τὸ ὄν, *bonum perfectum*: ex Physica, Geographia & Astronomia sunt innumeri in libris Mosis, in Iobo, in Psalmis, &c. *de cœlo, terra, aqua, aere, igne, gemmis, metallis, montibus, sylvis, variis populis*, & in Nouo Testamento sunt parabolæ; multa de conceptione, natiuitate, persona & officio Christi, quæ sine philosophiæ cognitione non possunt solide, ceu patet, explicari. Quid dicam de terminis è philosophia practica, nominatim Ethica, desumtis, quorum numerosa est in sacris literis propago? De politia Ecclesiastica idem iudicium esto. Iam quod attinet ad conclusiones seu quæstiones Theologicas, sunt illæ duum generum. Aliæ quidem sunt puræ, aliæ mixtæ. *Puræ* sunt, quæ constant terminis mere Theologicis, è supernaturali siue arcana Theologia depromtis, vti sunt, an clementia Dei est maior quam iustitia eius puniens? an crux est nota reprobationis? an Trinitas personarum è sacris literis probari potest? an Christus est pro omnibus mortuus. Hæ, & similes quæstiones è philosophia nullo modo possunt decidi, vt ne committatur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, quæ in philosophia non toleratur, multo minus in hac diuina sapientia. *Quæstiones mixtæ* sunt, quæ constant vno termino philosophico, altero Theologico: vt, An attributa diuina ab essentia, vel à se inuicem differant realiter, vel ratione, & si ratione, an ratiocinante, vel ratiocinata? An personæ SS. Trinitatis ab essentia differant realiter? An decreta Dei arguant aliquem compositionis modum in Deo? An Deus potuerit res condere meliores, quam condidit? An duæ naturæ in Christo faciant duas personas? An accidentia panis & vini in Eucharistia per se possint subsistere? An corpus Christi sit illocale? An Papa Romanus sit summus Monarcha Ecclesiæ? Vtrum Ecclesiæ regimen in his terris sit Monarchicum, an Aristocraticum, an denique Democraticum? An Pontifex Romanus habeat potestatem eligendi & coronandi Imperatorem? Hæ, & similes quæstiones sine cognitione Philosophiæ decidi non possunt exacte.

Quæstiones Theologicæ, sunt puræ vel mixtæ. s. p. 54.

Sed contra hanc doctrinam disputant quidam Theologi, contendentes Philosophiam pugnare cum Theologia, & aiunt multa esse vera Theologice, quæ sint falsa Philosophice, & vicissim, multa esse vera Philosophice, quæ sint Theologice falsa. Hæc sententia cum magnos inuenerit patronos, & vero valde sit noxia bonis literis, illam paulo plenius hoc loco nobis pertractandam sumemus, idque κατὰ θέσιν καὶ ἀντίθεσιν vti loquuntur.

Thesis vera est: Philosophia cum vera Theologia nunquam pugnat.

Rationes pro hac thesi sunt. 1. Dona Dei inter se non pugnant. At Philosophia est donum Dei. Ergo. Minor est manifesta. Potest tamen probari

Nulla est pugna inter Philoso

hati ex c. 31. *Exod. v.* 3. *Psal.* 94. *v.* 10. 2. *Chron.* 1. *v.* 12. *Dan.* 2. *dat sapientibus sapientiam.* 2. Instrumentum subseruiens suo principali, non pugnat cum suo principali. At Philosophia est instrumentũ Theologiæ. Ergo. Prob. minor: quia Theologia multis rebus è Philosophia petitis vtitur, vt dictum est. Sic Paulus *Actor.* 17. citat dictum Arati. 1. *Cor.* 11. allegat dictum Menandri: & ibidem ad naturã prouocat: *Nonne natura nos docet?* 3. Quod est vnicum & simplex, non multiplicatur specifice. At veritas est vnica & simplex. Ergo. Huc pertinent celebratissima illa dicta: *Verum vero consonat: Bonum bono non repugnat: Subordinata non pugnant.* 4. Si Philosophia pugnat cum Theologia, pugnat vel ratione materiæ, vel ratione formæ. Sed neutrum est. Ergo. Minor probatur per partes. Si pugnat ratione materiæ, pugna erit vel ratione obiecti, vel ratione præceptorum de obiecto. *Non illud*; quia res Philosophicæ subordinantur diuinis. Nam obiectũ Philosophiæ est hic mundus, ratione substantiarũ & accidentium. At Theologiæ obiectum est Deus, & creaturæ Dei, quatenus ordinantur ad manifestationem istius subiecti. *Non hoc*; quia sic pugna esset ratione, vel terminorum simplicium, vel integrarum propositionum. *Non illud*; quia præcipui termini Philosophici sunt Angelus, homo, cœlum, elementum, minerale, vegetabile, animale, virtus, Respublica, familia: præcipui termini Theologici sunt Deus Vnus & Trinus, Creatio, Redemtio, Sanctificatio, Glorificatio. Iam nulla inter hos terminos pugna ostendi potest. *Non hoc*; quia neque principia neque conclusiones in Philosophia pugnant cum principiis & conclusionibus in Theologia. Sed hac de re paulo post. Deinde nulla est pugna inter Theologiam & Philosophiam *ratione formæ.* Siue enim Philosophiam cõsideres tanquam systema variarum disciplinarum; siue tanquam habitum, forma illius non pugnabit cum forma Theologiæ. Si enim consideres tanquam systema, forma Philosophiæ erit ordo seu dispositio illarum disciplinarum, quas continet. At hæc dispositio non pugnat cum dispositione partium Theologiæ. Si vero Philosophiam consideres tanquam habitum, forma illius erit veritas, qua habitus ille respondet veritati archetypæ, quæ est conceptus diuinus, cui si conformes sint res naturales, dicuntur veræ sicut artificiales dicuntur veræ, quando conformes sunt conceptui artificis. Veritas illa rerum est earum essentia. Nam ens & verum conuertuntur, & hoc ab illo non differt nisi modo; quatenus τὸ ens dicit absolutum quid, τὸ verum autem, relationem entis ad intellectum. Iam vero veritas rerum Philosophicarum non poterit respondere intellectui diuino, tanquam originali suo, si pugnet cum veritate rerum Theologicarum.

phiam & Theologiã.

Autoritates pro thesi nostra sunt hæ. Clemens Alexandrinus lib. 1. *Stromatum ait: Philosophia ad veritatem* (sic κατ' ἐξοχὴν vocat veritatem cœlestem) *cooperatrix & adiutrix inuenitur, sicut primus & secundus gradus, ei qui ascendit in*

cœnaculum, & Grammaticus ei, qui est philosophaturus. Perspicuitas enim opem fert ad tradendam veritatem: & Dialectica, ne prosternamur ab hæresibus. Et est quidem per se perfecta Seruatoris doctrina, & nullius indiga, cum sit Dei virtus & sapientia: accedens autem Philosophia non veritatem facit potentiorem, sed debilem aduersus eam efficit sophisticam argumentationem, & propulsans dolosas aduersus veritatem insidias, vinea & sæpes, & vallum. Picus Mirandula ait: *Philosophia humana adiuuat contemplationem, cum intellectum illuminat, & indirecte errores remouet, quibus plerumque ob ignorantiam inuoluimur, & animum videtur inflammare, & ad æternorum memoriam ex fluxis & temporariis traducere, & sacra eloquia facilius atque enucleatius apprehenduntur.* Zachar. Vrsinus ait: *Vera Philosophia etsi à doctrina Ecclesiæ multum differt, tamen nec pugnat cum ea, nec est mendacium, vt aliarum sectarum falsa doctrina: sed est veritas, & quidam quasi radius sapientiæ diuinæ hominum mentibus in creatione impressus. Est enim doctrina de Deo & creaturis, aliisque rebus bonis, & generi humano vtilibus.* Idem: *Vera Philosophia etsi respectu Theologiæ est imperfecta, tamen cum Theologia nunquam pugnat. Quæ vero in Philosophorum libris erronea, vel cum doctrina Ecclesiæ pugnantia occurrunt, aut ab hæreticis ex Philosophia contra Scripturam adferuntur, ea vel Philosophica non sunt, sed inanes argutiæ humani generis, vel vlcera veræ Philosophiæ, vt opinio Aristotelis de mundi æternitate, Epicuri de animæ mortalitate, vel Philosophica quidem, sed perperam ad Theologiam accommodata.* Nicolaus Hemmingius in eruditissimis suis commentariis in epistolas Paulinas, *ad cap. 2. ver. 8. epist. ad Coloss.* præclare scribit in hanc sententiam: *Quemadmodum olim populus Israeliticus ad extructionem tabernaculi vsus est opibus Ægyptiis: ita nos quoque sciamus vsurpandas esse Philosophiæ veræ partes, non ad destruendam Ecclesiam, sed ad ei destruendum.* Præclare profecto sensit Danus ille. Hoc vult: Etsi Philosophia non facit ad extruendum illud ædificium Dei, quod dicimus Ecclesiam: tamen maxime facit ad ei destruendum, hoc est, ad destruenda sophismata, quæ hoc ædificium demoliuntur. Quare concludam cum magno illo *Schegkio: Ego quidem sic iudico, tum demum fore beatas & quietas Ecclesias si aut Philosophi veri operam dent Theologiæ, aut Theologi philosophentur pie.*

Philosophia vsurpanda non ad destruẽdum Ecclesiam, sed ad ei destruendũ.

Antithesis quorundam male feriatorum hæc est: *Philosophia in multis pugnat cum Theologia.* Seu, *Multa sunt vera Philosophice, quæ sunt falsa Theologice, & vicissim, multa sunt vera Theologice, quæ sunt falsa Philosophice.*

Patroni huius sententiæ multas accumulant rationes, quas antequam adferamus in medium, operæ pretium erit, fundamenta solutionum hic iacere, vt ne sit necesse ad omnia & singula argumenta (sunt enim multa paria, vel eadem, ita vt vna solutione possint dilui) prolixe tractare. Fundamenta illa, vel si ita placet appellare, fontes solutionum hi sunt.

Errores philosopho

Fundamentum primum: *Errores Philosophorum, non sunt decreta Philosophiæ.* Vulgo dici solet: *Errata artificum non sunt imputanda ipsi arti.* Item: *Mu-*

cule arti adspersæ, non tollunt ipsam artem. Item: *Abusus non tollit vsum.* Vtinam horum dictorum, profecto aureorum, memores essent illi, qui hoc nomine criminantur Philosophiam, quod Philosophi innumeris fuerint imbuti erroribus, iisque Philosophiam referserint. Libro primo huius tractationis monuimus, Theologiam omnemque facultatem & disciplinam considerari duobus modis, absolute & simpliciter, in sua natura, vel relate & secundum quid, in certo subiecto. Nostrum igitur fuerit Philosophiæ naturam seu ideam spectare, non illius circumscriptionem & modificationem in hoc vel illo subiecto. Hoc facimus in Theologia & Medicina. Non enim errores Tertulliani, Cypriani, & aliorum imputamus diuinæ illi sapientiæ; nec Medicinam æstimamus ex ipsis personis, puta Galeno, Auicenna, Paracelso. Hoc idem faciamus in Philosophiæ natura indaganda. Nam omnino nostra quæstio est de idea, non de singularium subiectorum habitudine. Quam vero, inquiet aliquis, tu hic crepas Philosophiæ ideam? Hanc paucis circumscribam ex ipsius adiunctis, quę sunt numero duodecim.

rum, non sunt τ aporismi Philosophiæ.

Idea Philosophiæ quæ sit.

1. *Philosophia est Christianæ pietatis ministra.* Ratio; quia Philosophia vera nihil docet contra Deum, sed statuit, vt Plato dixit, gratissimam de Deo famam in disciplinis esse sparsam. Non igitur est *impia in Deum.*

2. *Philosophia est Christianæ charitatis promotrix.* Hinc tot dicta ethnicorum de iustitia, de vita honesta, de fuga vitiorum. Non igitur est *iniusta & iniqua in proximum.*

3. *Philosophia est veritatis studiosissima.* Hinc tot encomia φιλαληθείας apud Philosophos. Non igitur est *falsa, vel falsitatis magistra.*

4. *Philosophia modestiæ & humilitatis est obseruantissima.* Hinc summi Philosophi suam in cognitione veri cæcitatem, & in actione boni imbecillitatem agnouerunt & deplorarunt. Non igitur est *fucosa & superbiæ magistra.*

5. *Philosophia est sedula ordinis & methodicæ claritatis mater & nutrix.* Hinc tot encomia ordinis apud Philosophos. Non igitur est *confusionis genitrix.*

6. *Philosophia mentis & iudicii libertatem fouet, non tyrannicam seruitutem imponit.* Veri namque Philosophi nunquam iurarunt in verba aliorum, sed amicissimam sibi veritatem esse præ se tulerunt. Non igitur est *serua, adulatrix, & credula, vel vile mancipium.*

7. *Philosophia studiosa est vtilis eruditionis.* Hinc Philosophi vtilitatem statuerunt mensuram & normam suorum studiorum. Non igitur est *inutilibus speculationibus dedita.*

8. *Philosophia præceptorum, exemplorum, phrasium & terminorum claram lucem amat.* Non igitur est *obscura & difficilis.*

9. *Philosophia est amantissima facilis & perspicuæ breuitatis.* Dico perspicuam

cuam breuitatem. Talis est illa duntaxat, quæ res ipsas æquat, non autem mutilat: id quod hac nostra memoria nimis quam est familiare. Non igitur est *prolixa & anfructuosa*.

10. *Philosophia est docilitatis & sedulitatis magistra*. Nam præcipit patientem docilitatem, & assiduum in inquirendo & inueniendo, in examinando & iudicando studium. Monet, turpem esse defatigationem, cum id quod quæritur est pulcherrimum. Non igitur est *ignaua*, *vel admonitionis impatiens*.

11. *Philosophia est fuci, sophisticæ, & fallacium argutiarum ignara, apertique candoris amatrix*. Non igitur est *hypocritica, non simulans & dissimulans*.

12. *Philosophia paci & concordiæ studium suum dat*. Non igitur est *tumultuosa, & sanguinaria*.

Hæc est idea Philosophiæ, quam qui inspicient, illi & naturam ipsius cognoscent penitus, & habebunt Lydium lapidem, quo poterunt veræ Philosophiæ cultores, ab insulsis sophistis, qui sunt carcinomata potius quam studiosi huius laudatissimæ facultatis, dignoscere.

Fundamentum secundum: Non statim id negat Philosophia, quod non tractat. Aliud est tractare de re aliqua, aliud rem alibi tractatam concedere, vel oblique confirmare. Non igitur est consequens: Philosophia non tractat de SS. Trinitate, nihil habet de creatione mundi, nihil de Christo θεανθρώπῳ. Ergo Philosophia refutat hæc talia. Non, inquam, hoc sequitur. Nam potest illa concedere, tanquam nota & confirmata in superiori scientia, vel etiam potest illa indirecte confirmare. Sic nimirum multa sunt vera in Theologia per concessionem, quæ ibi non tractantur. Medicina tractat de morbis, morborumque remediis; Geometria docet de puncto, linea, superficie, & corpore. Hoc non euertit Theologia, sed amplectitur tanquam alibi tractata & iudicata. Idem cense de Philosophia. Non tractat quidem illa de rebus supernaturalibus: illa tamen non auertit, sed amplectitur tanquam vera; vel si opus sit, rationis lumen adhibet, vt sic indirecte confirmetur, quod directe confirmat Theologia. Quanquam enim τὰ πιστὰ, *credenda*, proprie non sint ἐπιστητὰ, *scibilia*: tamen fides non excludit omnem cognitionem, imo illam includit & præsupponit. Deinde rationes Philosophicæ præparationes sunt, quibus infideles facilius perducuntur ad amplectendum doctrinam cœlestem, vt *Thomas docet in libris contra gentiles*.

Fundamentum tertium: Humana diuinis, & naturalia supernaturalibus non repugnant, sed subordinantur. Ratio; quia inter causam & effectum est summa concordia. At Deus & creatura se habent ad inuicem per modũ causæ & effecti. Deinde summæ causæ effecta inter se non pugnant. Iam vero natura & gratia, naturalia & supernaturalia sunt effecta Dei. Sed contra hoc fundamentum duobus modis excipitur. 1. Quæcunq; habent pugnan-

pugnantes differentias, illa inter se pugnant. At dona Dei, verbi gratia, virtutes ethnicorum & Christianorum, naturalia item & supernaturalia dona, habent pugnantes seu specificas differentias. Ergo inter se pugnant. 2. Opera misericordiæ & iustitiæ inter se pugnant. Non igitur verum est, quod dona Dei inter se non pugnent. Resp. Hic aberratur à quæstione. Non enim hic quæritur, an Theologia à Philosophia differat differentia specifica, quæ est pugna seu oppositio Logica, sed disputatur de pugna Ethica vt loquuntur, qualis est inter verum & falsum, bonum & malum, virtutem & vitium. Inter virtutes est summa consensio, ita vt licet iustitia suam sibi habeat formam, per quam est iustitia, non autem fortitudo, nō tamen euertat alias virtutes. Sic licet homo habeat specificam suam differentiam, & aliæ substantiæ suam: non tamen recte dicitur, quod substantia substantiæ sit contraria. Quod attinet ad exempla allata, dicendū est virtutes ethnicorum non pugnare cum virtutibus Christianorum, si spectetur forma; at si spectentur accidentia praua, quæ virtutes ethnicorum obscurarunt & tantum non extinxerunt, permagna deprehenditur pugna. Opera denique iustitiæ & misericordiæ diuinæ non hoc sensu dicuntur contraria, quasi illa sint vera, hæc falsa; absit: sed ratione differentiæ specificæ. Certe vna eademque est Dei iustitia, quæ est remunerans, & puniens, pro diuersitate obiectorum. Inter hæc opera summa est consensio, si spectes veritatem. Sed quid opus est rei claræ lumen addere?

Fundamentum quartum: Termini seu limites disciplinarum non sunt confundendi. Quapropter dicta Philosophica philosophice sunt intelligenda, id est, de iis rebus, quas Philosophia tractat: non autem extendenda sunt ad illas materias, quas tractat Theologia supernaturalis, seu arcana. Nam de Theologia naturali non est suscepta disputatio. Huc pertinet illud celebratissimum: *Verba sunt intelligenda secundum subiectam materiam.* Hoc fiet, si sequentes regulas studiose obseruauerimus. 1. *Verbum Dei sit Lydius lapis, ad quem examinentur, probentur & improbentur dicta Philosophorum.* Aristoteles docet: Mundum ab æterno fuisse. Sed hoc dictum ad sacram Scripturam examinatum, falsum esse deprehenditur. Quare non veræ Philosophiæ axioma, sed philosophantis error iudicetur. Idem, vnam rerum omnium primam causam, nempe Deum, rationibus multis demonstrauit: quæ demonstratio quia congruit cum verbo Dei, amplectenda est & approbanda. Sed caue abutaris hac regula. Non enim hoc volumus, omnes controuersias Philosophicas ex verbo Dei decidendas esse. Id enim admodum foret præposterum. Nam sacra Scriptura ex professo non tractat illas res, quas in Philosophia cognoscimus. Sed hic est sensus illius regulæ: Quoties occurrit axioma Philosophicum, & de illius veritate quæritur, recurrendum est ad supremum illum iudicem, sacram Scripturam. Quod si illud dictum euertat aliquod principium Scripturæ, reiiciendum

Metæ disciplinarum non sunt confundendæ.

est tanquam nothum & adulterinum. 2. *Philosophia adhibeatur rerum sacrarum explicationi, non vt domina, sed vt ministra, quæ authoritati diuinæ cedat.* Sic Rhetorica, Dialectica, & cæteræ partes fungantur suo ministerio. Quod si Philosophia sibi sumat magisterium in res pure Theologicas, iam limites seu termini confunduntur, quos oportet manere quam distinctissimos. 3. *Quoties verbum Dei aliquid, quod absurdum in philosophia videtur, commemorat, philosophia se humiliet, agnoscat suam cæcitatem, corrigatur cœlestis philosophiæ admonitione, & non quasi obtorto collo in suam sententiam verbum cœleste trahat.* Sunt enim, vt ait Orpheus, citante Iustino Martyre, sunt, inquam, omnibus mortalibus mortales palpebræ in oculis imbecilles, ad videnda ea, quæ ad omnium rerum curatorem pertinent. 4. *Decreta philosophorum, inprimis practica, quæ ad mores formandos faciunt, vtiliter adferuntur in thematum Theologicorum tractatione.* Plato dicit: Deus est omnium bonorum αἴτιος, & malorum omnium ἀναίτιος. Hoc dictum vtiliter possumus adferre in illa quæstione decidenda, an Deus sit author peccati? Tiresias sacerdos Thebanus, tyranno minanti sibi exitium, eo quod vera quidem sed non placentia diceret, respondit: Veritatem, ô tyranne, te fortiorem alo. Hoc non incommode adduci potest ad animandos Christi ministros, vt constantes sint in docenda defendendaque veritate.

Fundamentum quintum: De duarum propositionum pugna & oppositione iudicandum est iuxta leges legitimæ oppositionis. Leges istiusmodi sunt quatuor. 1. Vt sit τὸ αὐτὸ, hoc est idem in vtraq; propositione subiectum & prædicatum, sine omni ambiguitate intellectum. 2. Vt sit oppositio κατὰ τὸ αὐτὸ, *secundum idem*, hoc est, vnam eandemque partem. 3. Vt sit oppositio πρὸς τὸ αὐτὸ, *ad idem*, hoc est, eodem respectu. 4. Vt sit oppositio ἐν αὐτῷ χρόνῳ, *secundum idem tempus.* Non enim est legitima oppositio, si non sit αὐτὸ, idem subiectum, sed ἄλλο καὶ ἄλλο: si non fiat κατὰ τὸ αὐτὸ, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, secundum aliam atque aliam partem; si non fiat πρὸς τὸ αὐτὸ, sed πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο, alio atque alio respectu: si denique non fiat ἐν αὐτῷ χρόνῳ, sed ἐν ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ, alio atque alio tempore.

His fundamentis & principiis, quæ nemo negare facile ausit aut possit, ita præmissis, videamus contraria argumenta, quorum duas constituemus classes; ita vt prima contineat dicta, quæ in sacris literis contra veram sententiam adferuntur, altera rationes philosophicas.

Dicta Scripturæ.

1. Coloss. 2. v. 8. ait Apostolus: *Videte, ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem, iuxta traditionem hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christum.* Resp. Hoc dictum accipi debet de abusu Philosophiæ, qui est triplex. 1. *Sophisticatio & inanis doctrina*; cum quis nectit laqueos sophisticos, vt ita vel ingenium ostentet, vel pios decipiat. Hunc Paulus hoc in loco

Philosophiæ abusus triplex.

loco taxat, dum ait: *ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem*. Nam copulatiua & hoc in loco non habet vim connexionis, sed obtinet vim interpretationis, ita vt hic sit sensus: per philosophiam, id est inanem doctrinam. Sic igitur Apostolus declarat prius membrum per posterius, indicans, quomodo acceperit vocabulum Philosophiæ: nempe non pro veris præceptis Philosophiæ, sed pro corruptelis & imposturis hominum, qui suis inanibus phantasiis velandis nomen illud augustum Philosophiæ tribuebant. 2. *Confusio*; qua doctrina Philosophica confunditur cum Theologica, cum nimirum Philosophia docetur pro Theologia, vt faciunt nonnulli, qui docent hominem posse legi diuinæ satisfacere, & honestatem Ethicam, Oeconomicam & Politicam statuunt esse perfectam legis Dei impletionem, ideoque causam remissionis peccatorum. Hi homines & seipsos & alios deprædantur per Philosophiam iuxta elementa mundi. 3. *Nimium sapientiæ humanæ studium*; quo fit vt Philosophiam aliquis tractet tanquam principale obiectum, cum illa debeat tanquam instrumentum ordinari ad cœlestem sapientiam.

2. 1. *Cor. 1. v. 19. 20. Abolebo sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium tollam è medio. Vbi sapiens? Vbi Scriba? Vbi disquisitor huius seculi? Nonne Deus infatuauit sapientiam mundi huius?*

3. *Rom. 7. v. 21. 22. Vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum. Quum se profiterentur esse sapientes, stulti facti sunt.* Resp. ad vtrumque hunc locum ex fundamento primo. Apostolus loquitur de Philosophis turgidis opinione sapientiæ, itemq; de sapientia huius mundi, quæ deridet mysteria Dei. Non igitur loquitur de Philosophiæ idea. Inspiciantur antecedentia & consequentia in allegatis capitibus.

4. *Genes. 7. Omne figmentum cogitationum cordis humani est malum omni die: & à pueritia, vt est Genes. 8. 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter diiudicantur. Rom. 8. Sapientia carnis est inimicitia aduersus Deum. Legi enim Dei non subiicitur. Nam ne potest quidem.* Respond 1. Dicta ista loquuntur de natura corrupta, quæ sibi relicta non potest capere mysteria Dei 2. Philosophia non est à natura corrupta, sed à natura, quatenus adhuc rudera imaginis diuinæ post lapsum in illa supersunt. 3. Philosophiæ terminos omnino distinguimus à terminis Theologiæ supernaturalis: ita vt prohibeamus saltum à cognitione rerum naturalium ad cognitionem rerum supernaturalium. Certe Philosophus non capit mysterium vnionis personalis in Christo, vtvt sit magnus & acutus. Necessum enim est, vt accedat supernaturale lumen per gratiam Dei, quo illa principia arcana cognoscantur.

5. *Ecclesiast. 1. vers. 13. Animum applicui ad quærendum & ad sapienter inuestigandum,*

gandum, quidquid sub cœlo fit. Hanc enim molestam occupationem exhibuit Deus generi humano, vt se in ea occupet. Vidi ergo omnia, quæ vidi sub sole, vana esse & molestiæ plena. Et paulo post vers. 17.16. *Adieci quoque animum meum ad cognoscendum sapientiam, & scientiam omnis insaniæ & stoliditatis: cognoui etiam hoc esse afflictionem spiritus. Quia in multa sapientia, multa molestia est: & qui cumulat sapientiam, cumulat dolorem.* Resp. committitur hic fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non enim simpliciter sapientiæ humanæ studium Salomon hic damnat: sed illud vanum esse ostendit, tum comparate ratione summi boni, tum quatenus in eo homines summæ sibi felicitatis arcem collocant.

Rationes.

Classis secunda continet argumenta artificialia, vt vocant, Philosophica & Theologica, quæ ordine videbimus.

1. *Studium Philosophiæ magis in errorum mæandros nos inducit, quam ex iis educit. Ergo, illud est inutile, vt ex consequenti Philosophia tanquam inutilis pugnat cum Theologia, quæ est omnium vtilissima.* Antecedens probant exemplo Iustini Philosophi, Clementis & Origenis, quos ideo in maximos errores prolapsos esse contendunt, quod Philosophiæ studio fuerint dediti. Respon. Confunditur hic abusus cum vsu: & id quod est per accidẽs cum eo quod est per se. Abutuntur multi vino. An ideo vinum malum? Vinum ne an eum qui abutitur vino accusandum esse censes?

2. *Philosophiam orthodoxa antiquitas & pii Patres Ecclesiæ tanquam pestilens venenum improbant. Ergo illa pugnat cum Theologia.* Prob. antecedens. Tertullian. in lib. cont. Hermog. ait: *Philosophorum ingeniis omnes hæreses animari.* Idem lib. 1. aduersus Marcionem, Philosophos vocat *Patriarchas hæreticorum.* Et in Apologetico dicit: *Nihil esse posse conuenientiæ inter Philosophos & Christianos.* Confer *Cyprian. lib. 4. epist. 2. Lactant. l. 3. inst. c. 13. l. 7. c. 2. l. 3. de falsa sapientia. c. 2. Ambr. ser. 22. in Psalm. 118. Chrysost. in 2. ad Cor. c. 1. hom. 7. Isid. l. 1. c. 18. de summo bono. Beda in Exod. 7. in Lucam l. 4. c. 6.* item Basilium Magnũ & Augustinum multis in locis. Resp. 1. Damnatio est temeraria, vel iusta. Illa est, quando sine iusta ratione aliquid damnatur: Ista, quæ fit certa & iusta ratione. Si Patres aliquid damnent certa & iusta ratione, oportet illos sequi: sin, damnanda est illorum damnatio. 2. Patres non damnarunt Philosophiam simpliciter & in genere, sed talem Philosophiam, quæ nimirum paganismis ethnicorum erat referta, quæq; Euangelicæ de Christo veritati vim & impedimentum adferebat. Philosophiam deprædatricem & deceptricem damnant: sobriam infinitis locis commendant. Imo ipsi fuerunt Philosophi eximii.

Damnatio alicuius rei est duplex.

3. *Mala arbor malos profert fructus. At Philosophia est arbor mala. Ratio; quia ratio corrupta hominum ethnicorum est illius radix.* Resp. 1. Causa prima Philosophiæ

Ortus Philosophiæ.

sophiæ est Deus, qui sua dona distribuit pro sua libertima voluntate. 2. Causa secunda Philosophiæ, est vel procreans, vel conseruans. Causa procreans est homo, quatenus post lapsum habet reliquas quasdam scintillas imaginis diuinæ: homo, inquam, non solum gentilis, sed etiam pius. Nam non gentiles inuenerunt totam Philosophiam, sed eam à Iudęis acceperunt, vt probari potest ex historiis. Causa conseruans est homo & gentilis & Christianus. In homine gentili malitia animi non tollit bonitatem artificii, quæ dependet à mente & ratione. Ita non reiicimus medicinam Galeni, vel concionem bonam hominis mali. Ergo nec Philosophiam repudiemus tanquam noxiam eo quod multi gentiles illam excoluerint & conseruarint.

4. *Philosophia corpus est monstrosum; quippe variis opinionibus & sectis distractum. Ergo pugnat cum Theologia, quæ est vna.* Resp. 1. Philosophia non suo vitio, suaque inconstantia in varias partes est distracta: sed ab externa causa. 2. Licet sit distracta vitio abutentium: in se tamen maximam doctrinæ certitudinem continet. Religio sacra similiter multitudine opinionum distracta est, interim ipsa in se manens certissima.

5. *Apostoli nulla philosophiæ cognitione fuerunt imbuti. Ergo philosophia pugnat cum Theologia. Ideo enim philosophiam illi non curarunt.* Resp. 1 Ab Apostolis ad me & te non valet illatio. Illi enim fuerunt amanuenses Spiritus sancti. 2. Falsum est antecedens. Nam Apostoli fuerunt insignes Philosophi. Fuerunt enim eloquentes, intellige facundiam Spiritus, item Logici, vt ex ipsorum scriptis videre est. Cum enim in iis obseruari possit artificium Logicum à nobis, necessum est vt ab illis sit adhibitum. Quanquam autem hæc non didicerunt in Schola: tamen cœlesti intelligentiæ lumine à Deo accepto hæc talia peruiderunt. *Apostoli fuerunt philosophi.*

6. *Ratio est captiuanda in sacris. Quare vero hæc? Ideo certe, quia pugnat cum sacris.* Resp. Ratio sic est captiuanda, vt cedat fidei, non vt reluctetur: vt credat, non vt aboleatur. Et vero hoc ipsum nos docet Logica, ita vt illam suo modo possimus appellare artem captiuandi rationem. Nam Logica docet disserere de rebus conuenienter, ita vt rerum sacrarum eminentiā præ rebus humanis agnoscamus. Hoc inde patet: quia Logica prohibet μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, hoc est vetat transire è genere disciplinæ in aliud genus.

7. *Ratio sensu nititur. Ergo in articulis fidei nullus est eius vsus. Pugnant enim hæc duo credere & sensibus niti.* Respon. Vsus rationis non est hic in Theologicis, vt sit fundamentum articulorum fidei, sed vt fundamentum religionis ab hæreticis labefactatum pro modulo suo tueatur. Deinde sensus est instrumentum perceptionis in fide gignenda. Fides enim est ex auditu.

8. *Spiritus sanctus non subiicitur legibus Philosophicis, vt Logicis.* Resp. 1. Nec

hoc tradimus, quando Philoſophiam dicimus eſſe inſtrumentum ſacræ Theologiæ. 2. Theologia dicitur ſubiici Logicæ, voce illa *ſubiici* non Politice, ſed Logice accepta. Politice ſiquidem domina, qualis eſt Theologia, non ſubiicitur famulæ. At domina ſubiicitur famulæ λογικῶς, id eſt, domina eſt obiectum famulæ, quæ operam ſuam circa eam exercet. 3. Theologia ſubiicitur Philoſophiæ, non quoad veritatem, ſed quoad modum cognoſcendi, qui nos reſpicit. Hoc ſenſu Logica poteſt appellari aureum Palladis fræнum, quod iniiciendum eſt Theologo, vt methodice proponat Theologica, & quodam quaſi ſepto hunc amœniſſimum hortum cingat.

Quomodo Theologia dicatur Logicæ ſubiici?

9. *Diuina myſteria non congruunt ad Regulas Logicas. Ergo eſt pugna inter Theologiam & Logicam.* Reſp. 1. Theologica tractari debent Logice, adhibito iudicio correctiuo, quo canones Logicos applicamus ipſi materiæ, non contra. Hoc ſic accipe. Apud artifices ſunt quædam normæ ſeu regulæ materiales, quas ſic dicunt, quod illæ ſint accommodandæ ad materiam, non autem contra. Regulæ illæ ſunt aliquantulum obliquatæ; qualis erat Lesbia illa, de qua *Ariſtot. 5. Eticor. cap.* 10. quæ plumbea erat, vt ad lapidum figuram flecteretur. Atque ita non ſemper materiam ipſi regulæ, ſed quandoque regulam materiæ accommodare oportet. Idem cenſe de Theologia. Tanta illius eſt maieſtas, præeminentia tanta, vt Logici ſit notiones ſecundas obliquata, vt ita dicam, non autem peruerſa ratione modoque rebus Theologicis applicare. Et hoc modo Logica Theologia accipit συμπλήρωμα *ſupplementum*: quatenus regulæ illæ perficiuntur ſuis exceptionibus. Hæ enim additæ regulis, illas faciunt κατὰ παντὸς. Atque hoc eſt primum, quod hic notandum: videlicet regulas Logicas ſic eſſe accipiendas, vt exceptiones in rebus Theologicis illis addantur. 2. Conceptus noſtri de rebus diuinis ſunt analogici. Quare quæ in Logicis dicuntur vniuoce, à nobis poſſunt accommodari rebus Theologicis ſupernaturalibus κατ' ἀναλογίαν. Hoc planum faciemus aliquot exemplis. Eſt axioma Theologicum: *Deus Pater genuit Filium.* Hic dico, eſſe diſpoſitionem cauſę cum effecto. At, inquiat aliquis, hoc blaſphemum eſt. Reſp. Cauſa & effectum Logice accepta ſunt notiones ſecundæ, quæ de Deo Patre & Filio enunciantur analogice. *Deus eſt eſſentia, ſpiritus volens*: Hic quaſi genus de Deo enunciatur. *Pater eſt Deus, Filius eſt Deus*: Hic Deus tanquam totum perfectionis enunciatur de perſonis, tanquam quaſi partibus, non componentibus, ſed diſtinguentibus. *Mundus eſt factus è nihilo*: Hic diſponuntur ſubiectum & adiunctum. Hic enim eſt ſenſus, cum prorſus nihil eſſet, Deus fecit mũdum. *Filius Dei eſt homo*, ſeu *Deus eſt homo*. Hic diſponitur ſubiectum cum adiuncto, ſi hic ſit ſenſus: Diuinitati τοῦ λόγου perſonaliter vnita eſt humana natura. Nam ſic λόγος eſt ſubiectum recipiens, ſeu aſſumens & ſuſtentans humanam naturam. Si dicas hunc eſſe ſenſum: Chriſtus eſt

Regula materialis quæ dicatur?

Conceptus noſtri de rebus diuinis quales?

Deus

Deus & homo: dicam vnam personam constitui ex λόγῳ & humana natura, sicut integrum è duobus membris. Intellige partes analogice cōsideratas: quo respexerunt Græci Patres, cum λόγον ζωύθετον dixerunt. Analogice dico: quia persona Christi, & persona verbi ratione tantum, non etiam re differunt: cum Christus sit persona verbi habens humanam carnem. *Hæc virgo est mater*: Hic disponuntur diuersa. Nam hæc duo, virgo & mater, sola ratione, seu solo respectu incidente dissentiunt in Maria. Virgo est, qua virum non cognouit, & incorrupta mansit: mater, qua peperit, quod ex sua ipsius substantia concepit. *Mortui viuent*. Hic disponuntur diuersa. Quanquam enim in se sunt priuantia, seu opposita: tamen diuersus temporis respectus naturam diuersorum inducit. *Aqua vinum est factum*: Hic aqua est materia miraculosę transmutationis, vinum est materiatum. *Panis est corpus Christi*: Hic disponitur subiectum cum adiuncto. Nam panis pro diuerso respectu potest appellari subiectum & adiunctum. Subiectum, quatenus recipit illam significationem sacramentalem, seu vnionem pactionalem: Adiunctum, quatenus est signum. Atque hinc patet, quo sensu Logicæ tribuamus magisterium, & ministerium respectu Theologiæ. Magisterium; quatenus imperat Theologo, vt recte definiat, distinguat, concludat, disponat. Ministerium; quatenus Logica vtitur Theogus, & quatenus illa suos canones non statuit normam absolutam veritatum Theologicarum, hoc est, principiorum supernaturalium, sed materialem, quæ rebus accommodari potest quam facillime.

10. *Physica tota incerta est. At Theologia tota est certa. Quare pugna est inter Physicam & Theologiam.* Incertitudo Physicæ sic probatur. Ipsi Philosophi Academici nil certo sciri posse contendebant, sed ad verisimilitudinem & probabilitatem quandam disputationes procedere posse statuebant. Sceptici nihil de vlla re affirmantes, neque negantes, de omnibus æque dubitabant. Præterea organa cognoscendi, vt puta sensus, sunt mutabilia & incerta. Proinde per ea non potest acquiri scientia. Res denique singulares sunt mutabiles & inconstantes, ita vt nulla de iis cognitio possit haberi. Resp. 1. Non moror Academicorum & Scepticorum insulsitatem. 2. Hallucinatio sensibus ex accidenti conuenit. At ea quæ sunt per accidens, non euertunt ea quæ sunt per se. 3. Rerum singularium mutabilitas non infert negationem scientiæ earundem. Habent enim illæ duplex esse, commune & proprium. Esse commune est sempiternum. Proprium esse variis mutationibus est obnoxium. Illud cognosci potest certo & firmiter, hoc successiue.

11. *Humana cum diuinis pugnant. At Philosophia est humana. Ergo.* Respond. ad maiorem, illa est vera si per humana intelligas vitia, quæ sunt in mente & à mente hominum. At hoc sensu Philosophia non est humana.

12. *Si Theologia non pugnaret cum Philosophia, vel contra, mysteria Theologica possent capi ratione. At non possunt capi. Ergo.* Resp. Consequentia hic nulla. Oportet enim distinguere ea quæ sunt supra rationem & naturam ab iis, quæ sunt contra rationem & naturam. Illa naturam perficiunt, hæc abolent & tollunt. Hoc autem sequitur: Mysteria diuina non possunt capi ratione. Ergo sunt supra rationem & philosophiam.

Cardines religionis nostræ sunt supra non contra rationem.

13. *Philosophia non tractat de redemtione generis humani per Christum, nihil de causis miseriæ, nihil de morte Christi habet. Ergo pugnat cum Theologia.* Respond. Non debet de iis tractare. Non enim debet irruere in fines & septa Theologiæ. Neque vero id negat aut refutat Philosophia, quod non tractat.

14. *Dantur multa enunciata, quæ sunt vera Theologice, at Philosophice falsa.* Exempli gratia.

Verum Theologice.	*Verum Philosophice.*
1. Mundus non est æternus.	Mundus est æternus.
2. Virgo parit.	Virgo non parit.
3. Ex nihilo omnia.	Ex nihilo nihil fit.
4. Vnum est trinum.	Vnum non est trinum.
5. Mors Christi peperit nobis vitam.	Contrarium non producitur à contrario.
6. Corpus graue natat, & inambulat aquæ.	Corpus graue fertur deorsum.
7. Ignis non vssit aliquando.	Ignis vrit admotam materiam.
8. Cæcis visus est redditus, & mortuis vita.	A priuatione ad habitum non datur regressus.
9. Eadem numero caro resurget.	Idem non potest reproduci numerice.
10. Deo possibilia sunt omnia.	Deus non potest omnia.

Responsio generalis ad hęc exempla peti potest ex fundamento quarto & quinto. Ex quarto: Dicta Philosophica Philosopice sunt accipienda, hoc est, de materiis propriis, non de Theologicis. Ex quinto: Subiectum & prædicatum non eodem modo accipiuntur in his exemplis. Nunc in specie sic responderi potest. *Ad* 1. Philosophia falsa sic docet. *Ad* 2. Si ita formes enunciatum: *virgo parit ordinaria & naturali vi*: falsum est, & in Theologia, & in Philosophia. Si vero sic: *Virgo parit extraordinaria vi, virtute Dei inumbrante; & causa naturalis vicem modo eminentißimo supplente*: verum est, & in Theologia, & in Philosophia. *Ad* 3. Fieri vel idem est quod generari, vel idem quod creari. Hinc duo enunciata existunt: *Ex nihilo nihil generatur: Ex nihilo nihil creatur.* Prius est verum in Theologia & Philosophia. Posterius falsissimum & in illa, & in ista. Docet enim Philosophia,

Deum esse omnipotentem causam. *Ad* 4. Vnum non est trinum, scilicet eodem respectu. Hoc verum est & Theologice & Philosophice. At, vnum est trinum, diuerso respectu, & in Theologia, & in Philosophia verum est. *Ad* 5. A contrario qua contrarium non producitur contrarium. Sic statui, Philosophia, itemque Theologia. At ex morte Christi nobis est vita parta, non qua mors est, & priuatio, sed qua λύτζον sufficiens pro peccatis. *Ad* 6. Philosophiæ decretum est: Corpus graue sua natura fertur deorsum. Hoc idem docet Theologia. Sed eadem docet: Quoddam corpus virtute supernaturali, & extraordinaria & miraculosa sustentatum fuisse in aquis. *Ad* 7. Philosophicum est dictum: Ignis sua natura adurit admotam sibi materiam, non impeditus vi superiore. Theologia non dicit: Ignem in fornace Babylonica sua vi non adussisse corpora iuuenum: sed hoc virtute Dei, quæ sit supra vires naturæ, euenisse docet. *Ad* 8. Hæ quoque propositiones non sunt oppositæ: quia non sunt limitatæ & distinctæ. Nam Philosophia non docet simpliciter: A priuatione ad habitum non dari regressum. Datur enim regressus à tenebris ad lucem. Sed hanc limitationem addit canoni isti. Si sit priuatio actus & potentiæ, seu plenaria & totalis ablatio, non datur regressus per vim naturę. At per vim infinitam datur regressus à morte ad vitam, à cæcitate ad visum. *Ad* 9. Theologia docet, Deum esse omnipotentem, illumque ideo posse reproducere vnum idemque numero corpus, quod semel è nihilo produxit. Hoc idem docet Philosophia vera. Contrarium ergo axioma non est Philosophiæ, sed Philosophorum errantium. *Ad* 10. Theologia & Philosophia simpliciter non docent, vt est in allatis enunciatis, sed cum limitatione, quæ talis: Deo sunt omnia possibilia, scilicet quæ non implicant contradictionem: Et, Deus non potest omnia; scilicet ea non potest, quæ implicant contradictionem. Hæc enim facere, est deficere: vt posse mori, posse mentiri, factum reddere infectum, corpus facere vt sit corpus & non corpus, & alia similia. Postremum hoc lubet pluribus persequi. Est enim maxime controuersum. Adijciam autem ἀνάσκεψιν quandam Scholasticam, Philosophi non ignobilis, qui contrariam sententiam defendit; videlicet Deum posse etiam ea, quæ implicant contradictionem.

Axioma Philosophi istius sic habet: *Prima causa, hoc est, Deus, potest omnia.* *Deus potest omnia.*

Hoc axioma pluribus tractat, hunc in modum.

Hoc axioma manifestissima habet testimonia, cum ex profanis, tum ex sacris scriptoribus. Ex profanis sufficiant nobis Plato & Aristoteles, quorum ille Deum expresse omnipotentem facit in Timæo: hic vero infinitæ virtutis. Huc spectat memorabile dictum illud Mercurij illius, qui ob suam sapientiam τρισμέγιστος, *ter maximus*, fuit appellatus: Deus est

circulus, cuius centrum eſt vbique, & circumferentia nuſquam. Vocat Deum circulum ob ſummam perfectionem: quia circularis figura perfectiſſima Mathematicis dicitur. Addit, cuius centrum eſt vbique, quibus verbis innuit, quod Deus vbicunque ſit, ibi perfecte ſit totus. Denique dicit, quod ipſius circumferentia ſit nuſquam, propterea quia eſſentia diuina terminis caret, & nullis limitibus claudi poteſt. Ecce talis circulus Deus Triſmegiſto. Hinc Auguſtinus Steuchus de perenni Philoſophia *lib* 3. *cap*. 12. aſſerit Orpheum, Heſiodum, Empedoclem & Platonem in eo conſentire, quod Deus omnia condiderit. Ex ſacris quoque ἐμφατικώτερα dabimus teſtimonia. *Luc*. 18. τὰ ἀδύνατα παρ' ἀνθρώποις, δυνατά ἐστι παρὰ τῷ Θεῷ: Quæ apud homines ſunt impoſſibilia, apud Deum ſunt poſſibilia. Sic *Marc*. 10. *ver*. 27. Omnia poſſibilia ſunt apud Deum. Sic Angelus *Luc*. 1. Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.

Verum hic præſtat excutere (recito ſententiam τοῦ δεῖνα) cum propter Philoſophiæ, tum Theologiæ ſtudioſos, ſitne axioma propoſitum, ſimpliciter & abſolute verum, an vero cum quadam limitatione & exceptione: Triplex hic circumfertur ſententia:

Prima ſententia.

1. Quidam ſentiunt, Deum poſſe omnia ſine omni exceptione. Pro his ſequentes rationes ſubiici poſſunt, 1. ex dictis allegatis, quæ ſine exceptione ponuntur:

2. Quia Deus in ſymbolo noſtro dicitur omnipotens, eo quod omnia poſſit, ex nominis notatione: quia qui dicit omnia nihil excludit, vt habet vulgata Logicorum regula. Hic igitur valde vrgetur dictio iſta, omnia.

3. Ratio ab abſurdo: ſi Deus non poſſet omnia, non eſſet vere omnipotens. Atqui non poteſt omnia ex hypotheſi. Ergo non eſt vere omnipotens, quod eſt abſurdum.

4. Libertimum agens omnia poteſt, nihilque ipſum impedire poteſt. Atqui Deus eſt liberrimum agens, nihilque ipſum impedire poteſt. Ergo: Quod ſi non omnia poſſet, eſſet aliquid in rebus quod eius potentiæ reſiſteret. Atqui ei nihil reſiſtere poteſt.

5. Deus eſt ſupra naturam & ſupra omnem rationem noſtram Geneſ. 1. 1. *priori ad Corinthios* 1. Ergo eius potentia ex naturæ vel rationis legibus minime eſt iudicanda aut definienda. Ergo & ea facere poteſt, quæ repugnant vel naturæ vel rationis noſtræ legibus, adeoque quæ contradictionem nobis implicare videntur. Sicut enim Deus naturam & ipſam rationem condidit, ſic etiam naturæ & rationi leges certas præſcripſit, vltra quas aſſurgere non debent, hinc axiomata hæc cum apud Theologos, tum Philoſophos notatu digniſſima.

1. Diuina potentia non eſt decempeda rationis noſtræ metienda, vt ait Sca-

ait Scaliger. Sed decempeda illa rationis, quid aliud est, quam Logica nostra, aut leges Logicæ?

Diuina potentia non est coarctanda ad angustias nostri intellectus, vt ait *Collegium Conimbr. secund. Physicor. c.7.q.16.art.2.*

3. Sapientiam huius mundi fecit Deus stultam faciendo ac declarando, id esse possibile, quod ipsa iudicat impossibile, *Augustin. in prior. ad Corinth. 1. cap.*

4. Summa, inquit *Hieronymus Zanchius*, non tantum impietas: sed etiam stultitia ad vires naturæ Dei potentiam deprimere *lib. 1. de mundo, cap. 3. thes. 1.*

5. In subordinatis facultatibus hæc est ratio, vt quicquid potest inferior facultas, id etiam possit superior, vt habet *Aristot. in lib. de anima.* Verbigratia, sensus potest cognoscere singularia: Ergo & intellectus. Sensus videt. Ergo & intellectus. Sensus iudicet. Ergo & intellectus. Natura autem & Ars, quo & hominem & bruta refero, adeoque omnia creata & arte facta, Deo sunt subordinata. Ergo videtur absurdum esse, posse aliquid hominem vel naturam, vel artem, quod Deus, hoc est conditor non possit. Itaque volunt hi, Deum non posse etiam pati, non posse mentiri, non posse peccare, adeoque quæ nobis videantur contradictoria, non tamen omnia hæc velle. Itaque summa horum est: Deus omnia potest facere vel pati, sed non omnia vult; potest, inquiunt, peccare, sed non vult: potest mentiri, sed non vult: potest omnia pati, sed non vult: hoc est, Dei patientia non sese exerit in actum nisi in iis quæ diuinæ ipsius voluntati placeant.

6. Ratio. Si Deus, quæ sunt impossibilia nobis, potest, etiam ea quæ nobis contradictoria videntur, potest. At illud. Ergo & hoc.

Sic ex nihilo fit aliquid; hoc impossibile est nobis & contradictorium: Est enim axioma naturale & legibus rationis nostræ cõsentaneum, Ex nihilo nihil fit. Attamen Deus omnia fecit ex nihilo *Genes. 1.* Sic impossibile est nobis & contradictorium, hominem nasci posse de lapidibus, attamen Deus potens est suscitare de lapidibus istis filios Abrahæ, *Matth. 3. cap.*

Secundo sunt, qui dicunt, Deum omnipotentem esse, non quod omnia absolute possit, sed quod omnia quæ vult possit, & ita ad omnes quæstiones quæ proponuntur respondent, simpliciter Deum ea posse quæ vult, & ea non posse quæ non vult. *Secunda sententia.*

Itaque hi censent, non latius patere Dei potentiam quam voluntatem, nec voluntatem latius patere, quam potentiam.

Horum igitur rationes principes & palmariæ hæ sunt.

Prima: Si potentia Dei limitatur eiusdem voluntate, sequitur Deum non posse quicquam, nisi idem velit.

At

At prius est verum; Ergo & posterius.

Assumtio probatur ex *Genes.* 1. Quæcunque Deus voluit fecit, & ex *Psalmio*, ipse dixit & facta sunt, & *Augustin. lib. confess. on.* 7. *c.* 4. ait Deum alloquens, non est maior voluntas tua potentia: voluntas enim & potentia Dei Deus ipse est: & *Tertullianus aduersus Praxeam* ait: Dei posse velle est, & non posse nolle. Item *Augustin. ex lib. de symbolo*: hoc solum non potest Deus quod non vult.

Secunda ratio: Potentia Dei & Dei voluntas sunt in Deo prorsus idem. Ergo non potest Deus quicquam, nisi quod velit, & non vult quicquam nisi quod possit. Deus itaque ex nihilo fecit omnia, quia voluit, & Deus peccare non potest, quia non vult.

3. Si Deus non potest facere nisi quod iustum & bonum est fieri, ergo nec potest facere aliud, quam facit.

4. Deus non potest facere, nisi quæ præsciuit & præordinauit se facturum. Atqui non præordinauit nec præsciuit se facturum, nisi quæ facit. Ergo Deus non potest facere, nisi quæ facit.

Hæc pro hac opinione præcipua sunt. Plura, qui desiderat, legat apud Scholasticos *sententiar. lib.* 1. *distinct.* 43.

Contendunt igitur hi, non latius sese extendere Dei potentiam, quam voluntatem, & eatenus dici tantum Deum omnipotentem, quatenus potest quicquid vult, non autem quod possit etiam, quæ non vult.

Tertia sententia. Tertia opinio est *Hieronymi Zanchii lib.* 3. *de natura Dei cap.* 1. *Goclenii in disquisitionibus Philosophicis quæst.* 29. *Keckermanni systematis Logici lib.* 1. *mihi pag.* 147. *Sadeelis de sacramentali manducatione cap.* 3. *pag.* 91. *& seq. Collegii Conimbricensis lib.* 2. *physic. cap.* 7. *quæst.* 16. *artic.* 1. *Thomæ* 1. *part. sum. q.* 24. *art.* 3. *& multorum aliorum Scholasticorum.*

Statuunt hi & contendunt, multa â Deo fieri non posse: Hinc *Zanchius* dicto loco: multa contendimus â Deo fieri non posse: Item paulo post, principio, inquit, retinendum est, non debere quemquam offendi, si dicamus Deum aliqua non posse. Et tamen nihilominus hi recte asserunt, plura eum facere posse, quam vel velit, vel iam fecerit: Sic Deum simpliciter & absolute loquendo potuisse & posse omnes in vniuersum homines seruare & omnium misereri, quod tamen non velit. Si enim fieri potuit, vt multorum misertus sit, quidni etiam omnium? Sic Deum vnum mundum creasse, plures tamen eum creare potuisse.

Hinc recte *August.* Deum multa posse quæ tamen nolit, *tom.* 7. *de natura & gratia cap.* 7.

Est igitur hæc opinio media inter primam & secundam. Contra primam quidem negat, Deum dici omnipotentem, quia simpliciter Omnia possit. Multa enim â Deo fieri non possunt. Contra alteram vero

negat,

negat, Deum ob hanc causam dici omnipotentem, quod quæcunq; vult possit. Latius enim patere Dei potentiam, quam voluntatem.

Duplicis igitur generis hic rationes sunt adferendæ: Primo, quod Deus non omnia possit: Secundo, quod etiam facere possit, quæ non velit: vbi simul adducendæ sunt istorum hypotheses, quibus omnipotentiam Dei determinant, & in quo sensu accipiendum sit, quando dicitur, Deus est omnipotens.

Rationes quod Deus non omnia possit, contra opinionem primam.

1. Deus se ipsum negare non potest: quia fidelis est, *ad Timoth.* 2. Hoc explicat *Dionysius* 8. *cap. de diuinis nominibus* reddens rationem Elymæ Mago interroganti ipsum de vera sententiæ istius Paulinæ intelligētia: nempe, inquit, negare se non potest Deus, quia seipsum negare, est à veritate cadere: Est autem Deus veritas, atque ita à veritate cadere est à Deo cadere, quod est impossibile & contradictorium.

Quod cum ita sit, Deus non omnia potest.

2. Deus mentiri aut peccare non potest. Est enim Deus fidelis & absque vlla iniquitate *Deut.* 32. & apud Deum non est iniquitas, ad *Rom.* 9. *v.* 14. Rationem reddit Augustinus, Deus, inquiens, non potest facere iniusta, quia ipse est summa iustitia.

Ergo Deus non omnia potest simpliciter.

3. Deus mori non potest. Quia omnis passionis est expers per se. Ergo Deus simpliciter omnia non potest.

4. Et vt multa in vnum quasi cogam. 1. Deus nō potest esse non Deus. 2. Deus non potest sui odium præcipere. 3. Deus non potest separare definitionem à suo definito, inquit Fonseca. 4. Deus efficere non potest, vt præteritum non fuerit, hoc est, non potest facere vt quod est factum sit non factum. Hinc illud vulgatum, Deus facta infecta reddere nequit. Vide *Aristot.* 6. *Ethic. cap.* 2. *& Scalig. lib.* 5. *de causa. l. l. cap.* 118. Sic Hieronymus, cum Deus, inquit, omnia possit, non potest tamen facere de corrupta incorruptam: 5. Deus sententiam veram, falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati. *Augustin. tom.* 6. *cont. Manich. lib.* 26. *cap.* 8. 6. Deus non potest se in nihilum redigere. 7. Deus non potest sedere, ambulare & dormire. 8. Deus alium Deum facere nequit, *Scalig.* 9. Deus pater non potest odisse filium Deum. 10. Deus non potest agere in non ens, vel facere non ens, quia non ens Deo repugnat, ait *Thomas.* 11 Deus non potest contradictoria facere simul vera, *Keckerman. lib.* 1. *systematis Logici. & Zanch. lib.* 3. *de natura Dei. cap.* 1. seu quod idem est Deus facere non potest ea, quæ contradictionem implicant, vt ait *Thomas in parte summa Theologica.* 1. *quæst.* 25. *artic.* 3. *&* 4. & subiicit rationem. Quod enim, inquit, contradictionem implicat non est possibile vllo modo. Addit Zanchius *dict. lib.* 3. quod tale neque possibile sit apud Deum, neque apud homines. Hinc

Sadeel, non licet, inquit, argumentari ab omnipotentia Dei ad confirmandum id, quod contradictionem implicat. 12. Deus quæ fecit bona, facere meliora non potuit, intellige, quoad bonitatem essentialem, non accidentalem. *Zanchius dict. lib. 3. de natura Dei, cap. 1. q. 10.* 13. Deus facere non potest vt corpus aliquod sit infinitum & immensum, & vt sit vbique, *Zanchius ibi q. 9.* 14. Denique, quæcunque defectum potentiæ indicant, Deus facere non potest. Sic Deus simpliciter mentiri non potest, simpliciter peccare non potest & alia infinita, quia ista indicant defectum potentiæ, non vero perfectionem.

Hinc itaque concludunt, Ergo Deus non potest simpliciter & sine exceptione omnia.

Rationes quod etiam facere possit ea, quæ tamen non vult facere

Deus plura potest facere, quam vult.

1. Deus potens est vt & supra dictum est suscitare de lapidibus filios Abrahæ *Matth. 3.* nec tamen voluit. Quæcunque enim vult facit: potest igitur etiam, quæ non vult.

2. Deinde locus Christi *Matth. 26. ver. 56.* apertissimus, An putas, inquit Christus, quod non possem rogare Patrem meum, & exhibebit modo plus quam duodecim legiones angelorũ: quibus verbis docuit Christus & se potuisse rogare Patrem, & Patrem potuisse has legiones ad Christum mittere: sed neutrum, hoc est, neque Christum, neque Patrem voluisse quod poterat. Sic quia Dominus Lazarum suscitauit spiritualiter sine dubio potuit. Quia vero Iudam non suscitauit scilicet spiritualiter, non dicendum est, quod non potuerit, sed quod noluerit. Nam si voluisset, eadem etiam potestate fecisset, *Augustin. tom. 7. de natura & gratia, cap. 7.*

Ideo recte *Damascenus ad calcem lib. 1.* sic scribit; πάντα μὲν ὅσα θέλει, δύναται, οὐχ ὅσα δὲ δύναται θέλει, hoc est, omnia quidem quæcunque vult Deus potest: non vero omnia quæ potest vult.

3. Si Angeli, si homines, multa facere possunt quæ tamen non volunt, multo magis Deus facere multa potest, quæ tamen non vult. Sic Deus potuisset hominem talem creare, qui neque voluisset, neque potuisset peccare, quales sunt in cœlo beati spiritus. Sic potuisset hominem sine Christo saluare: potuisset mundum non condere, sed noluit creare hominem qui peccare non potuisset, noluit hominem sine Christo saluare, & voluit mundum condere.

Hypotheses tertiæ sententiæ.

Hactenus de duplicis generis rationibus: sequuntur iam hypotheses tertiæ sententiæ authorum, quæ ex duplici rerum impossibilium genere colliguntur. Vnum genus impossibilium est eorum, quæ per se & sua natura impossibilia sunt: Vocatur Aristoteli ἀδύνατον καθ᾽ αὑτό: item impossibile ex parte rei seu subiecti scil. quãdo res per se talis est vt fieri non

possit,

possit, vt, si mundus creatus est, nullo modo fieri potest, vt sit non creatus. Sic, si electi sumus ad vitam æternam, fieri nequit vt simus non electi.

Alterum genus impossibilium est eorum, quæ licet à creaturis admitti ac fieri possint, apud Deum tamen sint impossibilia, cuiusmodi sunt peccare, pati, mentiri, insanire & alia eiuscemodi: vocatur impossibile ex parte seu respectu Dei.

His duobus impossibilium generibus exceptis, nihil, inquiunt, est, tam impossibile apud homines & naturam quod non sit possibile apud Deum: & ita intelligi volunt illud angeli, *Luc.1.v.37.* Non est impossibile apud Deum vllum verbum, item illud *Marc. 10. ver. 27.* omnia possibilia sunt apud Deum.

Hinc iam hypotheses & axiomata certa manarunt, quæ apud tertiæ sententiæ assertores crebro leguntur: Ita tamen sunt istæ hypotheses comparatæ, vt quædam sint generaliores, quædam specialiores, & quasi consectaria & porismata.

1. Quicquid non implicat contradictionem à Deo fieri potest. *Thomas 1. part. summæ Theologiæ q. 25. art. 3.* Quæ hypothesis sic confirmatur & explicatur. Deus cum sit summum ens & perfectissimum, & omne agens agat sibi simile, actio ipsius Dei non potest in se ad non ens aliquod permanare. In omni autem contradictione est non ens, quia in omni contradictione est verum, & falsum. Falsum autem est non ens: Non ens autem Deo repugnat, nec similitudinem cum illo habet. *Thomas ibidem, & Kecker. ex illo dat. lib. 1. system. Log. Sic & Zanchius dicit, lib. 3. de natura Dei, cap. 1. q. 6.* Deinde explicante Augustino: Si Deus facere posset ea quæ contradictionem implicant, sententiam falsam posset facere veram. Atqui falsitas est cõtraria Deo, quia est ipsa veritas, vide eum *Tom. 6. aduersus Manichæum lib. 26.* Nemo autem naturaliter efficit, vt & Physici docent aliquid sibi contrarium.

2. Itaque quæ contradictionem implicant sub diuina potentia non continentur, *Goclen. in disq. philos. 4. 29.*

3. Et Deus efficere non potest vt contradictoria sint simul vera. *Gocle. ibid. & Zanchius d. l.* item neque apud homines neque apud Deum fieri vllo modo potest, vt duo contradictoria sint simul vera. *Zanchius ibid.* Proinde verius dicitur hæc non posse fieri, quàm Deum hæc non posse facere, quia defectus cur non possint fieri in ipsis contradictionibus est, non in Deo, *Zanchius ibid.*

4. Et absolute impossibile est apud Deum & homines, cum prædicatum pugnat cum suo subiecto, vt hominem esse auem. *Zanch. dict. lib. 3.*

5. Et quicquid naturam euertit eiusque leges, contradictionem implicat & proinde fieri nequit. *Sadeel.*

6. Itaque quæ rei, quæ Deus non est, non repugnant, seu quorum na-

tura rei est capax, ea à Deo fieri possunt; secus quæ sunt, illa non possunt. *Goclen. dicto loco.*

7. Et quod imperfectionem significat, seu quod cum omnipotente & perfecta Dei optimaque Dei natura pugnat, id à Deo fieri non potest. *Zanchius dict. loco, q. 6.*

8. Itaque Deus omnia potest quæ posse ipsum potentia est, non imbecillitas (hæc hypothesis oritur ex priori.) *Hugo Victorius lib. 1. de sacramentis part. 2. cap. 22.*

9. Itaque Deus omnia potest possibilia, *Zanch. dict. loc.*

10. Quæcunque possibilia dicuntur creaturæ respectu potentiæ passiuæ, ea omnia impossibilia sunt Deo creatori, propterea quod in Deo nulla est potentia passiua. *Zanch. ibid. q. 9.*

11. Itaque quædam possibilia nobis, quæ Deo sunt impossibilia. *ibid.*

12. Et quædam impossibilia apud nos, possibilia sunt apud Deum, vt aliquid esse ex nihilo, impossibile est apud nos, sed apud Deum possibile; sic virginem parere seruata virginitate impossibile est apud nos, sed apud Deum possibile. Sic idem numero corpus in extremo iudicio resurgere impossibile est apud nos, etiam Aristotele fatente, sed apud Deum possibile, quia sacra Scriptura hoc ipsum testatur.

Sententia Philosophi cuiusdam.

Verum sunt magni nominis & Philosophi & Theologi, qui ex Scholasticis doctoribus repetita illa potentiæ Dei extraordinariæ & ordinariæ distinctione; hypotheses tertiæ huius sententiæ omnino sartas & tectas esse negant, imo falsas nonnullas esse asserunt concludentes nec sententiam hanc de omnipotentia Dei in omnibus recte sentire.

Itaque pro his, quamuis malim ipse esse ἐφεκτικὸς in re tam ardua quam simpliciter θετικὸς, primum explicabimus illam Dei potentiam, deinde hypotheses examinabimus.

Quo sensu Deo tribuatur duplex potentia?

Etsi autem potentia diuina in se vna & simplicissima est, nam omnino quicquam in Deo ponere, quod non sit ipse Deus, impium est, vt ait *Scalig. exerc. 365. sect. 8.* pro vt tamen rebus efficiendis comparatur, in ordinariam & extraordinariã seu absolutam distinguitur. Vide apud *Thom. 1. part. sum. Theol q. 25. art. 5. Scotum in 1. distinct. 44. Capraeolum distinct. 42. q. 1. art. 1.* & eleganter *Scaliger. exerc.* iam laudata, quoniam Dei, inquit, potentia infinita est, cuius tamẽ videmus finitas effectiones & opera finita, quando ipsum quoque cœlum finitum est, & tempora statis præscriptionibus constituta, species & à se inuicem essentiis distinctæ & certorum officiorum mutuis nexibus coniunctæ, mortales Deo duplicem potentiam attribuerunt, alteram quam vocant ordinariam, alteram quam nominant absolutam: vna tamen in ipso est: nam ordinaria est absolutę pars. Hactenus Scaliger.

Aristoteles tamen non agnouit extraordinariam siue absolutam

Dei potentiam, imo nec de ordinaria recte sensit, cum putauerit Deum agere necessitate naturæ, vide *Colleg. Conimb. 2. physic. c. 7. q. 17. art. 3. & 8. physicor. c. 2. q. 5. art. 2.*

1. Obiectio: At, inquis, si vna eademque simplicissima Dei potentia est, non distinguetur. At prius est ex supradictis, Ergo & posterius.

Resp. In Deo vna & simplicissima est, rebus tamen efficiendis comparata ea distinguitur.

2. At ordinaria, si absolutæ pars est, in Deo etiam erunt hæ duæ distinctæ.

Respond. Nego connexum. Ordinaria enim pars dicitur absolutæ, non in Deo sed extra Deum considerata. In DEVM enim non cadit pars.

3. Nec efficies quicquam ita obiiciendo: Author ordinis qui est, eius potentia non dicetur ordinaria.

Atqui Deus est author ordinis. Ergo nefas est Dei potentiam aliquam facere ordinariam.

Respond. Ordine non disponitur aut distringitur Dei potentia, sed ipse est ordinis author, cuius ordinis necessitas omnis ab ipso pendet: ipse rebus ordinem præfixit per sapientiam & bonitatem, vt ait *Scalig. exerc. 365. sect. 8.*

Dicitur itaque potentia Dei ordinaria, non quod ipse ordine distinctus aut occupatus teneatur, sed quod ordinem & legem quam ipse præfixit, in efficiendo & exequendo libera & iusta voluntate interdum sequitur.

Ordinaria igitur Dei potentia est, quæ respicit communem & vsitatum cursum ordinemque rebus ipsis inditum. Sic enim eam describit *Collegium Connimb. dict. 2 physs. c. 7. q. 16. art. 1.*

Hæc ordinaria Dei potentia, melius à nobis, inquit Zanchius, actualis quam ordinaria à Scholasticis appellatur. Estque actualis illa, qua non solum potest Deus quæcunq; vult facere, verum etiam re ipsa, & vt Scholæ loquuntur actualiter facit. *Zanch. lib. 3. de natura Dei cap. 1.* Zanchium sequitur Goclenius. vide supra in disquisitionibus. Ordinaria itaque potentia proprie illa est, qua Deus ordinem seu legem rebus præfixam in agendo imitatur. Hæc itaque potentia Dei cum ordine & legibus adeoque promissionibus Dei efficaciter comparatur & coniungitur: à qua efficacia & actualis & efficax Dei potentia appellatur, & censeo istam rectius ordinariam quam actualem, contra quam Zanchius vult, nominari cum Theologis nominatissimis.

1. Quia inter absolutam potentiam & actualem non est tam manifesta oppositio. Nam & absoluta illa in actum transire potest.

2. Quia in ordinaria Deus ordini & legi naturæ ita indulget, ita se ac-

commodat, quemadmodum Citharœdus ad citharam solet. 3. Si ordinaria melius diceretur actualis, absoluta item melius diceretur potentionalis. Atqui hoc non conceditur. Ergo nec illud.

Absoluta Dei potentia est, quæ absolute & simpliciter, hoc est ab omni rerum ordine & legibus præfixis libera est, & sine vlla limitatione accipitur, vt recte describit *Colleg. Conimb. d. loc. art. 1.*

Atqui hinc etiam absoluta dicitur, quod ab ordine & legibus quas fixit Deus, absoluta, id est, exempta est, quam exaggerantes coram aduersariis absolutissimam, vel etiam absolutissimam absolutionem nominare possumus. Hanc ideo, inquit Zanchius, absolutam vocant, quod ea potentia Deus simpliciter & absolute possit omnia, quæ simpliciter & absolute sint possibilia. Illud autem absolute possibile vocat, quod contradictionem non implicat, eoque rationem entis habere potest. Hactenus Zanchius.

Sed quoniam sic potentia Dei ad absolute possibilia adstringitur, & præterea ad legem contradictionis, non video cur absoluta & absolutissima vocetur, & non etiam ordinaria. Quod hic diligenter adnotandum, & superior descriptio ex Conimbr. allata vt sanior retinenda. Hæc distinctio potentiæ Dei maximi est vsus cum in Philosophicis tum in Theologicis. Sic absoluta sua potentia Deus potest suscitare filios Abrahæ ex hisce lapidibus. Dictum vide supra. Eadem potentia mundum ex nihilo condidit. Eadem mundũ in nihilum rediget si volet, eadem virginẽ fecit parere quæ ante partum, in partu, & post partum virgo mãsit, eadem potentia impium etiam, modo voluerit, saluauerit, tametsi nunquã conuersus fuerit, & multa Deus alia infinita præstare potest, quæ captus noster non capit aut capiet: sed hæc talia Deus non potest facere potentia ordinaria. Deus enim ordinarie, id est, secundum legem à se fixam impium non seruauit. Sic illud Tertulliani dictum: plane Deo nihil difficile est, intelligendum est de potentia Dei absoluta. Illud autem quod subdit, Dei posse velle est & non posse nolle, de ordinaria vel actuali seu efficaci, vt alii loquuntur: hoc est, Dei posse (efficax) scilicet Dei velle est: ex qua distinctione multa refutantur, quæ supra pro secunda sententia adferebantur, quæ & idcirco, ne sim prolixior, indiscussa relinquo, & tantum hic quatuor axiomata subiicio pertinentia ad vtramque Dei potentiam.

Axioma I.

Multa igitur nequeunt fieri à Deo secundum potentiam ordinariam, quæ secundum absolutam possunt, vt recte docet *Collegium Conimb. de loc. art. 1.* & in hoc habet omnes assentientes.

II. Ab-

II.

Absoluta Dei potentia Deus multa potest, quæ non vult, nec volet vnquam, vt recte etiam docet *Zanchius*.

III.

Absoluta Dei potentia fieri potest, quicquid contradictionem non implicat. *Zanch. Coll. g. Conimbr. Thomas, & alii.*

IV.

Ordinaria potentia Deus facere potest, quæcunque vult, & reipsa etiam fecit & facit quæcunque vult. *Zanch. sæpe dicto loco.*

His ita vtiliter præmissis hypotheses tertiæ sententiæ in medium allatas examinabimus, quæ veræ & falsæ contemplaturi.

Prima hypothesis.

Quicquid non implicat contradictionem à Deo fieri potest, hoc est, omnia à Deo fieri possunt, exceptis iis, quæ contradictionem implicant. Hæc enim talia ab his talibus assertoribus statuuntur vt à Deo fieri prorsus non posint. *Examen philosophi.*

Examen.

Hypothesis ista simpliciter intellecta falsa est, & absit, vt plane & indistincte assentiamur.

Distinguo enim primo inter ordinariam Dei potentiam & absolutissimam. Hac enim potest etiam ea quæ nobis contradictionem inuoluere videantur: Deus enim absolutissima sua potentia ad contradictionem Logicam legemque rationis humanæ minime est alligatus. Secundo distinguo, inter contradictionem Logicæ diuinæ seu Dei longe lateque nostrum captum transcendentis, & contradictionem Logicæ humanæ seu hominis captum humanum non transcendentis. Tertio distinguo inter res vel effata, quæ sunt supra terminos Logicæ seu rationis nostræ, & ea quæ sunt intra terminos Logicæ nostræ, & à ratione nostra percipi possunt.

Atque vt ita distinguam, me volentem nolentem impellunt dicta sacrarum literarum manifestissima.

Apostolus Paulus enim ait ad *Eph. 3. cap. v. 20.* Gloria sit Deo, qui infinita cum redundantia potest omnia facere supra ea, quæ petimus aut intelligimus. Et illud *Marci* 10. quod hic repeto; Omnia posibilia, inquit Christus ipse, sunt apud Deum: Et illud *Luc.* 18. Quæ imposibilia, inquit idem Christus, sunt apud homines, posibilia sunt apud Deum; vbi vrgeo vocē, *intelligimus*, vocem *omnia*, & phrasin istam, *apud homines*.

Quod si enim Deus facere potest ea quæ longe superant intellectum nostrum (facere enim hæc potest infinita cum redundantia) etiam facere potest ea, quæ in nostra Logica implicant contradictionem. Contradictio enim Logica & quidem nostræ Logicæ talia affert exempla, quæ

ra-

rationi nostræ repugnant & naturæ contraria sunt. Certe omne implicās apud nos contradictionem rationi repugnat, quia repugnat naturę, eamque euertere videtur: Et viceuersa, quicquid rationi nostræ repugnat implicat apud nos contradictionem. Deinde si Deus omnia sua potentia absoluta potest, nihil certe excipitur, aut monstretur, quod Deus potentia sua absoluta non possit. Certe hoc à nullo homine, quatenus homo est, monstrari potest. Absoluta enim Dei potentia excedit Logicam nostram.

Tertio si Deus facere potest impossibilia apud homines, etiam facere potest impossibilia apud rationem nostram, quid enim τὸ apud homines aliud quam τὸ apud rationem nostram. Atqui apud rationem nostram maxime impossibilia sunt contradictoria. Nam ea in gradu excellenti sunt impossibilia; imo proprie loquendo nihil tam impossibile apud rationem, quam id quod contradictionis nota insignitur. Per τὸ enim impossibilia apud homines non tantum intelligo impossibilia factu, sed etiam cogitatu, hoc est generatim capio. Quod si quis neget, ille ostendat quod ille ipse locus de impossibilibus factu sit accipiendus, quod heri fortassis, vt in veteri verbo dicitur, fiet; Nam, indubitatum est, quod Deus multa possit, quæ supra intellectum & captum nostrum sunt posita, adeoque etiam non minus ea quæ implicant apud nos contradictionem. Sic implicat apud nos contradictionem. 1. virginem qua virginem parere posse: Apud nos enim virgo quæ parit non est amplius virgo. Itaque virginem parere talis est propositio, vbi prædicatum repugnat naturæ subiecti, & tamen virgo qua virgo peperit potentia Dei absoluta. 2. Ex nihilo fit aliquid. Certe & hoc apud nos contradictionem implicat. Qui enim fieri potest, vt aliquid fiat ex nihilo? sed hoc apud Dei potentiam absolutam non implicat contradictionem. 3. Finitum est capax infiniti; apud nos item contradictionem implicat. Aristoteles enim Physicæ naturæ interpres & rationis assecla Herculeus asserit in Physicis, finitum non posse esse capax infiniti. At apud Deum hoc non inuoluit contradictionem. Christi enim natura humana quæ per se finita est, est capax τοῦ λόγου, qui per se infinitus est. 4. Christus sepulchro clauso & lapide obsignato vero corpore resurrexit. *Matth.* 28. 5. Christus vero corpore ingressus est ianuis clausis ad discipulos *Iohan.* 20. 6. Idem numero corpus in extremo iudicio resurget. Sed axioma naturæ seu Philosophiæ est. Quod semel interiit, nunquam *idem* numero redire potest, sed specie tantum, *Arist. 2. de generat. & corrupt.* 7. Deus è lapidibus potest excitare homines, corpus etiam magnum statuere potest in puncto, vt recte disputat *Bonauentura aduersus Victor.*

Hypothesis 2.

Quæ contradictionem implicant, sub diuina potentia non continen-

tinentur, seu, vt alii, diuina potentia non est extendenda ad contradictoria.

Examen.

Distinguo & hic : quæ contradictionem respectu Dei implicant, ea non continentur sub diuina potentia. At quæ implicant apud nos ea diuinæ potentiæ subiacent, vt esse aliquid, & nihilominus esse ex nihilo, apud nos implicat contradictionem, & tamen DEUS omnia fecit ex nihilo.

Hypothesis 3.

Deus efficere non potest vt contradictoria sint simul vera.

Examen.

Deus efficere potest absoluta sua potentia vt interdum contradictoria apud nos quę sunt, ei simul sint vera: sic virgo qua virgo parit, & virgo qua virgo non parit, reuera contradictoria apud nos sunt: sed apud Deum vtrumque verum est. Prior enim propositio vera est respectu absolutæ Dei potentiæ. Posterior autem vera est respectu ordinariæ.

Omnipotentia enim Dei fieri potest quod apud nos & in natura impossibile est. Omnipotentia quippe diuina modum scit, quo id, quod promisit, pręstetur, quamuis in natura contradictionem implicare videatur. Sic enim docet *August. lib. 22. de ciu. Dei. c. 14.*

Falsa igitur & hæc est Sadeelis propositio. Non licet, inquit, ab omnipotentia Dei ad confirmandum id quod contradictionem implicat argumentari, *lib. de sacramentali manducatione, pag. 86.*

Hypothes. 4.

Absolute impossibile est apud Deum & homines, cum prædicatum pugnat cum suo subiecto, vt hominem esse auem.

Examen.

Æque possibile est apud Deum hominem auem esse posse, quam posse esse Deum. Minor enim est pugna inter creaturam & creatum, quam inter creaturam & creatorem infinitum. Quare si absoluta Dei potentia fieri potuit, vt homo vere sit Deus: Eadem absoluta multo magis fieri potest, vt homo possit esse auis.

Notetur hic hanc hypothesin destruere vnionem personalem, & per eam veram esse non posse illam propositionem: Homo vere est Deus, & Deus vere est homo.

Hypoth. 5.

Quicquid naturam euertit eiusque leges, contradictionem implicat & proinde à Deo fieri nequit.

Examen.

At contra rectius: Multa fiunt à Deo contra naturæ creatæ leges. Vbi enim Deus vult, vertitur naturæ ordo, vt ait *Cyrillus ex Athanasio.* Sic Dei

virtus ostenditur, quando aliquid fit contra naturam, vt ait *August. de Agone Christiano. c. 24.*

Sic clausis ianuis Christus vero suo corpore ingressus est ad discipulos contra naturam corporum solidorum, vt & testantur *Hieronymus* & *Augustinus* hac ratione adducta, quia Deo omnia sunt possibilia.

Itaque quod est contra naturam eamque euertit apud nos, hoc est, rationem nostram non statim implicat, apud Deum contradictionem; & proinde etiam à Deo fieri potest.

Hypothesis 6.

Ea quorum natura rei est capax, à Deo fieri possunt: secus non possunt.

Examen.

Sic satis pro imperio rationis, quasi diuinæ potentiæ terminus à nobis statui debeat. Certe tollit hæc hypothesis vnionem personalem: Naturale enim est axioma, quod & antea dixi: *Finitum non est capax infiniti.* Atqui humana natura in Christo finita: diuina vero infinita. Ergo illa huius non est capax, ex hypothesi & ex consequenti non est concedenda vnio personalis, quod est absurdum.

Huic hypothesi conuenit illa *P. Martyris in colloquio Marpurg.* Deus aliter facere non potest ac naturæ leges patiuntur; sed vtraque simpliciter intellecta est falsa; de potentia Dei ordinaria acceptamus vtramque, de absoluta vero condemnamus; & his opponimus aureũ axioma Scaligeri, quæ supra, inquit, naturam sunt, nequaquam ex naturæ legibus iudicanda esse censeo. *exerc. 77. sect. 2.*

Hypothes. 7. & 8.

Quod imperfectionem seu impotentiam seu imbecillitatem significat, à Deo fieri non potest, vt mentiri, peccare. Deo enim omnia possibilia sunt, quæ posse ipsum potentia est.

Examen.

Quæstio hic est, an Deus absolutissima sua potentia hanc propositionem per se falsam: Homo est lapis, & hanc, Deus non est Deus, seu, ego non sum Deus, pronunciare possit? Certe non negem. Quia enim intellectus humanus componere ea potest, quę tamẽ in natura disiuncta sunt, & affirmare, homo est lapis, Deus non est Deus, cur quæso hoc negemus de intellectu diuino? an nos intellectum diuinum faciemus mancipium intellectus humani? absit. Forte enim Logica nostra perfectior Logica Dei. At, inquis, si Deus pronunciare potest, homo est lapis, &c. Deus etiam mentiri poterit. Atqui consequens est absurdum. Ergo & antecedens. R. Quamuis Deus omnia possit absoluta potentia, tamen nefas est singula de eius potentia infinita propter nonnullas circumstantias enunciare. Quemadmodum enim dicimus, Deum verum esse vbique, hoc est, in

In omnibus locis, & tamen non dicimus, Deum esse in latrinis, in stercoribus, & id genus aliis: non dicimus, Deum esse in diabolis, vaccis, asinis, in cubis cereuisiariis, in ollis ad ignem destitutis: sic etiam, licet maxime statuatur, Deum absoluta sua potentia omnia posse, nulla re excepta, tamen minime pium est, enunciare de ipso, quod mentiri aut peccare possit: Interim ordinaria Dei potentia spectata, simpliciter negandum est, Deum vlla ratione posse mentiri aut peccare, quia hoc est contra ipsius promissa ac effata, cuiusmodi sunt: Deus seipsum negare non potest; quia est fidelis & Deus plus verax, quam omnis homo mendax. *Augustinus* & alii ex Patribus ex eo, quod Deus mentiri aut peccare non possit, concludunt ipsius potentiam. Imo, inquiunt, ideo Deus est omnipotens, quia mentiri & peccare non potest. Hæc enim non sunt potentiæ, sed impotentiæ & imperfectionis: Hactenus igitur amplectimur hypothesin 7. & 8.

9. Hypothesis.

Deus potest omnia possibilia.

Examen.

Scriptura sic non loquitur, sed contra: Nihil apud Deum est impossibile, nihil Deo difficile: omnia possibilia sunt apud Deum. Perinde enim est ac si dicas, homo potest omnia possibilia: Diabolus potest omnia possibilia: Angelus potest omnia possibilia. At potentia Dei est infinita, hoc est, omni termino carens, nec sat à nobis castigari potest. Religio igitur sit nobis, eam limitare & dicere velle; Deus omnia potest, intellige, omnia possibilia, at non eodem modo angelos, diabolos & homines omnia posse affirmaueris.

10. 11. & 12. Hypoth.

Posteriores quoque hæ hypotheses, quarum vis in duobus consistit enunciatis. 1. Quædam possibilia nobis, impossibilia sunt Deo. 2. Et quædam impossibilia apud nos, possibilia sunt apud Deum, impiæ sunt, & extra Scripturam pronunciantur. 1. Hæc enim contra sic ait: Omnia possibilia sunt apud Deum. *Marc.* 10. Et quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum. *Luc.* 18. Hæc enim & Dei potentiam fortius nobis ob conspectum ponunt, & nos in periculis animosiores reddunt, quam impia illa & blasphema Zanchiana enunciata.

Quæ cum ita sint, concludimus, primam causam posse omnia, adeoque etiam ea, quæ apud nos, id est, rationem nostram implicare videntur contradictionem. Hæc enim non illico apud DEVM, id est, rationem Dei contradictoria censenda sunt. Quin imo reuera scimus esse aliquid apud nos quod inuoluat contradictionem, sed quod apud Deum vere inuoluat, quomodo scies? Sutor enim non iudicabit vltra crepidam: Et qui fieri potest, vt tu ex tua Logica saltum facias in Logicam diuinam, & hanc ineffabilem, incomprehensibilem, tua vmbratili æstimes.

Iustini Martyrū dictum tibi cape: *Natura committimus naturalia, arti artificialia, Deo diuina; diuinæ autem potentia nihil non est sequax.* Et illud Irenæi: *Deus est melior quam natura, habens apud semetipsum velle, quoniam bonus est, & posse, quoniam potens est, & perficere, quoniam diues & perfectus est.* Et denique illud Scaligeri: *Homini nunquam satis felicis ingenii fuerit ad cogitandum omnia magnifica, ingentia, immensa, de ineffabili Dei omnipotentia, exer. 365. s. 9.* Et plenum impietatis iudicamus, nos potentiæ diuinę absolutissimæ cancellos & terminos præfigere, & decidere velle, quid ea possit & non possit.

Hactenus διάσκεψις Philosophi istius non ignobilis; quam è manuscripto fideliter recitauimus. Hanc διάσκεψιν paucis examinabimus. Paucis dico; quia ex professo de hac controuersia tractabimus in loco de DEO.

Examen autoris.

Ad examen primæ hypothesis. 1. Examinator ἀφιλοσόφως hic procedit. Non n. dicimus, Deum alligatum esse ad leges Logicas: sed contendimus, Deū sibi esse legem, hoc est, sanctitatem, veracitatem, & bonitatem Dei esse mensuram omnipotentiæ ipsius. Cum enim proprietates Dei inter se non pugnent, hoc omnino credere tenemur, quod omnipotentia non sit contra sanctissimā illius voluntatem. 2. Omne id quod implicat contradictionem respectu rationis rectæ, etiam implicat contradictionem respectu Dei. Vnde vero, quæret examinator, hoc scis? Hinc, inquam, hoc colligitur: Rectum, verum & bonum, quod est in creaturis, est summi illius recti, veri, & boni quoddam vestigium. Quare si recta ratio recte iudicat, aliquid implicare contradictionem, hæc rectitudo erit secūdum summam rectitudinem, quæ est ipse Deus, non contra illam. 3. Deus potest impossibilia. Non negamus. Sed limitamus illud enunciatum, hoc modo: Deus potest impossibilia, hoc est, illa quæ à creaturis fieri non possunt ob summam rerum istarum, quæ fieri debent, perfectionem. At impossibilia, quæ defectum includunt, Deus non potest. Non enim potest peccare, vel mori. Hæc dicuntur impossibilia, quia impossibile est, vt Deus sit Deus, & peccet. 4. Propositiones illæ: Virgo non parit, Ex nihilo nihil fit, Finitum non est capax infiniti, non implicant contradictionem. Non enim seruantur leges oppositionis, de quibus supra. Nimirum recta ratio distinguit inter cursum naturæ, & extraordinariam Dei potentiam, quæ cursum naturæ non tollit, sed supra illum se effert. 5. Vbi Scriptura tradit, corpus Christi penetrasse lapidem sepulchri, & ianuas clausas? In locis ab examinatore allegatis nihil hac de re habetur. 6 Idem numero corpus à Deo posse reproduci, non implicat contradictionem apud rectam rationem. Non enim euertitur illud principium: *Impossibile est idem esse & non esse:* quod omnium principiorum est altissimum.

Ad examen secundæ hypothesis. Examinator hic distinguit implicationem contradictionis, quod alia sit respectu Dei, alia respectu hominis.

Sed hæc distinctio est fictitia, ex hoc fundamento deducta, quod veritas alia sit Theologica, alia Philosophica. At hoc fundamentum nullum esse supra ostendimus.

Ad examen tertiæ hypothesis. Absoluta Dei potentia æque conformis est sapientiæ & veracitati Dei, atq; actualis. Non igitur valet suffragium: Deus potentia absoluta potest ea, quæ apud nos implicant contradictionem. Exemplum additum recte declaratur ab examinatore.

Ad examen quartæ hypothesis. Hic examinator est singulariter audax, ne quid grauius dicam. Contendit enim hæc duo axiomata: Homo est auis, & Deus est homo, eodem iure posse esse vera. Non obseruat, prius illud euertere naturam rerum, & pugnare cum iustitia & veritate Dei. At posterius ita se non habet. Est enim vnio hypostatica facta, saluis vtriusque naturæ proprietatibus, iuxta illud: Vnio personalis non tollit naturam vnitorum.

Ad examen quintæ hypothesis. 1. Deus nihil vnquam fecit contra naturam, sed plurima supra naturam: siquidem τὸ contra accipiatur Philosophice, non catachrestice, vti Patres & alij interdum accipiunt. Proprie, id est, contra naturam, quod illam euertit. At nullum Dei ἀποτέλεσμα supernaturale vnquam euertit naturam. 2. Argumentatio illa nulla est: Christus corpore suo ingressus est ianuis clausis, hoc est, per ianuas clausas: quia Deo omnia sunt possibilia. Est enim hic petitio principij.

Ad examen hypothesis sextæ. 1. Non figimus terminos, non metas constituimus omnipotentiæ Dei: sed illam religiose cum ipsius sanctitate componimus. 2. Ratio recta sic pronunciat: Finitum non est capax infiniti, scilicet per naturam; deinde, non est capax infiniti, ita vt essentiam illius totam circumscribat, vel etiam in illam transmutetur. Iam vero humana natura sic est capax τοῦ λόγου gratia vnionis, non natura ordinaria: neque λόγον circumscribit, neque est deificata.

Ad examen hypothesis septimæ & octauæ. Examinator hic est mirabilis, & pugnantia loquitur. Si enim quis probe attendat, deprehendet examinatorem hoc velle: Etsi Deus absoluta sua potentia mentiri potest, tamen hoc propter certas circumstantias de Deo enunciari non debet. Hui lingua quo vadis? 2. Intellectus diuinus nullo modo affirmat dissentanea esse consentanea: vti, homo est lapis. Obiicis: At affirmat illas propositiones: Deus est homo, Virgo est mater. Resp. Deus & homo, virgo & mater secundum ordinarium naturæ cursum sunt opposita, puta disparata: at in propositis axiomatibus non sunt, sed maxime consentiunt, ratione subiecti cui tribuuntur, & inter se dissentiunt sola definitione, vti diuersa dicuntur Logicis dissentire.

Ad examen hypothesis nonæ. Examinator non obseruat esse homonymiam in hac voce *possibilia*. Quando enim sic loquuntur veri Philosophi

Theologi: Deus potest omnia possibilia, hoc sensu illud vocabulum accipiunt: Deus potest omnia illa, quæ dicunt potentiam actiuam, non autem passiuam. Deinde illa, quæ dicunt potentiam actiuam Deo competentem, quam dicunt Græci θεοπρεπῆ.

Ad examen hypothesis 10.11.12. Examinator hic calumniatur dicta aurea, non refellit. Neque vero est contradictio inter hæc pronunciata: Deo sunt omnia possibilia, &c, ea quæ defectum includunt non sunt Deo possibilia. Nam in priori effato, quod est Scripturæ, intelliguntur ea, quæ facere Deus per sanctissimam naturam potest: item, quæ homines facere non possunt ob summam rerum factibilium, vt loquuntur, perfectionem. In posteriori intelliguntur ea, quæ repugnant sanctitati & veritati Dei.

Ad conclusionem examinatoris. 1. Hic repetit suam distinctionem, quod implicet aliquid contradictionem vel apud Deum, vel apud nos. Sed inanem esse hanc distinctionem iam ostendimus. Vno verbo: Principia naturæ sunt radius sapientiæ & veritatis Dei. Nulla igitur est pugna inter illa & conceptus diuinos. Etenim veritas principiorum istorum est conformitas cum primo Vno & Vero. 2. Testimonia allegata non confirmant sententiam examinatoris; sed huc tendunt: omnia augusta & magnifica esse cogitanda & enuncianda de diuina omnipotentia. Iam consideret examinator, num hoc ille faciat, an vero Zanchius & alij, quos sibi refutandos sumsit: Examinator dicit: Deus potest hæc dicta affirmare, Homo est lapis, Deus non est Deus. Zanchius dicit hoc pugnare cum veritate Dei. Iudicet iam lector æquus & cordatus, vtra propositio enunciet de Deo augusta, & ipsius naturæ conuenientia. 3. Nos non decidimus, quid possit, quid non possit omnipotentia Dei: sed gloriam sapientiæ, sanctitatis, veritatis & bonitatis Deo in solidum tribuimus.

Sed manum de hac tabula. Ostendimus fuse necessitatem Philosophiæ in studio Theologico feliciter capessendo & absoluendo, tum vt refelleremus eos, qui Philosophiam cum Theologia pugnare sibi persuasum habent, tum vt eximeremus pestilentem opinionem, quæ insedit quibusdam studiosis Theologiæ, quod Philosophiæ nulla sit vtilitas in rerum diuinarum tractatione. Nunc in specie videbimus, quæ sit vtilitas partium Philosophiæ in studio Theologico.

CAP. XI.

Philosophiæ vtilitas in specie ostenditur in studio sacrosanctæ Theologiæ.

PRopædiæ Philosophiæ necessitas in specie nunc est ostendenda, id quod fieri debet per partes cyclopædiæ Philosophicæ.

Non instituimus hoc loco accuratam Philosophiæ distributionem: sed

sed ordinem doctrinæ melioris obseruabimus. De ordine doctrinæ accuratioris ex professo tractare est Philosophorum. Nos informemus Theologiæ candidatum, quoque ordine singulas Philosophiæ partes percurrere debeat, ostendamus. De Grammatica & Rhetorica hic non præcipiamus pluribus: quia sub Philologię titulo complexi sumus vtramque. Vnicum hic de vtraque monemus. Grammatica aliqua generalis primo discatur, in qua sint præcepta si non omnibus, saltem linguis principalibus communia. Hac rite cognita transitus fiat ad speciales certarum linguarum Grammaticas. Adfert hæc distinctio multum lucis huic disciplinæ, quæ hodie minus methodice, id quod magno cum iuuentutis incommodo coniunctum est, in Scholis etiam optime alioqui constitutis, proponitur. In Rhetoricis hoc idem notetur. Inualuit hodie pestifera opinio, si non apud omnes, saltem apud plerosque, præcepta Rhetorica nobis in studio linguæ Latinæ duntaxat seruire. Quasi vero in lingua Vernacula non sit illius vsus longe maximus. Velim itaque Theologum futurum hac in re multum operæ ponere, vt formulas troporum & figurarum in lingua sua Vernacula obseruet; & id quidem fieri potest, si vel è libris vernaculis istas formulas excerpat, vel in locum celebrem se conferat, vbi sunt diserti concionatores, vel denique formulas occurrentes apud Ciceronem, Patres item Ecclesiasticos tum Græcos, tum Latinos in linguam maternam transferat. Cæterum de speciali ista ratione discendi Philosophiam notentur sequentes canones.

Quo ordine studiosus Theologiæ debeat percurrere vniuersitatem disciplinarum?

1. [*Primo discatur instrumentum instrumentorum Logica.*] Hæc enim mentis rationisque humanæ munera promtissime expedit: hæc particulam illam diuinæ auræ hominibus insitam viuifico quodam colore recreat: hæc denique lumine suo intellectum collustrat, vt sine ea nec opus aliquod contexere, nec contextum retexere possis. Logicam autem sic discet studiosus Theologiæ. Principio vitet tanquam scopulum & crucem bonorum ingeniorum, controuersias illas Logicas, quæ inter Peripateticos & Rameos hodie agitantur: quales sunt, vt è multis paucas attingam, an prædicamentorum doctrina in Logicis sit homogenea? an duæ sint constituendæ partes Logices, an vero tres? num doctrina de Sophisticis elenchis vllo modo ad Logicam pertineat? an methodus sit vnica? Cognoscat quidem has controuersias, sed ita vt ne sibi persuadeat, eruditionem Logicam illis contineri. Sic ergo cognoscat, vt veritatem defendere possit, si quando sit opus: non illis immoretur. Sumat igitur in manum systema aliquod methodicū, in quo sint exempla Theologica; quod item contineat praxin Logices. Hanc vulgo eliminant & exulare volunt extra septa Logices, sed magno iuuentutis malo. Probe perceptis præceptis, illorumque vsu cognito, fuerit magnum operæ pretium, si Studiosus Theologiæ suopte ductu sibi conficiat Topica Theologica, in quibus consi-

Logica quomodo discenda studioso Theologiæ?

consignet canones illos, quorum est maximus vsus in materiis Theologicis. *Andreas Hyperius* in suis Topicis Theologicis aliquid præstitit hac in re. Nos, Deo laboribus nostris benedicente, istiusmodi Topica omnibus numeris absoluta primo quoq; te tempore communicabimus cum veritatis cœlestis amatoribus. Aliquid etiam hic præstitit *Danaus* in præclaro suo tractatu de elenchis hæreticorum.

Physica vtilitas in studio Theologico. „ 2. [*Cognita Logica accedatur ad Physicam.*] Sunt, & quidem plurimi sunt, qui eadem opera plures condiscere disciplinas conantur. Si diuino prædití sunt ingenio, non culpo. Si mediocri, minime probo. Satius tunc esse iudico, si successiue, vt loquuntur, disciplinæ cognoscantur. Ideo diximus in canone: Cognita Logica accedatur ad Physicam. Hanc secundo loco addiscere volumus Studiosum Theologiæ duas ob causas, tum quia est facilior reliquis, tum quia illius vsus in Theologia est amplissimus. Facilitatem intellige comparate, respectu Metaphysicæ. Vsus illius tantus, vt sine ea Theologus, nec Scripturam dextre interpretari, nec populum recte informare possit. Innumera scilicet sunt in sacris literis, nominatim in Genesi, Iobo & Psalmis, quæ sine solidiori materiarum Physicarum cognitione intelligi non possunt. Vide *Physicam Christianam Lamberti Danæi, & Leuini Lemnii similia sacra.* Præterea rude vulgus maxime mouetur argumentis duct sub iis rebus quas quotidie videt, palpat, terit. Sub Physica hic complectimur Pneumaticam, quæ est disciplina tractans de Spiritu creato: quæ doctrina vulgo ad primam refertur Philosophiam.

Mathesis, an necessaria Theologo? „ 3. [*A Physica Studiosus Theologiæ transeat ad Mathesin.*] Hanc necessariam esse sic docemus. Multa sunt in Bibliis, quæ numerandi scientiam, quam dicimus Arithmeticam, deposcunt. Multa, quæ sine Geometria intelligi non possunt. Huiusmodi sunt illa quæ de tempore occurrunt (hæc enim requirunt computum) item de cubitis, vlnis, de ædificiis, & aliis infinitis, quæ sine doctrina de magnitudine nullus intellexeris. Musica quoque discenda; quia laudare Deum publico cantu est pars gratitudinis ipsi debitæ. Optica hoc nomine commendata erit, vt de hallucinationibus visus, atque ita de spectris possit disserere contra miseræ plebeculæ absurdas opiniones. Architectonicam obiter saltem attinget, idque duas ob causas: vt nempe possit intelligere quæ in sacris occurrunt de arca Noe, de templo Salomonis, de vrbe sancta; item vt possit suum de templis, aliisque ædibus sacris, quomodo illæ sint extruendæ vel conseruandæ, cum aliis iudicium communicare. Astrologiam & Geographiam summe necessariam esse Theologo quis est qui non videt? Fundamenta & prima principia harum disciplinarum cognoscere debet Theologus, non ex professo illis se dedet. Legat itaque authores methodicos, qui disciplinas istas compendiose descripserunt.

„ 4. [*Cognitis omnibus theoreticis disciplinis accedendum est ad Metaphysicam,* tanquam

tanquam sublimiorem.] *Ammonius* celebris Aristotelis interpres *in Isag. Porphyrii*, primo Physicam docendam esse statuit, post Mathematicam, & denique Metaphysicam. Thomas vero primo Metaphysicam discendam esse statuit, eo quod illa tractet de generalissimis. Est autem lex methodi, vt à generalibus ad specialia progrediamur. Verum hæc sententia Thomæ non potest consistere, vt patebit è sequentibus. Physica est de iis, quæ sunt contracta ad materiam, atque adeo humanis sensibus vndique obuia, vt cœlum, terra, plantæ, animalia. Metaphysica autem agit de summe abstractis, quæ non tam sensu quam purissima mente comprehendi possunt. Iam vero non datur transitus ab extremo ad extremum sine medio. Cum vero Mathematica sit media inter Physicam & Metaphysicam, medio quoque loco tradenda est. Quod autem Simplicius contendit, Mathematicam Physicæ præmittendam esse, eo quod præparet & acuat ingenium ad reliquas scientias discendas, id non simpliciter admitti debet. Cum enim in Mathematicis tractetur de accidentibus substantiæ corporeæ, prius explicanda fuerit disciplina tractans de substantia corporea, quam illæ quę docent de accidentibus. Nihilominus verum manet, quod Mathesis acuat ingenium ad melius docendum & felicius discendum ea, quæ in prima Philosophia occurrunt. Ad argumentum Thomæ quod attinet, illud agit de ordine accuratæ doctrinæ. At hic sermo est de ordine melioris doctrinæ, qui se accommodat imbecillitati naturæ nostræ. Ceterũ prima Philosophia plenissime cognoscenda est Theologo. Ibi enim prima principia, & communissimi termini explicantur, quorum vsus est permagnus in Theologicis. Huiusmodi termini sunt ens, vnum, verum, bonum, actus, potentia, totum, pars, infinitum, independens, distinctio rei & rationis. Horum cognitione solidiori si non sit instructus Theologus, cum fructu vix disputauerit cum aliis. Deligat autem Theologiæ Studiosus systema Metaphysicum, quod ad vsum Theologicum est accommodatum.

"*Metaphysica est necessaria Theologo.*

5. [*Cognitis disciplinis theoreticis vltimo loco cognoscantur practicæ, quarum nomine nobis veniunt Ethica, Oeconomica, Politica, Scholastica, & Historica*] Non ignobilis est quæstio, vtrum Philosophia practica, an theorica in docendo & discendo præcedere debeat? Ad illam sic respondendum esse statuimus. Si ordinem rerum spectes inter sese, si item ordinem functionum mentis humanæ, theorica practicis omnino præmittenda sunt, vt omnes concedunt Philosophi. Si vero spectes modum nostræ cognitionis, controuersia non ita facile decidi potest. Cum enim Philosophia practica ad familiarem vitæ nostræ conditionem propius accedat, modumque doctrinæ habeat non adeo accuratum, nec tam varias habeat quæstiones & controuersias, nec denique ita sit prolixa & diffusa, vt theoretica, quibusdam videtur, omnino Philosophiam practicam theoreticæ præmittendam

"*Philosophia practica vltimo loco cognoscenda Theologo futuro.*

dam esse. Verum rationes pro contraria sententia sunt firmiores. Philosophia practica est veluti terminus theoreticæ. Nam nuda illa theoria rerum Philosophicarum sine praxi est damnosa. Quare necesse est in practicis ita versari illum, qui velit hominis titulum possidere, vt totam suam vitam in illis consumat, idque quotidie. Accedit, quod practicæ disciplinæ maiorem cum Theologia habent conuenientiam, quam theoreticæ. Has igitur ob causas vltimo loco tradendas & discendas esse disciplinas practicas statuimus. Qui vero in singulis disciplinis Philosophicis authores peruoluendi sint, hoc loco non attingo: tum quia valde periculosum est criticum hac in parte agere, tum quia volumus Studiosum Theologiæ penitissime suum genium cognoscere, quoque ille ipsum rapiat, videre. Didici siquidem, frustra interdum quibusdam commendari hos vel illos bonos authores, quos illi nec amant, nec admirantur: quibus duobus affectibus omnino opus est, si Studiosus authorem aliquem cum fructu legere velit.

CAP. XII.

Studium Iuridicæ & Medicæ facultatis an Theologo necessarium.

ITa fuit propædia magis principalis: sequitur nunc minus principalis, studium videlicet Iurisprudentiæ & Medicinæ.

Non hic πολυπραγμοσύνην aliquam introduco: sed ideam Theologi formo. Nec enim volo, vt Studiosus Theologiæ ex professo incumbat in studium istarum facultatum: sed vt ea delibet, quorum vsus est in Theologia. Hac de re notentur isti canones.

Iuridicæ facultatis studium an Theologo sit necessarium?

1. [*Ex Iuridica facultate decerpat Theologus ea, quæ ibi occurrunt de sacrosancta Trinitate, de diebus festis, de causis matrimonialibus, & similibus controuersiis.*] Hoc fieri debet duas præcipue ob causas. Primo quidem vt populo inculcetur studium & zelus piorum Imperatorum: id quod multum ponderis habet in concionibus. Deinde vt eximatur opinio illa quibusdam Theologis, Iurisprudentiam pugnare cum Theologia. Imitetur itaque *Petrum Martyrem*, *Lambertum Danæum*, *VVilhelmum Zepperum*, & alios præstantissimos Theologos, qui hinc inde in scriptis suis permulta ex corpore Iuridico adducunt. Ius Canonicum quoque legi debet. Quanquam enim in eo est congeries multorum, quæ ad stabiliendam Romani Pontificis tyrannidem excogitata sunt: tamen & multa ibidem habentur valde vtilia, vt patebit legenti.

Studiosus Theologiæ etiã

2. [*Ex Medica facultate Theologus discat fabricam corporis humani, medicamenta item ἀπέλισα.*] Ratio prioris est; quia occurrunt loca Scripturæ, in quibus structura hominis magnifice commendatur. Hæc solide explicare

nemo

nemo potest, qui Anthropologiæ est ignarus. Ratio posterioris est; quia sæpe vluvenit, vt Theologus versetur in loco, vbi nullus est medicus. Hic opus fuerit, vt Theologus exerceat opera charitatis. Taceo, quod ægrotos inuisere debet ex officio. Munire igitur se poterit vtilibus medicamentis, quæ cor ipsi confortent, & aerem rectificent. Accedit, quod sæpe mulierculæ superstitiosæ sibi sumunt curandi officium, adhibendo vel noxia, vel characteres & alia magica. His facilius occurret Theologus, si ipse sit qualicunque medicinæ cognitione instructus. Sic tamen hoc munus obibit, vt ne suum negligat, vel alios ex locis vicinis ad se alliciat, adeoque medicis, quorum vnum est opus ægrotos curare, officiat. *Μέτρον πάντων ἄριστον.* *medicis incumbet.*

CAP. XIII.

Quare Biblia sacra legenda.

Dicta est propædia: nunc de pædia studii Theologici, quæ est rerum Theologicarum comparatio. Propædia est præparatio ad scientiam rerum diuinarum: pædia est earundem comparatio.

Pædia Theologica est generalis, & specialis.

Pædia generalis est circa lectionem sacrarum literarum, quas dicimus Biblia sacra. Hæc nempe sunt fundamentum omnis omnino sapientiæ cœlestis. Proinde illorum lectio est vnice necessaria. Dicitur autem hæc pædia generalis; quia S. Biblia communiter respiciunt omnes & singulas Theologiæ partes, naturalem, catecheticam, & cæteras, de quibus infra agemus singulariter.

Lectio Bibliorum expendi debet secundum causas impellentes, quæ mouere debent Theologum, vt diligenter legat S. Biblia, item secundum modum suum, quo debet institui ista lectio.

Causæ impellentes sunt communes & propriæ.

Communes sunt, quæ omnem Christianum impellere debent ad lectionem sacræ Scripturæ. Suntque potißimum quatuor. 1. *Origo diuina*: quia sacra Scriptura est *θεόπνευστος, diuinitus inspirata*, 2. Tim. 3. v. 16. Hinc vocatur vocabulum Dei. 2. *Mandatum Dei*: quod clarissime proponitur, *Deut. 6. ver.* 6. 7. 8. 9. *Et erunt verba ista, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: Eaque acute ingeres filiis tuis, ac loqueris de eis, cum sedes domi tuæ, & cum ambulas per viam, cum cubas, & cum surgis. Etiam alligabis ea in signum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos: Denique inscribes ea postibus domus tuæ, & portis tuis.* Confer hæc verba cum c. 11. eiusdem libri v. 18. 19. 20. Paulus *Coloss.* 3. v. 16. ait: *Sermo Christi inhabitet in vobis copiose cum omni sapientia, docendo, & commonefaciendo vos mutuo Psalmis, & hymnis, & cantionibus spiritualibus, cum gratia canendo in vestro corde Domino.* 3. *Sublimitas & pondus rerum.* Rerum splendidarum & sublimium co- *Causæ, quæ omnes Christianos impellere debent ad lectionem S. Bibliorum.*

gnitionem in vita humana maxime venamur. Quid autem splendidius, quid sublimius esse potest rebus sacris? Scriptura disserit de Deo, & operibus ipsius, de Ecclesia, de vita æterna, &, vno verbo, de abstrusissimis mysteriis. Hinc Apostolus 1. *Corinth.* 2. *v.* 6. 7. *Sapientiam*, inquit, *loquimur inter adultos: sapientiam autem non seculi huius, neque principum seculi huius, qui abolentur; sed loquimur sapientiam Dei*, q. d. sapientia nostra cum sit à Deo, non potest esse alia quam diuina. Dicamus ergo cum Dauide ex *Psal.* 19. *v.* 11. *Præcepta Iehouæ desiderabiliora sunt auro, & quidem auro purgatissimo quam plurimo ac dulciora melle, & quidem aceto melle.* Et ex *Psal.* 119. *v.* 14. 15. 24. *De via testimoniorum tuorum gaudeo, vt super omnibus opibus. De mandatis tuis meditor, & intueor semitas tuas. Tum testimonia tua oblectationes meæ sunt, consiliarii mei.* 4. *Vtilitas immensa.* Nam sacra Scriptura docet nos veram summi Boni, quod est Deus, cognitionem; solidam sapientiam ostendit; veram beatitudinem monstrat; mentes ignorantia exitiali liberat; è cordibus vitia expellit. Sacra Scriptura est morum sanctorum Deoque probatorum magistra; superbiam Deo bonisque inuisam eradicat; humilitatem Deo hominibusque gratam plantat. Illa ad sanctimoniam in nobis, ad iustitiam erga omnes, ad perfectionem per omnia dirigit. Illa adolescentiam alit, senectutem oblectat, secundas res ornat, aduersis perfugium & solatium præbet. Illa vitæ tranquillitatem largitur, & terrorem mortis (quam ethnicus terribilium terribilissimum vocabat) aufert. Illa est vitiorum expultrix, & virtutis indagatrix. Ex illius præceptis dies vnus bene actus, peccati immortalitati est anteponendus: &, vt paucis multa complectar, illa docet in terris ea, quorum fructus nobis manet in cœlis. Hinc Apostolus 2. *Timoth.* 3. *ver.* 15. testatur, sacras literas reddere nos sapientes (in Græco est σοφίσαι) ad salutem per fidem quæ est in Iesu Christo. Quomodo hoc fiat, statim subiicit. *ver.* 16. 17. *Tota Scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia: Vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus.* Hæc cum ita sint, exclamemus cum Poeta Christiano

Sancte liber, venerande liber, liber optime salue,
O animæ nostræ Biblia dimidium!

Et cum alio:

Biblia lecta placent, decies repetita placebunt.

Quare Theologus diligenter vacare debeat lectioni S. Bibliorum?

Causæ propriæ, quæ Theologum impellere debent ad seriam lectionem S. litterarum sunt duæ. 1 *Quia S. Scriptura facit ad eloquentiam spiritus.* Si enim Theologus memoria teneat dicta Scripturæ, dici non potest, quam diserte, & pathetice docere possit. 2. *Quia omnibus temporibus serui Dei recitarunt verba sui Domini:* vti testatur vniuersa sacra Scriptura.

CAP. XIV.

Quomodo serius affectus excitari possit ex sacrarum literarum lectione.

MOdus, quo S. literæ legi debent, triplex est, patheticus, mnemonicus, & dianoeticus. Vtimur his vocabulis docendi causa. Ratio diuisionis istius hęc est. Sic legere debemus sacras literas, vt excitetur in nobis serius affectus, vt illas retineamus, vt intelligamus. Quomodo retinere possimus res sacras conabimur ante monstrare quam ostendamus modum intelligendi. Ordo naturæ quidem postulat, vt priori loco doceatur, quonam modo res sacræ intelligi, & intellectæ imprimi possint memoriæ. Verum quia plura nobis dicenda erunt de modo intelligendi, quam de modo retinendi, hunc præmittemus illi. Velim autem probe notari triplicem istũ modum. Ille namque solus recte legit S. literas, qui illas legit pathetice, mnemonice & dianoetice.

Modus legendi S. literas patheticus est, quo illas sic legimus, vt affectus serius excitetur erga illas.

Amor & admiratio sunt vehementissimi affectus, qui si excitentur in homine, is felicissime discere potest artem aliquam. Hisce duobus affectibus etiam opus est ad sacras literas fructuose legendas. *Modus patheticus legendi sacra Biblia.*

Serius affectus excitabitur, si proprietates sacrarum literarum considerabimus. Verum quidem est, considerationem causarum impellentium, de quibus capite superiori, multum facere ad excitandos hos ipsos affectus: sed proprietates, quas nunc attingemus, propius faciunt hanc ad rem.

Proprietates S. literarum sunt veritas, perfectio, & perspicuitas illarum. Has igitur expendere debet, qui sacras literas cum fructu legere volet. *Proprietates S. literarum.*

Veritatem S. literarum his documentis probare possumus. 1. Quia sunt à Deo, qui est ipsissima veritas. 2. Quia prophetiæ V. T. complementum sortitæ sunt in Nouo; & prophetiæ Noui Testamenti ex parte sunt impletæ, & quotidie adhuc implentur, exempli gratia. Patriarcha Iacobus *Gen. 49. v. 10.* sic vaticinatus est. *Non recedet sceptrum à Iuda, neque legislator è medio pedum eius, vsque dum venturus erit filius eius, & erit ei obedientia populorum.* Hoc vaticinium impletum est in Christo. Postquam enim ille venit, & gentes ipsũ receperunt, sceptrum plane ademtum est Iudæis, qui hodieque vagantur in mundo tanquam oues sine pastore. Daniel *cap. 9. v. 27.* & Christus *Luc. 21. v. 24.* vaticinati sunt de immani & horrenda desolatione Hierosolymorum. Atque res ita euenit, prout illi prædixerunt. Archipræsul mysteriorum B. Iohannes in Apocalypsi plurima prædixit de potentia Romani Pontificis, eiusque idololatria, quæ partim euenerunt, partim adhuc eueniunt, & deinceps certo euentura sunt. Quare cum in rebus tanti momẽti Scriptura sacra vera deprehendatur, de reliquis, quæ continet, mysteriis dubitare nefas fuerit. *I. Veritas.*

II. Perfectio.

Perfectio sacrarum literarum duabus rationibus astrui potest. 1. Scriptura sola nos perducit ad illam sufficientiam, qua nulla potest esse maior, nulla melior. Sufficientia autem illa est, vt Deum recte cognoscamus, & possideamus, tanquam eum qui solus sibi sufficit. Quod autem Scriptura nos perducat ad istam sufficientiam & perfectionem, testatur ipsa Scriptura, cuius testimonium admittere debemus, cum illa sit ἀξιόπιστος. 2. *Tim.* 3. *v. vlt.* dicuntur S. literæ hoc agere, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfecte instructus: & ibid. v. 15. dicitur, sacras literas reddere nos sapientes ad salutem. *Rom.* 15. *v.* 4. ait Apostolus: *Nam quæ ante scripta sunt, ad nostram doctrinam ante scripta sunt: vt per tolerantiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus. Ioh.* 20. *v.* 30. 31. *Multa vero etiam alia signa edidit Iesus in discipulorum suorum conspectu, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum illum, Filium illum Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Esa.* 8. *Ad legem & ad testimonium. Si quis non dixerit secundum verbum hoc, non erit ei matutina lux. Ioh.* 14. *v.* 23. dicit Iesus: *Si quis diligit me, sermonem meum obseruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus.* Ideo dicitur *Luc.* 16. *v.* 29. *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos,* Et *v.* 31. *Si Mosen & Prophetas non audiunt, ne si quidem quispiam ex mortuis resurgat, persuadebuntur.* q. d. Hoc vnicum est externum instrumentum, per quod ad Deum & salutem æternam adducentur. 2. Scripturæ nihil est addendum, Ergo perfectam esse oportet. *Deut.* 4. *v.* 2. *Ne addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis. Proverb.* 30. *v* 5. 6. *Totus sermo Dei purgatissimus est, scutum est recipientibus se ad ipsum. Ne adiicito ad verba eius, vt non corripiat te, & efficiaris mendax. Gal.* 1. *v.* 8 9. *Etiamsi nos aut Angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto. Vt ante diximus, etiam nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema esto.* Magni igitur faciamus S. Scripturam; quippe quæ continet sufficienter omnia dogmata, quę nobis ad salutem sunt necessaria, tum quoad fidem, tum quoad bona opera.

III. Perspicuitas.

Perspicuitas sacrarum literarum est, qua illa aperte tradunt omnia, quæ continent fidem bonaque opera, sic vt omnes Spiritu Dei præditi, etiam plebeii qui eam attente aßidueque legunt, quique voluntatem Dei facere volunt, recte intelligere poßint tanta mysteria, & fructum maximum inde consequi. Hoc confirmamus è manifestis Scripturæ dictis. *Deut.* 30. *v.* 11. & seq. *Præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, occultum non est à te neque longinquum. Non est in cœlis, vt dicas, quis ascendet nobis in cœlum, qui sumens adferat illud nobis, & enunciet nobis illud, vt faciamus illud? Sed propinquum est tibi verbum hoc valde: in ore tuo, & in animo tuo ad faciendum illud. Psalm.* 19. *v.* 9. *Præceptum Iehouæ lucidum, illuminans oculos. Psal.* 119. *v.* 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum est, & luxit itineri meo.* Et *v.* 130 *auditus verborum tuorum illuminat, prudentia instruit simplices. Prov.* 6. *v.* 23 *Lucerna præceptum est, & lex lux, viaque vita, correctiones erudientes.* 2. *Pet.* 1. *v.* 19. *Et habemus firmio-*

firmiorem illum sermonem propheticum: quem benefacitis quod attenditis, velut lucernam splendentem in obscuro loco, vsque dum dies illucescat, & Lucifer exoriatur in cordibus vestris. Vide plura hanc in sententiam *in claue Scripturæ.part.2.pag.441.Illyrici.*

CAP. XV.

Typus librorum Biblicorum.

Mnemonicus modus legendi sacras literas est, qui conducit ad illas memoria comprehendendas.

Varii hoc loco à multis præscribuntur modi, quibus memoria nostra iuuari potest, vt retineat res sacras. Alii hic commendant versus memoriales, de quibus vide nostrum systema mnemonicum *lib.5.pag.558.* Alii literas alphabeti pro numeris habent, & iis includunt res ediscendas. Vide *d.l.pag.571.* Alii alias vias excogitãt. Nobis omniũ optima videtur methodus, qua libri sacrarum literarum typis methodicis adumbrantur. Sic enim memoria facillime retinet cohærentiam capitum, qua retenta sine vllo labore imprimi possunt res illæ, quæ in singulis capitibus continentur. Quapropter sic legantur S. Biblia, vt ordine, quo libri sacri sunt propositi, fiat progressus à libro ad librum, & è capite ad caput. Hic proderit obseruare Calendarium Biblicum, de quo in *nostro consiliario Academico,* & in vtilissimo *tractatu Andreæ Hyperii, de lectione S. Scripturæ.* Sed nunc percurramus vniuersa Biblia, & singulorum librorum typos proponamus, præmisso typo de numero & ordine librorum Biblicorum.

* *
*

TYPVS

TYPVS LIBRORVM BIBLICORVM.


Libri Biblici sunt

- *Canonici*, ἐνδιάθηκοι, *Testamētarii: suntque Testamenti*
  - *Veteris: ii que*
    - *Legales, quinque libri Mosis*
      - *Genesis*
      - *Exodus*
      - *Leuiticus*
      - *Numeri*
      - *Deuteronomium*
      - (*Veniunt nomine Pentateuchi.*)
    - *Historici libri*
      - *Iosua*, *Iudicum*, *Ruth* — *Athanas. vocat triteuchum.*
      - *Samuelis libri 2. qui etiam primus & secundus Regum dicuntur.*
      - *Regum libr. 2. vulgo tertius & quartus Regum*
      - *Chronicorum, seu Paralipomenon duo.*
      - *Ezra, qui & Ezra primus dicitur.*
      - *Nehemia, qui & Ezra secundus dicitur.*
      - *Esthera.*
    - *Poetici, qui & Hagiographi*
      - *Iob.*
      - *Psalmi.*
      - *Prouerbia.*
      - *Ecclesiastes.*
      - *Canticum Canticorum.*
    - *Prophetici. Sunt autem Prophetæ*
      - *Maiores*
        - *Esaias;*
        - *Ieremias, cuius* — *Prophetia.* / *Lamentationes.*
        - *Ezechiel.*
        - *Daniel.*
      - *Minores* (*Græcis est* βίβλος δωδεκαπρόφητος.)
        - *Hoseas.* *Ioel.* *Amos.* *Obadia.* *Ionas.* *Micheas.*
        - *Nahum.* *Habacuc.* *Sophonias.* *Haggæus.* *Zacharias.* *Malachias.*
  - *Noui. Vide lit. A.*
- *Apocryphi:*
  - *Tobiæ liber.*
  - *Oratio Manaßis.*
  - *Iudithæ liber.*
  - *Baruchi liber.*
  - *Epistola Ieremiæ.*
  - *Adiectiões ad Daniel*
  - *Ezræ liber 3. & 4.*
  - *Adiectiōis ad librum Estheræ.*
  - *Maccabæorū libri tres.*
  - *Ecclesiasticus.*
  - *Liber Sapient.*

Apocryphi rursus


- *Historici*: *Tobiæ liber* … *Maccabæorū libri tres.*
- *Didascalici*: *Ecclesiasticus.* *Liber Sapient.*

TABVLA A.



CAP. XVI.

Typus generalis quinque librorum Mosis.



Typus libri primi Mosis, qui inscribitur Genesis.


In Genesi describitur

- **Origo**
  - Mundi. c. 1.
  - Generis humani, adeoque Ecclesiæ. c. 2.
  - Peccati & pœnarum. c. 3.
- **Gubernatio mundi**
  - Prisci, ante diluuiũ, vbi
    - Propagatio peccati & pœnarum. c. 4.
    - Conseruatio Ecclesiæ in mundo peccatorũ. c. 5.
    - Iudicia Dei erga mundum: quorum
      - Prædictio. c. 6.
      - Executio. c. 7.
  - Sequentis à diluuio: Secundum tẽpora.
    - Noe cuius
      - Liberatio ex diluuio. c. 8.
      - Benedictio. c. 9.
      - Familia
        - Vnita. c. 10.
        - Dispersa. c. 11.
    - Abrahami, cuius
      - Vocatio. c. 12. parte prima.
      - Profectio in
        - Aegyptum. c. 12. parte secunda.
        - Chanaan. c. 13.
      - Actio, cũ
        - Loth. c. 14.
        - Deo, qui
          - Promittit ei sobolem. c. 15.
          - Dat prolem ex Hagare. c. 16.
          - Pangit fœdus, cuius
            - Formula c. 17.
            - Fructus ex parte *
    - Isaaci cuius
      - Proles. c. 25.
      - Peregrinatio in Aegyptum. c. 26.
      - Benedictio, qua Iacobo benedixit. c. 27.
    - Iacobi, cuius peregrinatio
      - Mesopotamiẽsis, vbi
        - Profectio c. 28.
        - Aduentus & coniugium. c. 29.
        - Multiplicatio bonorum & liberorum. c. 30.
      - Chananæa; vbi
        - Profectio in Chanaan. c. 31.
        - Commoratio. vbi
          - Congressus cum Esau
            - Præparatio. c. 32.
            - Modus. c. 33.
          - Progressus infelix.
            - Raptus Dinæ. c. 34.
            - Obitus Rachaelis. c. 35.
            - vbi de Esau. c. 36.
            - Venditio Iosephi. c. 37.
            - Iudæ incestus. c. 38.
      - Aegyptiaca. Vide tab. B.

* Dei communicatio
- Consiliorum. cap. 18.
- Beneficiorum. cap. 19. 20. 21.

† Abrahami
- Obsequium fidei. c. 22.
- Officium humanitatis. cap. 23.
- Pietas. c. 24.

TABVLA B.



Peregrinatio Iacobi Aegyptiaca consideratur, quoad

- Antecedentia
  - Patefactio Ioseph facta
    - Aegyptiis
      - In carcere
        - Custodibus. c. 39.
        - Officiariis. c. 40.
      - Extra carcerem, regi & populo. c. 41.
    - Suis: vbi aduentus
      - Prior. c. 42
      - Posterior, vbi illos
        - Excepit. c. 43.
        - Dimisit & reuocauit. c. 44.
        - Docuit consilium suum. c. 45.
  - Aduocatio patris. c. 45.
- Modum, vbi
  - Migratio. c. 46.
  - Commoratio, vbi
    - Colloquium cum rege. 47.
    - Benedictio Iosephi. 48.
    - Vaticinia facta filiis suis. 49.
- Consequentia obitũ Iacobi. c. 50.

CAP.

CAP. XVII.


Typus libri secundi Mosis, qui inscribitur Exodus.

Exodus cõtinet narrationem historicam

- *Rerum gestarum à Deo in Israele: quarum alia*
  - *Liberationẽ antecedunt*
    - *Occasio: Aegyptiorum tyrannis. c.1.*
    - *Praeparatio*
      - *Instrumentorum*
        - *Mosis, cuius*
          - *Natiuitas. c.2.*
          - *Vocatio. c.3.*
        - *Aharonis. c.4.*
      - *Actionũ*
        - *sermone*
          - *Habito. c.5.*
          - *Repetito. c.6.*
        - *signis*
          - *Confirmantibus. c.7.*
          - *Punientib. vbi 10. plagae*
            - *1. Conuersio aquae in sanguinem. c.7.*
            - *2. Ranarum. 3. Pediculorũ. 4. Colluuiei animalium. cap. 8.*
            - *5. Pestis. 6. Vlcerum. 7. Grandinis. cap. 9.*
            - *8. Locustarũ. 9. Tenebrar. cap. 10.*
            - *10. Cadus primogenitorũ.*
              - *Praedicta 11.*
              - *Effecta 12.*
  - *Sunt liberationis; vbi Israelitarum*
    - *Discessus ex Aegypto mandato Dei*
      - *Factus. c. 12.*
      - *Contestatus signis & obseruationibus cap. 13.*
    - *Progress⁹*
      - *Transitus per mare. c. 14.*
      - *Gratiarum actio. c. 15.*
  - *Liberationem consequuntur*
    - *Subministratio victus & necessitatum. c. 16.*
    - *Defensio à malis. c. 17.*
    - *Constitutio iudiciorum ad lites. cap. 18.*
- *Institutorũ Dei legalium*
  - *Praeceptorũ à Deo; vbi*
    - *Praeparatio. c. 19.*
    - *Expositio legum*
      - *Moralium cum suis appendicibus. c. 20.*
      - *Iudicialium, pertinẽtiũ ad*
        - *Iudicia. c. 21. 22.*
        - *Politiam*
          - *Humanam*
          - *Sacram* } *c. 23.*
      - *Ceremonialium, quarum*
        - *Praeparatio. c. 24.*
        - *Partes*
          - *Sacramẽta*
            - *Ipsa. c. 25.*
            - *Ipsorum appendices. c. 26.*
          - *Obseruationes*
            - *Communes. c. 27.*
            - *Sacerdotum. c. 28.*
          - *Sacrificia. c. 29*
          - *Sacra. c. 30.*
        - *Clausula. c. 31.*
  - *Effectorũ à populo, cuius obsequiũ quo ad leges*
    - *Morales*
      - *Neglectũ idolatria cap. 32.*
      - *Redintegratum*
        - *Reconciliatione cum Deo. c. 33.*
        - *Restitutione legis. c. 34.*
    - *Ceremoniales; de tabernaculis*
      - *Partib.*
        - *Materia. c. 35.*
        - *Fabricatione*
          - *Tabernaculi. c. 36.*
          - *Arca. c. 37.*
        - *Factu sacrorum*
          - *Popularium. c. 38.*
          - *Sacerdotalium. c. 39.*
      - *Dispositione tota. c. 40.*


CAP. XVIII.

Typus libri tertii Mosis, qui inscribitur Leuiticus.




CAP. XIX.

Typus libri quarti Mosis, qui inscribitur Numeri.



- *Numerorũ liber explicat populi Israelitici*
  - *Præparationem ad iter: ubi*
    - *Census*
      - *Humanus*
        - *Capitum populi. c. 1.*
        - *Ordinis. c. 2.*
      - *Sacer*
        - *Secundum capita. c. 3.*
        - *Ordinis & ministerii. c. 4.*
    - *Leges*
      - *Communes de sanctimonia*
        - *Necessaria. c. 5.*
        - *Voluntaria. c. 6.*
      - *Particulares*
        - *Humana tribuum. c. 7.*
        - *Sacra Sacerdotum & Leuitarum. c. 6.*
    - *Modus*
      - *Sanctificationis & ordinis. c. 9.*
      - *Profectionum. c. 10.*
  - *Profectiones, quæ distincta sunt per historiā octo murmurationum quarum*
    - *1. Tædium itineris.* / *2. Tædium mannæ.* — *in sepulchris concupiscentiæ. c. 11.*
    - *3. Æmulatio Mariæ & Aharonis in Mosen. c. 12.*
    - *4. Diffidentia in Kades, ubi*
      - *Murmuratio. c. 13.*
      - *Iudicium Dei. c. 14.*
      - *Reconciliatio. c. 15.*
    - *5. Leuitarum aliorumque inuidia in Sacerdotes. c. 16.*
    - *6. Indignatio populi in proxime præcedens Dei iudicium: ubi narratur.*
      - *Murmuratio. c. 17.*
      - *Reconciliatio quoad*
        - *Personas & ritus. c. 18.*
        - *Modum legitimũ. c. 19.*
    - *7. Penuria aquæ. c. 19.*
    - *8. Tædium viæ: ubi serpentes immissi. c. 21.*
  - *Statio, cum proxime hæreditatem adituri essent.* *Vide tab. C.*


Tabula C.



- *Stationis historia est duplex.*
  - *Populi*
    - *Superantis hostes, & agrum occupantis. c. 21.*
    - *Tentati artibus magicis. c. 22. 23. 24.*
    - *Fracti idololatria & scortatione. c. 25.*
    - *Reconciliati & censi ad hæreditatem adeundam. c. 26.*
    - *Instructi nouo principi designato. c. 27.*
    - *Docti sacra*
      - *Necessaria. c. 28.*
      - *Voluntaria. c. 29.*
  - *Hæreditatis, secundum*
    - *Partem*
      - *Occupata. c. 30.*
      - *Attributa. c. 31.*
      - *Hic ἀνακεφαλαίωσις summa stationum in profectione pertexitur. c. 33.*
    - *Totum circumscripta*
      - *Finibus, & attributionis modo. c. 34.*
      - *Legibus*
        - *Asyli. c. 35.*
        - *Successionum. c. 36.*

CAP. XX.

Typus libri quinti Mosis, qui inscribitur Deuteronomus, vulgo Deuteronomium.



CAP. XXI.

Typus libri Iosuæ.

Liber Iosuæ continet historiam, de Iosua.

- Vita
  - Vocatione. c.1.
  - Administratione
    - Bellica cuius
      - Narratio
        - Missio exploratorum. c. 2.
        - Transitus Iordanis, cuius
          - Antecedentia & modus. c.3.
          - Consequentia. c.4.5.
        - Expugnationes & victoriæ, quarum
          - Causa prima. c. 6.
          - Impedimentum. c. 7.
          - Felix successus. c. 8.9.10.11.
      - Repetitio. c. 12.
    - Togata
      - Distributione terræ Chanaan, cuius
        - Limites. c.13.
        - Efficiens & modus. c.14.
        - Obiectum, quibus distributa
          - Filiis Israel à c.15. ad 20.
          - Fugitiuis. c. 20.
          - Leuitis. c.21.
      - Dimissione trans Iordaninorum. c.22.
      - Comitiis in Sichem celebratis. c. 23.
- Morte: vbi de iis, quæ mortem proxime
  - Antecesserunt.
  - Secuta sunt.
  - cap. 24.

CAP. XXII.

Typus libri Iudicum.

Liber Iudicū describit Reip. Israeliticarū statum corruptum & calamitates varias, quarum

- Causa, peccata Israelitarum, quæ considerantur
  - Vniuersim, omnium tribuum
    - Negligentia. c.1.
    - Iniustitia. c. 2.
  - Singulatim
    - Idololatria
      - Vnius familiæ. c. 17.
      - Vnius tribus Dan. c. 18.
    - Libido
      - Perpetrata. c.19.
      - Punita. c.20.21.
- Species, sumtæ ab efficientibus. Fuit autem populus pressus quinquies videlicet à
  - Syris. c. 3.
  - Chananæis. c. 4.5.
  - Midianitis, vbi Gedeonis
    - Vocatio. c. 6.
    - Acta
      - Polemica. c.7.
      - Politica. c.8.
    - Successor, Abimelech. c.9.
  - Ammonitis. Huius oppressionis
    - Causa & effectus. c.10. Israelitarum apostasia & pœnitentia.
    - Remedium, bellum susceptum contra
      - Ammonitas. c. 11.
      - Ephraimitas. c. 12.
  - Philistæis, vltore Samsone, cuius
    - Vita
      - Ortus. c.13.
      - Fortuna
        - Prospera. c.14.
        - Aspera. c.15.
    - Mors. c.16.

Alius typus eiusdem libri, in quo seruatur ordo libri.

- Liber Iudicum est speculũ calamitatum Israelitarum, quorum peccatum
  - Vniuersale, omnium tribuum, cuius
    - Species. c. 1. 2.
    - Effecta: oppreßiones illæ quinque, in præcedenti typo expressæ.
  - Speciale
    - Idololatria
      - Vnius familiæ. c. 17.
      - Tribus Dan. c. 18.
    - Libido
      - Perpetrata. c. 19.
      - Punita. c. 20. 21.

CAP. XXIII.

Typus libri Ruth.

- Ruthæ describitur
  - Miseria; viduitas. c. 1.
  - Liberatio
    - Cœpta
      - Spicilegio. c. 2.
      - Pernoctatione. c. 3.
    - Pfrfecta. c. 4.

CAP. XXIV.

Typus libri primi Samuelis, qui etiam inscribitur liber primus Regum.

- Liber primus Samuelis agit de
  - Propheta & iudice Samuele cuius
    - Ortus. c. 1.
    - Vocatio: vbi illius antecessor, Heli cuius filii
      - Peccant enormiter. c. 2.
      - & peccatis suis prouocant Dei iram, quam
        - Samuel prædicit. c. 3.
        - Deus immittit; vbi bellum
          - Gestum. c. 4.
          - Sopitum vbi
            - Describitur
              - Philistæorum.
                - Plaga. c. 5.
                - Restitutio arcæ fœderis. c. 6.
              - Israelitarum pœnitentia. c. 7.
  - Rege
    - Eligendo
    - Electo
      - Saule cuius
        - Electio
          - Vocatio. c. 9.
          - Vnctio. c. 10.
          - Bellum feliciter gestum. c. 11.
        - Reiectio cuius causa
          - Populi peccatum. c. 12.
          - Saulis
            - Incredulitas. c. 13.
            - Temeritas in iudicando. c. 14.
            - Inobedientia. c. 15.
      - Dauide
        - Electo, vbi
          - Vocatio. c. 16.
          - Preparatoria
            - Goliathi cædes. c. 17.
            - Assumtio in aulam Saulis. c. 18.
        - Eiecto, vbi exilium
          - In patria. c. 19. 20.
          - Extra patriam à c. 21. ad 30.
        - Euecto, vbi
          - Victoria illius. c. 30.
          - Mors Saulis. c. 31.

CAP. XXIV.

Typus libri secundi Samuelis.



CAP. XXV.

Typus libri primi Regum.



CAP. XXVI.

Typus libri secundi Regum.

Describuntur Reges

Israelis.

- *Ochozias.c.1.2.*
- *Ioram; vbi de Elisai* { *Miraculis.c.3.4.5.* / *Oracula.c.6.7.8.*
- *Iehu.c.9.10.*
- *Iehoachaz.c.10.*
- *Ioas.c.11.12.13.*
- *Ieroboam.c.14.*
- *Zecharia.c.14.15.*
- *Sallum.* / *Menachem.* / *Pekaia.* / *Pekach.* / *Hoseas.* } *c.15.*

Iudæ.

- *Ioram.c.8.*
- *Achazias.c.8.*
- *Athalias.c.11.*
- *Ioas.c.12.*
- *Amazias.c.14.*
- *Vsias.c.15.*
- *Iotham.c.15.*
- *Achaz.c.16.*
- *Ezechias.c.18.19.20.*
- *Manasses.c.20.21.*
- *Amon.c.21.*
- *Iosias.c.22.23.*
- *Ioachaz.c.23.*
- *Iehoiakim.c.23.24.*
- *Iehoiacin.c.24.*
- *Zedekias.c.25.*

Alius typus.


Liber secũdus Regum describit regni

- *Incrementum*
  - *Sigillatim Israelis, sub OchoZia, & Ioramo, cuius tempore vixit Elisæus, cuius* { *Miracula* / *Oracula* } *à c.1.ad 9.*
  - *Coniunctim: vbi Reges Israelis & Iuda παραλλήλως describuntur à c.8.ad 16.*
- *Decrementum regni*
  - *Samaritani.c.17.*
  - *Iudaici, cuius*
    - *Labefactatio sub rege*
      - *Meliore, EZechia.c.18.19.20*
      - *Pessimo, Manasse.c 20.21.*
    - *Reparatio, per Iosiam.c.22.23.*
    - *Subuersio*
      - *Tentata.c.23.24.*
      - *Perfecta, sub Zedekia.c.25.*

CAP. XXVIII.

CAP. XXVII.

Typus libri primi Chronicorum.




Libro primo Chronicorũ describitur regni Israelitici

- *Initium, vbi genealogia*
  - *Generalis omnium gentium ab Adamo vsque ad Iacobum. c. 1.*
  - *Particularis, gentis Israeliticæ per 12. tribus, à c. 2. ad 9.*
  - *Hic continetur Chronicum* — *Geneseos. Exodi. Reliquorum librorum Mosis. Iosuæ. Iudicum.*
- *Administratio, sub*
  - *Saule, cuius* — *Maiores & posteri. c. 9. Mors. c. 10.*
  - *Dauide, cuius*
    - *Conditio regia. c. 11. 12. 14.*
    - *Acta*
      - *Hieratica.*
      - *Instaurauit cultũ Dei, quoad*
        - *Locum. c. 13. 15. 17. 22.*
        - *Personas, ministros* — *Tabernaculi. c. 16. Templi. c. 23. 24. 25. 26.*
      - *Polemica. c. 18. 19. 20.*
      - *Politia. c. 21. 27.*
    - *Mors, vbi de comitiis Hierosolymis celebratis, quorum* — *Acta. c. 28. Euentus. c. 29.*
  - *Hic continetur Chronicum librorum Samuelis.*

CAP. XXVIII.

Typus libri secundi Chronicorum.




Liber secũdus Chronicorum describit regni Israelitici

- *Incrementum, sub Salomone, cuius*
  - *Virtutes. c. 1.*
  - *Ædificia*
    - *Sacra, quorum*
      - *Præparatio. c. 2.*
      - *Extructio* — *Continentis ipsius templi. c. 3. Contentorum. c. 4.*
      - *Encænia peracta* — *Rebus. c. 5. Dictis. c. 6. Factis. c. 7.*
    - *Profana. c. 8.*
  - *Conditio & mors. c. 9.*
- *Decremẽtum vbi quinque concussiones regni sub*
  - *Roboam. c. 10. 11. 12.*
  - *Abia. c. 13.*
  - *Asa. c. 14. 15. 16.*
  - *Iosaphat. c. 17. 18. 19. 20.*
  - *Ioram. c. 21.*
  - *Achasia. c. 22.*
  - *Ioas. c. 22. 24.*
  - *Amasia. c. 25.*
  - *Osa. c. 26.*
  - *Iotham. c. 27.*
  - *Achaz. c. 28.*
  - *Ezechia. c. 29. 30. 31. 32*
  - *Manasse. c. 33.*
  - *Ammon. c. 33.*
  - *Iosia. c. 34. 35.*
  - *Ioachaz, Ioachim, Iechonia, Zedekia. c. 36.*
  - *Est Chronicon lib. 1. & 2. Regum.*


Cap. XXIX.

Typus libri primi Esdræ.




Cap. XXX.

Typus libri Nehemiæ.



Cap. XXXI.

Typus liber Estheræ.



Cap. XXXII.

Typus libri Iob.

Libro Iobi continetur

- *Dialogus, cuius*
  - *Occasio. Iobi status*
    - *Prosper. c.1.*
    - *Asper*
      - *Calamitas. c.2.*
      - *Peccatū. cap.3.*
  - *Species. Est alius*
    - *Disputantium, cuius actus sunt octo*
      - I. *Reprehensio Eliphazi. c.4.5.* / *Responsio Iobi. c.6 7.*
      - II. *Reprehensio Bildadi. c 8.* / *Responsio Iobi. c.9.10.*
      - III. *Repreh. Tzopharis. c.11.* / *Resp. Iob. c. 13.14.*
      - IV. *Secunda repr. Eliphazi. c.15.* / *Defensio Iobi. c.16.17.*
      - V. *Secunda repr. Bildadi. c.18.* / *Resp. Iobi. c.19.*
      - VI. *Secunda repreh. Tzopharis. c.20.* / *Resp. Iobi. c.21.*
      - VII. *Tertia repreh. Eliphazi. c.22.* / *Resp. Iobi. 23. 24.*
      - VIII. *Tertia repreh Bildadi. c.25.*
        - *Resp. Iobi, qui*
          - *Ostendit Dei maiestatem. cap. 26.27.28.*
          - *Suam felicitatem pristinam cum praesenti calamitate confert. c.29.30.31.*
    - *Moderantium*
      - *Eliphazi, qui*
        - *Reprehendit*
          - *Amicos. c.32.*
          - *Iobum. c.33.*
        - *Reprehensionis causas adfert, sumtas à Dei maiestate. cap.34.*
        - *Hortatur Iobum ad resipiscentiam. c.35.*
        - *Redit ad maiestatis Dei descriptionem. c.36.37.*
      - *Dei, qui reprehendit Iobum, argumentis sumtis ex creatione & gubernatione*
        - *Meteororum. c.38.*
        - *Animalium grandissimorum*
          - *Leonis. c.39.*
          - *Elephanti. cap. 40.*
          - *Balaenae. c.41.*
- *Epilogus, de fructu dialogi; videl. confessione peccati & restitutione Iobi in integrū. c.42.*

CAP. XXXIII.

Typus libri Psalmorum.

Psalmi sunt vel

- *Simplices*
  - *Didascalici*
    - *Puri.* 1. 15. 24 32. 34. 49. 50. 73. 77. 78. 91. 107. 112. 119. 125. 127. 128.
    - *Prophetici.* 2. 16. 22 40. 45. 68. 72. 96. 97. 98. 110. 117.
  - *Oratorii*
    - *Epanetici, laudatiui, qui continent laudes Dei.* 8. 19. 29. 33. 44. 45. 68. 72. 95. 96 103. 104. 105. 107. 113. 114 117. 119. 122. 126. 135. 136. 139. 145. 147. 148. 149. 150.
    - *Eucharistici, qui continent gratiarum actiones.* 4. 8. 9. 18. 21. 24. 28. 30. 31. 34. 40. 41. 46. 47. 48. 56. 65. 66. 72. 75. 76. 81. 87. 89. 92. 93. 100. 101. 106. 108. 111. 116. 118. 119. 124. 138. 144.
    - *Confessorii, qui continent confessiones peccatorum.* 39. 51. 78. 106.
    - *Euctici, qui continent preces.* 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 17. 19. 20. 21. 25. 26. 27. 28. 31. 33. 35. 36. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44 51. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 63. 64. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 74. 75 79. 80. 83. 84. 85. 86. 88. 89. 90. 94. 102. 106. 108. 109. 115. 119. 120. 121. 123. 125. 126. 130. 132. 137. 140. 141. 142. 143. 144.
- *Mixti, qui ad diuersa genera referũtur: quales sunt omnes illi qui bis vel sæpius hic sunt positi.*
  - Consolatorii, παραμυθητικοί. 3. 5. 10. 11. 12. 14. 17. 20. 21. 23. 25. 27. 36. 37. 42. 43. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62 63. 64 85. 89. 94. 102. 115. 121. 129. 140.
  - *Paranetici, seu protreptici, seu pædeutici, qui continent præcepta de officiis.* 1. 2. 4. 24. 27. 29. 31. 49. 62. 82. 95. 97. 98. 99. 122. 130. 131. 133 134. 135. 136. 146.
  - Gloriabundi. 6. 7. 75. 108.
  - *Contestatiui.* 119. 131. 139.
  - *Euangelici.* 7. 101. 119.
  - *Querulatiui, seu queribundi, item reprehensiui.* 3. 13. 14. 22. 36. 38. 41. 42. 44. 52. 53. 58. 60. 62. 89. 94. 119. 137.

Extant & aliæ Psalmorum diuisiones, vt puta 1. Psalmorum alii sunt à Dauide scripti, alii ab aliis sanctis Dei viris. 2. Psalmi agunt vel de miseria hominis, vel de liberatione illius, vel de gratitudine. 3. Psalmi sunt vel simplices, vel mixti. Simplices sunt praxis vel Symboli, vel decalogi, vel orationis Dominicæ, vel Sacramentorum. Mixti, sunt praxis plurium.

CAP. XXXIV.

Typus Proverbiorum Salomonis.

Prouerbia Salomonis sunt sententiæ seu regulæ

- *Generales, de fide & pietate, vbi est*
  - *Propositio, de timore Dei. c.* 1.
  - *Expositio:*
    - κατὰ θέσιν.
    - κατ' ἀντίθεσιν
      - *Auocat, à*
        - *Voluptatibus. cap.* 5.
        - *Pigritia. c.* 6.
        - *Scortatione. cap.* 7.
      - *Inuitat ad studium sapientiæ. c.* 8. 9.
- *Speciales, de officio singulorum secũdum varias circumstantias. Hæ regulæ sunt*
  - *Politicæ*
  - *Oeconomicæ*
  - *Ethicæ.*
  - *Promiscuæ seu miscellaneæ*
  - *A cap.* 10. *vsque ad finem. Oportet igitur in quouis capite notare, qui nam occurrant tituli. Vide Philosophiam nostram restitutam. pag.* 67.

CAP.

CAP. XXXV.

Typus Ecclesiastæ Salomonis.

- *Ecclesiastes Salomonis concionatur*
  - *Κατ' ἀναίρεσιν, qua in re non consistat felicitas; vbi de vanitate, quam Ecclesiastes obseruauit in rebus*
    - *Suis. c. 1. 2.*
    - *Aliorum; quas docet esse instabiles ob*
      - *Temporis conuersionem. c. 3.*
      - *Auarorum, pigrorum & regum mores. c. 4.*
      - *Diuitiarum inconstantiam. cap. 5. 6.*
      - *Hominum malitiam. c. 7.*
  - *Κατὰ θέσιν, quod felicitas consistat in*
    - *Probitate erga superiores. c. 8. 10. vbi cap. 9. disserit de prouidentia Dei.*
    - *Pietate erga Deum. c. 11. 12.*


CAP. XXXVI.

Typus Cantici Canticorum.

- *Canticum Canticorum describit coniugium Christi & Ecclesiæ, à*
  - *Sponsalium tractatione, vbi est actus*
    - *Primus, lætus. Hic est colloquium*
      - *Ecclesiæ & Christi. cap. 1.*
      - *Christi & Ecclesiæ. cap. 2.*
    - *Intermedius*
      - *Lætus*
        - *Sermo Ecclesiæ. c. 3.*
        - *Sermo Christi. c. 4.*
      - *Tristis Ecclesia tristatur ob discessum sponsi. cap. 5.*
    - *Vltimus, de reditu sponsi. c. 6.*
  - *Nuptiarum expetitione; quas Ecclesia expetit pro*
    - *Se. c. 7.*
    - *Sorore sua, quæ est Ecclesia gentium. cap. 8.*

CAP. XXXVII.

Typus prophetiæ Esaiæ.



CAP.

CAP. XXXVIII.

Typus Prophetiæ Ieremiæ.

Prophetiæ Ieremiæ sunt tres partes:

- Πρόλογος, de vocatione ipsius. c. 1.
- Λόγος ad
  - Iudæos.
    - In Iudæa sub
      - Iosia, conciones decem
        - I. Conciliatio beneuolentiæ. c. 2.
        - II. Reprehensio ob peccata, & inuitatio ad resipiscentiam. cap. 3. 4 5. 6.
        - III. Eiusdem argumenti. c. 7. 8. 9.
        - IV. Reuocatio ab idololatria. c. 10.
        - V. Sermo de fœdere c. 11. 12.
        - VI. Typus. c. 13.
        - VII. Dialogismus. c. 14 15.
        - VIII. Typus. c. 16. 17.
        - IX. Typus. c. 18.
        - X. Sermonis
          - Formula. c. 19.
          - Effectus. Ieremias in carcerem coniectus. c. 20.
      - Tzedekia.
        - Responsum regio legato datum. c. 21.
        - Concio
          - Simplex. c. 22. 23.
          - Figurata typo. c. 24.
      - Ioiakimo.
        - Reprehensio Iudæorum. c. 25.
        - Inuitatio ad resipiscentiam. c. 26.
        - Prædictio excidii per Nebucadnezarem. c. 27.
      - Tzedekia. Ieremias.
        - Reprehenditur à Ghanania. c. 28.
        - Epistolam mittit ad deportatos in Babyloniam. c. 29.
        - Promittit liberationem. c. 30. 31.
        - Expostulat cum Deo. c. 32.
        - Denuo promittit liberationem. c. 33.
        - Pronunciat Tzedekiæ exitium. c. 34.
      - Ioiakimo.
        - Redarguit. c. 35.
        - Iubet scribi prophetias suas. c. 36.
      - Tzedekia.
        - Denunciat excidium. c. 37.
        - Conicitur à suis in carcerem. c. 38.
        - Liberatur à Nebucadnezare. c. 39.
        - Manet cum reliquiis populi. c. 40. 41. 42.
    - In Ægypto. c. 43. 44. ubi consolatio Baruchi. c. 45.
  - Hostes Iudæorum
    - Ægyptios. c. 46.
    - Philistæos & Tyrios. c. 47.
    - Moabitas. c. 48.
    - Ammonitas, & Edomæos, &c. c. 49.
    - Babylonios. c. 50 & 51.
- Ἐπίλογος historicus. c. 52.

CAP. XXXIX.

Typus lamentationum Ieremiæ.

Lamentationes seu Threni Ieremiæ continent quinque sermones quorum:

- I. Est Ecclesia, quæ cap. 1.
  - Enarrat calamitates.
  - Contestatur aduersus hostes.
- II. Est Propheta, qui cap. 2.
  - Expostulat pro populo.
  - Affert documenta Ecclesiæ laboranti.
- III. Est Ecclesia, quæ cap. 3.
  - Expostulat de malis grauissimis.
  - Exponit certamina spiritualia & victoriam.
  - Orat postea quam è certaminibus fide emersit.
- IV. Est Propheta, qui cap. 4.
  - Expostulat de rebus omnibus diuinis & humanis euersis.
  - Causas illarum calamitatum explicat.
  - Denunciat iudicium hostibus, & salutem Ecclesiæ.
- V. Est Ecclesiæ oratio, quæ c. 5.
  - Expostulat.
  - Confitetur peccata ad pœnam.
  - Petit misericordiam.

CAP. XL.

Typus Prophetiæ Ezechielis.

Prophetia Ezechielis continet

- Præfationem, de vocatione ipsius, vbi
  - Dei vocantis maiestas. c. 1.
  - Vatis vocati
    - Timiditas. c. 2.
    - Confirmatio. c. 3.
- Ipsa vaticinia, quorum quatuor classes
  - Prima complectitur conciones, quibus Propheta obiurgauit Iudæos, propter ipsorum impietatem, eoque nomine iis denunciauit pœnas diuinas, à cap. 4. ad 25. Sunt autem conciones 17
  - Secunda continet conciones, quibus prædicit exitium hostib. populi Dei, à c. 25. ad 33. Sunt conciones octo
    - 1. Contra Ammonitas 25.
    - 2., 3., 4. Contra Tyrios — 26., 27., 28.
    - 5., 6., 7., 8. Contra Ægyptios — 29., 30., 31., 32.

Concio.	Caput.
1.	4. 5.
2.	6.
3	7.
4.	8. 9. 10. 11.
5.	12.
6.	13.
7.	14.
8.	15.
9.	16.
10.	17.
11.	18.
12.	19.
13.	20.
14.	21.
15.	22.
16.	23.
17.	24.

* Tertia continet conciones, quibus Propheta exhortatur Iudaos ad resipiscentiam, & ad spem liberationis. Sunt conciones sex
- Concio. — Caput.
- 1. — 33.
- 2. — 34.
- 3. — 35.36.
- 4. — 37.
- 5. — 38.
- 6. — 39.

Quarta continet continuum vaticinium, de liberatione ipsorum spirituali per Christum, idque per visionem
- De adificio noui templi. c. 40.41.42.
- De instauratione cultus Dei. c. 43.44.
- Noua Hierosolyma / Noua terra — cap. 45.46.47.48.

CAP. XLI.

Typus Prophetiæ Danielis.

Prophetia Danielis continet rerum
- Gestarum historiam, qua
  - Summatim proponitur. c. 1.
  - Minutatim exponitur, ratione regni
    - Babylonici, de cuius
      - Initio. c. 2.3.
      - Progressu. c. 4.
      - Fine. c. 5.
    - Persici. c. 6.
- Gerendarum Prophetiam, qua est de
  - Calamitatibus ubi visio tempore
    - Balthasaris
      - Quatuor bestiarum. c. 7.
      - Arietis & hirci. c. 8.
    - Monarchia Persica, ubi
      - Visio
        - Prima, anno primo Darii Medi. c. 9.
        - Secunda, anno 3. Cyri. c. 10.
      - Expositio nuda. c. 11.
  - Liberatione electorũ vltima & glorificatione cœlesti. c. 12.

CAP. XLII.

Typus Prophetiæ Hoseæ.

Prophetia Hosea constat duabus partibus quarum
- Prima parabolica, qua complectitur duos typos, quorum
  - Primus
    - Proponitur. c. 1.
    - Accommodatur. c. 2.
  - Secundum est. c. 3.
- Secũda est simplex, & nuda, eaque
  - Inuectiua & comminatoria, cuius tres conciones
    - Prima. cap. 4.
    - Secunda. cap. 5.6.7.
    - Tert. c. 8.9.10.
    - In his partim reprehendit Israelitas ob peccata, partim denũciat pœnas, partim ad resipiscentiam vocat.
  - Consolatoria, cuius dua conciones
    - Prima. c. 11.
    - Secunda. cap. 12.13.14.
    - In his resipiscẽtes promissione reconciliationis per Christum consolatur.

CAP. XLIII.

Typus Prophetiæ Ioelis.

Prophetia Ioelis continet tres conciones, quarum
- Prima minatur famem, & populum Iudaicum ad sensum prasentis mali & peccatorum conscientiam hortatur. c. 1.
- Secunda ad publicam resipiscentiam hortatur. c. 2.
- Tertia resipiscentibus promissiones Dei, cum temporales de liberatione ab illo malo, tum perpetuas in Christo, Euangelicasque pradicit. c. 3.

CAP. XLIV.

Typus Prophetiæ Amos.

Prophetia Amos continet
- *Comminationes,*
  - *Primi ordinis, contra hostes populi Dei. c. 1.*
  - *Secundi ordinis, contra Iudaos & Israelitas, sunt autem hæ comminationes concepta*
    - *Simplici sermone b*
      - *Idololatriam. c. 2.*
      - *Violentiam. c. 3.*
      - *Impietatem, superbiam, inhumanitatem & luxum. c. 5. 6.*
    - *Typo triplici*
      - *Primus. c. 7.*
      - *Secundus. c. 8.*
      - *Tertius. c. 9.*
- *Consolationem Euangelicam. c. 9. à v. 11. ad finem.*

CAP. XLV.

Typus Prophetiæ Obadiæ, seu Abdiæ.

Propheta Obadias
- *Terret Edomaeos, cladem eis superuenturam prædicens ad vers. 12.*
- *Dehortatur à v. 12. ad 17.*
- *Consolatur, prædicendo electorum Israelitarum spiritualem liberationem per Christum. à v. 17. ad finem.*

CAP. XLVI.

Typus Prophetiæ Ionæ.

Describitur Ionæ actio seu vocatio
- *Prima, cuius*
  - *Modus. c. 1.*
  - *Effectus oratio Ionæ. c. 2.*
- *Secunda, vbi*
  - *Concio ad Niniuitas, & illorum resipiscentia. c. 3.*
  - *Effectus resipiscentiæ quoad Ionam. c. 4.*

CAP. XLVII.

Typus Prophetiæ Michæ.

Prophetia Michæ continet quinque conciones, quarum duæ Syrigiæ.
- *Prima habet*
  - *Minas: vbi concio*
    - Prima *est generalis contra regnum Iuda & Israel, exaggerans peccata & pœnas. c. 1. 2.*
    - Secunda *specialis, contra magistratus iniustitiam. cap. 3.*
  - *Consolationem, de qua est* concio tertia. *cap. 4. 5. de misericordia Dei, & aduentu Messiæ.*
- *Secunda habet*
  - *Comminationem,* concione quarta. *c. 6.*
  - *Consolationem,* concione quinta. *c. 7.*

CAP. XLVII.

Typus Prophetiæ Nahum.

Nahum Assyriis
- *Proponit interitum. c. 1.*
- *Exponit interitus causas*
  - *Instrumentales. c. 2.*
  - *Principales, peccata. c. 3.*

CAP. XLVIII.

Typus Prophetiæ Habacuc.

Prophetia Habacuc continet
- Dialogismum inter Deum & Prophetam de peccatis & pœnis
  - Iudæorum.
  - Chaldæorum.
  - } c. 1. 2.
- Precationem Prophetæ. c. 3.

CAP. XLIX.

Typus Prophetiæ Sophoniæ.

Prophetia Sophoniæ habet conciones tres, quarum
- Prima habet comminationem. c. 1.
- Secunda exhortationem. c. 2.
- Tertia est mixta, complexa
  - Comminationem
  - Consolationem.
  - } c. 3.

CAP. L.

Typus Prophetiæ Haggæi.

Haggæus
- Hortatur ad templi structuram. c. 1.
- Consolatur populum contra noui templi cum priore comparati exiguitatem, & vaticinatur de regno Christi. c. 2.

CAP. LI.

Typus Prophetiæ Zachariæ.

Zacharias agit partim
- Typis, seu visionibus octo, quarum alia
  - Hortatoria
    - Generales, toti populo, vt visio
      - Prima. c. 1.
      - Secunda.
      - Tertia.
      - } c. 2.
    - Speciales, ratione sacerdotum:
      - Quarta. c. 3.
      - Quinta. c. 4.
  - Monitoria: visio
    - Sexta.
    - Septima.
    - } c. 5. 6.
  - Consolatoria: visio octaua. c. 6.
- Sermone
  - Didascalico, de rebus præsentibus, vbi informat illos de vero Dei cultu. c. 7. 8.
  - Prophetico de rebus futuris sub Christo, cuius
    - Incarnatio. c. 9. 10.
    - Passio. c. 11. 12. 13.

CAP. LII.

Typus Prophetiæ Malachiæ.

- Malachias
  - Obiurgat Iudæos propter
    - Perfidiam in obeundo cultu diuino. c. 1.
    - Pollutionem coniugii, & blasphemias. c. 2.
  - Consolatur fideles promissione missionis
    - Christi. c. 3.
    - Prodromi illius, Iohannis Baptistæ.

CAP. LIII.


Typus Euangelii secundum Matthæum.

- Christi
  - Vita
    - Natiuitas & educatio. c. 1. 2.
    - Res gestæ, in officio triplici
      - Sacerdotali. Inauguratur publica Iohannis promulgatione. c. 3.
      - Regio. Pugnat cum Satana. c. 4.
      - Prophetico, quod obiit
        - Solus
          - Simpliciter vt Propheta, docendo pietatis
            - Causas. c. 5.
            - Officia. c. 6.
            - Impedimenta. c. 7.
          - Coniunctim vt Propheta & rex, faciendo miracula. c. 8. 9.
        - Socius Apostolis. c. 10.
    - Authoritas seu existimatio apud
      - Suos. c. 11.
      - Alienos
        - Ecclesiasticos, qui conferunt cum eo
          - Σοφιστικῶς, calumniandi studio. c. 12.
          - Ἐριστικῶς, ostentationis gratia. c. 13.
        - Politicos
          - Subditos. c. 13.
          - Magistratus. c. 14.
  - Mors, cuius
    - Antecedentia, profectio Hierosolymitana, cuius
      - Terminus à quo Galilea; cuius itineris
        - Dicta. c. 16.
        - Euenta
          - Bona. c. 17.
          - Mala. c. 18.
      - Locus per quem, Iudæa, vbi
        - Dicta. c. 19.
        - Facta. c. 20.
      - Terminus ad quem, Hierosolyma, vbi narratur
        - Quomodo exceptus. c. 21.
        - Quid egerit videlicet
          - Disputauit. c. 22.
          - Accusauit. c. 23.
          - Prædixit. c. 24.
          - Admonuit. c. 25.
    - Modus
      - Πρότασις, in horto. c. 26.
      - Ἐπίτασις in consistorio (c. 27.)
        - Ecclesiastico
        - Politico
      - Καταστροφή, in loco supplicii c. 27.
    - Consequentia. c. 28.

CAP. LIV.


CAP. LIV.

Typus Euangelii secundum Marcum.



CAP. LV.

Typus Euangelii secundum Lucam.



CAP. LVI.

Typus Euangelii secundum Iohannem.

- **Christi**
  - Persona. c. 1.
  - Officium, quod peregit in profectione
    - Prima ad festum Paschatos; vbi
      - Terminus à quo, Cana Galilaea. c. 2.
      - Commoratio. c. 3.
      - Regressus per Samariam. c. 4.
    - Secunda, ad festum Pentecostes, in qua
      - Curauit paralyticum. c. 5.
      - Cibauit populum. c. 6.
    - Tertia, ad festum scenopegia, vbi
      - Aduentus Christi. c. 7.
      - Commoratio, Hierosolymis, vbi
        - Disputatio. c. 8.
        - Facta. c. 9.
        - Concio. c. 10.
      - Discessus. c. 11.
    - Quarta, quà ad celebrationē veri Paschatis profectus est: vbi mortis
      - Antedentia
        - Facta
          - Ingressus in vrbem. c. 12.
          - Lotio pedum. c. 13.
        - Dicta inter
          - Cœnandum. c. 14.
          - Egrediendum in hortum. Vbi oratio Christi
            - Monitoria. c. 15.
            - Consolatoria. c. 16.
            - Precatiua. c. 17.
      - Modus, Passio in
        - Horto & atrio Pontificis. c. 18.
        - Pretorio & loco supplicii. c. 19.
      - Consequentia, Apparitio facta Apostolis
        - Versantibus in Iudaea. c. 20.
        - Piscantibus in Galilaea. c. 21.

CAP. LVII.

CAP. LVII.

Typus Actorum Apostolorum.

In Actis Apostolorũ est historia

- Generalis, de Apostolorum
  - Congregatione. c. 1.
  - Congregatorum
    - Donis
    - Dictis } cap. 2.
- Specialis, de
  - Petro & Iohanne. c. 3. 4.
  - Petro & aliis quibusdam. c. 5.
  - Stephano
    - Accusato. c. 6.
    - Martyrii corona ornato. c. 7.
  - Philippo. c. 8.
  - Petro, cuius
    - Miraculum. c. 9.
    - Doctrina
      - Proposita. c. 10.
      - Defensa. c. 11.
    - Incarceratio & liberatio. c. 12.
  - Paulo; cuius peregrinatio
    - Prima, instituta cum Barnaba. c. 13. 14.
    - Secunda, cum Sila suscepta, cuius
      - Abitus, vbi de Concilio Hierosolymitano. c. 15.
      - Commoratio in
        - Asia. c. 16.
        - Græcia. c. 17.
      - Reditus. c. 18.
    - Tertia, propter Ephesios instituta, cuius terminus
      - A quo c. 18. v. 23.
      - Per quem iter fecerit
        - Abeundo. c. 19.
        - Redeundo. c. 20.
      - Ad quem
        - Hierosolyma. c. 21. 22. 23.
        - Cæsarea: quid factum sub
          - Felice. c. 24.
          - Festo. c. 25.
          - Agrippa. c. 26.
    - Quarta & vltima, Romam versus. c. 27. 28.

CAP. LVIII.

Typus Epistolæ ad Romanos.

Epistolæ ad Romanos partes tres

- Prooemium. c. 1. ad v. 16.
- Institutio doctrinæ Christianæ, de
  - Miseria. c. 1. 2. 3.
  - Liberatione, vbi de
    - Iustificatione. c. 3. 4. 5.
    - Sanctificatione. c. 6. 7. 8.
    - Prædestinatione. c. 9. 10. 11.
  - Gratitudine In
    - Genere. c. 12.
    - Specie. c. 13.
    - Genere. c. 14. 15.
- Peroratio. c. 15. à v. 14. & c. 16.

CAP. LIX.

Typus epistolæ prioris ad Corinthios.

- **Epistolæ prioris ad Corinthios partes tres**
  - Prooemium. c. 1. ad v. 10.
  - Institutio doctrinæ, vbi
    - Asserit dignitatem
      - Doctrinæ
        - Κατὰ σύγκρισιν. c. 1.
        - Simpliciter. c. 2. inspersa v[…] atque altera σύγκρισι[…]
      - Doctorum
        - Κατὰ θέσιν. c. 3.
        - Κατ᾽ ἀντίθεσιν. c. 4.
    - Disserit de
      - Lege
        - Obiurgat Corinthios, ob
          - Incestum & scortationem. c. [5].
          - Litigationẽ coram impiorum [ma]gistratu. c. 6.
        - Instituit illos de
          - Coniugio. c. 7.
          - Libertate Christiana. c. 8. 9. [10].
      - Sacramento cœnæ. c. 11.
      - Donorum spiritualium recto vsu. c. 12. 13. 14.
      - Articulo fidei, resurrectione carnis. c. 15.
  - Peroratio de Collectis Rebus familiaribus c. 16.

CAP. LX.

Typus epistolæ posterioris ad Corinthios.

- **Epistolæ posterioris ad Corinthios partes tres**
  - Exordium, sub quo complectimur inscriptionem. c. 1. ad v. 8.
  - Institutio
    - Apologetica, vbi
      - Purgat se à temeritate, quod non venerit. c. 1. 2.
      - Delet crimen nimiæ seueritatis sibi obiectum. c. 3.
      - Doctrinæ veritatem, suamque in officio fidelitatem [a]s[se]rit. c. 4. 5.
    - Hortatoria vbi hortatur
      - Ad piam vitam & patientiam in afflictionibus & fuga impiorum. c. 6.
      - Ad omittenda sinistra de se iudicia, & ad liberalitatem. c. 7. 8. 9.
      - Ad ipsum amandum, allatis variis argumentis. c. 10. 11. 12.
  - Peroratio. c. 13.

CAP. LXI.

Typus Epistolæ ad Galatas.

- **Epistolæ ad Galatas partes tres**
  - Exordium. c. 1. ad v. 6.
  - Contenta epistolæ
    - Reprehensio, quod à vera doctrina se abduci sint passi à v. [6.] c. 1. ad 17. c. 2.
    - Doctrina de iustificatione. à v. 17. c. 2. & c. 3. 4.
    - Hortatio ad studium bonorum operum in
      - Genere. c. 5.
      - Specie. c. 6.
  - Conclusio. c. 6. v. 18.

CAP. LXII.

Typus Epistolæ ad Ephesios.

Epistolæ ad Ephesios partes tres

- **Exordium.** c. 1.
- *Institutio, de*
  - Beneficiis Dei, ministerio videlicet & causis salutis. Beneficia illa sunt
    - Prædestinatio. c. 1.
    - Redemptio per Christum. c. 2.
    - Donatio hæreditatis cœlestis. c. 3.
  - Officiis fidelium: vbi exhortationes
    - Generales. c. 4. & 5. ad v. 21.
    - Speciales. c. 5. à v. 21. ad v. 10. c. 6. vbi hortatur
      - Vxores & maritos.
      - Liberos & parentes.
      - Seruos & dominos.
- *Conclusio*
  - Specialis, de panoplia militis Christiani.
  - Communis
  - à v. 10. c. 6.

CAP. LXIII.

Typus Epistolæ ad Philippenses.

Epistolæ ad Philippenses partes tres

- **Exordium.** c. 1. v. 1. 2.
- *Institutio*
  - Prima. c. 1. vbi
    - Gratiarum actio. à v. 3. ad 9.
    - Precatio. à v. 9. ad 12.
    - Dissertatio de afflictionibus. à v. 12. ad 24.
    - Hortatio ad piam vitam ad fin. cap.
  - Secunda. c. 2.
    - Generalis, directa ad omnes Christianos. ad v. 24.
    - Specialis, directa ad solos Philippenses. à v. 24. ad fin.
  - Tertia. c. 3.
    - Cauendos Pseudoapostolos docet. ad v. 7.
    - Quæ sit summa sapientia ostendit. à v. 7. ad finem c.
  - Quarta. c. 4.
    - Exhortatio. ad v. 10.
    - Commendatio. à v. 10. ad 21.
- **Conclusio.** c. 4. à v. 21.

CAP. LXIV.

Typus Epistolæ ad Colossenses.

Epistolæ ad Colossenses partes tres

- **Exordium.** c. 1. v. 1. vbi inscriptio & salutatio.
- *Institutio de*
  - Doctrina Christiana vbi
    - Proponit illius summam. c. 1. ad v. 13.
    - Hortatur ad constantiam in doctrina ad v. 8. c. 2.
    - Monet vt sibi caueant à corruptelis doctrinæ. c. 2. à v. 8. ad fin. cap.
  - Vita Christiana; vbi præcepta
    - Generalia, omnibus Christianis communia. c. 3. ad v. 18. & c. 4. ad v. 7.
    - Specialia, & certis ordinibus propria, vt vxoribus, maritis, liberis, parentibus, seruis, dominis. à v. 18. c. 3. ad v. 4.
- **Conclusio.** à v. 7. c. 4. ad finem.

CAP. LXVI.

Typus epistolæ prioris ad Thessalonicenses.

Epistolæ prioris ad Thessalonicenses partes tres.

- Prooemium. c. 1. v. 1.
- *Institutio de doctrina.*
  - *Fidei, vbi est.*
    - Εὐχαριστία c. 1. v. 2. 3. 4.
    - Ἀπολογία à v. 5. c. 1. ad v. 11. c. 3.
    - Εὐχὴ v. 11. 12. 13. c. 3.
  - *Vitæ vbi*
    - Hortatur ad sanctitatem. c. 4. ad v. 13.
    - Consolatur lugentes obitum suorum, vbi differit de
      - Resurrectionis modo. c. 4. à v. 13. ad fin.
      - Tempore iudicii vniuersalis. c. 5. ad v. 21.
    - Redit ad hortationem. à v. 4. c. 5. ad v. 23.
- Conclusio. c. 5. à v. 23.

CAP. LXVII.

Typus epistolæ posterioris ad Thessalonicenses.

Epistolæ posterioris ad Thessalonicenses partes tres.

- Prooemium. c. 1. v. 1.
- *Institutio*
  - *Consolatoria, qua consolatur Thessalonicenses contra persecutiones, quas Euangelii causa sustinebant. c. 1.*
  - *Monitoria & prophetica, de aduentu Christi. c. 2.*
  - *Hortatoria, qua eos ad varia Christiani hominis officia cohortatur. c. 3.*
- Conclusio. c. 2. à v. 16.

CAP. LXVIII.

Typus Epistolæ prioris ad Timotheum.

Epistolæ prioris ad Timotheum partes tres.

- Prooemium. c. 1. v. 1. 2.
- *Institutio*
  - *Prima, qua proponitur exemplar veri pastoris. c. 1.*
  - *Secunda, de ratione rite precandi. c. 2.*
  - *Tertia de pastoris*
    - *Virtutibus. c. 3.*
    - *Officio erga*
      - *Falsos doctores. c. 4.*
      - *Auditores. c. 5. 6.*
- Conclusio. c. 6. v. 20. 21.

CAP. LXIX.

CAP. LXIX.

Typus epistolæ posterioris ad Timotheum.

Epistolæ posterioris ad Timotheũ partes tres.

- *Exordium.c.1.v.1.2.*
- *Institutio.*
  - *Prima, hortatoria ad perseuerantiam in*
    - *Munere.c.7.*
    - *Militia Christiana. cap.2.*
  - *Secunda prophetica.c.3.ad v.14.*
  - *Tertia, hortatoria à v.14.c.3.ad c.4.v.9.*
- *Conclusio.à v.9.ad fin.c.4.*

CAP. LXX.

Typus epistolæ ad Titum.

Epistolæ ad Titum partes tres:

- *Procemium.c.1.v.1.*
- *Institutio, de constitutione Ecclesiarum Cretensium, vbi de:*
  - *Ministrorum officio.c.1.*
  - *Auditorum officio*
    - *Speciali,*
    - *Communi* } *cap.2.& 3.ad v.12.*
- *Conclusio.c.3.à v.12.*

CAP. LXXI.

Typus epistolæ ad Philemonem.

Epistolæ ad Philemonem partes tres:

- *Procemium.v.1 2.3.*
- *Contenta*
  - *Concio de æquitate Christiana*
  - *Commendatio Onesimi;* } *à vers.3.ad 21.*
- *Conclusio, à v.21.ad finem.*

CAP. LXXII.

Typus epistolæ ad Hebræos.

Partes epistolæ ad Hebræos tres sunt:

- *Procemium ab ipsa re.c.1.v.1.*
- *Institutio, docet de:*
  - *Christi:*
    - *Persona, natura*
      - *Diuina.c.1.*
      - *Humana.c.2.*
    - *Officio*
      - *Prophetico.c.3.4.*
      - *Sacerdotali.c.5.6.7.8.9.10.* } *De regio hinc inde docet incidenter.*
  - *Christianorum officio videl. de:*
    - *Sancta vita.à v.19.c.10.ad 11.*
    - *Fide.c.11.*
    - *Sancta vita rursus.c.12.13.*
- *Conclusio, quæ constat voto Apostolico.c.12.à v.18.ad finem vsque.*

CAP. LXXIII.

Typus epistolæ Iacobi.

Epistola Iacobi partes duæ

- *Inscriptio. c.1. v.1.*
- *Institutio*
  - *Prima. c.1*
    - Corrigit vitia: *Impatientiam. Blasphemiam. Hypocrisin.*
    - Ad virtutes hortatur: *Patientiam sub cruce. Preces ex fide. Agnitionem miseriæ nostræ & bonitatis Dei. Studium frænandi linguam.*
  - *Secūda. c.2.*
    - Corrigit vitia: *Prosopolepsiam. Vanam iactantiam fidei.*
    - Ad virtutes hortatur: *Iustitiam erga proximum. Studium bonorum operum.*
  - *Tertia. c.3.*
    - Corrigit vitia: *Arrogantiam in proximo reprehendendo. Inuidiam. Rixas.*
    - Ad virtutes hortatur: *Moderationem linguæ. Mansuetudinem. Studium pacis.*
  - *Quarta. c.4*
    - Corrigit vitia: *Securitatem carnis. Obtrectationes. Confidentiam in statuendo de euentu negotiorum.*
    - Ad virtutes hortatur: *Obedientiam præceptorum Dei. Luctum ob admissa peccata. Modestiam.*
  - *Quinta. c.5.*
    - Corrigit vitia: *Auaritiam. Crudelitatem in mercenarios. Luxum. Oppressionem piorum. Leuitatem iurandi.*
    - Ad virtutes hortatur: *Patientiam sub cruce. Exercitia pietatis in rebus secundis & aduersis. Preces pro ægrotis. Studium conuertendi fratres.*

CAP. LXXIV.

Typus epistolæ prioris Petri.

Prioris epistolæ Petri partes tres

- *Prooemium. c.1. v.14.*
- *Institutio de*
  - *Beneficiis Dei. c.1. ad v.13.*
  - *Officiis nostris: ubi adhortationes*
    - *Generales à v.13 c.1. ad v.13. c.2.*
    - *Speciales, de officiis subditorum, famulorum, uxorum &c. à v.13, c.2. ad v.8, c.3.*
    - *Rursus generales, à v.8. c.3. ad fin. c.4.*
    - *Rursus speciales. c.5. ad v.8.*
    - *Iterum generales à v.8. c.5. ad v.10.*
- *Conclusio constans*
  - *Voto Δοξολογίᾳ.*
  - *Recapitulatione.*
  - *Salutationibus.*
  - *à v.10. c.5.*

CAP. LXXV.

Typus epistolæ posterioris Petri.

Posterioris epistolæ Petri partes tres
- Exordium. c. 1. v. 1. 2.
- Institutio, qua Apostolus
  - Hortatur ad studium
    - Proficiendi
    - Perstandi
    - in fide. c. 1.
  - Monet, vt sibi caueant à falsis doctoribus. c. 2.
  - Vaticinatur de magno illo die Domini. c. 3.
- Conclusio constans
  - Repetitione
  - Doxologia
  - c. 3. v. 17. 18.

CAP. LXXVII.

Typus primæ epistolæ Iohannis.

Primæ epistolæ Iohannis partes duæ
- Prima est summa Euangelii, de beneficiis in Christo. c. 1.
- Secunda, est exhortatio ad
  - Fidem
  - Charitatem
  - Duo hæc capita Apostolus, cap. 2. 3. 4. 5. tractat promiscue & alternatim, subinde ab vno ad alterum transiens & rediens.

CAP. LXXVIII.

Typus epistolæ secundæ Iohannis.

Secundæ epistolæ Ioannis partes tres
- Exordium. v. 1. 2. 3.
- Institutio
  - Narratio gaudii. v. 4.
  - Hortatio ad constantiam in fide & charitate. à v. 5. ad
- Conclusio. v. 12. 13.

CAP. LXXIX.

Typus tertiæ epistolæ Iohannis.

Tertiæ epistolæ Iohannis partes tres
- Exordium. v. 1. 2.
- Contenta
  - Laudat hospitalitatem Gaii à v. 3. ad 9.
  - Conqueritur de ambitione Diotrephis. à v. 9. ad 11.
  - Monet Gaium, vt pergat exercere liberalitatem. v. 11.
  - Commendat Demetrium. v. 12.
- Clausula. v. 13. 14. 15.

CAP. LXXX.

Typus epistolæ Iudæ.

Epistolæ Iudæ partes tres
- Exordium, complexum inscriptionem & salutationem. v. 1. 2.
- Institutio
  - Propositio. v. 3. 4. qua hortatur ad constantiam in fide Euangelii.
  - Expositio propositionis, qua
    - Adducit argumenta hortationis
    - Describit seductores.
    - à v. 5. ad 24.
- Conclusio. v. 24. 25.

CAP.

CAP. LXXXI.

Typus Apocalypsis Iohannis.

Apocalypsis Iohannis partes sunt quatuor:


- Prœmium
  - Inscriptio. v. 1. 2. 3.
  - Salutatio. à v. 4. ad 8.
  - Affirmatio vocationis. à v. 8. ad 12.
  - Præparatio ad septem epistolas. à v. 12 ad 19.
  - } cap. 1.
- Propositio: diuisio argumenti in ea quæ sunt, & futura sunt. v. 19.
- Narratio seu historia
  - Didascalica, de statu septem Ecclesiarum, vbi totidem epistolæ
    - Prima. Secunda. Tertia. Quarta. } cap. 2.
    - Quinta. Sexta. Septima. } cap. 3.
  - Prophetica, eaque
    - Communis, de mundo vniuerso, vbi
      - Præparatio ad septem sigilla, necnon visio
        - Dei sedentis in throno. c. 4.
        - Agni stantis ante thronum. cap. 5.
      - Opera Dei
        - Pœna. c. 6.
        - Obsignatio electorum. cap. 7.
        - Executio iudiciorum Dei in
          - Alia. cap. 8.
          - Homines. cap. 9.
    - Singularis, de Ecclesia, vbi
      - Præparatio ad visiones. c. 10.
      - Visio
        - Prophetarum. c. 11.
        - Iudaica. c. 12
        - Corporis Ecclesiæ Christiana Catholica
          - Certamina, quæ
            - Pertulit à bestia. c. 13.
            - Gessit in Christo. c. 14. 15. 16.
          - Præmia
            - Victoria parta per Christum de
              - Meretrice. ca. 17. 18.
              - Bestia. cap. 19.
              - Dracone. cap. 20.
            - Gloria æterna. c. 21 & principio. c. 22.
- Conclusio constans
  - Confirmatione. à v. 20.
  - Salutatione, in fine.
  - } cap. 22.

Alius typus Apocalypsis Iohãnis.

- **Pars**
  - **I.** Proœmium. Præparatio ad septem epistolas; videl. visio septem candelabrorum aureorum. — cap. 1.
  - **II. Narratio Prophetica de statu Ecclesiæ**
    - **Militantis**
      - **Tunc præsẽtis Epistolæ**
        - Prima. Secunda. Tertia. Quarta. — cap. 2.
        - Quinta. Sexta. Septima. — cap. 3.
      - **Post sequentis**
        - Præparatio ad septem sigilla, nempe visio
          - Dei. c. 4.
          - Agni. c. 5.
        - **Sigillum**
          - Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. — cap. 6.
          - Præparatio ad sequentia. c. 7.
          - **Septimum sub quo tubæ**
            - Prima. Secunda. Tertia. c. 8.
            - Quarta. Quinta. Sexta. c. 9.
            - Hic inseritur
              - Præparatio ad tubam septimã. c. 10.
              - Amplior declaratio tubæ quintæ. c. 11 ad v. 14.
            - Septima, à v. 14. c. 11. vsq; ad finem; vbi
              - Amplior declaratio præcedentis prophetiæ vtriusque, tum sigillorum, tum tubarum. ca. 12. 13. 14.
              - Præparatio ad Phialas. cap. 15. vbi
                - Phialæ septem. cap. 16.
                - Illustratio Phialæ Septimæ. c. 17. 18. 19.
    - **Triumphantis. Ratione**
      - Initii. Iudicium vltimũ & vniuersale. cap. 20.
      - Continuationis. Felicitas piorum æterna. cap. 21. 22. vsque ad v. 6.
  - Conclusio libri. à v. 6. c. 22. vsque ad finem.


CAP. LXXXII.

Typus libri Tobiæ.



CAP. LXXXIII.

Typus libri Iudith.



CAP. LXXXIV.

Typus libri Baruch.

Hic liber est continua epistola, quam Baruch Babylone misit ad Iudaeos qui manserant in Iudaea. Epistolae
- *Inscriptio est cap. 1. ad v. 15.*
- *Pars*
  - *Prima est confeßio peccatorum & deprecatio. à v. 15. c. 1. ad v. 9. c. 3.*
  - *Altera est officii ad omnes pertinentis explicatio. à v. 9. c. 3 & c. 4. 5.*

Huic libro additur epistola Ieremiæ ad deportatos.

CAP. LXXXV.

Typus Adiectionum ad Danielem.

Adiectionum ad Daniel. sunt tres partes
- *I. Oratio sociorum Danielis in fornace Babylonica. c. 1.*
- *II. Historia Susannae c. 2.*
- *III. Historia de idolo Bel. c. 3.*


CAP. LXXXVI.

Typus libri tertii Esdrae.

Liber tertius Esdrae continet regni & templi Hierosolymitani
- *Euersionem. c. 1.*
- *Restaurationem, cuius*
  - *Antecedentes causae*
    - *Instrumentales: reges duo Persarum*
      - *Cyrus. c. 2.*
      - *Darius. c. 3. 4.*
    - *Principales: Iudaei. c. 5.*
  - *Coniuncta. c. 6.*
  - *Consequentia*
    - *Dedicatio templi. c. 7.*
    - *Profectio Esdrae in Iudaeam. c. 8.*
    - *Correctio status oeconomici.*


CAP. LXXXVII.

Typus libri quarti Esræ.




CAP. LXXXVIII.

Typus Adiectionum ad librum Esthera.




Cap. LXXXIX.

Typus libri Simeonis Sacerdotis summi, Qui vulgo liber Maccabaeorum tertius inscribitur.




Cap. XC.

Typus libri Maccabaeorum.



CAP. XCI.

Typus libri secundi Maccabæorum.



CAP. XCII.

CAP. XCII.

Typus libri Sapientiæ.

Liber Sapientiæ cõtinet

- 1. Documenta, de ratione pie iusteque viuendi; eaque
  - Generalia, de
    - Sapientia. c. 1.
    - Morte vbi sententia
      - Epicuræorum. c. 2.
      - Piorum. c. 3.
    - Dispari conditione piorum & impiorum. c. 4. 5.
  - Specialia, ad reges directa. c. 6.
- 2. Commendationem Sapientiæ, ab
  - Effectis. c. 7. 8.
  - Medio acquirendi, quod est oratio. c. 9.
  - Exemplis. c. 10. 11.
- 3. Documenta, de
  - Hominis vanitate in
    - Genere. c. 12. 13.
    - Specie idololatrarum quorum
      - Peccatum exaggerat. c. 14. 15.
      - Pœnam recenset. c. 16.
  - De operibus quæ recenset
    - Simpliciter, suntque
      - Iudicia in impios. c. 17.
      - Beneficia in pios. c. 18.
    - Κατ' ἀντίθεσιν. c. 8.

CAP. XCIII.

Typus libri qui Ecclesiasticus inscribitur.

Ecclesiasticus continet

- Præfationem geminam
  - Primam authoris incerti.
  - Alteram ipsius Iesu filii Siraci.
- Sententias de virtutibus tabulæ
  - Prima
  - Secunda
  - Capitibus 50. Quod supra monuimus de prouerbiis Salomonis, hoc idem cogitabis de dispositione istarum sententiarum.
- Orationem Iesu filii Siraci. c. 51.

CAP. XCIV.

CAP. XCIV.

An interpretatio S. literarum sit necessaria, quaque illius partes.

EXplicatus est modus mnemonicus legendi S. literas: nunc oportet explicare modum dianoeticum.

Dianoeticus modus legendi S. literas.

Modus dianoeticus legendi S. literas est qui conducit ad rectam illarum intelligentiam & vsum.

Estque principalis, vel subsidiarius

Modus dianoeticus principalis est, qui S. literarum interpretationem sibi habet propositam.

De interpretatione S. literatum in genere sunt hi canones.

„ 1. [*Sacræ scripturæ interpretatio hoc loco non est versio seu translatio ex vna lin-*
„ *gua in aliam, sed ostensio veri sensus & vsus scripturæ.*] Hic canon nos admonet de significatione vocis ambiguæ.

Interpretatio scripturæ est necessaria.

„ 2. [*Sacræ scripturæ interpretatio in Ecclesia Dei est necessaria.*] Sunt qui sacrarum literarum interpretationem in Ecclesia non necessariam esse ducunt, eo quod scriptura à fidelibus in primitiua Ecclesia fuerit lecta & intellecta absque commentariis; item, quod scriptura in se satis sit clara; eo denique quod Spiritus sanctus fidelibus dictet intus genuinum sensum verbi diuini. Sed hæc sententia nullo modo probanda est. Nam quod ad primum illud argumentum attinet, iniquus in eo est progressus à negatione vnius speciei, ad negationem generis. Etsi enim scriptura initio lecta fuit sine commentariis scriptis, nō tamen sine interpretatione, quam viua voce Christus, & postea Apostoli tradebant. Exponebant enim scripturas, hoc est, illarum intellectum rectumque vsum monstrabant. Secundum argumentum abludit à quæstione. Nam licet sacra Scriptura in se sit clara, nobis tamen est in multis obscura. Non igitur interpretatio vt lucem adferat scripturæ, sed vt nobis, est necessaria. In tertio argumento fit progressus à positione causæ principalis ad remotionem adiuuantium. Non enim est consequens: Deus est optimus verbi sui interpres. Ergo interpretatio seruorum eius non est necessaria. Cæterum, quod interpretatio S. literarum sit necessaria, doceri potest his argumentis. 1. Quia à Seruatore nostro Iesu Christo, itemque Apostolis fuit adhibita in docendis fidelibus. *Luc.* 4. *v.* 16. & sequentibus. *Luc.* 24. *v.* 27. *Et exorsus à Mose, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de se scripta erant.* Euangelistæ & Apostoli plurima quoque V. T. loca interpretati sunt. Eorum exemplum imitati sunt Doctores Ecclesiastici, quos appellamus Patres, qui plurima in S. literas nobis reliquerunt commentaria. 2. Quia etsi scriptura quoad sensum à nobis intelligitur, tamen ad vsum illico accommodari à quouis non potest. Interpretatio autem & sensum ostendit, & vsum.

Inter-

Interpretatio S. literarum est explicatio veri sensus & vsus, & vsus illius, verbis perspicuis instituta, ad gloriam Dei, & ædificationem Ecclesiæ. De hac interpretatione accipe illa scripturæ loca. *Nehem. 8. v. 9. Legebant enim librum illum legem Dei explanate: & exponendo sensum, dabant intelligentiam per scripturam ipsam.* 1 *Cor.* 14. *ver.* 3. 4 5. *Qui autem prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem & consolationem. Qui loquitur lingua, seipsum ædificat, qui vero prophetat, Ecclesiam ædificat. Vel m autem omnes loqui linguis, magis tamen vt prophetetis. Maior enim est qui prophetat, quam qui loquitur linguis, excepto si interpretetur, vt Ecclesia ædificationem accipiat.* Confer *v.* 26.31. *eiusdem cap.*

Interpretationis istius partes sunt indicatio sensus, & accommodatio ad vsum. Vtramque illam partem adhibuit Daniel in interpretatione somnij *Dan.* 2. Vtramque coniunxit Christus in interpretatione parabolæ suæ de ostio caulæ ouium & pastore ouium, *Ioan.* 10. *v.* 6. *& seqq.* Vtramque adhibuit Paulus *Hebr.* 3. & 4. in interpretatione versus septimi & sequentium è *Psal* 95. & *Hebr.* 6. *v.* 13. *& seqq.* Ita & alij Apostoli in aliorum locorum scripturæ interpretatione ostendunt sensum & vsum. Hoc idem obseruent Theologi. Sit itaque huius loci canon.

[*In cuiusque loci sacræ scripturæ interpretatione primum ostendatur sensus, dehinc vsus.*] «

Indicatio sensus est illius tum inuentio, tum enarratio.

Inuentio sensus, est qua eruitur è verbis S. Scripturæ genuina sententia. Hanc priori loco ponimus tanquam natura priorem.

Inuentio sensus scripturæ consideranda est communiter & singulariter.

Inuentio sensus scripturæ communiter consideratur sine respectu ad certum sacræ scripturæ librum.

Si quis velit & orthodoxum & genuinum alicuius loci Biblici sensum inuenire, debet obseruare quædam communia, & quædam singularia. Communia sunt, quæ in omni explicatione Sacræ scripturæ obseruari debent. Singularia sunt, quæ in certorum librorum, vtputa historicorum, propheticorum, poeticorum, apocryphorum locis specialiter notanda sunt. Hinc iam patere potest, quæ sit ratio diuisionis à nobis propositæ.

Inuentio sensus scripturæ communiter considerata à nobis spectari debet quoad normam, impedimenta, & media.

CAP. XCV.

Norma inuentionis, qua eruitur sensus scripturæ.

N*orma inuentionis, qua sensus scripturæ eruitur, est primaria, vel secundaria.*

Norma primaria est sola sacra scriptura.

S. scriptura est norma interpretationis sacræ.

Rationes huius sententiæ sunt. 1. Quia scriptura est clara, omnium luculentissime & manifestissime exponens res diuinas. Sicut ergo non opus est, vt soli lumen aliquis fœneretur: ita nec opus est, vt clarissimæ S. literarum luci aliunde lucem importemus. 2. Quia S. scriptura est perfecta, ita vt possit hominem reddere sapientem ad salutem, *2. Timoth. 3. v. 15.* 3. Scriptura vtilis est ad docendum & ad redarguendum. Ergo & ad docendum verum sensum vsumque, & ad refellendum falsum. 4 Hoc fecerunt Ezra & alij, vt legere est, *Nehem. 8. v. 9. legebant enim librum illum legis Dei explanate: & exponendo sensum, dabant intelligentiam per scripturam ipsam* ויבינו במקרא. Hoc idem fecerunt S. Patres, & faciendum esse monuerunt, *Irenæus martyr lib 4. aduersus hæreticos cap 63. Hilarius lib. 1. de Trinit. Augustin. tom. 7. lib. de vnitate Ecclesiæ, c. 5. Chrysost. in Genes. homil.* 13. Non igitur ab Ecclesia, non ex Patribus, aut Conciliis, non à Rom. Pont. aut consuetudine recepta & currente petenda est scripturę interpretatio. Non ab Ecclesia: quia si interpretatio scripturæ, & diiudicatio interpretationum controuersiarumq; religionis petenda esset ab ecclesia, vel ab inuisibili, vel à visibili petenda esset. Sed à neutra potest. Non ab inuisibili, quia Ecclesia inuisibilis est Catholica illa, quæ est cœtus omnium electorum, qui ab initio mundi fuerunt, sunt & erunt. Iam vero fieri non potest, vt isti in hac vita omnes simul congregati inueniantur, vt ab iis veram scripturę interpretationem petamus. Est ergo *ἀδύνατον*, vt ab Ecclesia inuisibili veram Scripturæ interpretationem habeamus. Sed nec à visibili: quoniam illa potest errare, & persæpe errat, *Hos. 1. v. 2. & seqq.* Deinde Ecclesia visibilis pro norma habet ipsam S. scripturam. Non igitur potest esse norma S. scripturæ. Præterea ex Patribus & Doctoribus Ecclesiasticis nõ est petenda scripturæ interpretatio; quia sæpe à vero scripturæ sensu aberrarunt, quia sæpe sex septemve discrepantes vnius loci expositiones occurrunt apud Patres, quia sæpe errarunt; denique quia multa illorum scripta sunt supposititia. Hac de re vide *Guil. Perkinsi problemata de Romanæ fidei ementito Catholicismo pag. 13. sub titulo isto: Scripta veterum partim dubia, partim spuria, vel corrupta, vna cum erroribus, quos crassiores scriptis suis insperserunt, obiter indicatis.* Sed neq; à Conciliis generalibus vera scripturæ interpretatio petenda: quia Concilia, etiam œcumenica, errarunt, veluti Nicenum primum, quod damnauit milites, qui fidem Christianam semel professi postea redîssent ad militiã etiam legitimam; fecit canones pœnitentiæ, ex quibus multæ superstitiones in Ecclesiam irrepserunt, & meritum Christi obscurarunt; voluit deniq; prohiberi sacris personis coniugium, nisi Paphnutius obstitisset. Accedit, quod œcumenica concilia inter se pugnant, scripturam diuersimode exponentia. Præterea concilia œcumenica post Apostolos vsque ad concilium Nicenum primum nulla fuerunt, cum tamen interim Ecclesia verum scripturæ sensum haberet. Insuper à Pontificibus

cibus Romanis vera S. scripturarum interpretatio peti non debet; quia Pontifices Romani sæpe errarunt in scripturis interpretandis, sæpe quoq; inter se diffident. Deniq; ex recepta consuetudine interpretatio scripturæ non est petenda, quia vniuersalis consuetudo è diametro repugnare potest S. scripturæ. Summa: Ecclesia, Patres, Concilia, Pontifices Romani, & recepta consuetudo examinari debent secundum scripturam. Non igitur possunt esse norma interpretationis sacrarum literarum.

Norma secundaria, ad quam interpretatio scripturæ examinari debet, sunt symbola Catholica vniuersæ veteris Ecclesiæ orthodoxæ. Symbolum Apostolicum aliis antecellit authoritate; quia fere totum scripturæ verbis cōstat, & aliis symbolis antiquius est, & eorundem est regula. Symbola reliqua, vt Nicenum, Athanasianum, Constantinopolitanū, Chalcedonense, &c. tam manifestum habent cum S. scriptura consensum, vt nemo ab illis dissentire possit, quin simul dissentiat à scriptura. Propterea ne quidem Ecclesia vniuersa habet potestatē mutandi doctrinam & sententiam istorum symbolorum, eo quod hoc mutari nō possit, quin simul à sententia scripturæ discedatur. Quapropter symbola illa Catholica obligant ad assensum omnes Christianos ad finem vsq; mundi, tum propter summum in rebus consensum cum scriptura, tum propter necessariam verborum & phrasiū quibus condita sunt, in Ecclesia vsurpationem. Vnde fit, vt possint dici regula secundaria, ad q̃ à fidelibus omnis interpretatio Scripturæ examinari potest ac debet. Hoc loco paucis expediendæ sunt duæ quæstiones, quarū prima est, penes quem sit potestas & ius interpretandi Scripturam, altera, quæ sit authoritas interpretationis Scripturæ? Resp. ad 1. Potestas interpretandi Scripturam, adeoq; de illius interpretatione iudicandi, est vel publica, vel priuata. Publica est vel summa, quæ vulgo dicitur authoritatiua, vel ministerialis. Summa potestas interpretandi Scripturā, est penes Deum, authorē Scripturæ. Optimus enim legis interpres est legislator. Ministerialis potestas est tum Scripturæ, quæ est ministra, quippe vox & epistola Dei, cum orthodoxæ Ecclesiæ, quæ est vel catholica, vel particularis. Hinc interpretatio ecclesiæ alia est catholica, alia particularis. Interpretatio catholica, seu vniuersalis, est quæ totius Ecclesiæ Christianæ per vniuersum terrarum orbem sparsæ consensu, iudicio, & nomine scripta & promulgata, recepta & approbata est: qualis est in symbolis & confessionibus fidei catholicis, à synodis œcumenicis traditis vel approbatis nimirum symbolo Apostolico, Niceno, Athanasiano, Ephesino, Chalcedonensi, &c. Particularis, est quæ à particularibus Ecclesiis, siue vna, siue pluribus est edita: qualis est in confessione Augustana, Heluetica, Anglicana, Gallica, in articulis Schmalcaldicis, in Catechesibus Ecclesiarum. Priuata potestas interpretandi sacram Scripturam, est quæ priuato vnius vel plurium consilio & voluntate nititur: qualis est Pa-

Symbolorum Catholicorū authoritas.

Potestas interpretandi S. Scripturam.

trum Ecclesiasticorum, aliorum item Ecclesiæ Doctorum, Imperatorum & Principum Christianorum, omnium denique Christianorum. Quid vero hic statuendum de Prophetis & Apostolis? Qualis nam fuit potestas, quam illi habuerunt in sacris literis interpretandis? Resp. Cum illi fuerint legati Dei immediate vocati ab ipso Deo, interpretatio ipsorum diuina censeri debet. His ita positis facile est respondere ad quæstionem secundo loco propositam, de authoritate interpretationis Scripturæ. Interpretatio diuina diuinam prorsus & canonicam habet authoritatem, Interpretationis autem Ecclesiasticæ vniuersalis, authoritas est Ecclesiastica tantum, hoc est, talis, quæ ab Ecclesia sit examinanda secũdum normam sacrarum literarum. Talis authoritas est confessionum, & catecheseωn quarumcunque. Interpretationes particulares certarum Ecclesiarum examinari debent itidem secundum sacrarum literarum regulam. Sunt enim longe inferiores interpretationibus Ecclesiæ vniuersalis. Ad extremum priuatæ interpretationes sacræ Scripturæ singulorum hominum, multo inferioris sunt authoritatis, quam publicæ interpretationes. Hac de re accipe sequentem tabulam.

Authoritas interpretationis S. literarum.

Interpretatio Scripturæ habet authoritatem
- *Supremam, hoc est, diuinam, si sit diuina.*
- *Mediam, si sit Ecclesiæ*
  - *Vniuersalis.*
  - *Particularis.*
- *Infimam, si sit hominis priuati.*

CAP. XCVI.

Impedimenta, per quæ stat quo minus genuinum S. Scripturæ sensum possimus eruere.

IMpedimenta, per quæ stat quo minus genuinum sacræ Scripturæ sensum eruere possimus, sunt vel ante lectionem, vel in lectione, vel post lectionem Scripturæ.

Impedimenta præfectus ante lectionem sacrarum literarum.

Impedimenta ante lectionem S. Scripturæ, sunt.

1. *Carnis sapientia & prudentia.* Hæc è diametro pugnat cum sacris literis. Quare nemo illas intelligere potest, qui his tenebris implicatus est. Vide hac de re *Matth.* 11 *v.* 25. *Rom.* 8. *v.* 5. 6. 7. 1. *Cor.* 3 *v.* 19.

2. *Cæcitas naturalis*; qua fit, vt natura nostra simus ineptissimi ad verbum Dei intelligendum. 1. *Corinth* 5. *v.* 14. Hæc cæcitas retinetur & augetur omissione precum ad Deum, aut non recte precando. *Iacob.* 1. *v.* 5. 6 7.

3. *Impietas*: de qua *Matth.* 13. *v.* 10. *& seq.* 1. *Corinth* 1. *v.* 18. 2. *Corinth.* 4 *v.* 3 4 2. *Pet.* 3. *v* 16. 18.

4. *Odium & fastidium veritatis, atque adeo Scripturæ.* 2. *Thess.* 2. *v.* 10. 11 12.

5. *Indocilitas*; quæ existit ob præiudicia, quibus plurimi imbuti sunt. *Matth.* 16. *v.* 6. *Col.* 2. *v.* 8.

6. *Igno-*

6. *Ignoratio catechesews, & primorum fundamentorum religionis. Hebræ.5.versic.12.*

7. *Ignoratio linguarum.* Linguæ vulgo dicuntur fores scientiarum, & claues. Quapropter si quis ingredi velit augustissimum veritatis diuinæ palatium, oportet eum per hasce fores ingredi, & hisce clauibus vti.

8. *Interpretum inscitia, vel malitia.* Sæpe fit vt interpretes, qui vel maxime rudibus adiumento ad cognitionem SS. literarum esse debebant, magis obscurent Scripturas, dum magis sua somnia, suasque cogitationes in Scripturam inuehunt, quam sensum ostendunt. Vetusti quidam scriptores obscurarunt sacras literas ob inscitiam tum linguæ, tum rerum, tum denique artium Logicarum: recentiores vero sophistæ, ob inscitiam & malitiam simul. Exemplo nobis sit locus ille communis de iustificatione. Sophistæ vocabula, quibus vtitur Spiritus sanctus, qualia sunt *iustitia, iustificare, fides, gratia, caro, spiritus,* & similia, plane Philosophice & Aristotelice explicant, illaque adeo inuerterunt, vt cum sua vi & idiomate in sacris literis visitato, vnicum agnum Dei, eiusque sacrificium & meritum tanquam sacram anchoram monstrent, istorum fraude ita nunc distorta sint, vt videantur bona opera, & hominum merita ostentare.

9. *Neglectus voluntatis diuinæ.* Fieri non potest vt in sacrarum literarum lectione faciat operæ pretium, qui legit & veluti oculis expositam videt Dei voluntatem, neque tamen illam facit.

Impedimenta in ipsa lectione, sunt — *Impedimenta profectus in lectione S. literarum.*

1. *Negligentia in Scripturæ lectione & meditatione.* Si quis sacram Scripturam horis succisiuis legat, vel extraordinarie, fieri non potest, vt rerum Thologicarum cognitio adquiratur solida.

2. *Neglectio fontium Hebraicorum & Græcorum.*

3. *Ignorantia discriminis inter Legem & Euangelium.*

4. *Ignoratio idiotismorum*; qui sunt vel in vnica voce, vel in toto habitu orationis.

5. *Neglectus ordinis in meditatione Scripturæ.* Sicut in omnibus aliis studiis ordo magnas habet vires: ita & in studio S. literarum.

6. *Omissio collationis locorum similium & dissimilium.*

7. *Nouatio vocum*; si quis non retineat exemplar λόγων ὑγιαινόντων 1. Tim. 6. v 3.4.

8. *Arrogantia*; qua quis contemnit aliorum interpretationes & exercitia ad Scripturæ cognitionem conferentia. 1. Thess. 5. v. 20.

9. *Ignoratio disciplinarum, quæ verbo Dei famulantur.*

Impedimenta post lectionem, sunt — *Impedimenta profectus post lectionem S. literarum.*

1. *Ingratitudo erga Deum*; quæ consistit in eo, quod Deo non aguntur gratiæ, quando illuminatio intellectus, vel simile beneficium è lectione

Scripturarum ad nos redundauit; item in inobedientia, cum quis è Scripturæ meditatione non fit melior.

2. *Omissio repetitionis & ruminationis lectorum vel auditorum.*

3. *Inuidia, vel etiam ignauia*, cum quis non vult, vel non studet communicare cum aliis veritatem à Deo perceptam.

Sed de his impedimentis plura adferre non placet; quia è doctrina de mediis longe rectius de iis iudicari potest.

CAP. XCVII.

Media præcedentia Scripturæ meditationem.

MEdia inueniendi genuinum sacræ Scripturæ sensum sunt triplicia: quædam præcedunt Scripturæ meditationem, quædam adhibenda sunt in ipsa meditatione, quædam subsequuntur meditationem. Illa docendi causa vocari possunt media primi ordinis, ista secundi, hæc tertii.

Media interpretationis ante lectionem S. literarum.

Media quæ S. Scripturæ meditationem præcedere debent, hæc sunt.

1. *Firma persuasio verum S. Scripturæ sensum à nemine ex proprio ingenio inueniri posse, sed à Deo reuelari.* Hoc medium est principale. Nam si quis aliquid hic tribuat ingenio suo, dici non potest, quam periculose erretur in S. literarum cognitione. Diligenter itaque perpendantur sequentia Scripturæ dicta. *Prov. 2. v. 6. 2. Pet. 1. v. 20. 21. 1. Cor. 12. v. 3. 2. Cor. 3. v. 5. Iacob. 1. v. 17. 1. Ioh. 2. v. 27.* quibus docetur interpretationem Scripturæ veram & legitimã nonnisi ex dictamine Spiritus sancti haberi posse.

2. *Preces ad Deum ex vera fide, puro & humili corde, & conscientia bona.* Peculiari hic vti possumus formula, eaque vel è sacris literis petita, vel nostrapte studio concepta. Vide *Psalm. 25. vers. 4. 5. Psalm. 119. vers. 18. 19. & v. 64. 66. 68. 73.*

3. *Conuersio seria ad Deum, sincera pietas, timor Dei & humilitas.* Nam timor Domini est initium sapientiæ; & in malitiosam animam non ingreditur sapientia, *Prov. 1. v. 7. Sapient. 1. v. 1. 2. 3. 4. 5.* Nimirum precibus ardentibus, & studio sanctæ vitæ quæritur & inuenitur Pater ille cœlestis, fons omnis boni trahens nos ad Filium; Filius, reuelans nobis ex sinu Patris, qui nobis est lux, via, & veritas ad Patrem; & denique ipse Spiritus sanctus, qui nos deducit in omnem veritatem, & veras salutaresque cogitationes nobis suggerit.

4. *Amor & desiderium cœlestis veritatis*; quæ sola, quæ prima est veritas. *Psal. 119. v. 40. 47. 48.*

5. *Docilitas. Iohan. 3. v. 21. 33.* Philosophus hanc requirit in suo auditore. Quanto magis illa præditos esse oportebit eos, qui cœlestium oraculorum sensum pernosse cupiunt.

6. *Voluntas faciendi cognitam Dei voluntatem. Ioh. 7. v. 17.*

7. *Notitia catechetica doctrinæ, de fide & bonis operibus. Heb. 5. v. 12. 13. 14. aut etiam vberior cognitio corporis SS. Theologiæ, quod perpetuis definitionibus & distributionibus descriptum sit.*

8. *Cognitio linguarum, quibus Scriptura à Prophetis & Apostolis exarata est.*

CAP. XCVIII.

Media generalia in Scripturæ lectione obseruanda.

MEdia, quæ adhibenda sunt in ipsa Scripturæ meditatione, sunt vel generalia, vel specialia.

Generalia sunt, quæ obseruanda sunt antequam de verbis vel rebus sacris suscipiatur cogitatio. *Media generalia in lectione Scripturæ obseruanda.*

Suntque

1. *Assidua meditatio & studium sacræ Scripturæ.* Cum enim in rebus huius mundi addiscendis nulli parcamus labori, in rerum diuinarum cognitione quid nos decere dicemus? Vide 1. *Timoth.* 4 *vers.* 13. *Prov.* 2. *v.* 4. 5. *Iohan.* 5. *v.* 39.

2. *Collimatio perpetua ad finem & scopum totius Scripturæ sacræ.* Scopus autem ille est Christus Seruator. Deus & homo in vnitate personæ. *Ioh.* 5. *v.* 59. *Actor.* 3. *v.* 18. *& seq. c.* 7. *v.* 52. *c.* 10. *v.* 43. *Rom.* 10. *v.* 4. 2. *Cor.* 3. 14. 16. *Gal.* 3. *v.* 24. *Apoc.* 19. *v.* 10.

Summa itaque Scripturæ tali syllogismo continetur; Verus Messias erit Deus & homo, semen mulieris, semen Abrahæ, filius Dauidis, nascetur ex virgine, Euangelium proferet è sinu Patris, legi satisfaciet, seipsum offeret pro peccatis populi sui, mortem moriendo & resurgendo vincet, ascendet in cœlum, & suo tempore redibit ad iudicium. *Syllogismus complexus summam SS. literarum.*

Talis autem est Iesus Nazarenus, filius Mariæ.

Is ergo est verus Messias.

Hic est syllogismus nobilissimus, cuius maior propositio confecta est in officina V. T. minor in officina N. T. conclusio in corde cuiuslibet electi. Maior itaque propositio est scopus, summa & status principalis in omnibus scriptis Prophetarum, & minor in scriptis Euangelistarum & Apostolorum. Alii dicunt, summam Scripturæ contineri duobus hisce syllogismis. Primus & supremus syllogismus est Veteris Testamenti: Quidquid Deus dicit, est verum. Nostra (inquiunt Moses & Prophetæ) dicta sunt Dei dicta. Igitur nostra dicta de creatione, de lapsu, de Messia, & similibus, sunt verissima. Porro Nouum Testamentum sub hoc Prophetarum syllogismo struit & concludit alterum syllogismum, sumta illius conclusione pro sua maiore: Quidquid Prophetæ prædixerunt de Messia & aliis rebus, est verissimum. Atqui Iesus, quem prædicamus, est prorsus talis persona, vt à Prophetis Messias depingitur. Igitur IESVS, quem

quem prædicamus, est verus Messias, quem Prophetæ annunciarunt olim.

3. *Obseruatio ordinis.* Ordo ille est temporis, & rerum. Ordo temporis est, quo tẽpus certum deputamus huic tam sancto, tam vtili studio. Hoc non solum erit matutinum & vespertinum, sed etiam diurnum. Ordo rerum est, qui obseruetur in ipsorum librorum Biblicorum materiis intelligendis. Hic nobis plurimum arridet iste modus. Tempore matutino & vespertino ordinarie legantur Psalmi, aliæque sanctorum preces, quæ in sacris literis sunt consignatæ. Legantur autem hoc fine, vt Deus inuocetur & celebretur. Reliquis horis, quas impendere huic lectioni statuimus, libri Biblici legantur eo ordine, quo in volumine S. Bibliorum positi sunt, sed ita, vt certæ concordantiæ in singulis libris constituantur, hoc est, vt loca σύμφωνα, *de eadem materia tractantia*, obseruentur.

CAP. XCIX.

Stylus S. literarum quis & quotuplex.

MEdia specialia in sacrarum literarum lectione obseruanda, sunt vel ratione verborum & rerum simul, vel seorsim ratione verborum, rerum, & modi tradendi.

Omnes scientiæ habent tria quædam, in quibus differunt ab aliis, nempe verba quædam propria, materiam seu res de quibus agunt, & modum docendi seu tradendi suas res. Hæc tria in S. Bibliis quoque obseruare oportet. Sed quia verba & res multa habent communia, de illis primo loco præcipiendum erit.

Ratione verborum & rerum simul in S. literis obseruari debet stylus, seu genus dicendi.

Hæc doctrina duplici potissimum nomine debet nobis esse commendata. Primo, vt vindicemus sacram Scripturam à contemtu quorundam Epicureorum philologorum & criticorum, qui stylum S. literarum rident & damnant titulo simplicitatis. Deinde, vt eo promtiores & expeditiores simus in analysi.

Stylus S. literarum spectari debet ratione simplicitatis, efficaciæ, euidentiæ, plenitudinis, breuitatis, & cohærentiæ.

Multa pręcipiunt Rhetores de triplici dicendi genere siue charactere, videlicet grandi seu sublimi, medio & humili. Triplex ille character in sacris literis ita occurrit, vt omnino lectorem attentum in admirationem rapere queat triplicis istius characteris perpetua coniunctio. Quæ critici in Homero, Thucydide & Pindaro admirantur singula, ea nos in sacrarum literarum stylo esse vniuerso planum faciemus. Non tamen hæc ita accipi volo, quasi facundia carnis, quam vocant, in sacris literis sit quærenda,

renda, non autem eloquentia spiritus. Hoc non volo. Eloquentiam spiritus non excludere eloquentiam in sua natura spectatam, planum faciam. Nam omnino hic oportet eloquentiam, quatenus est donum Dei, distinguere à corruptelis & maculis, quæ ipsi insunt non aliqua sua natura, sed vitio hominum.

Hac de re præclarus est locus *Ambrosii lib. 8. epist. 63.* Scriptores, inquit, diuinorum librorum, quamuis non secundum artem scripserint, sed secundum gratiam, quę super omnem artem est: ii tamē qui de arte scripserunt, de eorum scriptis artem inuenerunt, & contulerunt commenta artis & magisteria.

Simplicitas S. literarum, est qua stylus ipsarum est syncerus, & accommodatus captui legentium.

Simplex sermo multis modis dicitur. Nam simplex sermo interdum dicitur, qui est rusticus & ineptus, quali ferme vtuntur homines rustici. Interdum ille sermo vocatur simplex, qui non admodum ornatus: interdum ille, qui non est figuratus; interdum ille qui est apertus & minime fucatus; interdum ille, qui est communis ac omnibus vsitatus. Sacrarum literarum sermo dicitur simplex penultimo significatu, itemque vltimo. Est enim primo sincerus & sanus, veritatem simpliciter aperteque proferens. Hoc sensu Euripides dicit, ἁπλοῦς ἐστὶ τῆς ἀληθείας λόγος. Atque hæc est præcipua sacrarum literarum simplicitas: cui altera illa adiuncta est, quod Spiritus sanctus illas voluit attemperatas captui rudium. Huc pertinent illæ tam blandæ compellationes & inuitationes, illæ tam perspicuæ metaphoræ, sumtæ à rebus obuiis, illæ tam excellentes parabolæ & similitudines: in quibus omnibus nulla est affectatio, aut ostentatio, non citatæ ignotæ historiæ, non peregrina ac ignota prouerbia, non occultæ aliquæ aut subtiles disputationes de rebus peregrinis sunt introductæ, aut sine necessitate insertæ. Nimirum Spiritus Dei est simplex, integer, & apertus. Talis igitur quoque est illius stylus. Hoc est, quod dixerunt Græci Theologi Spiritum sanctum in sacris literis συγκαταβαίνειν ἡμῖν, *condescendere ad nostrum captum.*

Simplicitas S. literarum.

Efficacia S. literarum est vis illa styli, qua lectorem insigniter mouet. Hæc Græcis dicitur δείνωσις.

Efficacia S. literarũ.

Conspicitur autem ista efficacia:

1. *In Epithetis*: vt hortus Dei, ciuitas Dei, quercus Dei, mons Dei, regio Dei, pro eo, quod vulo dicimus, hortus pulcher, cultus, fertilis; ciuitas ampla, pulchra; quercus procera; mons altus & cultus; regio magna & pulchra. *Huc pertinent* epitheta Dei, vt creator, iustus, misericors, omnipotens, æternus, viuens. *Item epitheta* metaphoram hyperbolicam adiunctam habentia: vt, cor lapideum, adamantinum, ceruix ferrea, frons ærea. Talis est illa descriptio Nabalis audientis sibi imminere periculum à Da-

uide: *Et mortuum est cor eius in medio eius; & ipse factus est in lapidem*. Hoc multo significantius dicitur, quam si quis simpliciter dicat, valde perterrefactus & attonitus est redditus.

2. *In interrogationibus, apostrophis, & exclamationibus, similibusque figuris sententiæ, vt vocant*: vt, *Deut*.32. & *Esa*.1. Audite cœli, & ausculta terra. *Rom*.14. Tu quis es, qui condemnas alienum seruum? Et mox: Tu vero cur iudicas fratrem tuum? 1. *Cor*. 9. Oratio crebris interrogationibus grandescit & vehemens fit *à vers*. 4. *vsque ad* 14. *Rom*.11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! *Rom*.8. dicit Paulus, totã creaturã ingemiscere vna cum piis, & solicite expectare liberationem à vanitate. *Habacuc* simili prosopopœia dicit: clamabit lapis ex pariete, & laquear de tabulato ei testimonium perhibebit.

3. *In exaggerationibus*. Sic sæpissime in calamitatum denunciatione adhibetur species tristis cœli & terræ omniumque elementorum; adhibentur tonitrua; fit mentio mortis, inferni, animalium crudelium vt leonum, draconum, & similium: contra vero in describendis rebus lætis prata, flumina, montes, & similia gestire præ lætitia dicuntur. Huc refer, quod *Act*. 6. dicitur, Stephani faciem fuisse quasi faciem angeli, pro eo, quod nos dixissemus, fuisse faciem plenam dignitate & grauitate. Sic Paulus dicit, loqui linguis angelorum, pro eo, quod nos dicimus, loqui diserte & iucunde. Hoc ipso modo facta grandia exaggerantur: vt *Psalm*. 11. Pluet DEus super impios, laqueos, ignem & sulphur, & spiritum procellarum.

4. *In asynthetis*: vt, 1. *Corinth*.6. Et hæc eratis quidem; sed absoluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domine Iesu. Mouent autem asyntheta multis de causis; quia plura esse videntur, quia singula nouo quasi impetu in animum lectoris irruunt, quia commotum dicentis animum ostendunt, quia dant spatium auditori singula expendendi. Plurima huiusmodi asyntheta sunt apud Paulum, siue cũ vrget, siue cum plura mandat.

5. *In tractatione theseωs ad hypothesin*. Nam cum Scriptura disserit de virtutibus aut vitiis hominum, itemque de beneficiis & iudiciis Dei, ferme solet thesin transferre ad personas, idq; vel ad loquentes, vel audientes, aut vtrosque simul. Sæpe enim ad vnum aliquem quasi coram stantem applicat. Sic *Gal*. 4. primum in genere loquitur Apostolus de hæredibus minorennibus & maiorennibus. Deinde ait: Ita & nos, cum essemus infantes, &c. Postremo velut vnum aliquem ex auditoribus compellans, dicit: Quapropter non amplius es seruus, sed filius, &c. Sic eo sermonem tandem deducit, quasi tota illa tractatio ad vnum aliquem è Galatis pertineat, sub cuius tamen nomine aut persona singuli sermonem Pauli ad se applicent, seque iam solos appellari existiment. Confer *Roman*. 2. vbi à

thesi

thesi ad hypothesin delabitur hoc modo: Ecce tu cognominatis Iudæus, &c. Vide item *Rom.* 7. item *cap.* 12. 13. & 14.

6. *In repetitionibus*. Talis est *Iohan.* 1. Et verbum illud caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius: gloriam eius vt vnigeniti à Patre. Tale est & illud, 1. *Ioh.* 1. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod manus nostræ palpauerunt.

7. *In typis, visionibus, & imaginibus Veteris Testamenti*. Hic enim ipsæ veluti res loquuntur, vtputa tabernaculum, templum, ipsa sacrificia, terra Chanaan, vrbs sancta, aliæque V.T. picturæ, quarum quis sit vsus, docet Paulus, 1. *Cor.* 10.

8. *In descriptione rei per effecta*. Effecta siquidem sunt γνωριμώτερα ἡμῖν, ideoque nobis, euidenter & efficaciter rei naturam ob oculos ponunt. Hoc modo describitur pestis *Psalm.* 91. vbi dicitur volare & grassari. Sic *Psalm.* 2. depingitur furor hostium CHRISTI ab effectis, & potentia Christi.

9. *In argumentis validis*; quæ neruos orationis esse & arma docent Rhetores. Sunt autem in sacris literis, nominatim in Epistolis sanctorum Apostolorum, quæ refertæ sunt argumentis illustribus. Vide *Roman.* 3. & 1. *Cor.* 15.

10. *In gradationibus, antithesi, & interrogationibus*. Huius rei illustrissimum exemplum vide *Rom.* 8. *à v.* 28. *ad finem capitis*.

Euidentia S. literarum, est virtus, qua res quasi ante oculos spectandæ proponuntur. Græci vocant τὸ πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, Latini *subiectionem*. De hoc sermonis genere disserit Philosophus *Rhet.* 3. *c.* 14. & Homerum hoc nomine laudat. Nec immerito. Hæc siquidem sermonis virtus quandam αὐτοψίαν, *intuitiuam notitiam*, vt in Scholis loquimur, efficit. Sunt autem sacræ literæ in hoc sermonis genere copiosissimæ. Nam sacræ literæ *Euidentia S. literarũ.*

1. *Internos animi motus exprimunt signis externis*. Sic intueri, accedere, respicere aliquem, ponitur pro eo, quod nos dicimus amare: Illuminare vultum suum super aliquẽ, est eum læta & exporrecta fronte intueri. Iram exprimunt per τὸ auertere faciem, nolle respicere. Tale est verbum Paulinum *Rom.* 8 ἀποκαραδοκία; qua voce exprimitur gestus expectantium aliquid exerto capite.

2. *Metaphoris euidentibus & aduerbio demonstrandi sæpe vtuntur*. Sic videre & gustare pro intelligere ponitur: vt, videte & gustate quam suauis est Dominus, hoc est, fide cognoscite, & experimini. Huc pertinet vocula *Ecce*, qua sæpissime vtuntur Prophetæ. Sic qui constituti sunt in rebus secundis, dicuntur plantari, florere, crescere, fructificare: qui in aduersis, iacere, prostrati, fracti, contriti esse, arescere, marcescere, nigrescere. Sanguis CHRISTI dicitur nos lauare, & DEVS dicitur lauare sordes Sionis.

3. *Pronominibus, prima & secunda persona subinde vtuntur*: vt, Puer datus est nobis. Item, quod pro vobis traditur.

4. *Res brutas anteponunt hominibus*: vt, Cognouit bos possessorem suum. Et, hirundo, ac ciconia nouit tempus suum.

5. *Verba cognitionis ponunt pro rebus*: vt, 1. *Cor*. 5. Talis scortatio inter vos auditur, pro, *est*.

6. *Res inanimatas producunt tanquam viuas*: vt, *Psal*. 114. Vidit mare, & fugit, &c. *Psal*. 85. misericordia & veritas dicuntur sibi mutuo obuiam iuisse. Tales prosopopœias vide *Rom*. 12. & 1. *Cor*. 12. *Esa*. 34. gladius repleri & impinguari sanguine & pinguedine occisorum dicitur. *Iere*. 47. O mucro Domini vsque quo non quiescis? Redi in vaginam tuam. Huc refer colloquium diuitis epulonis cum Abrahamo. *Luc*. 16.

8. *Exempla adducunt*: vt sacrificii Abelis, diluuii, incendii Sodomorum, miraculorum in Ægypto & deserto editorum.

8. *Similitudines in oculos incurrentes adducunt*: vt, sicut gallina congregat pullos suos, &c. *Matth*. 23. Pius confertur cum arbore irrigua & fructificante *Psal*. 1. & *Ierem* 17. Impius cum gluma, quam dispellit ventus, & cũ myrtis, in locis arentibus. Tale est illud Esaiæ; omnes iustitiæ nostræ sunt sicut pannus menstruatæ: quod rem fœdam subiicit oculis. *Esa*. 59. impiorum cogitationes conferuntur cum telis aranearũ, & ouis basilisci. *Esa*. 5. Christus pingitur per germen de veteri trunco Iesse, & intermortuam radicem. Ibidem persona Christi in statu exinanitionis constituta depingitur & coram sistitur, vt spectare te eum oculis putes. Sed quis enarret illustres illas sacrarum literarum similitudines? Similibus istis adde prouerbia: vt, canis redit ad vomitum suum, sus ad volutabrum: Modicum fermenti inquinat totam massam: Qui parce seminat, parce metet: Medice cura teipsum.

9. *Dialogismos & hypotheses adducunt*: vt, *Esa*. 63. Quis est iste, qui venit de Edom, &c. Ego loquor in iustitia, &c. Quare rubrum est vestimentum tuum, &c. Torcular calcaui solus. *Psal*. 24. Quis est iste rex gloriæ? Huc refer colloquia Christi cum Pharisæis, Sadducæis, Nicodemo, Samaritana, &c. Huc quoq; pertinet Hebraismus ille, quo aliorum sermones ita subiiciuntur oculis, ac si illos loqui coram audiremus, id quod in aliis linguis non fit. Vide colloquium Abrahami cum Deo. *Geneseos* 22. Sic & Paulus suum certamen cum Petro describit: In faciem restiti coram omnibus, & dixi: Si tu cum sis Iudæus, ethnice viuis, &c.

10. *Plenius exponunt rem*; adductis causis, effectis, antecedentibus connexis & consequentibus: vt *Psalm*. 7. euaginare & acuere gladium, intendere arcum, fabricare tela dicitur Deus, vt ira pœna ob oculos plane ponatur. Vide modo allegatam historiam Abrahami mactaturi filium suum.

11. *Crebro participiis aut verbis præsentibus vtuntur pro Futuris aut præteritis:* vt, 1. *Corinth.* 5. Scimus quod Filius Dei ἥκει, *venit.* Sic Iohannes Baptista iubet discipulos dicere Christo, Tune es ille ἐρχόμενος, *adueniens.* Et Iohanni dicuntur impostores negare Christum ἐρχόμενον, *venientem*, in carne, pro, venisse. Quæ enim in præsenti dicuntur, quasi ante oculos sistuntur.

12. *Præterito vtuntur loco futuri:* vt, Puer natus est nobis, Filius datus est nobis.

13. *Veram animi obedientiam exprimunt externis actionibus euidentioribus: & similiter inobedientiam:* vt, Oues meæ vocem meam audiunt. Qui ex Deo est, verbum Dei audit: ideo vos non auditis, quia ex Deo non estis. Hic τὸ audire, tanquam externa nota ponitur pro obedientia. Nam verba illa actiua non tam actualiter, quam habitualiter sunt accipienda: vt, Qui ex Deo est, non peccat, nempe non tantum iam præsenti & externa actione, sed etiam interno mentis habitu.

14. *Typis, visionibus, picturis, & sacramentis nos instituunt.* Hoc est rebus loqui: vt cum Ieremias gestat catenam, cum Ezechiel oppugnat sculptam Hierosolymam, cum Saul discerpit suos boues, cum Deus Ieremiæ ostendit baculum amygdalinum, & ollam bullientem.

15. *Sæpe sermonem suum in comicum quendam actum à totius mundi theatro spectandum producunt.* Exemplum euidens est toto *Psal.* 2. Nam primo psaltes veluti prologus summam enarrat; deinde producit impios; tertio Messiam; postremo rursus prodit in medium veluti prologus, totamque actionem concludit.

Summa: Euidentiam sermonis sacri augent hypotyposes, prosopopœiæ, topographiæ, prosopographiæ, imagines, similitudines, parabolæ, typi, allegoriæ, fabulæ, mimeses, allusiones, apostrophæ, interrogationes, exclamationes, epiphonemata, dialogismi, occupationes, pleonasmi & leptologiæ.

Plenitudo sermonis sacri est, cum res plane, quantum omnino desiderare possis, exponitur. Id vero fit partium & specierum enumeratione, causarum explicatione, circumstantiarum recitatione, totius ideæ seu speciei pictura, antitheseωs additione Græcis dicitur μέςωσις. *Plenitudo sermonis.*

Exempla istius plenitudinis hinc inde multa occurrunt: vt *Roman.* 1. Vani facti sunt in ratiocinationibus suis, &c. *Rom.* 3. Non est iustus, ne vnus quidem, &c. *Rom.* 8. Quid igitur dicemus adhæc? &c. *Rom.* 12. est copiosa descriptio officii hominis Christiani erga proximum. Vide etiam, 1. *Corinth.* 4 *à v.* 7 *ad* 14. *Esa.* 1. Filios enutriui, &c. vbi Propheta plene persequitur peccata populi Iudaici & pœnas ob ista peccata. Caput primum ad Colossenses ferme totum constat hac dicendi ratione. Vtuntur autem Prophetæ & Apostoli plenitudine: quoties auditores pathetice accusare

volunt, & veluti confundere; item, quoties Dei beneficia aliasve res præclaras graphice viuisque, quod aiunt, coloribus depingere volunt.

Breuitas styli S. literarum.

Breuitas styli sacrarum literarum talis est, vt nec obscuritatem, nec imperfectionem pariat.

Vtitur autem Scriptura stylo conciso, quem dicunt Laconicum, multis de causis. Primum, vt memoriæ consulatur, quæ facile obruitur, multitudine, maxime in sacris. Deinde breuitas est apta sententiis, dictis symbolicis, apta mandatis dandis, apta dictis allegoricis. Certe imperatiua oratio, vt vocant, contractione & breuitate gaudet. Hinc sæpe Dominus in mandatis seruo dandis contentus est vnica syllaba. Præterea breuitas in acumine & grauitate locum habet. Acrius enim & vehementius est id, quod paucis verbis continetur. Contra prolixitas languidius ferit animum. Denique breuitas auditorem reddit attentum. Dum enim breuiter dicta memoria facillime complectitur, eadem sæpius ruminat, & illorum ἐνέργειαν perdiscit.

Consistit autem breuitas Scripturæ in sequentibus.

1. *Scriptura incipit narrare, vbi opus est, desinit vbi conuenit, non digreditur ad peregrina & inutilia:* vt videre est in historia πλωτοχλισίας, lapsus, incendij Sodomæ, & miraculorum Christi. Vtitur quidem Scriptura digressionibus, sed non longis, non otiosis.

2. *Summas rerum, vti vocant, sic proponit, vt nihil omittat eorum, quæ sunt necessaria.* Mirabili compendio in Genesi traditur historia Ecclesiæ ferme sesquitrium millium annorum.

3. *Repetitiones in Scriptura sunt breues.* Scriptura sæpe repetit idem, sed ita, vt vel clarius id enunciet, vel breuius.

4. *Verba significantia occurrunt, quæ vice pleni commentarii esse possint:* vt, conterere caput serpentis, benedicere alicui, Apostolum esse, vita æterna, mors æterna, Euangelium.

5. *Sententiæ breues & acutæ occurrunt:* vt, Semen mulieris conteret caput serpentis; Figmentum cordis humani malum est à pueritia; Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato.

6. *Præcepta Decalogi synecdochice sunt concepta. Formulæ quoque sacramentales admiranda breuitate enunciantur.* Huc etiam pertinent metaphoræ elegantes.

7. *Nominibus propriis res longe maximas significat Scriptura:* vt cum Seruatorem nostrum vocat Iesum, Messiam, Christum; cum Iohannem vocat Baptistam. Huc refer nomina ista, Eua, Abel, Emmanuel, Cephas, &c.

8. *Aliquando vna sententia seruit tum præcedentibus, tum consequentibus:* vt, 1. *Thessal.* 4. Nolite dolere de mortuis sicut ii, qui spem non habent. Nam si credimus, quod Iesus mortuus est & resurrexit: sic Deus etiam mortuos in Iesu adducet cum eo. Sententia, *Nam si credimus* seruit vtrique, & præcedenti,

cedenti, & consequenti. Sermo enim sic suppleri debet: Nam si credimus, quod Iesus est mortuus, quodque resurrexit, credamus etiam, quod, sicut illum mortuum resuscitauit Deus, sic & nostros pie mortuos suscitabit.

9. *Fœcunda breuitas est in typis.* Hi enim & de typo & de antetypo intelligi debent. Sic multi Psalmi loquuntur & de Dauide, & de Christo. Huc pertinent omnes vmbræ legales seu ceremoniæ.

Ex his conspicitur, quam artificiosa sit sacræ Scripturæ breuitas. Quod igitur Cicero de Thucydide dixit, eum adeo esse rebus plenum refertumque, vt prope verborum numerum numero rerum æquet: hoc multo rectius de stylo sacrarum literarum dici potest.

Cohærentia sacrarum literarum, est qua omnia apte inter se sunt connexa. Veteres dixerunt, tria esse impossibilia: eripere Ioui fulmen, Herculi clauam, & Homero versum. Putabant in Homero tantam esse omnium connexionem, vt ne vnicus quidem versus possit subtrahi, salua cohærentia. Hoc longe rectius dici potest de stylo sacrarum literarum. Ibi enim oratio est pendens, seu connexa, vt loquuntur Rhetores, quæ ita connectit cola ac sententias inter se, vt omnia cohæreant, vtque nusquam plene possis respirare, donec ad finem illius orationis peruenias. Exemplum illustre huius connexionis est capite primo ad Colossenses: in quo sequentes sententiæ ita præcedentibus quasi alligatæ annexæque sunt, vt sine quiete aut respiratione necesse sit lectorem vno continuatoque cursu pergere, donec tandem totum eum locum absoluens, ad metam perueniat. Tota Epistola ad Ephesios omnes sententias ita inter se connexas habet, vt magna eius pars, vnica periodus esse videatur. Vide etiam 2. *Tim.*1. Ne igitur te pudeat testimonij, &c. 2. *Cor.*6. per totum.

Cohærentia sacrarum literarum.

Ex his iudicare est, quam simplex, efficax, euidens, plenus, breuis & cohærens sit stylus sacrarum literarum.

CAP. C.

Partes orationis in sacris literis.

FVerunt media ratione verborum & rerum simul: nunc videbimus media ratione verborum seorsim.

Verba sacrarum literarum sunt vel simplicia, vel coniuncta.

Verba simplicia sunt, quæ considerantur extra dispositionem axiomaticam.

Suntque vel propria, vel figurata.

Hæc considerantur, vel distincte, vel promiscue.

Hic decidenda est, quæstio, quotuplex sit sensus sacrarum literarum? Sunt qui vniuscuiusque loci Scripturæ sacræ quadruplicem sensum

Quotuplex sit sen

sus S. literarum.

esse statuunt, literalem, allegoricum, tropologicum & anagogicum. *Literalem sensum* vocant, quem verba immediate præ se ferunt. *Allegoricum sensum* nominant, cum verba Scripturæ præter literalem sensum, significant aliquid, quod ad Christum, vel Ecclesiam Noui Testamenti pertineat, maxime in mysterio salutis & vitæ æternæ: quomodo Abraham, qui reuera ad literam habet duas vxores, vnam liberam, & vnam ancillam, & duos filios, Isaac & Ismael, Deum authorem duorum Testamentorum, & Patrem duorum populorum significauit, vt Apostolus explicat, *Galat.* 4. *Tropologicum sensum* appellat, cum verba aut facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertinet ad mores. Sic illud *Deut.* 25. Non alligabis os boui trituranti, intelligitur ad literam de veris bobus, significat spiritualiter, non debere prohiberi docentes in Ecclesia, quin victum accipiant à populo, vt Apostolus explicat, 1. *Cor.* 9. *Anagogicum* denique *sensum* dicunt, cum verba aut facta referuntur ad significandam vitam æternam. Sic illud *Psalm.* 94. Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam, ad literam intelligitur de terra promissionis, spiritualiter autem refertur ad vitam æternam. *Heb.* 4. Hac de re sunt hi quasi versus:

Litera, gesta docet; quid credas, *allegoria*;
Moralis, quid agas; quo tendas, *anagogia*.

Quadruplicem istum sensum Ecclesia Romana in illo dicto, *Melchisedech panem & vinum obtulit*, sic pote ostendit. Literalis sensus est, quod rex Salem milites Abrahæ de via fessos cibis allatis refecerit; Allegoricus, sacrificum in Missa offerre Christum; Tropologicus, idcirco erogandum aliquid pauperibus; Anagogicus, similiter Christum in cœlo, fidelibus panem vitæ futurum. Verum hoc est commentum friuolum. Nam reuera vnicus duntaxat vniuscuiusque loci sacræ Scripturæ sensus est, isque literalis, qui etiam *Historicus* & *Grammaticus* dicitur: sensus autem spirituales, quos vocant, allegoricus nimirum, tropologicus & anagogicus, non sunt proprie varii Scripturæ sacræ sensus. Ratio 1. Quia non inueniuntur in omni sentẽtia Scripturæ, nec in Veteri Testamento vt in præcepto illo, Diliges Dominum Deum tuum, non est nisi vnicus sensus, isque literalis. Exempla huius rei adduci possunt plurima. 2. Quia ex iis dogmata fidei non possunt efficaciter demonstrari: vt ipse *Bellarminus* docet *lib.* 3. *de verbo Dei, cap.* 3. *sect.* 8. 3. Quia allegoria tantum est modus quidam eundem sensum enunciandi; tropologia & anagoge sunt modi sensum applicandi. Quod autem duntaxat vnicus possit esse sensus sacrarum literarum, sic patet. 1. Plus vno non potest esse verum. Nam vnum & verum conuertuntur. Vnica est veritatis ratio, quamuis aliis atque aliis verbis à variis interpretibus enuncietur. 2. Scriptura in se non est ambigua, sed quælibet vox & phrasis in eadem sententia & constructione eadem, vno & eodem loco habet vnicam tantum significationem, vnicum sensum non plures.

plures. Nam tum demum est enunciatio vera, cum vnum dicitur: sed vnum non dicitur, cum voci seu phrasi eidem duplex affingitur significatio in eodem loco: sicut Romanenses fingunt, verbum *facite*, in verbis cœnæ, *Hoc facite in mei recordationem*, significare primo sacrificare, seu offerre Deo corpus Christi in sacrificium propitiatorium: secundo panem ac corpus Christi accipere & manducare, vinum item ac corpus Christi accipere & bibere, cum posterior tantum sensus verbis Christi quadret. At in duabus enunciationibus siue sententiis, etiam in eodem cõtextu continenter positis, vna vox repetita diuersas significationes habere potest: vt *Genes. 1. ver. 5. Lucemque vocauit Deus diem, tenebras vero vocauit noctem: sic fuit vespera & fuit mane diei primi.* In hoc versu nomen diei bis ponitur, in diuersis enunciationibus. In priore significatur dies naturalis, quo Sol supra horizontem versatur: in posteriore intelligitur dies ciuilis, qui diem naturalem ac noctem tanquam partes complectitur, vnde νυχθήμερον Græci vocant. Quanquam alij, in quibus est *Iohannes à sacro Busco*, nomina permutant, & quem nos naturalem modo appellauimus, illi ciuilem, quem nos ciuilem, illi naturalem diem vocant. Sic *Iohan. 1. v. 10. Mundus per eum factus est: sed mundus eum non agnouit.* Hic sunt duæ enunciationes, in quarum priore mundus significat totam hanc vniuersitatem: in posteriore, homines reprobos. Sed obiicis exempla, in quibus vna eademque vox in eadem enunciatione plura significat. Primum est ex 1. *Sam. 1. v. 24. Puer erat puer.* Resp. Etsi eadem vox repetitur, tamen illa aliud significat in subiecto, aliud in prædicato. Nam in subiecto significat substantiam, puta hominem, in prædicato quantitatem, videlicet teneram ætatem. Non igitur potest vna eademque vox in vno eodemque loco plures significationes habere, licet possit diuersas significationes habere diuersis in locis bis posita, vt factum est in allato exemplo. Deinde obiiciuntur illa exempla: Aqua & sanguine Christi abluimur; In cœna Domini panem & corpus Christi manducamus; Vinum & sanguinem eius bibimus; Maria virgo concepit corde & ventre; Scindite corda vestra, & non vestimenta; Gentiles Christiani circumcisi sunt corde, non carne; Iudæi infideles circumcisi sunt carne, non corde. Sed respondetur 1. Istiusmodi enunciata esse homonyma seu ambigua, ac proinde multiplicia. At Scriptura sacra non est ambigua. 2. Si quis bene perpendat allatas enunciationes, illæ non sunt simplices, de quibus hic disputatur, sed compositæ, quæ in simplices resolui possunt & debent. Ex his relinquitur sacram Scripturam non habere plures sensus, sed vnum duntaxat, eumque literalem. *Vnicus autem ille sensus literalis, est vel simplex, vel compositus. Simplex sensus literalis*, est qui in nudis oraculis & nullo typo vestitis occurrit. *Estque vel proprius, vel figuratus.* Cum enim voces cuiusque literæ siue textus vel proprie, vel improprie accipiantur, necessum est, sensum literalem etiam

Sensus literalis S. literarum subdiuiditur.

duplicem esse. *Sensus literalis proprius*, est qui oritur ex verbis in propria & natiua significatione acceptis: vt 2. *Chron.* 12. *v.* 6. *Iustus est Iehoua*. Hic sensus literalis est proprius; quia nulla hic occurrit vox modificata, seu tropo affecta. *Sensus literalis figuratus*, est qui nascitur è verbis tropice acceptis, cum nempe in litera seu textu Scripturæ, qui explicandus est, tropus aliquis, aut figura occurrit: & tum dicitur quæri apta & concinna διάνοια, sicut in textu, cuius sensus literalis est proprius, dicitur spectari τὸ ῥητόν. Exemplum sensus literalis figurati est *Gen.* 17. *v.* 10. de circumcisione: *Hoc est fœdus meum inter me & vos.* Hinc sensus figuratus reducitur ad proprium, hoc modo: Circumcisio externa præputij est sacramentum seu symbolum fœderis inter Deum & fideles Veteris Testamenti. Hinc iam refelluntur, qui existimant solum sensum proprium esse literalem, figuratum non item. *Sensus literalis compositus*, est cuius pars in typo, pars in veritate typi: qualis est in omnibus illis locis Scripturæ, in quibus sub typo aliquo quippiam describitur. Hic tenendum est, *oracula Spiritus sancti* esse vel simplicia, vel composita. *Simplicia* sunt, quæ vnicam duntaxat impletionem habent, vt *Esa.* 7. *Composita*; quæ typo & veritate typi constant, ac proinde geminam impletionem habent, vnam in typo, alteram in veritate typi; quo pertinent illi Psalmi, qui loquuntur de Dauide & Christo, de illo, vt typo, de hoc, vt veritate typi. Hinc quoque patet, typum & allegoriam non esse vnum & idem. Nam typus est, qui in V. T. aliquid præfigurauit in N. At allegoria est, cum textus V. vel N. T. accommodatur ad spiritualem doctrinam. Sed hic interroget aliquis, an nusquam sensui allegorico & reliquis sit locus? Resp. Si omnia sine discrimine velimus quasi transformare in varios sensus, nihil habebit certi Scriptura. Nam oratio, quæ non habet vnicum ac simplicem sensum, nihil certi docet. Itaque iure reprehenditur Origines, qui omnia, quantumlibet simpliciter dicta, in allegorias mutauit. Hæc interpretatio maxime labefacit sacræ Scripturæ authoritatem. Vnde & Porphyrius hoc nomine irrisit Christianam doctrinam, & scripsit, eam nihil habere certi, eo quod non aliter atque fabulæ Poetarum in alios quosdam sensus præter Grammaticum omnia transformanda sint. Non tamen excludimus allegoriam, tropologiam, & anagogen. Sic enim potius dicendum est, quam anagogia quæ vox significat petulantiam. Allegoria potest habere locum, non vt sensus distinctus, sed vt modus enunciandi sensum eundem. Nec tamen quilibet hoc debet sibi sumere, vt allegorice enuntiet sensum literalem: sed hic spectanda est consuetudo Ecclesiæ orthodoxæ, quæ nō probat allegorias ineptas & remotas. Tropologia autem & anagoge locum habere debent, quando sensus inuentus, est applicandus & ad vsum accommodandus. Quod si velis anagogen subiicere allegoriæ, non repugnabo. Nam allegoria & anagoge per omnia conueniunt, si spectes expli-

candi

candi formam: quod vero ad materiam attinet, discrimen qualecunque, & perquam exiguum accedit. Vocant enim anagogicam interpretationem, quando sic explicatur Scripturæ sententia, vt paululum discedendo à verborum primitiua significatione, colligatur aliquid de cœlesti gloria post hanc vitam expectanda, aut de mysterio Trinitatis, atque à visibilibus fiat transitus ad inuisibilia. *Franciscus Iunius*, vir summus, *in Eirenico suo* paulo aliter his de rebus disserit. Summam sic accipe. Fuerunt materialia Hierosolyma in natura rerum: fuerunt sacramentalia & figurata instituto: fuit veritas figura sacramentali adumbrata. Vidit prisca illa Ecclesia materiatam vrbem Hierosolymorum: accepit à Deo figuræ institutum & coluit: credidit veritatem & prehendit fide, quam nos eadem fide percipimus, postquam materiata Hierosolyma perierunt, & figuræ sunt à Christo antiquatæ. Hic triplex modus sæpe concurrit in enunciatis V.T. Nam & materiam Ierusalem cernebant, & figuram intelligebant, qua vestiebatur materiata Ierusalem instituto Dei, & in veritate velut anima illius conquiescebat, quia Deus præsentiam suam gratiosam prolixe in ea confirmabat. Obiicis: Hinc patet, sæpe vnius vocis vno in loco multifariam esse acceptionem. Resp. Quæcunque enunciantur de Hierosolymis, ciuitate Dauidis, Sione, domo Iehouæ, & similibus, pro ratione locorum variam habent interpretationem. Ea autem triplex, vt modo diximus. Nam aut secundum rem naturæ fit enunciatio, aut secundum aliquam figuram veritatis, aut secundum veritatem figuratæ gratiæ. Secundum rem naturæ, siue per naturalem modum intelliguntur Chananæa, Ierusalem, Sion, &c. cum intelliguntur prout fuerunt in natura rerum, citra diuinæ relationis per gratiam institutæ contemplationem. Atque hoc sensu interdum in Scriptura nominantur. Secundum figuram aliquando in Scripturis vsurpantur eadem nomina, propter symbolicam, vel sacramentalem relationem ad res diuinas, quæ ipsis adumbrantur, non natura ipsarum, sed institutione & ordinatione Dei. Hinc factum non est raro, vt nomina eiusmodi figuratiuam significationem in verbo Dei habuerint. Secundum veritatem gratiæ tertio modo, hæc eadem nomina vsurpantur pro iis ipsis rebus spiritualibus, quas instituto Dei figurabant: quemadmodum hoc nostro tempore, vt iusta fiat harum enunciationum, quæ in T.V. sunt, accommodatio, accipi eas à nobis necessum est. Nam Ierusalem, quæ in Testamento Vetere dicitur; nunc Ecclesia est: eodemque modo portæ, quæ hinc inde nominantur, fines seu termini Ecclesiæ sunt, non muris aut portis definiti, sed animo & cogitatione comprehensi. Alioquin etiam non raro vsu veniebat in Ecclesia V. Testamenti, vt tria hæc interpretationum genera in comprehensione vna simul concurrerent: vt nomine Chananææ, tum regio, qua erat in natura rerum, tum figura, quæ ad veritatem gratiæ diuinæ Ecclesiæque significandam fuerat

Hierosolyma tripliciainsacrisliteris.

à Deo instituta, tum denique veritas ipsa, qualis in Deo & apud Deum est, non autem in natura, aut figura solum intelligeretur. Neque hoc modo euertuntur illa, quæ paulo ante diximus de sensu literali vnico in quocunque Scripturæ loco. Nam sensus literalis est vel simplex, vel compositus. In istiusmodi rebus locum habet sensus compositus. Nam veteres ante Christum respiciebant, verbi gratia, ad portas vrbis Hierosolymorum, prout erant in natura rerum, & ad figuram relatiuam ipsorum, prout Dei ordinatione & verbo figurales credebant esse, & ad veritatem ipsam portis temporalibus figuratiue & sacramentali modo adumbratam: quemadmodum & in sacramentis nostris aquam, panem, vinum, cum materiam elementarem, tum relationem figuralem, tum figuratam ea veritatem appellamus. Nos vero, ad quos plenitudo temporum peruenit, non respicimus ad materiales portas, quæ iam diu esse desierũt, non ad figurales proprie, cum figuræ ipsæ iam sint antiquatæ; sed tantum veritatem spectamus gratiæ, quam Deus portarum istarum nomine figurauit. Sed nunc distincte consideremus verba propria & figurata.

Verba propria, sunt quæ in natiua significatione accipiuntur in sacris literis.

Ea consideranda sunt secundum octo partes orationis, vti vocant: quales sunt, nomen, pronomen, verbum, participium, aduerbium, coniunctio, præpositio & interiectio. De his colligemus certos canones.

Nomen.

Ratio nominis in S. Scriptura.

„ 1. [*Nomina propria Hebraica sunt imposita, vel à statu & conditione rerum præ-*
„ *sentium: vt Seriaiub, Hasbaz: vel à proprietate rei: vt, Eua, Abel, Edom: vel ab officio,*
„ *vt Iesus: vel à casu, qui accidit: vt, Isaac, Israel, Moses: vel sunt admonitoria: vt, E-*
„ *saias, Ieremias: admonent enim hæc nomina, vt cogitemus de salute Dei, vt extollamus*
„ *Deum: vel denique à futuro euentu: vt Abraham, Sara, Noah, Saul.*

„ 2. [*In nomine proprio sæpe continetur tota historia.*] vt, si nomina Abraham, Ierusalem, Melchisedech, Iohannes, & similia explicare velis, totam ferme historiam necesse habebis enarrare. Vide librum *Iohannis Heiden*, qui inscribitur, Biblisch Nahmenbuch.

„ 3. [*Nomen sæpe ponitur pro reipsa.*] Sic *Psal.* 20. Protegat te nomen Dei Iacob, pro, Deus ipse. *Ier.* 23 & 33. *Hoc est nomen, quo vocabunt, Meßiam, Iehoua, iustitia nostra,* hoc est, vere erit iustitia, & vere iustitiam populo suo acquiret, *Hos* 1. Voca eam non populus meus, & non misericordiam consecuta. Sæpe hoc sensu *dici* aut *vocari*, idem valet quod esse, existere: vt, 1. *Iohan.* 3. *Videte, qualem dilectionem nobis dedit Pater: vt Filii Dei vocemur*, id est, simus reipsa. Sic & in Apocalypsi sæpe dicitur, nomen tale alicui fuisse, aut ei inscriptum esse, *mors, exitium, mysterium, Babylon*; quo significatur reuera tale fuisse id, cuius fit mentio.

„ 4. [*Accidentis excellentis nomen ponitur pro reipsa:*] vt, arida pro terra, desidera-

siderabilia pro thesauris, occulta pro peccatis, vt *Psal.* 19. Ab occultis meis munda me. *Rom.* 2. Iudicabit occulta hominum.

5. [*Epitheti aut adiectiui loco sæpe vsurpatur casus genitiuus (alii vocant possessiuum) nominis substantiui:*] vt, filius perditionis, hoc est, perditus, filius mortis, hoc est, morte dignus.

6. [*Substantiua abstracta seu formalia, vt vocant, loco adiectiuorum sæpe ponuntur, maioris significationis causa.*] vt, Quoniam iustus Dominus iustitias dilexit, hoc est, iustos: Quoniam non volens iniquitatem tu es, hoc est, iniquos. Captiuam duxisti captiuitatem, hoc est, captiuos abduxisti.

7. [*Substantiua nomina pro aduerbiis ponuntur, vel cum præpositione* In, *vel sine ea:*] *Exod.* 1. *Imperauerunt eis in duritia*, hoc est, duriter, acerbe. *Iud.* 5. *Calcasti anima mea in fortitudine*, hoc est, fortiter, viriliter. *Esa.* 26. *Absorpta est mors in victoriam*, hoc est, victoriose. *Deut.* 1. *Iudicate iustitiam*, hoc est, iuste. *Psalm.* 75 *Ego iustitias iudicabo*, hoc est, iustos.

8. [*Nomen substantiuum in eodem casu geminatum, omnem illam naturam in vniuersum complectitur:*] vt, *Esa.* 3. *Auferet Dominus sustentaculum & sustentationem*, hoc est, omne subsidium, cuius cuius illud sit modi. *Psalm.* 10. Rex seculi & seculi, pro, cuiusuis seculi.

9. [*Nomen substantiuum geminatum, & posteriori loco in plurali genitiuo positum, excellentiam significat in suo genere, ac superlatiui vim habet:*] vt, Canticum Canticorum, hoc est, præstantissimum: vanitas vanitatum, hoc est, ipsissimm vanitas.

10. [*Cum Hebræi careant genere neutro, pro eo ponunt fœmininum:*] vt, *Psalm.* 118. *A Domino facta est hæc, & est mirabilis in oculis nostris*: pro, Factum est hoc, quod antea narratum est.

11. [*Nomina numeralia repetita ponuntur pro distributiuis:*] vt, *Gen.* 7. Septem septem, hoc est, septena è singulis speciebus. *Marc.* 6. Misit duos duos, pro binis. Et ibidem: Iussit eos discumbere areolæ, hoc, areolatim, seu mensatim, vt ita dicamus.

12. [*Periphrases, circumlocutiones in S. literis sunt vsitatæ:*] vt, Inter natos mulierum, hoc est, inter homines: Discipulus, quem diligebat Iesus. Hæc periphrasis in tropis etiam habet locum: vt, *Deuter.* 32. Sanguinem vuæ biberunt, id est, vinum. *Luc.* 23. Non bibam de germine vitis, hoc est, de vino.

13. [*Nomina substantiua nonnunquam intelligenda sunt secundum concomitantiam:*] vt, *Psalm.* 1. Dominus nouit viam iustorum, hoc est, omnes actiones. *Psalm.* 11. Amator iniuriæ, hoc est, qui non solum amat, sed etiam facit. *Psalm.* 146. Facit iudicium patientibus iniuriam, hoc est, cognoscit causam, declarat sententiam, defendit pauperes, & de hostibus suppliciū sumit. Hęc enim omnia veniunt consideranda nomine iudicii. *Esa.* 53. Seruus meus notitia sui iustificabit multos, hoc est, cognitione, assensu, & fi-

ducia firma. *Luc.* 1. Gloria in excelsis Deo. *Gloria* hic complectitur agnitionem, confessionem, celebrationem, inuocationem. *Ioh.* 10. Dicit eis, pax vobis. *Pax* pro felicitate omnimoda, quæ pacem comitatur. Sed hoc rectius refertur ad titulum de tropis.

" 14. [*Sexus masculinus plurimum denotat vtrumque*:] vt, *Psalm.* 1. Beatus vir, pro, omnis homo. Hoc tamen retuleris ad tropos.

" 15. [*Nomen vniuersale* OMNIS *nonnunquam accipitur distributiue, vel secundum restrictionem*:] vt, Prædicate Euangelium omni creaturæ, hoc est, omnis generis hominibus: vbi etiam occurrit tropus. 1. *Timoth.* 2. DEUS vult omnes homines saluari, hoc est, omnis generis homines: vel, vt Augustinus explicat, omnes, qui saluantur. *Iohan.* 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et *ibidem.* De plenitudine eius omnes accipimus, scilicet omnes, quotquot sumus sanctificati per Christum. Scholastici Theologi hac de re sic docent: Vocula OMNIS accipitur vel pro singulis generum, vel pro generibus singulorum. Pro singulis generum; vt, omnis homo est peccator. Pro generibus singulorum: vt, Deus omnes homines vult saluos fieri. Ibi intelliguntur omnes ad vnum, seu vniuersi: hic intelliguntur omnis generis homines. Alii dicunt, vniuersales particulas esse vel in genere, vel in specie vniuersales. Præterea vocabulum *omnis* nonnunquam aliquid totum in toto significat, vt loquuntur. Hoc sensu dicitur in Scholis Theologicis, omnis diuina essentia est Pater, pro, in toto Patre est essentia diuina. Vide *Guilielmum Perkinsium in Prophetica. pag.* 63. 64.

Significatio voculæ omnis in S. Scriptura.

" 16. [*Pluralis numerus sæpe pro vno è pluribus distributiue ponitur*:] vt, *Iudic.* 12. Sepultus est in ciuitatibus Gilead, hoc est, in vna ciuitatum Gilead. *Zach.* 9. Super pullum filium asinarum, pro, vnius asinarum.

" 17. [*Geminationes adiectiuorum vt plurimum superlatiui vim continent*:] vt, *Ier.* 24. Ficus bonas bonas valde, & malas malas valde, hoc est, optimas & pessimas. *Eccles.* 7. Profundum profundum quis inueniat? hoc est, quod profundissimum est.

" 18. [*Nomen vir cum genitiuo iunctum periphrastικῶς debet exponi.*] vt, *Genes.* 9. Noah cœpit esse vir terræ, hoc est agricola. *Exod.* 4. Non sum vir verborũ, hoc est, eloquens. *Ier.* 20. Vir pacis meæ, pro, confœderatus meus.

" 19. [*Æternum de longo tempore sæpe dicitur, quod quidem rei, de qua sermo est, conuenit*:] vt, *Gen.* 17. Vniuersa terra Chanaan data Abrahamo in possessionem æternam. Confer *Leuit.* 25. *v.* 46. *Deut.* 15. *v.* 17. 1. *Chron.* 15. *v.* 2. *Es.* 34. *v.* 6. *Dan.* 2. *v.* 4. *Iere.* 25. *v.* 9.

" 20. [*Nullus pro paucis*:] vt, *Ier.* 8. *v.* 6. Nullus est qui agit pœnitentiam sui mali, id est, pauci. 1. *Cor.* 2. *v.* 8. Quam sapientiam nemo principum huius seculi cognouit, id est, perpauci.

" 21. [*Loci & personæ in Scripturis sæpe sunt binomines*:] vt,

Gedeon, Ierubaal, & Ierubescheth. *Iudic.6.v.32.2.Sam.11.v.21.*
Abimelech & Abiathar. *1.Sam.21.v.3.Marc.2.v.26.*
Salomon & Iedidia. *1 Sam.12.v.24.25.*
Zimbri & Zabdi. *1.Chron.2.v.6. Iof.7.v.1.*
Hazaria & Achazia & Iehoachaz. *2. Chron. 22.v.6.1.Chronic.3.v.11.2. Chron.21.v.17.*
Iohanan, Iehoachaz, & Schallum. *1.Chron.3.v.15.2.Reg.23.v.30.Ier.22. vers.11.*
Iehoiachin, Iechonias, & Conia. *2.Reg.24.v.6.1.Chron. 8.v.16.Ierem.22. vers.24.*
Mephiboseth & Meribbahal. *2.Sam.4.2.Chron.8.v.34.*
Abinadab & Iiscui. *1.Chron.10.v.2.1.Sam.14.v.49.*
Eliahim & Iachim. *2.Reg.23.v.24.*
Ozias & Azarias. *2.Reg.15.v.1.2.Chron.26.v.1.*
Esthera & Edissa. *Esth.2.v.7.*
Simon & Petrus. *Ioh.1.v.32.* & Cephas, & Bar Ionas, Ioses & Barnabas. *Act.13.v.68.* Matthæus & Leui, Ierusalem, Iebus, & Salem.

22. [*Nomen, quod reuera vnum est, interdum quasdam mutationes & differentias habet:*] vt, Salomon & Salma *Ruth 4.v.21.2.Chron.2.v.11.* Abigal & Abigail. *2.Sam.17.v.25.1.Chron.2.v.16.* Tiglath-Pileser, & Tilgath-Pilneeser. *2.Reg.15.vers.19. 1.Chron.5.v.6.* Aram & Ram. *Matth.1.v.3.1.Chron.2. vers.9.* „

23. [*Distinctæ personæ & diuersi loci sunt vninomines:*] vt, *Matth.1.v.11. & 12.* Iechonias & secundam Tesseradecadem finit, & tertiam inchoat. Ne igitur vna persona alteri tesseradecadi desit, oportet dicere, duos Iechonias fuisse, vnum patrem, alterum filium. *Succoth* est nomen trium locorum. Primus in Ægypto est. *Exod.12.v.37.* Secundus, in tribu Gad. *Ios.3.v.27.* Tertius in tribu Manasse. *1.Reg.7.v.46.* „

PRONOMEN.

1. [*Pronomen demonstratiuum nonnunquam ponitur pleonastice*] vt, *Psalm.1.* Sicut puluis, quem proiicit eum. *Psalm.146.* Beatus, cuius Deus Iacob, adiutor eius. *Ierem.6.* Omnes ipsi, perditi ipsi. *Matth.8.* Descendentē ipsum de monte secutæ sunt ipsum turbæ multæ. *Ioh.1.* Cuius ego non sum dignus, vt soluam ipsius corrigiam. „ *Ratio pronominum in S. literis.*

2. [*Pronomen demonstratiuum nonnunquam qualitatem significat:*] *Deuter.5.* Cor eorum hoc, pro, tale. Alii sic enuntiant canonem: Demonstratiuum hic, hæc, hoc, nonnunquam pro talis, & tale ponitur. „

3. [*Pronomina primæ, secundæ, vel tertiæ personæ, datiuo casu verbis subiecta, vel nihil significant, vel ponuntur pro, in gratiam:*] vt, *Genes.21.* Sedit sibi è regione procul. *Genes.23.* Vade tibi ad terram Moria. *Gen.23.* Intercedite mihi apud Ephron. „

VER-

VERBVM.

Ratio verborum in S.Scriptura.

1. [*Infinitiuus sæpe pro nomine aut gerundio ponitur:*] vt, *Hagg.* 2. comedere, bibere.

2. [*Tempora verborum non sunt perpetuo ad amussim examinanda.*] Ratio canonis est; quia futura à Prophetis in præterito referuntur. Illi enim rerum futurarum spectatores erant facti à Deo, quibus adeo certa erant responsa, ac si facta iam transactaque res fuisset. Deinde hoc etiam factum est propter certitudinem rei prædictæ: vt, Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, hoc est, tam certo hoc eueniet ac si iam esset præteritum & præstitum. *Phalereus* dicit, vehementiorem esse significationem in præterito, quam aut in præsenti, aut in futuro.

" 3. [*Futuro vtuntur Hebræi in significandis illis rebus, quæ vel perpetua sunt, vel* " *tales esse debent secundum naturam, ius, æquitatem, & decorum.*] Huius rei adferri potest duplex ratio. 1. Futurum tempus denotat actum continuum. 2. Futurum in se continet præteriti & præsentis rationem: vt, Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt; aures habent, & non audient. Præterea & hic nota, apud Hebræos præteriti temporis eam vim esse, quæ apud alios præsentis. Neque hoc mirum alicui videri debet; quia, vt habet regula, verba in disciplinis absoluuntur à temporis significatione. *Psalm.* 31. In te Domine speraui. *Psalm.* 25. Ad te leuaui animam meam. *Psalm.* 22. Circumdederunt me canes. *Matth.* 23. In cathedra Mosis sederunt scribæ.

" 4. [*Verba, quæ exhortationem vel dehortationem significant, completiue expo-* " *nenda sunt:*] vt, Ne timeas, hoc est, ne frangaris metu. *Exod.* 13.

" 5. [*Quædam verba, quæ non significant motum, cum præpositionibus adiuncta* " *cum motu & applicatione exponenda sunt:*] vt, Accipient ad te vitulam rufam, hoc est, acceptam ducent ad te. *Numer.* 19. Et cœpit populus scortari ad filios Moab, *Num.* 24. pro, transire ad filios Moab scortationis studio.

" 6. [*Præsens pro futuro interdum ponitur:*] vt, *Luc.* 13. Tertio die consummor, pro, consummabor. *Ioh.* 7. Modicum sum vobiscum, & abeo pro, abibo.

" 7. [*Verbum substantiuum* SVM *nonnunquam intelligi debet reputatiue:*] vt, 3. *Reg.* 1. Ego & Salomon filius tuus erimus peccatores, pro, habebimur. 1. *Cor.* 15. Quādo ei subiecta fuerint omnia, tūc ipse quoque Filius erit subiectus Patri, pro, tunc cognoscent pii, quomodo sit subiectus, tunc agnoscetur subiectus. Sic & illud accipe: vt sit Deus omnia in omnibus, hoc est, vt omnes intelligant maiestatem Dei. Item: Spiritus sanctus nondum erat, scilicet cognitus ratione virtutis & officii sui.

8. [*Hebræorum simplicia verba pro compositis sæpe ponuntur:*] vt, *Ioel.* 2. Omnis qui

qui inuocauerit nomen Dei, saluus erit. In Hebræo est, *vocauerit. Gen.* 48. vatus interpres vertit: Inuocetur nomen meum super pueros istos, cum debuisset vertere per simplex, vocetur. Diximus enim in canone, *sæpe*, non, *semper*.

9. [*Imperatiuus aliquando obtinet vim aduerbii demonstrandi:*] vt, vide, odor filii mei sicut odor agri pleni. *Genes.* 27. Vide, verba tua bona. 1. *Sam.* 15.

10. [*Non raro Imperatiuus aduerbii loco ponitur, iunctus alii verbo:*] vt, *Psalm.* 101. Festina exaudi me, pro, quam citissime exaudi me.

11. [*Imperatiui in affirmatiuis, & futuri in negatiuis præceptis, vsus est frequentissimus:*] vt, Honora patrem tuum, & matrem tuam: non furtum facies, non occides. Ratio huius est; quia negatio vehementius negat, quam affirmatio affirmat, iuxta illud Scholæ: *Præcepta affirmatiua obligant semper, sed non ad semper; præcepta negatiua obligant semper, & ad semper.*

12. [*Futurum sæpissime ponitur pro optatiuo:*] vt, *Cant.* 1. Osculabitur me osculo oris sui, pro vtinam oscularetur me! *Num.* 20. & 21. Transibo per terram tuam, pro, vtinam mihi liceat transire.

13. *Idem verbum repetitum, priori parte in infinitiuo seu Gerundio positum, asseuerationem & vehementiam notat:*] vt, 2. *Samuel.* 9. Faciendo faciam. *Psalm.* 116. Castigando (vel vt est in Hebraica veritate) castigare castigauit. *Habac.* 2. Veniendo veniet, & non tardabit. Idem infinitiuus repetitus in oratione negante negationem intendit: vt, *Daniel.* 10. Vngendo non vnctus sum, pro, plane non vnctus sum. *Mich.* 1. Reuelando non reuelabunt. Alii canonem priorem sic efferunt: Verborum geminatio emphasin indicat, aut vehementiam, vel certitudinem, aut celeritatem, aut omnino aliquid futurum: vt hauriendo hausit nobis. *Exod.* 2. Pro, magna diligentia & sudore multo hausit nobis. Videndo vidi. *Exod.* 3. Pro, certo vidi. Veniendo veni. *Iere.* 36. Pro, celeriter veni. Excindendo non excindam. *Iere.* 46. Id est, prorsus non excindam.

PARTICIPIVM.

1. [*Participia sæpe habitualiter, seu per concomitantiam significant, sicut & verba:*] vt, *Psalm.* 14. Ad videndum num esset intelligens, pro, studiosus auditor doctrinæ cœlestis. *Ratio participiorum in S. literis.*

2. [*Præsens participii nonnunquam futurum significat:*] vt, *Psalm.* 59. Nescit quis auferens ea, pro, auferet. *Exod.* 5. Ego non dans, pro, non sum daturus. *Gen.* 7. Ego pluens, id est, pluam.

3. [*Participium præsens aliquando pro infinitiuo ponitur:*] vt, *Psalm.* 127. Vanum est nobis surgentibus mane, differentibus vesperi quietem, comedentibus panem doloris: pro, surgere mane, differre vesperi somnum, & comedere panem doloris.

ADVERBIVM.

Ratio aduerbiorum in S. literis.

1. [*Aduerbia sæpe nominaliter accipiuntur:*] vt, *Num.* 28. Holocaustum semper, pro, iuge, *Iom. Boker*, dies cras, pro, crastinus. Sic & Græci dicunt τίς μοῦ πλησίον, quis est meus prope, id est, proximus? *Luc.* 10. Sed *Ioh.* 8. nomen ponitur pro aduerbio, τὴν ἀρχὴν ὅτι καί.

2. [*Aduerbia temporis sæpe ponuntur indefinite & indeterminate:*] vt, Heri pro quolibet tempore præterito; hodie, pro præsenti quolibet; cras, pro quolibet futuro. *Gen.* 3. Respondebitque mihi cras iustitia mea, hoc est, quolibet tempore. *Psalm.* 95. Hodie si eudiueritis vocem eius, nolite obdurare corda vestra, pro quocumque tempore.

3. [*Nihil pro parum aut exiguum:*] vt, *Ioh.* 18. *v.* 20. Nihil in occulto locutus sum, hoc est, parum. *Act.* 27. *v.* 33.

4. [*Semper pro sæpe aut diu:*] vt, *Prov.* 13. *v.* 10. Inter superbos semper sunt iurgia, id est, sæpe. *Luc.* 18. *v.* 1. Dixit eis parabolam, quod oportet ipsos semper orare. *Luc.* 24. *v.* 53. Erantque semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. *Ioh.* 18. *v.* 20.

5. [*Vbique pro passim:*] vt, *Marc.* 16. *v.* 2. Illi vero egressi prædicarunt vbique Domino cooperante. *Luc.* 17. *v.* 3. Deus nunc annunciauit omnibus vbique hominibus vt resipiscerent.

6. [*Non, particula negandi, ad speciem restringitur:*] vt, Non est iniquitas in manibus meis, id est, in causa mea contra Saulem, *Psalm.* 7. *v.* 4. Neque parentes eius peccauerunt, id est, vt hic ob peccata cœcus nasceretur. *Iohan.* 17. *v.* 13.

7. [*Non, pro raro, vix, difficulter, ponitur:*] vt, 1. *Reg.* 15. *v.* 5. Dauid non declinauit in vllo eorum, quæ præceperat ipsi Dominus, præterquam in re Vriæ, hoc est, raro. *Luc.* 2. *vers.* 37. Ipsa vidua erat, & non decedebat à templo.

8. [*Particula interrogatiua, exclamatiua, & negatiua, nonnunquam vim suam spargunt in sequentes sententias:*] vt, *Psalm.* 2. Quare fremuerunt gentes, & populi meditantur inane, sistunt se reges terræ, & congregantur in vnum aduersus Dominum & vnctum eius? *Psalm.* 3. Domine quam multiplicati sunt hostes mei, multi insurgunt aduersum me, multi dicunt animæ meæ? *Psalm.* 4. Vsquequo gloria mea vobis est opproprio, amatis vanum, quæritis mendacium! *Psalm.* 10. Quousque Domine stabis procul, abscondes te in tempore tribulationis, propter superbiam impii patietur afflicti!

9. [*Negatio præposita, suæ contraria æquipollet:*] *Psalm.* 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, hoc est, nemo. *Rom.* 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Latinis & Logicis æquipollet contradictoriæ: sed hæc est linguæ sanctæ proprietas.

10. [*Exclusiuæ particulæ nonnunquam inclusiue sunt intelligendæ:*] vt, Coruus non est reuersus, donec aquæ siccarentur. *Gen.* 8. Samuel non vidit Saulem vsque ad diem mortis 1. *Reg.* 15. q. d. neque ante diem, neque in die, neque post diem mortis, seu, nunquam vidit. *Psalm.* 110. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum. *Esa.* 46. Vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo. *Matth.* 1. Non cognouit, donec peperit. *Matt.* 5. Non exibis inde donec reddas vltimum quadrantem. *Matth.* 26. Non bibam ab hoc tempore, de hoc germine vitis vsque ad diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. *Matth.* 28. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. *Marc.* 9. Non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei, veniens in virtute. *Luc.* 22. Non bibam de generatione vitis, donec regnũ Dei veniat. *Rom.* 5. Peccatum vsq; ad legem erat in mundo. In prioribus exemplis vocula *donec* idem valet, quod nonnunquam, in posterioribus vocula *vsq;* idem est, quod *interea & postea.*

11. [*Particulæ similitudinis sæpe non de modo, sed de facto; non de causa aut ratione, sed de exemplo sunt intelligendæ:*] vt, *Matth.* 6. Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus. q. d. quia & nos remittimus, vel, id quod & nos factitamus, ita vt in illis verbis sit argumentum à minori, seu minus probabili, hoc sensu: Homo, qui est massa peccati, remittit suis debitoribus. Ergo multo magis æterna misericordia nobis remittet debita nostra.

12. [*Geminationes in aduerbiis sæpe distributionem significant:*] vt, *Leuit.* 6. Seruet lingua sacerdos mane, mane: pro, quolibet matutino tempore.

CONIVNCTIO.

1. [*Particula causalis nonnunquam conclusiue debet intelligi:*] vt, 1. *Reg.* 2. Non audiuerunt vocem patris sui, quia voluit eos Dominus occidere: *Psal.* 116. Credidi, quia locutus sum. *Luc* 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Ratio coniunctionũ in S. literis.

2. *Coniunctio copulatiua* Vau *triginta septem significationes habet.*] Eas hoc modo recenset Brunerus in Grammatica Hebraica. I. At. *Genes.* 42. *vers.* 10. *Esa.* 9. *vers.* 10. II Quoniam. *Esa.* 53. *vers.* 11. III. Quin. *Esa.* 9. *vers.* 11. *Psalm.* 73. *vers.* 4. IV. Id est. *Esa.* 9. *vers.* 14. 1. *Sam.* 17. *vers.* 40. V. Iccirco. *Prouerb.* 1. *v.* 18. VI. Ita vt. *Psalm.* 18. *vers.* 39. *Esa.* 14. *vers.* 20. VII. Sic etiam. *Es.* 10. *v.* 10. & 51. *vers.* 11. VIII. Et tamen, 1. *Chronic.* 5. *vers.* 2. *Nehem.* 9. *vers.* 19. IX. Atqui. *Psalm.* 73. *v.* 2. & 19. *v.* 6. X. Postea tunc. *Esa.* 16. *v.* 12. *Genes.* 3. *v.* 5. XI. Autem. *Esa.* 1. *v.* 21. *Nehem.* 2. *v.* 9. XII. Etiam. 2. *Reg.* 3. *v.* 8. XIII. Num. *Esa.* 37. *vers.* 11. XIV. Sicut, sic. *Psalm.* 125. *Dan.* 7. *v.* 2. XV. Qui, quæ, quod. *Esa.* 43. *vers.* 8. XVI. Quum. *Psalm.* 50. *v.* 17. XVII. Vt. *Esa.* 49. *v.* 6. XVIII. Quamuis. *Ier.* 31. *v.* 35. XIX. Inquam. *Esa.* 55. *v.* 1. XX. Idque. *Psalm.* 105. *v.* 12. XXI. Atque ita. *Prov.* 3. *v.* 4. XXII. Et vt. *Esa.* 58. *v.* 5. 6. XXIII. Quoniam, ideo. *Psalm.* 1[illegible]. *v.* 17.

Triginta septem significationes coniunctionis copulatiuæ Vau.

v.17.XXIV.Imo.Psal.109.v.18.XXV.Nec non.Psalm.72.v.16.XXVI.Verum.Psalm.73.v.23.XXVII.Etiamsi.Iob.19.v.26.XXVIII. Aut.Psalm.39.v.7.XXIX.Quod,idque.Psalm.139.v.14.XXX.Et vero.Psalm.139.vers.17.XXXI.Tum.Neh.12.v.27.XXXII.Simulatque.Ier.50.v.43.XXXIII.Si,sin.2.Reg.5.v.17. XXXIV.Nec.Esa.41.v.8.XXXV.Hoc igitur.Proverb.17.v.33.XXXVI.Vna cum.Proverb.8.v.18.XXXVII.Quod.Gen.47.v.6.

PRÆPOSITIO.

Ratio præpositionum in sacris literis.

1. [*Vocula* IN *cum* DE *coniuncta, augmentum rei denotat:*] vt, *Psalm.*84. De victoria in victoriam ibunt, pro, subinde vincent. *Ierem.* 9. De malitia in malitiam exiuerunt, id est, subinde peiores facti sunt. *Rom.*1. Iustitia Dei per Euangelium reuelatur ex fide in fidem, id est, subinde magis magisque reuelatur.

Decem significationes particulæ IN.

2. [*Particula* IN *decem habet significationes.*] *Primo*, significat localiter: vt, Vox Dei in horto, *Gen.* 3. *Secundo*, vsurpatur instrumentaliter: vt, *Psalm.*2. Reges eos in sceptro ferreo. *Luc.*14. Si sal infatuatus fuerit, in quo condietur? *Tertio*, causaliter significat: vt. *Psalm.*31. In iustitia tua libera me, hoc est, propter iustitiam. *Hos.*12. Seruiuit Israel in vxore. *Eph.* 1. Dilexit nos in illo dilecto, hoc est, propter filium suum dilectum. *Luc.*22. Hic calix est Nouum Testamentum in meo sanguine, hoc est, propter meum sanguinem, quem signat & obsignat. *Quarto*, significat modum agendi: vt, *Psalm.*5. Inclinabo ad templum sanctitatis tuæ in timore tui, q.d. ita vt timeam te. *Quinto*, interdum significat per: vt, *Psal.*10. Opprimit, inclinat, & prosternit in robustis suis pauperes, q.d. per robustos, vel ministerio fortiorum. *Psalm.*78. Sacerdotes eorum cadebant in gladio. *Zach.*9. In sanguine Testamenti educis vinctos. *Rom.*4. Iustificati in sanguine ipsius. *Coloss.*2. Ne quis vos decipiat in humilitate. *Sexto*, significat inter: vt, *Psalm.*35. In hypocritis subsannationum, pro, inter hypocritas subsannantes. *Septimo*, vsurpatur loco particulæ pro. *Thren.*5. Aquam nostram in pecunia bibimus. *Octauo*, ponitur nominaliter: vt, *Gen.* 17. Eris in patrem gentium, pro, pater gentium. *Psalm.*33. Omne opus eius in veritate, pro, verũ. *Esa.*4. Germen Domini erit in magnificentiam & gloriam, id est, magnificum & gloriosum. *Matth.*22. Viam Dei in veritate doces. *Rom.*1. Qui est definitus Filius Dei in potentia, id est, Dei potentis, vel, modo potenti. 1. *Corinth.*15. Loquimur sapientiam Dei in mysterio, id est, mysticam. *Ibidem.* Seminatur corpus in humilitate, & resurget in gloria. *Nono*, aduerbialiter accipitur, *Psalm.*9. Ille iudicat orbem in iustitia, & iudicat populos in rectitudine, pro, iuste & recte. *Psalm.*68. Parate viam ei, qui vehitur in pulchris, pro, pulchre. *Decimo*, ponitur expletiue. *Psalm.*9. Ad tempora in tribulatione, pro, ad tempora tribulationis. *Psalm.*12. Ponam in salute, pro, ponam salutem.

INTERIECTIO.

De interiectione nihil hic occurrit adnotandum, cum illa doctrina in omnibus linguis sit omnium facillima.

CAP. CI.

Tropi sacrarum literarum.

Verba simplicia figurata sequuntur, quæ à natiua & simplici consuetudine recedunt.

Verba simplicia figurata, sunt vel tropica; vel figuris dictionis exornata.

Hic oportet constituere certas metas doctrinæ de tropis & figuris, cùm magna hic sit authorum varietas. Doctrina vero nobis videtur ista. Quatuor sunt duntaxat tropi, metonymia, ironia, metaphora, & synecdoche: & horum communes affectiones sunt tres, catechresis, allegoria, & hyperbole. Figuræ sunt numero viginti: videlicet decem figuræ dictionis, & totidem, sententiæ. Figuræ dictionis, sunt Epizeuxis, Anadiplosis, Climax, Anaphora, Epistrophe, Symploce, Epanalepsis, Epanados, Paronomasia, Polyptoton. Figuræ sententiæ, sunt Exclamatio, Epanorthosis, Aposiopesis, Apostrophe, Addubitatio, Communicatio, Concessio, Permissio. Videbimus de singulis λακωνικῶς, vtinam & σοφῶς τε σαφῶς τε. De tropis quidem & figuris dictionis hoc loco: de figuris sententiæ infra.

CATECHRESIS.

Leuit. 26. *v.* 30. Perdam excelsa vestra, & succidam subdiales statuas vestras, cum *cadaueribus* stercoreorum Deorum, hoc est cum fragmentis. Est metaphora catechrestica. *Catechresis in sacra Scriptura.*

Matth. 21. Filius asinæ subiugalis, pro fœtu seu prole subiugis asini. Est metaphora catechrestica.

Rom. 7 Peccatum dicitur lex, quod instar legis nobis imperet, 2. *Cor.* 5 *v. vlt.* Christus dicitur factus peccatum, hoc est victima pro peccato, per meton. cauf. efficientis.

Num. 9. *v.* 18. Secundum os Iehouæ proficiscebantur, id est, ex imperio Dei. Hæc enim non ore, sed signo nubis testata fecit. Est catechresis metonymica.

2. *Chron.* 6. Non fecerat Salomon labrum æreum, id est, suggestum. Metaphora catechrestica.

Iohan. 4, *ver.* 12. Præterea ad me verbum furtim perlatum est, id est clanculum. Est metaph. catechrestica, *Psal.* 39. Audi lachrymas meas, pro, aspice lachymas meas, vel audi vocem lachrymantem.

Psal. 145. Oculi omnium sperant in te Domine.

ALLEGORIA.

Allegoria in sacris literis.

Allegoria hic aliter accipitur, quam capite superiori. Hic enim est continuatio troporum. Illius exempla sunt: *Iud.* 14. Nisi arassetis vitula mea, non inuenissetis ænigma meum. Est allegoria metaphorarum.

*2.Reg.*19.*v.*3. Hic dies est angustiæ, increpationis & irritationis; veniunt filij vsque ad os matricis, & vis non adest ad partum.

*Psal.*38.*v.* 9. Vberrime explentur pinguedine domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum das eis bibere, id est, omnem victum, necessitatem, & amœnitatem vitæ, credentibus in te subministras. Confer *Psal.*57. *v.*7. *Prou.*5.*v.*15,16. *Esa* 5.*v.*1. *Ier.*3.*v.*1. *Matth.*3.*v.*12.

HYPERBOLE.

Hyperbole augens.

Hyperbole est vel auxesis, vel meiosis. Auxeseos exempla sunt:

Gen. 11. *ver.* 4. Extruamus nobis vrbem & turrim, cuius fastigium assurgat in cœlum. Hîc voce *cæli*, maxima altitudo, itemq; qualibet amplitudo significatur. Confer *Deut.*1.*v.*28.*c.*9.*v.*1. *Ios.*8.*v.*12. *Esa.*14.*v.*14. *Matt.* 11.*v.*23. *Luc.*10.*v.*15. Huc refer & illa: Viduarum preces penetrant nubes, Prædicate Euangelium omni creaturæ, id est, omnibus gentibus. Non est Propheta acceptus in patria sua, hoc est, pleriq; prophetæ. Eritis odio omnibus hominibus, id est, impiis. Filius hominis cum venerit, num reperturus est fidem? *Iohan.* 21. Quæ si omnia scriberentur, ne quidem totus mundus libros capere posset. *Ioh.*12 Ecce totus mundus ipsum sequitur.

Esa. 11. *ver.* 6.7. Quare commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hœdo recubabit, vitulus & pingue pecus, & iuuenis leo simul erunt, hoc est, potentissimi, ferocissimi, & damnosissimi ad Ecclesiam adducentur, domiti potentia Christi.

Esa. 13.*v.*5. Veniunt à terra longinqua, ab extremitate cœlorum, id est, locis remotissimis.

Esa. 14.*v.* 8. Etiam abietes lætantur de te, cedri Libani dicentes: ex quo occubuisti, &c.

*Esa.*34.*v.*4.5.6. Describitur hyperbolice & catachrestice ira Dei.

*Esa.*35.*v.*1.2. Lætabitur desertum, & solitarius locus, exultabit solitudo. Omnes arbores agri complodent manu. Sic in N.T. Cum exaltatus fuero, à terra, omnia traham ad me ipsum, id est, sanctos Dei filios. Qui deglutitis camelos, & colatis culices. *Camelos*, id est, res grauissimi ponderis. *Culices*, id est, res leuis momenti. Si quis percusserit te in maxillam tuam, præbe ei & alteram: est hyperbole in præcepto patientiæ. Huc refer illa, quæ in Apocalypsi dicuntur de stellis in terram cadentibus, & multis aliis rebus.

Hyperbole minuens.

Μείωσις, seu ταπείνωσις quoque in sacris literis locum habet: vt *Psal.* 22.*v.*7. Ego vermis sum, non homo. *Esa.*41.*v.*14. Noli timere vermis Iacob. *Iob.*25.*v.*6. similis est locutio. Sic dicit Abraham ad Deum: Ecce nunc cœpi

cœpi loqui ad Dominum meum, qui puluis sum & cinis. *Genes.18. ver.27.* Matrem meam, & sororem meam vermes. *Iob.17.v.13.* Vmbra sunt dies nostri super terram. *Iob.8.v.9.*

Nunc accedamus ad ipsos tropos. Consignificant autem omnes tropi ἔμφασιν, præter delectationem & ornatum, præbentes etiam fomenta fidei: vt, cum Christus ponitur pro Ecclesia. *Matth.25.v.34.* & 1. *Cor.12.* Sicut corpus vnum est, & habet multa membra: & omnia membra corporis vnius multa cum sint, vnum tamen sunt corpus: ita & Christus, id est, Ecclesia. Hic tropus fidelem animum consolatur, & fidem alit. Hoc clarius euadet è sequentibus.

Vtilitas troporum sacrorum.

Metonymia causæ efficientis.

Metonymia causa efficientis.

Vbertas huius tropi modis quibusdam distinguenda est.

1. *Inuentoris seu authoris nomen ponitur pro nomine effecti:* vt, Christus pro beneficiis. *Gal.3.v.29.* Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, hoc est, beneficiorum Christi participes facti estis. *Num* 11. Abstulit Deus de Spiritu qui erat in Mose, & dedit septuaginta viris: *Spiritus* hic accipitur pro donis salutaribus ac beneficiis eius. *Ioel.* 2. Effundam Spiritum meum in omnem carnem. 1. *Cor.*14. Quoniam ambitis spiritus. *Ibid.* Spiritus Prophetarum Prophetis sunt subiecti, id est, doctrina, interpretatio & sententia vnius doctoris subiecta est iudicio alterius doctoris. 1. *Ioh.*4. Ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex Deo sint. *Ioh.*7. Nondum erat Spiritus sanctus. *Sic parentes* & maiores ponuntur pro filiis & posteris: vt Israel pro Israelitis, Iacob pro Iacobitis, Chanaan pro Chananæis, Ismael pro Ismaelitis. *Psal.*14. *v.*7. Exultabit Iacob, & Israel lætabitur. *Gen.9.v.25. Gen.28.v.9. Ita Scriptores* pro scriptis vsurpantur: vt, *Luc.16.* Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. *Luc.* 24. Exorsus est à Mose, & omnibus Prophetis. *Actor.*18. dicitur Esaias legi.

2. *Cum vox efficientis, siue sit substantia, siue qualitas, siue actio, pro re effecta vsurpatur:* vt, misericordia, pro officio ex misericordia profecto. *Gen.* 20. *v.* 13. Hanc misericordiam mecum facies. Sic in N.T. sæpissime vox ἐλεημοσύνη ponitur pro beneficio, quod pauperibus ex misericordia præstatur. *Charitas* pro beneficiis charitatis ponitur: 1. *Ioh.3.v.1.* Videte qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, vt filii Dei vocemur. *Sic ira* pro pœna ponitur. *Mich.7.v.9.* Iram Domini portabo, quia peccaui ei. *Rom.13.* Magistratus est vindex ad iram ei, qui male agit. *Opus & actio* pro mercede seu præmio operis. *Leuit.*19. Opus mercenarij non pernoctabit tecum. *Labor* pro rebus labore partis. *Ezech.* 23. Tollent omnem laborem tuum, i.e. omnes facultates labore partas. *Psal.* 128. Laborem manuum tuarum manducabis, id est, cibum, labore manuum tuarum partum. *Iustitia* pro præmio iustitiæ, 1. *Sam.26.v.23.* Iehoua reddat viro iustitiã suam, & fidem suam, i. e.

præmium

præmium iustitiæ & fidei. *Iudicium* Dei pro pœnis: vbi concurrit synecdoche generis. *Prouerb.* 13. Parata sunt derisoribus iudicia. *Ezech.* 14. Si quatuor mea iudicia misero, gladium, famem, bestiam malam, & pestem. 1. *Corinth.* 15. Qui edit & bibit indigne, iudicium edit & bibit. *Peccatum*, iniquitas & delictum pro pœna accipitur. *Leuit.* 22 *ver.* 6. Custodient custodiam meam, & non portabunt peccatum. *Genes.* 4. Maior est iniquitas mea, quam vt illam ferre possim. *Leuit.* 5. Anima cum peccauerit, feret iniquitatem suam. 1. *Paralip.* 21. Vt quid erit in delictum Israel, id est, in perniciem. *Iniquitas* pro opibus per iniquitatem partis. *Amos* 3. Nescierunt facere rectum, thesaurizant iniquitatem & violentiam in ædibus suis. *Peccatum* pro ipsa oblatione & sacrificio pro peccatis. *Hos.* 4. *v.* 8. Peccatum populi mei comedunt. *Leuit.* 4. 29. Nititor manu super caput istius peccati, & iugulato peccatum istud in loco holocausti. Hic per peccatum intelligit ipsam capram, cuius mactationem atque oblationem peccatum causauerat. Sic sæpius in illo capite, & passim in toto libro. Malunt tamen alij hæc exempla subiicere metronymiæ subiecti, seu signati. *Audire* pro obtemperare. *Genes.* 3. Quoniam audiuisti vocem vxoris tuæ, pro, paruisti. *Audire* pro intelligere. *Matth.* 13. Audientes non audiunt, id est, non intelligunt. *Huc referunt* quidam nomina affectuum, obliuionis, & memoriæ, vigiliæ & somni, quando Deo tribuuntur. Nam non hi affectus, sed illorum effectus de Deo prædicantur proprie. Sic ira Dei ponitur pro effecto iræ, nimirum ipsa pœna. Sic cum dicitur Deus pœnitudine duci, intelligitur mutare dictum aut factũ, hoc est, intelligitur id facere, quod homines pœnitentia ducti, solent facere. Illi autem mutant sua dicta vel facta. Ita Deum pœnitet minarum & pœnarum, cum earum loco benedictionem & gratiam reponit. Sic recordatio, quæ Deo tribuitur, significat liberationem & auxilium, vel vltionem. *Gen.* 8. Recordatus est Deus Noachi. *Gen.* 9. Recordabor fœderis mei, hoc est, seruabo. *Amos* 9. Deus recordabitur iniquitatis eorum, hoc est, vlciscetur. *Hos.* 4. Oblitus es legis Dei tui: obliuiscar ego etiam filiorum tuorum, id est, destituam eos mea gratia. *Num.* 11. Descendit Iehoua in nube. Descendere, venire, habitare, in istiusmodi dictis est, singulari aliqua operatione præsentiam suam Deum facere testatam. Sic expergisci & vigilare dicitur Deus, cum opem suam accelerat, vel etiam vindictam: dormire vero, cum opem & vindictam differt. Præterea *venatio* dicitur pro ferina, quæ venatione est comparata. *Genes.* 25. *v.* 28. *c.* 27. *v.* 5. *Benedictio* pro dono, è benedictione profecto. *Genes.* 33. *v.* 11. *Sanguis*, pro vita. *Gen.* 42. *v.* 22. *Sanguis*, pro pœna sanguinis iniuste effusi. *Matth.* 27. *v.* 25.

3. *Nomen instrumenti ponitur pro nomine effecti instrumentati, vt loquuntur.* Sic *lingua* pro sermone vsurpatur. *Prouerb.* 25. Mollis lingua confringit iram. *Esa.* 33. Non videbis populum profundæ linguæ, id est, obscuri sermonis

monis. *Labium* pro sermone. *Gen.*11. *v.*11. Erat autem terra labij vnius. *Ibidem.* Confundamus labia eorum. *Prouerb.* 12. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. *Ezech.* 3. Non ad populum profundi labij & grauis linguæ mitteris. *Psal.* 12. Disperdet Dominus labia dolosa & linguam magniloquam. *Os* pro sermone. *Prouerb.*16. Os blandum facit impulsionem. *Pro mandato. Exod.*17. Profectus est Israel, ad os Domini, id est, ad mandatum. 1. *Sam.* 24. Peccaui, quia transgressus sum os Iehouæ. *Brachium* & manus pro effectis, quæ brachio & manu fiunt. *Ierem.* 17. Maledictus vir ille, qui ponit carnem brachiũ suum, id est, auxilium. *Num.* 11. Numquid manus Domini abbreuiata est? id est potentia. *Rhut.* 1. Egressa est contra me manus Domini, hoc est, vindicta. *Psal.* 44. Mitte manum tuam de excelso. Sic *instrumenta bellica* pro ipso bello. *Leuit.* 26. Inducam super vos gladium. *Matth.*10. Non veni missum pacem, sed gladium.

Metonymia materiæ.

Metonymia materiæ.

*Gen.*3. Semen mulieris conteret caput serpentis, id est, filius è semine mulieris nasciturus. *Ibid.* Terra es, & in terram reuerteris, id est, è terra factus es. *Genes.*19. *v.*8. Ingressi sunt sub vmbram tigni mei, id est, tabulati mei ex tigno facti. *Genes.*15. *v.*5. Sic futurum est semen tuum. *cap.*17. *v.*7. promittit Deus, se fore Abrahamo in Deum, & semini eius post ipsum. *Genes.*23. *v.*9. Petit Abraham, vt Ephron sibi vendat speluncam pleno argento, hoc est, iusta pecunia. *Habac.* 3. *v.*7. Trepidabunt pelles terræ Madian, id est, tabernacula ex pellibus facta. *Gen.* 18. Ecce cœpi ad Iehouam loqui qui cinis & puluis sum. *Ezech.*7. Aurum suum in plateas proiicient, hoc est, res ex auro factas. *Psal.*115. *v.*4. Idola eorum sunt aurum & argentum. *Psal.*105. *v.*37. Eduxit eos cum auro & argento. *Matth.*10. *v.*19. Non habebitis aurum & argentũ in zonis vestris. *Psal.*45. *v.*10. Astitit regina à dextris tuis in auro Ophir, id est, in auratis vestibus & ornamentis aureis. *Ierem.*2. *ver.*27. Dicentes ligno, Pater meus es tu, & lapidi, tu genuisti me. Lignum pro cruce lignea ponitur. 2. *Cor.*3. *v.* 6. 2. *Sam.* 7. Arca habitat in pellibus, hoc est tentoriis, quæ è pellibus facta sunt.

Metonymia effecti.

Metonymia effecti.

1. *Nomina substantiua, effectum significantia, ponuntur pro nominibus causæ.* *Gen.*25. *v.*23. Duæ gentes sunt in vtero tuo, hoc est, duarum gentium authores, nempe Esau, Idumæorum; & Iacob, Israelitarum. *Gen.*27. *v.*2. Quę fuerunt amaritudo spiritus Isaaco & Rebeccæ. Intelliguntur vxores, quas duxerat Esau. Illæ enim erant amaritudinis causa. 2. *Reg.*4. Caue vir Dei, mors est in olla, hoc est, venenum, quod affert mortem. *Deuter.*30. Ecce propono tibi hodie vitam & mortem, bonum & malum, id est, legem meam seruantibus vitam, violantibus mortem, illis bonum, his malum, afferentem. *Num.* 22. Auguria erant in manibus illorum, id est, munera, quibus auguria alliciebantur. *Galat.* 3. Antequam venisset fides, sub legis

præsidio tenebamur. At postquam venit fides, i. e. plenior Euangelij patefactio, quæ vmbris legis impletis & sublatis, Ecclesiæ Christi affulsit, fidemque effecit. *Esa.* 33. Tu Deus salus nostra es in tempore angustiæ, i. e. Saluator. *Deuter.* 30. Iehoua Deus est vita tua, & longitudo dierum tuorum. *Psal.* 3. Tu Iehoua gloria mea es. *Ierem.* 16. Dominus fortitudo mea, & robur meum. *Iohan.* 11. Christus dicitur resurrectio. 1. *Cor.* 1. Christus dicitur nobis factus à Deo sapientia, iustificatio, sanctificatio & redemtio. 2. *Cor.* 1. Nos gloriatio vestra sumus, hoc est, nos sumus causa gloriationis, quod à me estis in Euangelio Iesu Christi instituti. *Gen.* 15. Ego ero merces tua multa valde. *Ier.* 23. Iehoua est iustitia nostra. *Rom.* 1. Euangelium est potentia ad salutem cuiuis credenti, hoc est organum, quo Deus suam potentiam in nobis ad salutem adducendis exerit. *Rom.* 8. Prudētia carnis mors est, at prudentia Spiritus, vita & pax, id est, mortifera & viuifica. 1. *Cor.* 1. Christus crucifixus Iudæis est offendiculum, Græcis vero stultitia, ipsis autem vocatis prædicamus Christum, Dei potentiam ac Dei sapientiam, hoc est, Christus crucifixus est causa per accidens, cur Iudæi offendantur, Græci stultiores fiant; sed causa per se, cur vocati fiant sapientes. *Ephes.* 2. Christus est pax nostra. *Gen.* 31. v. 42. Nisi Deus Patris mei, Deus Abraham; & pauor Isaaci adfuisset mihi, id est, Deus, qui pauorem incusserat Isaaco, cum is intellexisset se mihi benedixisse loco Esaui, adeo vt illam benedictionem non reuocauerit. *Ibid.* v. 53. dicitur Iacob iurasse Labano per pauorem patris sui Isaaci. *Huc referri possunt* quidam Hebraismi, quibus genitiuus effecti regitur à substantiuo causæ: vt, aqua vitæ, Spiritus sapientiæ, Spiritus sanctificationis, Spiritus lenitatis, roboris, gaudii, fidei: verba Christi, sunt verba vitæ æternæ: Euangelium est lex fidei; corpus mortis: pro causa efficiente istarum rerum, quæ genitiuis illis significantur; ita vt hic sit sensus, aqua vitæ, hoc est, viuificans; spiritus roboris, hoc est, corroborans. Alij malunt hic esse ellipsin, aqua vitæ, scilicet causa. *Huc quoque* nonnulli referunt illa Scripturæ dicta, quibus iustificare, saluare, salutem dare vel accipere, vitam æternam dare vel accipere, bonis operibus, vel in genere, vel in specie huic vel illi tribuuntur. Nam hic tribuitur effecto, videlicet bono operi, quod est causæ, videlicet fidei. V. g. fuga peccati, meditatio legis diuinæ, beneficentia erga pauperes, quibus iustificatio, vita, salus æterna tribuitur, pro fide ponuntur. *Psal.* 1. Beatus vir, qui non abiit, &c. hoc est, vir ille, qui præditus est fide fructificante per bona ista opera, quæ ibi percensentur. *Matth.* 7. Qui facit voluntatem Patris mei, i. e. qui istam fidem habet, quæ progignit ista opera bona. *Actor.* 2. Qui inuocauerit nomen Domini, is seruabitur, id est, qui ea fide præditus est, quæ Dominum confitetur, eiusque opem sedulo implorat. *Matth.* 25. Dedistis mihi cibum, potum, &c. id est, eam fidem habuistis, quæ se commendauit beneficentia erga pauperes.

2. *Vox effecti conseruati ponitur pro voce causæ conseruantis. Deut.* 20. Cum obsederis vrbem, non cædes securibus arbores fructiferas, sed illarum fructibus vesceris. Arbor enim agri, homo est, id est, causa conseruans vitam hominis. *Deut.* 24. Nemo accipiet pignori vel superiorem, vel inferiorem molam, quoniam hoc est animam accipere.

3. *Ponitur effectum organicum pro causa instrumentali.* Sic Euangelium dicitur lætum; quia lætos reddit, qui illud suscipiunt. Sic spes viua dicitur Paulo, pro, viuifica.

4. *Reperitur metonymia effecti in verbo. Esa.* 24. *v.* 7. Lugebit mustum, languebit vitis, id est, mustum non bibetur, vt antea, cum cantico, ac proinde tanquam contemtum lugebit. Vitis autem ab hostibus euelletur, & auferetur, & iccirco languebit. Concurrunt autem duo tropi in illis verbis, lugebit, languebit, metonymia videlicet & metaphora.

5. *Ad hanc metonymiam* quidam referunt illa loca, quibus conuersio tribuitur ministris verbi, & sic explicant. Iohannes Baptista conuertit multos ad Deum, hoc est, prædicauit Euangelium, & administrauit Sacramenta. Prædicatio enim Euangelij, & administratio Sacramentorum sunt causæ organicæ conuersionis. *Sic Apostoli* & ministri verbi Dei remittunt peccata, hoc est, annuntiant pœnitentibus verbum Euangelij de gratuita remissione peccatorum. Hic ponitur remissio peccatorum pro annunciatione Euangelij de remissione peccatorum. *Sic* iidem retinent peccata, hoc est, annunciant impœnitentibus legem de ira Dei & condemnatione. *Hoc* sensu poculum benedictionis dicitur communio sanguinis Christi, & panis fractus, dicitur communio corporis Christi, id est, efficax & sanctissimum instrumentum mysticæ nostræ cum Christo κοινωνίας, eiusque viuum Sacramentum & symbolum. Sed hic concurrit etiam metonymia subiecti, vt paulo post dicetur.

Metonymia finiti, seu destinati.

Genes. 20. *v.* 16. ait rex Abimelech ad Saram de Abrahamo: Ipse tibi est operimentum oculorum, id est, maritus. Nam propter maritum velatur vxor, in signum subiectionis. Huic opposita est metonymia finis. 1. *Cor.* 11. *v.* 10. Propter hoc debet mulier potestatem habere in capite propter Angelos, id est, velamen in signum potestatis, hoc est, quod potestati viri subiecta sit. *Gen.* 21. *v.* 19. Deus aperuit oculos Hagaræ, hoc est, effecit vt videret fontem vicinum, quem antea, quamuis apertis oculis esset, non videbat. Etenim videndi gratia oculos aperimus. *Luc.* 24. *ver.* 31. dicuntur fuisse aperti oculi duorum discipulorum, qui iuerant in Emmaus, cum scilicet Christum agnoscerent, quem antea in via quantumuis videntes non tamen agnoscebant. *Genes.* 23. *v.* 27. dicitur Iacob habitasse in territoriis, id est, exercuisse pecuariā, & rem domesticam. *Gen.* 41. *v.* 44. ait

Metonymia finiti.

Pharao ad Iosephum: Sine te non attollet quisquam manum suam aut pedem suum, id est, nihil aggredietur siue tentabit quisquam. Concurrit autem hic hyperbole. 2.*Sam.*23.*v.*17. Absit vt bibam sanguinem istorum virorum, id est, aquam, propter quam illi sanguinem suum fundere parati fuerant.

Metonymia subiecti.

Metonymia subiecti.

Modi huius metonymiæ sunt varii in sacris literis.

1. *Continens ponitur pro contento. Deuter.*32. Sicut aquila excitat nidum suum ad volandum, id est, pullos. *Ierem.*40. Quorum non fuerit iudicium, vt calicem biberent, pro eo, quod calice continetur. *Gen.*24. Effudit hydriam in canalem, id est, aquam. *Ezech.*23. Calicem sororis tuæ bibes. *Gen.*3.*v.*1. Serpens locutus est cum Eua, id est, Diabolus in serpente. *Huc refer* quoties locus pro locato ponitur. *Iohan.*3. Sic Deus dilexit mundum. *Gen.*6.*v.*11. Terra corrupta erat, pro, homines in terra. Similes locutiones vide *Gen.*41.*v.*30. *Psal.*9.*v.*9. *Psal.*22.*v.*28. *Psal.*82.*v.*8. Ita cœlum pro incolis ponitur: *Esa.*1.*v.*2. Audite cœli. Item pro Deo. *Luc.*15. Peccaui in cœlum. *Luc.*20. Baptismus Iohannis, eratne è cœlis, an vero ab hominibus? *Sic regionum*, insularum, vrbium nomina pro incolis ponuntur. *Gen.*41.*v.*57. Omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum. *Genes.*46. Omnis Ægyptus veniebat ad Iosephum. *Matth.*3. Omnis Iudæa exiuit ad Iohannem. *Rom.*15. Placuit Macedoniæ & Achaiæ eleemosynas conferre. *Mat.* 11. Væ tibi Chorazim, væ tibi Bethsaida. *Sion* pro Ecclesia in monte isto sita ponitur hinc inde in sacris. *Domus* pro domesticis ponitur. *Genes.*24 Concurrit puella, & renunciauit domui matris suæ. *Luc.*13. Hodie salus contigit huic domui. *Psal.*114. *ver.*10. Domus Aharon sperauit in Dominum. *Oculus* ponitur pro libidine, quæ se in oculo exerit. *Matth.*5.*ver.*29. Si oculus tuus dexter te scandalizat, erue eum, & abiice abs te. *Excelsa* pro idolorum aris in loco excelso extructis. 1 *Reg* 15. Excelsa non sustulerunt. *Ezech.*6. Perdam excelsa vestra. *Castra* ponuntur pro iis, quæ in castris sunt. *Iud.*4. Ceciderunt omnia castra Sisera, id est, omnes milites. 2.*Reg.*3. Defuit aqua castris, hoc est, exercitui. *Amos* 5. Feci ascendere fœtorem castrorum vestrorum. *Huc referunt*, cum sanguis ponitur pro vita seu anima. *Leuit.*17. *Deut.*12. Sanguis est anima cuiusque carnis. Hoc ita interpretantur in sanguine ceu vehiculo, est anima seu vita. *Prouerb.*1. Insidiemur sanguini. *Leuit.*19. Non stabis contra sanguinem proximi. *Ezech.*3. Sanguinem eius de manu tua requiram. Potest tamen alio considerationis modo hæc locutio subiici metonymiæ efficientis, vt & supra à nobis factum. *Huc etiam* quidam referunt illas locutiones. Fide iustificamur. *Rom.*2. Colligimus fide iustificari hominem. *Rom.*4. Iustificati ex fide pacem habemus. *Rom.*5. Hic enim est illorum verborum sensus; Christus fide apprehensus, &

sus & retentus est is, quo iustificamur, seruamur: ita vt quasi continens pro quasi contento ponatur. Alii has formulas subiiciunt metonymiæ adiŭcti occupati, quod fides dicatur iustificare respectu obiecti sui, quod est Christus. *Huc quoque* nonnulli referunt hypallagen. *Ierem.9.* Descendunt oculi nostri lachrymis, id est lachrymæ ex oculis. *Ioel.3.* Valles ibunt lacte, id est, lac è vallib. Sic *Amos* 8.*v*.8. Sed non omnis hypallage huc pertinet.

2. *Cum signata pro signis vsurpantur. Gen.* 49.*v*. 12. Tres illi palmites, tres dies sunt, id est, significant tres dies. *Ibid. v*.18. Tria illa canistra, tres dies sunt. *Gen*.41.*v*.26. Septem illæ vaccæ bonæ, septem anni sunt: & septem illæ spicæ bonæ, septem anni sunt. *Luc*.18.*v*.11. Semen est sermo Dei, hoc est, semen illud, de quo vobis dixi in parabola, significat sermonem Dei, est signum, naturam verbi Dei declarans. Eadem est ratio phrasium Sacramentalium. *Gen*.17.*v*.10. Hoc est fedus meum inter me & inter semen tuū post te, quod seruabitis: vt circumcidatur vobis omnis mas. Hic circumcisio dicitur esse fedus, id est, signum federis, sicut Deus ipse explicat versu sequenti, dicens: Circumcidite igitur carnem præputii vestri, vt sit in signum federis inter me, & inter vos. Vnde & Apostolus. *Rom*.4.*v*.11. ait: Accepit Abraham signum circumcisionis, hoc est, circumcisionem, tanquam signum. Sic *Exod*.12. *vers*.11. agnus dicitur esse Pascha Iehouæ, id est, transitus, seu transultio Iehouæ; quia erat monimentum seu signum memoriale illius transitus, quo Iehoua noctu percutiens primogenita Ægyptiorum, pepercerat Israelitis, eaq; occasione illos eduxerat ex Aegypto: sicut ipse Moses declarat eod. *cap.v*.14. & 27. Hinc illæ phrases, parare pascha, edere pascha, hoc est, agnum, qui erat signum Paschæ. *Matt*.26. *v*.17.18. Sic in institutione S. cœnæ de sanctificato pane dixit Christus, Hoc est corpus meum, id est, hic panis, est signum corporis mei, significans nimirum & testificans, corpus meum pro vobis in mortem dari ad crucifigendum. 1.*Cor*.10.*v*.16 Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Id est, poculum sacræ cœnæ, est signum & testimonium communionis, quam fideles inter se habent in sanguine Christi, tanquam communi bono, communiter scilicet pro omnibus fidelibus effuso. Itemque panis S. Cœnæ est signum & testimonium communionis, quam fideles inter se habent in corpore Christi, tanquam communi bono, communiter scilicet pro omnibus fidelibus crucifixo.

3. *Ex nomine possessoris intelligitur res possessa*. 2. *Cor*. 12. Sustinetis, si quis vos deuorat, id est, facultates vestras. *Esa*. 9. Verbum misit Dominus in Iacob, id est, in terram à Iacobitis possessam. *Psalm*.60. Meus est Galaad, & meus Manasse, hoc est terra, quę posteris Manasse obtigit. *Huc refer*, cum nomen

Iehouæ pro arca, tabernaculo, & templo Iehouæ ponitur. *Exod.* 16. Repone Man coram Iehoua in custodiam: pro quo dicitur *v.* 34. Et posuit Aharon Man coram testimonio, id est, arca testimonii. 1. *Sam.* 21. Ibi erat quidam de seruis Saulis eo tempore, qui commorabatur coram Iehoua, id est, in tabernaculo. 2. *Paral.* 20. Omnes filii Iuda stabant coram Iehoua. Pro quo dicitur *v.* 5. In domo Iehouæ *Iud.* 5. Non adfuerunt ad auxilium Iehouæ contra fortes, id est, populo Iehouę. *Iud.* 6. *v.* 23. Et dixit ei Iehoua, pax tibi, non morieris. Pro quo dicitur *v.* 20. Angelus vero Iehouę recessit ab oculis eius. *Deut.* 19. Tunc stabunt duo illi homines, quibus lis est coram Iehoua, hoc est, coram sacerdotibus & iudicibus Dei. *Sic Christus* pro Christianis dicitur. 1. *Corinth.* 12. Sicut corpus vnum est & multa habet membra, ita & Christus est, id est, ita & Christi Ecclesia multa habet membra. *Matth.* 25. Esuriui, & dedistis mihi cibum; sitiui, & dedistis mihi potū. Tropi explicatio sequitur: Quidquid fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis. *Act.* 9. Ego sum Iesus, quem tu persequeris, hoc est, cuius discipulos persequeris.

Metonymia adiuncti.

Metonymia adiuncti.

1. *Contentum pro continente vsurpatur. Amos* 8. Quando transierit nouilunium, vt vendamus commeatum, & sabbathum, vt aperiamus frumentum? Hic frumentum ponitur pro horreis & cellis frumentariis. *Matth.* 22. Coniicite eum in tenebras exteriores, id est, in locum infernum, in quo sunt tristissimæ tenebræ. *Matth.* 25. Ingredere in gaudium domini tui, hoc est, in locum gaudii.

2. *Nomen adiunctæ qualitatis vsurpatur pro nomine subiecti. Psalm.* 11. Iustus est Iehoua, & iustitias diligit, hoc est homines iustos. 2. *Corinth.* 5. Vt nos fieremus iustitia Dei per eū, id est, iusti corā Deo. *Prouerb.* 24. Impietas peruertit peccatum, hoc est, hominem peccatorem. *Gen.* 6. *v.* 11. Terra erat impleta violentia, id est, hominibus violentis. Hic ὡς ἐν παρόδῳ obserua, hæc talia exempla posse referri ad metonymiam formæ, & adiuncti, diuerso respectu. Sic *violentia* considerari potest tanquam adiunctum hominis, & tanquam forma violenti. *Gen.* 35. *v.* 14. Inspersitque ei inspersioné, id est, liquorem, qui spargitur. *Gen.* 31. *v.* 54. Tunc mactauit Iacob mactationem, id est, animalia ad conuiuium mactari solita. Similis locutio est *Genes.* 43. *vers.* 16. *Genes.* 42. *vers.* 9. Exploratores estis; ad obseruandum nuditatem huius terræ venistis, id est, loca nuda, non munita. Hic simul est metaphora. *Psalm.* 5. *vers.* 10. Cor eorum, malitia est, id est, malitiosum. *Psal.* 12. *vers.* 1. Diminutæ sunt veritates. *Psalm.* 22. *v.* 7. Ego sum opprobrium & abiectio plebis. *Psal.* 39. *v.* 7. Profecto vniuersa vanitas omnis homo. *Captiuitas* pro captiuis hoc sensu ponitur. *Num.* 31. Adduxerunt ad Mosen captiuitatem & prædam, id est, captiuos. *Ephes.* 4. Ascendit in altum, ca-

ptiuam

ptiuam duxit captiuitatem. *Abominatio* pro abominabili. *Genes.* 46. Abominatio est Ægyptiis omnis pastor. *Luc.* 16. Quod est altum coram hominibus, est abominatio coram Iehoua. *Somnus* pro somnolento. *Prouerb.* 23. Potator & epulo pauperes euadent, & laceras vestes induet somnus. *Præputium* & circumcisio, pro præputiatis & circumcisis, seu ethnicis & Iudæis. *Roman.* 13. Vnus est Dominus, qui iudicabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Sic *Philipp.* 3. *vers.* 3. *Rom.* 4. *vers.* 9. *Coloss.* 3. *vers.* 11. Quidam hunc modum ita efferunt; Abstractum ponitur pro concreto tanquam forma pro formato: vt, *Iohan.* 17. Sermo tuus est veritas. *Psal.* 119. Omnia tua præcepta, sunt veritas. *Galat.* 3. CHRISTUS factus est pro nobis execratio. *Roman.* 11. Electio assecuta est. *Ephes.* 5. Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino. Hic cum metonymia concurrit metaphora.

3. *Signum pro re significata vsurpatur.* *Genes.* 14. *v.* 22. Extuli manum meam ad Iehouam, id est, iuraui. Nam hic gestus erat signum adiūctum iuranti. *Esa.* 7. *vers.* 16. Cum nondum nouerit hic puer spernere malum, & eligere bonum, id est, cum nondum adoleuerit, qua ætate adulti discriminant inter bonum & malum. *Matth.* 10. *vers.* 34. Non veni missurus pacem, sed gladium, id est, discordiam, cuius signum est gladius. Supra hoc idem exemplū adduximus. Sciendum itaque, pro diuerso considerationis modo alium atque alium in eodem exemplo statui posse tropum. Hæc enim est natura notionum secundarum, vt vna alteram non excludat. *Genes.* 42. *vers.* 38. Canos meos cum dolore sepelietis, id est, me senem, cuius senium indicant cani. *Psalm.* 2. *vers.* 2. Disrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis funes eorum, id est, iugum & seruitutem, cuius signum sunt vincula & funes *Psalm.* 46. *vers.* 50. Qui arcum conterit, arma confringit, & currus comburit igni, id est, bella aufert. *Huc refer,* quando vocabula cinis, saccus, puluis, tanquam signa ingentis doloris, pœnitentiæ, acerbæ tristitiæ, & grauis luctus pro ipso dolore, pœnitentia, & luctu ponuntur. *Esa.* 6. Filia populi mei, accinge te sacco, & volutate in cinere. *Es.* 25. Excute te de puluere. *Ioel.* 1. Manete in saccis serui Dei mei. *Iob.* 16. Saccum consui super cutem meam, & oneraui puluere cornu meum. *Threnor.* 2. Imposuerunt puluerem super caput, demittunt in terram caput suum. *Huic modo* adde, quando nomen, tanquam nota rei, ponitur pro ipsa re. *Psalm.* 20. *vers.* 2. Exaudiet te Iehoua in die angustiæ, & proteget te nomen Dei Iacob. *Iohan.* 3. Qui non credit in nomen vnigeniti Filii Dei. *Actor.* 4. Non est nomen aliud sub cœlo datum, per quod oporteat nos seruari, id est, non est alius CHRISTUS. *Philipp.* 2. Vt in nomine IESU omne genu se flectat: hic nomen IESU ponitur pro dignitate & gloria, sicut antecedentia verba declarant: Donauit ei nomen, quod est supra omne nomen. Sic apud *Malachiam* dicitur, magnum est

nos

nomen meum, id est, gloria & maiestas mea. *Ioh.* 17. Manifestaui nomen tuum hominibus, id est, te tuamq; gloriam. *Act.* 1. Erat autem turba quasi centum viginti nominum, id est, hominum. *Apoc.* 3. Habes aliquot nomina in Sardibus.

4. *Vox temporis adhibetur ad significandas res in tempore existentes. Esther.* 1. Dixit rex sapientibus, scientibus tempora, id est, res retroactis temporibus gestas. *Iob.* 11. Ipso meridie clarius surget tempus tuum, id est, prosperitas tua. *Iob.* 18. Super die eius obstupescent posteri. 1 *Cor.* 4. Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, id est, iudicio. *Gen.* 48. Pauci & mali fuerunt dies annorum meorum. *Ecclesiast.* 7. Dies priores fuerunt meliores istis. 2. *Timoth.* 3. Illud autem scito fore, vt extremis diebus instent tempora molesta. *Heb.* 1. Per quem condita sunt secula. *Heb.* 11. Per fidē intelligimus constructa secula verbo Dei. *Rom.* 12. Ne configuremini seculo isti. *Iob.* 32. Dies loquentur, & multitudo annorum notam reddet sapientiam, id est, ætate prouectiores.

5. *Ad metonymiam adiuncti pertinet, cum vox alicuius venti adhibetur ad subiectam plagam significandam. Sophon.* 2. Extendet manum suam super Aquilonē, & perdet Assur. *Esa.* 43. Dicam Aquiloni. *Esa.* 51. Ab Aquilone venient prædones.

6. *Ex voce adiuncti occupati significatur subiectum occupans. Es.* 53. Quis credit auditui nostro, id est, sermoni. *Matt.* 4. Exiit auditus eius in totam Syriam, hoc est, fama. *Sic spes* pro re sperata dicitur, *Prov.* 13. Spes, quæ differtur, affligit animam, *Rom.* 6. Spes, quæ cernitur, non est spes. *Galat.* 5. Spem iustitiæ expectamus. *Petitio* pro re petita. 1. *Sam.* 1. Dedit mihi Iehoua petitionem meam, id est, rem, quam petii. *Iob.* 6. Quis det, vt veniat petitio mea: Et expectationem meam det mihi Deus.

IRONIA.

Ironia S. literis vsitata.

Ironia in S. literis, est pia, vel impia.

Pia est in persona Dei, Christi, & hominum piorum. Et hæc significat peccati iusti reprehensionem.

Ironia in persona Dei. Genes. 3. Dixit autem Iehoua: Ecce homo iste factus est, quasi vnus ex nobis. *Iud.* 10. Dixit autem Iehoua ad filios Israel: Ite & clamate ad deos vestros: quos elegistis, ipsi saluent vos, tempore angustiæ.

Ironia in persona Christi. Matth. 26. Et videns eos dormienses, dixit: Dormite iam, & requiescite. *Marc.* 7. Et dixit Iesus Pharisæis hypocritis: Bene sane abrogatis mandatum Dei, & traditiones vestras seruatis. *Luc.* 11. Date eleemosynam, & ecce omnia vobis erunt munda. *Ioh.* 7. Clamabat Iesus in templo, & me nostis, & vnde sim, nostis. *Matth.* 22. Amice, quomodo hunc intrasti, non habens vestem nuptialem.

In persona hominum piorum ironia est. 1 *Sam.* 26. Dixit autem Dauid ad Abner:

ner: Nunquid non vir es! Et quis alius est similis tui in Israel? 1.*Reg*.18. Cum autem esset meridies, illudebat eis Elias, dicens: Clamate altius, Deus enim est. Sed aliquid fortasse contemplatur, aut occupatus est, aut iter facit, nisi forte dormit, vt sit expergefaciendus. 1.*Reg*.22. Ascende & prospere ages. Nam tradet Ramoth in manus tuas. *Ez*.28. Ecce sapientior es Daniele. Nihil est tam occultum, quod te lateat. *Ioel*.3. *Amos* 4. Venite in Bethel, impie agite in Gilgala, multiplicate præuaricationes, & offerte victimas vestras. 1.*Cor*.4 Iam saturati estis, iam ditati estis, absque nobis adepti estis regnum.

Ironia impia, est Satanæ & mancipiorum illius. Gen.3. Et dixit serpens ad mulierem: Non omnino moriemini, sed eritis sicut Elohim, scientes bonum & malum. *Gen*.37. Ecce magister ille somniorum venit, adeste. 2 *Samuel*.6. O quanta fuit hodie regis Israelitici grauitas, id est, leuitas. *Psalm*. 22. est mimesis impiorum, Dauidem & Christum deridentium: Eruat eum, eripiat eum, quoniam placet ei. *Matth*.2. ait Herodes: Vt & ego veniam, & adorem eum. *Matth*.27. Si es Filius Dei, descende de cruce. *Ioh*.19. Ecce rex vester. *Matth*.28. Aue rex Iudæorum. *Ibidem*. Confidat in Deo, eruat ipsum nunc, placet ei. *Huc refer*, quando benedicere ponitur pro maledicere. 1. *Reg*.21. Benedixisti Deo, & regi. *Ibid*. Benedixit Naboth Deum & regem. *Iob*.1. Peccarunt filii mei, & Deum benedixerunt.

METAPHORA.

Metaphoræ sacræ inueniuntur in nomine, verbo, & aduerbio. In nomine, tum substantiuo, tum adiectiuo. *Metaphora sacra.*

1. *In nomine substantiuo*. Sic *magistratus* vocantur dii; quia Dei vices in his terris gerunt, & maiestatis diuinæ vestigia quasi in se sculpta habent. *Psal*. 82. Deus stat in cœtu deorum, & in medio deorum iudicat. *Iob*.41. A maiestate eius timere dii. *Exercitus* pro multitudine ponitur. *Gen*.2.*v*.1. Itaque perfecti sunt cœli & terra, & omnis exercitus eorum, id est, omnia, quæcunque in cœlis & terris ordinata sunt, quibusque cœlum & terra cohonestantur, sicut imperatores suis exercitibus. *Ierem*.33 Non potest numerari exercitus cœli. *Hic modus* metaphoræ est copiosissimus. *Psalm*.23. Iehoua est pastor meus. *Ierem*.37. Habitaculum pastorum, id est, sacerdotum. *Ezech*.34. Suscitabo super eos pastorem vnum, & pascet eos. *Matth*.5. Vos estis sal terræ. *Ioh*.8. Ego sum lux mundi. *Gen*.49. & 32. Sanguis vuarum, pro, succus vuarum. *Gen*.4. Ecce vocem sanguinis fratris tui clamantis ad me de terra. *Ibid. vers*.11. Terra os suum aperit ad excipiendum sanguinem fratris tui. *Psalm*.46. Transferentur montes in cor maris, id est in medium. *Psalm*.57. Filii hominum gladii fulgentes sunt, dentes eorum arma & sagittæ, ac lingua eorum gladius acutus. *Roman*. 12. Carbones ignis

congeres ſuper caput eius, id eſt, tua indebita miſericordia excruciabis eum. 1.*Petr*.1. Omnis caro eſt gramen, & omnis gloria eius vt flos graminis, exaruit gramen & flos eius. *Geneſ*.15.*verſ*.1.dicit Deus Abrahamo: Ego clypeus ſum tibi. *Matth*.16.*verſ*.6. Cauete à fermento Phariſęorum & Sadducæorum. *Iohan*. 2.*verſ*. 19. Deſtruite templum hoc, & tribus diebus erigam illud. Hic Chriſtus per templum intelligit corpus ſuum. 1.*Corinth*.3. *verſ*. 16. An neſcitis vos eſſe templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis, nempe, per certa dona. *Pſalm*. 22.*verſ*.7. Ego ſum vermis. 1.*Sam*.24. *verſ*. 5. ait Dauid Sauli ipſum perſequenti: Perſequeris canem mortuum, perſequeris pulicem vnum, id eſt, hominem tenuiſſimum, nullaque potentia præditum: hic eſt hyperbole. *Geneſ*.26.*verſ*.19. Inuenerunt puteum aquarum viuentium, id eſt, perennium, & perpetuo ſcaturientium. Sic dicitur os putei. *Geneſ*.29.*verſ*.2. Os manticæ. *Geneſ*.42.*verſ*.27. pro foramine. *Iob*.15.*v*.1. & 5. Ego ſum vitis illa vera, vos eſtis palmites. *Iohan*.1.*v*. 1. In principio erat ὁ λόγος, Sermo ille, id eſt, Filius Dei vnigenitus, per quem nobis Pater ille cœleſtis patefecit arcanam ſuam voluntatem de noſtri redemptione, ſicuti nos per ſermonem patefacimus aliis, animi noſtri ſenſa. *Malach*.*vlt*. Ecce ego miſſurus ſum vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Iehouæ maximus & reuerendus, id eſt, Iohannem Baptiſtam, inſtructum ſpiritu & virtute Eliæ, vt exponit Chriſtus *Matth*. 11.*v*.14. & Angelus. *Luc*.1.*v*.17.

2. *In nomine adiectiuo*. *Apocal*.17. Vide mulierem ebriam ſanguine ſanctorum. *Tit*.2. Tu loquere quæ ſanam doctrinam decent. *Matth*.8. Sequere me, & ſine, vt mortui ſepeliant ſuos mortuos. *Matth*.15. Cæci ſunt, & cæcorum duces. *Ierem*.9. Iſrael præputiatus eſt corde, id eſt, profanus. *Ierem*.6. Præputiata eſt auris eorum, id eſt, ſurda. *Exod*.6. Quomodo audiet me Pharao, cum ſim præputiatus labiis, id eſt, indiſertus.

3. *In verbo*. Exaudiam cœlos, & ipſi exaudient terram, & terra exaudiet frumentum, & muſtum, & oleum, & iſta exaudient Iſraelem. *Hoſ*.1. Sic *Hoſ*.9. Area & torcular non paſcet eos, & muſtum mentietur iis. *Hab*.7. Opus oliuæ mentitur. *Io l*.1. Vaſtatus eſt ager, luget terra. *Ibid*. Vitis erubuit. *Pſal*.6. Natare facio lectum meum per totam noctem in lachrymis meis. *Pſalm*.36. Inebriabuntur pinguedine domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos. *Pſalm*.37. Impii tanquam fœnum velociter areſcent, & velut olera herbarum, cito decident. *Pſalm*.42. Sitiuit anima mea Dominum, & lachrymæ meæ mihi ſunt panis. *Pſal*. 53. Qui deuorant plebem meam. *Pſalm*.65. Coronas annum benignitate tua, & ſemitæ tuæ ſtillant pinguedinem. *Ibid*.*verſ*.13. Pingueſcent ſpecioſa deſerta, & exultatione colles accingentur. *Huc pertinet* ἀνθρωποπάθεια. *Geneſ*.22.*verſ*.1. Deus tentauit Abrahamum, id eſt, inſtar tentantium, examini eum ſubiecit, vt palam fieret, qua fide erga ipſum præditus eſſet. *Geneſ*.6.*verſ*.6. Pœnituit Iehouam,

uam,& dolore affectus est in corde suo. *Ibid.v.12.* Cũ inspiceret Deus terrã. *Gen.8.v.1.* Cum recordaretur Deus Noachi. *Ibid.v.21* Odoratusq; Iehoua odorem illum gratum, dixit in corde suo. Hic tamen rectius agnoscitur metonymia causæ, vt supra diximus. Hunc pertinent verba *videre, audire, gustare*, cum illud pro frui, vel pati, istud pro intelligere hoc, pro cognoscere ponitur. *Psalm.4.* Quis faciet nos videre bonum? *Psalm.16.* Ne sinas sanctum tuum videre corruptionem. 4. *Reg.18.* Loquere ad seruos tuos Syriace. Nam nos audimus. *Psalm.34.* Gustate & videte, quam bonus sit Dominus. *Iohan.8.* Si quis sermonem meum seruat, non gustabit mortem æternam. *Ad metaphoram* verborum & illa pertinent. *Genes.2.* Ædificauit Deus ex costa mulierem. *Mal.3.* Etiam illi, qui faciunt iniquitatem, ædificantur, id est, florent. *1.Thess.5.* Aedificate vos mutuo. *Stillare* pro docere. *Ezech.21.* Pone faciem tuam contra vim Austri, & stilla ad meridiem. *Amos 7.* Ne prophetes contra Ierusalem, & ne stilles contra domum Israel. *Ambulare*, pro instituere vitam: vt, Ambulare in lege Domini: ambulare Spiritu. *Induere* maledictionem. *Psalm.109. Ibidem.* Indui pudore. *Galat.3.* Induere Christum. *Coloss.4.* Exuite veterem hominem, & induite nouum. *Cum verba* diligere, & amare, procurare, iuuare, obseruare, & defendere ponuntur, item verba actionis ipsius, pro studio & conatu, alii metaphoram; alii metonymiam causæ & effecti statuunt, eo quod curatio, adiumentum, &c. sint amoris, effecta; studium vero & conatus sint causa actionis. Sic cum odisse pro negligere ponitur. *Prouerb.13.* Qui parcit virgæ odit filium suum, id est, negligit. *Luc.14.* Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, non est me dignus, i.e. qui non negligit patrem suum propter me, cum res postulat. *Ezech.24.* Mundaui te, & non es mundata, i.e, conatus sum te mundare. *Rom.15.* Vnusquisq; proximo suo placeat in bonum, id est, studeat placere. *1.Cor.10.* Sicut & ego per omnia omnibus placeo, i.e. placere studeo. *Gal.5.* Facti estis inanes Christi, quicũq; per legem iustificamini, i.e. vultis per legẽ iustificari. *Præterea*, cùm verba factorum, pro verbis dictorum ponuntur, alii metaphoram, alii metonymiam esse dicunt, quod dicta sint adiuncta factorum: vt, *Exod.13.* Sanctificabis mihi omne primogenitũ, pro, mandabis populo, vt sanctificet. *Es.6.* Impingua cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte oculis suis videant, pro, denuncia, illos tales futuros. Nam *vers.9.* dicitur: dic populo huic: *Ierem.9.* Constituo te hodie super regna, & gentes, vt euellas & destruas, vt ædifices & plantes, pro, prædices impia regna euertenda, & rursum, aliquando restauranda. *Actor.10.* Quæ Deus purgauit, ne tu polluito, id est, polluta dixeris. In his igitur metonymia subiecti potius fuerit, quam metaphora. *Sic non* metaphora, sed metonymia adiuncti est, cum verba vocandi & dicendi, pro ipso facto vsurpantur. 2. *Regum* 8. Vocabit DEUS famem super terram. *Ierem.36.* Vocabo fru-

mentum, & multiplicabo illud. *Rom.*4. Vocat ea quæ non sunt, tanquam sint, id est, facit.

4. *In aduerbiis. Gen.*21. Dure accipere, pro, grauiter ferre. *Tit.*1. Increpa eos dure, vt sint sani.

5. *Hyperbole in metaphoris est insignis. Habac.*2. Lapis clamat è muris, & ligna è structuris ligneis respondebunt eis. *Deut.*32. Gladius meus comedet terram. *Ier.*46. Vorabit gladius, & saturabitur, inebriabiturque sanguine eorum. *Psalm.*19. Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius annunciat expansum. Dies diei loquitur sermonem, & nox nocti indicat scientiam. *Rom.*8. Creatura exerto capite expectat liberationem filiorum Dei. *Psalm.*114. Mare vidit & fugit, Iordan conuersus est retrorsum, montes subsilierunt vt arietes, & colles sicut agni ouium.

6. *Allegoria in metaphoris locum habet amplissimum. Esa.*42. Arundinem quassatam non conteret, & linum fumigans non extinguet. *Hose.*8. Quia seminant ventum, turbinem metent. *Matth.*7. Ne detis quod sanctum est, canibus; nec margaritas vestras coram porcis proieceritis. 1. *Corint.*9. Boui trituranti non obligabis os. *Gal.*6. Quidquid seminat homo, hoc & metet. *Ezech.*18. Patres comederunt vuam acerbam, & filiorum dentes obstupuerunt. *Matth.*15. Si cœcus cœcum duxerit, ambo in foueam cadēt. 1. *Cor.*9. Modicum fermenti totam massam fermentat. 1. *Pet.*2. Accidit illis, quod vere prouerbio dici solet: Canis ad vomitum reuersus est, & sus ad volutabrum cœni. *Psalm.*51. Expia me hyssopo, & mundabor; laua me, & supra niuem dealbabor.

Prosopopœia metaphorica. 7. *Metaphora illa est illustris, qua proprietates rerum animatarum transferuntur ad inanimatas; & hominis, ad bestias.* Doctores hanc vocant prosopopœiam, quæ alia est ab illa, quæ est figura sententiæ. Hoc modo *populus* seu *gens* de bestiis dicitur. *Ioel.* 1. Inuadit terram meam potens & innumerabilis gens. Loquitur hic de locustis Propheta. *Exercitus* de iisdem dicitur. *Ioel.*2. Reddam vobis fructus, quos comederunt locustæ, exercitus meus ingēs. Sic *filius bouis & asinæ* dicitur. *Exod.*29. Tolle iuuencum vnum filium bouis. *Zach.*9. Sedens super asinum, & super pullum filiū asinæ. Sic filius pharetræ dicitur pro sagitta. *Thren.*3. Fecit vt intrarent in renes meos filii pharetræ. Sic filię pro vrbibus minoribus ad metropolin pertinentes dicuntur. *Esa.*40. Ita *manus* tribuitur brutis & inanimis. *Es.*47. Non liberabunt animam suā de manu flammæ. *Iob* 5. Redime me à manu gladii. *Præputium* arboris pro fructu immundo ponitur. *Leuit.*19. Tum circūcidetis præputia eius. Huc refer & illa. *Cant* 1 Nigra sum: quia Sol me adspexit. *Es.*24. Ecce lapis iste erit testis fœderis. Ipse enim audiuit omnia verba Iehouæ. *Ps.*98. Flumina plaudent manu, & colles exultabunt. *Psalm.*65. Pascua induant se pecudibus, & colles operiant se frumento. *Deut.*32. Inebriabo sagittas meas sanguine. *Psal.*24. Eleuate portæ capita vestra. *Psal.*85. Misericordia & ve-

& veritas sibi mutuo obuiam venient, iustitia & pax se mutuo osculabuntur. *Psal.* 30. Vesperi pernoctabit fletus, sed mane reuertetur lætitia. Cæterum explicationes quarundam sacrarum metaphorarum, vide in erudito *Leuini Lemnii* libello de similitudinibus & parabolis, quæ in sacris literis ex herbis atque arboribus desumuntur.

Synecdoche membri.

Synecdoche membri in sacris literis.

1. *Membra hominis vsurpantur pro toto homine.* Sic *anima* pro homine. *Genes.* 12. Tulit Abraham animas, quas sibi acquisiuerat in Haram, id est, seruos. *Gen.* 26. Peperit ipsi Iacob decem animas. *Ezech.* 18. Anima quę peccauerit, ipsa morietur. *Rom.* 13. Omnis anima subiecta sit potestati. Confer, *Gen.* 17. *v.* 14. *Gen.* 46. *v.* 26. *Act.* 3. *v.* 23. *Gen.* 36. *v.* 6. *Psal.* 6. *v.* 5. Eripe animam meam. Ita *spiritus* pro homine. 1. *Ioh.* 4. *v.* 2. Omnis spiritus, qui confitetur, Christum in carnem venisse, est ex Deo. *Corpus pro homine. Rom.* 12. Precor, vt sistatis corpora vestra, hostias viuas Deo. 1. *Cor.* 6. An nescitis corpora vestra esse membra Christi. *Caro* ponitur pro corpore toto. *Iohan.* 6. Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita. 2. *Cor.* 7. Purgemus nos ab omni iniquamento carnis & spiritus. *Caro* pro toto animante. *Psal.* 136. Qui dat escam omni carni. *Gen.* 6. Finis omnis carnis venit coram me: quia omnis caro corrupit viam suam. *Caro* pro toto homine. *Psal.* 56. Deo fidam, non timebo, quid faciat mihi caro? *Psal.* 145. Benedicet omnis caro nomini sancto eius. *Ioel.* 2. Effundam Spiritum meum super omnem carnem *Luc.* 3. Videbit omnis caro salutare Dei. *Rom.* 3. Ex operibus legis nulla caro iustificabitur. *Iohan.* 1. Et verbum caro factum est. 1. *Timoth.* 1. Deus manifestatus est in carne. *Esa.* 40. Omnis caro gramen. *Sanguis* pro toto homine. *Psalm.* 94. Congregant exercitum contra animam iusti, sanguinem innocentem condemnant. *Matth.* 27. Peccaui prodens innocentem sanguinem. *Caput* pro homine. 2 *Reg.* 2. An non nosti, quod Iehoua tollet Dominum tuum à capite tuo. *Cor* pro homine. *Ezech.* 20. post auaritiam cor eorum ambulat. Sic *oculus & auris* pro toto homine: Sex sunt, quæ odit Iehoua, &c. oculos sublimes, linguam mendacem, & manus effundentes sanguinem innocentem, cor moliens cogitationes iniquas, pedes festinantes, vt currant ad malum: id est, homines elatos, mendaces, &c. *Porta* pro ipsa vrbe ponitur. *Deut.* 12. Leuita, qui est in portis vestris. *Gen.* 22. Semen tuum possidebit portas inimicorum tuorum. *Deut.* 18. Iudices & præfectos constitues in omnibus portis tuis, quas dabit tibi Deus. *Sion* pro tota Hierosolyma. *Psal.* 69. Saluam faciet Iehoua Sion. *Mich.* 3. Propter vos Sion vt ager arabitur: *Dies* pro integro anno. *Amos* 3. Et adferte mane hostias vestras, post dies tres decimas vestras. Hoc *Deut.* 14. sic explicatur: Post tres annos proferes omnes prouentus tui decimas.

2. *Aduerbia temporis late accipiuntur. Cras* pro toto tempore futuro. *Gen.* 30, *v.* 33 Sic attestetur mihi iustitia mea cras. *Heri* & nudius tertius pro toto tempore præterito. *Gen.* 31. *v.* 2. Vultus Labanis non erat erga Iacobum sicut heri & nudius tertius. Vide plura in seqq.

Ad hunc tropum refer, quando *bibere* pro conuiuari ponitur. *Gen.* 43. *v.* 34. Biberunt, & inebriati sunt cum eo. Hic obiter notandum, inebriandi verbo non significari repletionem istam plus quam belluinam, quæ apud vini potores in vsu est: sed eiusmodi vini potum, quo & sitis extinguitur, & animus exhilaratur; sicut accipitur *Ioh.* 2. *v.* 10, *Hagg.* 1. *v.* 6.

Synecdoche speciei.

Synecdoche speciei.

1. *Species excellens ponitur pro genere. Vir* pro vtriusque sexus homine. *Psal.* 32 Beatus vir, cui remissæ sunt iniquitates. *Ier.* 17. Maledictus vir, qui confidit in homine. *Pater* pro maioribus. *Psal.* 22. In te sperauerunt Patres nostri. *Psal.* 106. Peccauimus cum Patribus nostris. *Pater* pro authore. *Gen.* 4. *v.* 20. Iabal fuit pater degentium in tentoriis, & pecuariæ. *Frater* pro cognato & consanguineo. *Gen.* 14. *v.* 14. Cum audisset Abraham, captiuum esse fratrem suum, nempe Loth, cognatum suum. Sic Euangelistæ cognatos Christi nominant fratres eius *Matth.* 12. *v.* 46. *Ioh.* 7. *v.* 3. & 5. *Filius* pro posteris. *Ier.* 30. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. *Exod* 1. Filii Israel, pro, posteri. Atque hoc modo *Matt.* 22. Christus dicitur filius Dauidis. *Græci* pro ethnicis. 1. *Corinth.* 1. Iudæi signum petunt, & Græci sapientiam quærunt. *Ibid.* Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis vero scandalum. *Panis* pro omni esculento. *Gen.* 3. *v.* 19. In sudore vultus tui, vesceris pane tuo. 1. *Sam.* 14. Non gustauit omnis populus panem. *Psalm.* 147. Dat iumento panem suum. *Vita & mors* pro bono & malo. *Deut.* 30. Propono tibi vitam & benedictionem, & mortem & maledictionem. *Exod.* 10. Orate pro me Iehouam, vt auferat à me mortem istam. *Pax* pro bono & felicitate. *Esa.* 32. Erit opus iustitiæ pax, id est præmium iustitiæ erit felicitas. *Rom.* 2. Gloria, honor, & pax omni operanti bonum. Hic crebra est hyperbole. *Genes.* 11. *v.* 14. Cuius fastigium assurgat in cœlum, id est, quam altissime. *Gen.* 14. *v.* 23, negat Abraham se de præda accepturum à filo vsq; ad corrigiam calceamenti, id est, nullam rem etiam vilissimam. *Gen.* 27. *v.* 46. dies vni ponuntur pro paucissimis, *cap.* 29. *v.* 20. tanquam dies vni, id est, paucissimi. *Gen.* 41. *v.* 47. Produxit terra manipulatim, id est, maximo prouentu. q. d. ex vno grano integer manipulus colligebatur.

2. *Numerus certus pro incerto ponitur. Duplex* pro multiplici. *Esa.* 40. Suscipiet de manu Iehouæ duplicia pro peccatis suis, id est, multa beneficia accipiet à Deo pro calamitatibus quas propter peccatum pertulit. *Septem & septies* pro multis, & multoties. Sic & *decies Gen.* 33. *v.* 3. Iacob versus fratrem

trem suum Esau incuruabat se in terram septies. *Gen.* 31. *v.* 7. dicit Iacob, Labanum mutasse mercedem suam decies. *Prou.* 26. Cum te blande compellat, ne credas ei, quoniam septem abominationes sunt in corde eius. *Esa.* 4. Et apprehendent septem mulieres virum vnum. *Ierem.* 15. Eneruata est, quæ peperit septem. *Leuit.* 26. Percutiam vos septies propter peccata vestra. *Psal* 12. Eloquia Iehouę sunt eloquia munda, argentum purgatum septies. *Prou.* 24. Septies in die cadit iustus. *Iob.* 5. In sex angustiis eruet te, & in septima non tanget te malum. *Amos* 1. Propter tres præuaricationes Damasci, & quatuor, non parcam ei, id est, propter varia peccata non parcam Damasco. *Eccles.* 7. Sapientia roborat sapientiam magis, quam decem potentes. *Eccles.* 8. Quamuis peccans faciat malum centum vicibus. *Psal.* 119. Diligo iudicia tua magis quam decem millia auri & argenti. *Psal.* 3. Non timebo à decem millibus populorum. *Num.* 10. Reuertere Iehoua ad myriades millium Israelis. *Huc nonnulli* referunt voculas heri, cras, hodie, quando pro præterito, futuro & præsenti ponuntur. Diximus tamen paulo ante, quod etiam hæc talia exempla referri possint ad synecdochen membri. *Esa.* 58. Ne ieiunetis posthac, sicut hodie. *Mich.* 2. Heri populus meus, tanquam hostis insurgit, id est, qui ante populus meus fuit, nunc hostis meus factus est. 2 *Reg.* 9. Nisi sanguinem Naboth viderim heri, i. e. memor ero sanguinis Nabothi nuper effusi. *Iob.* 8. Ab heri sumus, id est, nuper nati, & breui morituri. *Exod.* 13. *& Deut.* 6. Cum interrogauerit te filius tuus cras, i. e. olim. *Ios.* 4. Cum cras interrogauerint filii patres suos. *Math.* 6. Ne sitis soliciti de crastino. *Huc referunt* quidam, quando voculæ donec & vsque pro indeterminato tempore accipiuntur, & ferme idem significant, quod semper aut nunquam. Vide supra *cap.* 106. *anteced.*

3. *Numerus singularis ponitur pro plurali.* *Gen.* 12. *v.* 3. Erat Chananæus in ea regione, id est Chananæi, *Gen.* 13. *v.* 7. similis est locutio. *Psalm.* 8. Quid est homo, quod memor es eius? *Rom.* 3. Colligimus fide iustificari hominem. *Ier.* Ciconia in cœlo cognouit tempus suum, turtur, & grus, & hirundo obseruant tempus suum. *Ioel.* 1. Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit bruchus. Hunc modum quidam referunt ad synecdochen membri.

Synecdoche integri, seu totius.

1. *Persona integra ponitur pro anima, vel corpore, vel alio membro.* *Ioh.* 20. Sustulerunt Dominum meum, pro, corpus Iesu Domini mei. *Luc.* 16. Et diues apud inferos vidit Abrahamum procul, & Lazarum in sinu eius, pro, anima diuitis, Abrahami & Lazari. *Gen.* 16. Occlusit me Iehoua, id est, vterum meum. *Synecdoche integri in sacris literis.*

2. *Mundus & terra, pro certa mundi parte.* Cum hac tamen synecdocha coniuncta est metonymia. *Ioh.* 12. Mundus eum sequitur, i. e. multi Iudæorum. *Rom.* 4. Nō per legem promissio cessit Abrahæ, vt hæres esset mundi

i. e. ter-

id eſt, terræ promiſſæ. *Eſa.*13. Viſitabo ſuper orbem terrarum, id eſt, ſuper imperium Babylonicum. *Luc.* 2. Exiit decretum à Cæſare Auguſto, vt cenſeretur totus orbis, id eſt, prouinciæ ſubiectæ Romano Imperio. *Gen.* 41. Et omnis terra venit in Ægyptum, id eſt, Palæſtina, & alia loca Ægypto vicina. 4. *Reg.* 32. Omne regnum Sennacherib erat cum eo, id eſt, pars magna *Matth.* 8. Tota ciuitas obuiam iuit Ieſu.

3. *Totum tempus ponitur pro parte temporis.* *Matth.* 12. *v.* 40. Chriſtus fuit tres dies in ſepulchro: videlicet parte diei Veneris, & parte diei Dominici, totoque die Sabbathi.

4. *Huius loci eſt illa loquendi forma, quæ Theologis dicitur* κοινωνία ἰδιωμάτων, *communicatio idiomatum.* Hæc nihil eſt aliud, quam ſynecdoche integri, qua quod alterutrius in Chriſto naturæ proprium eſt, toti perſonæ tribuitur, ab altera natura denominatæ, propter hypoſtaticam ſeu perſonalem duarum illarum naturarum vnionem. *Ioh.* 3. *ver.* 13. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo. *Ioh.* 6. *v.* 62. Quid ſi videritis Filium hominis aſcendentem eo vbi erat prius? Atque in his locis facta eſt denominatio à natura humana: contra à natura diuina in iſtis. 1. *Corinth.* 2, *v.* 8. Dominum gloriæ crucifixerunt. *Actor.* 20. *v.* 28. Deus Eccleſiam acquiſiuit proprio ſanguine.

Synecdoche generis.

Synecdoche generis in ſacra Scriptura.

I. *Nomina ſubſtantiua generalia ponuntur pro vocibus ſpecierum.* *Creatura* pro homine. *Marc.* 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. *Coloſſ.* 1. Euangelium prædicatum eſt omni creaturæ ſub cœlo. *Viuens* pro homine. *Gen.* 3. Adam appellauit vxorem ſuam Euam, quod eſſet mater omnium viuentium. *Flumen* pro certo indiuiduo. *Gen.* 31. Fugit itaque Iacob, & tranſiuit flumen, id eſt, Euphratem. *Ioſ.* 24. Trans flumen habitarunt veſtri ſeculo. *Malum* Pro cruce, calamitate. 2. *Reg.* 6. Hoc malum à Iehoua eſt. *Amos* 3. Non eſt malum in ciuitate, quod non faciat Dominus. *Bonum* pro certa ſpecie. *Pſal.* 65. Coronas annum bono tuo. *Pſal.* 103. Qui ſatiat bonis os tuum. *Eſa.* 1. Bonum terræ comedetis. *Mulier* pro certo indiuiduo. *Gen.* 3. Semen mulieris, id eſt, virginis Mariæ. *Gal.* 4. Deus miſit Filium ſuum, factum ex muliere. *Pſalm.* 1. Erit ſicut arbor, id eſt, ſicut palma. *Pſal.* 33. Non ſeruabitur gigas in multitudine virtutis ſuæ, i. e. fortitudinis ſuæ.

II. *Notæ vniuerſalitatis Omnis, Nullus, &c. ponuntur pro certa ſpecie.* *Matth.* 21. Omnes habent Iohannem quaſi Prophetam. *Phil.* 2. Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Chriſti, id eſt plerique. 1. *Paral.* 14. Et emanauit nomen Dauidis in omnes terras, & Iehoua dedit timorem eius in omnes gentes. *Matth.* 24. Et odio eritis omnibus gentibus propter nomē meum. *Matth.* 5. Beati eritis, cum in vos dixerint omne malum. 1. *Reg.* 12. Et omnes Iſraelitæ lapidarunt eum, i. e. omnes eo in loco præſentes. *Exod.* 9. Omnia anima-

animalia Ægypti mortua sunt scilicet quæ in agro erant, vt dicitur *vers.* 3. Nam post Ægypti multos equos & currus habebant. *Ierem.* 26. Tum congregatus est omnis populus contra Ieremiam in domo Iehouæ scilicet impius, præsertim sacerdotes & Pseudo-Prophetæ. Nam *v.* 11. & 16. dicitur, quod principes, & totus populus Ieremiam defenderint. *Matth.* 4. Sanans omnem languorem, scil. sibi oblatum. *Marc.* 9. Omnia sunt possibilia credenti, id est, omnia bona potest facere credenti Christus. *Marc.* 16. Ite docete omnes gentes, scilicet ad quas peruenietis. 1. *Cor.* 6. Omnia mihi licent, sed non omnia conducunt: omnia, scil. adiaphora. *Iohan.* 12. Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me, id est, omnes credentes. 1. *Cor.* 1. Charitas omnia credit, omnia sperat, omnia suffert, scil. credenda, speranda, & toleranda. Sunt tamē, qui in his exemplis nullam agnoscunt synecdochen, & dicunt, vniuersalitatem habere gradus; aliam esse summam, aliam mediam, aliam infimam: ideoque vocem OMNIS significare aiunt nunc hanc, nunc illam generalitatem.

3. *Nullus & Nemo quoties vsurpantur pro paucissimis, sustinent synecdochen generis. Ier.* 8. Nullus est, qui agat pœnitentiam mali sui, i. e, admodum pauci. *Ioh.* 3. Et nemo testimonium eius accepit, i. e. perpauci. Huc pertinet vox *Nihil*, quoties pro parum ponitur. *Iohan.* 18. Nihil in occulto locutus sum. *Actor* 27. Dies hic decimus quartus est, quod ieiuni permanetis, nihil cibi capientes, pro, parum. *Exod.* 12. Nihil operis facietis in diebus infermentatis, scil. nihil operis seruilis. *Iohan.* 15. Sine me nihil potestis facere, scilicet boni & spiritualium fructuum. 2. *Thess.* 3. Nihil operantes, sed curiose agentes. 1. *Tim.* 6. Si quis non accedit sanis sacris sermonibus Domini, is turget nihil sciens, scilicet nihil sanum & vtile.

4. *Verba quædam hoc tropo sunt affecta. Genes.* 4. Adam cognouit vxorem suam. *Gen.* 13. Quæ non cognouerunt virum. *Luc.* 1. Virum non noui. Et quidem in his exemplis cognoscere τὸ accipitur per εὐφημισμὸν, pro concubitu. *Interdum* cognoscere, & noscere, pro facere & probare ponitur: id quod dicunt fieri per concomitantiam. Hinc regula; Verba notitiæ accipienda sunt per concomitantiam pro affectu consequente: vt, *Psalm.* 1. Nouit Iehoua viam iustorum. *Matth.* 7. Non noui vos. Potest etiam hic statui metonymia causæ, vt supra diximus. Sic verbum *iudicare* accipitur pro cognoscere causam, ferre sententiam, punire sontes, defendere innoxios. *Psal.* 7. Iudica me Domine. *Ioh.* 3. Non misit Deus filium suum in mundum, vt mundum iudicet, sed vt mundus seruetur per eum. Qui credit in eum, non iudicatur; qui vero non credit, iam iudicatus est. Hic iudicare est condemnare.

5. *Aduerbia semper, vbique, nunquam, quandoque hanc synecdochen recipiunt. Exod.* 28. Gestabit Aharon iudicium filiorum Israel super cor suum coram Iehoua semper: scilicet quoties ingreditur tabernaculum. 2. *Sam.* 7. Tu

comedes panem ad mensam meam semper, scilicet quoties comedo. *Psal.* 51. Peccatum meum coram me est semper, hoc est, sæpe cogito de peccato meo. *Luc.* 18. Oportet semper orare, nec segnescere. *Ioh.* 15. Ego semper docui in synagoga & in templo, id est, sæpe. Sic *æternum* pro longo tempore & rei præsenti conueniente, tanquam specie angustiori ponitur. *Leuit.* 25. Si serui alienigenæ fuerint, opera eorum in æternum vtemini, pro, si vultis, non necessum erit illos dimittere ad annum Iubilæum. *Deut.* 15. Seruiet tibi in æternum. *Esa.* 34. Et bestiæ possidebunt Idumæam & Bosram vsque in æternum. *Dan.* 2. Rex in æternum viue. *Ierem.* 25. Ecce redigam Iudæam, & terras vicinas in stuporem, in sibilum & solitudinem perpetuam, id est, diuturnam. *Marc.* 16. Illi vero egressi, prædicarunt vbique, Domino cooperante, id est, passim. 1. *Cor.* 4. Sicut vbique in omnibus Ecclesiis doceo. Sic aduerbium *Non* negat aliquando specialiter. *Psal.* 7. Non est iniquitas in manibus meis, scilicet in causa Saulis. *Ierem.* 7. Non præcepi vobis de sacrificiis, scilicet faciendis cum opinione cultus & sine officiis charitatis. *Matth.* 11. Venit Iohannes neque comedens, neque bibens, scilicet cum quibusuis, aut quemuis cibum & potum, vt Christus fecit.

6. *Nomina rebus imposita, manent, etiam cessante qualitate, actione & relatione, ob quam sunt imposita. Matth.* 11. Renunciate quæ auditis & videtis; Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, id est, qui ante fuerunt tales. Ita Simon dicitur leprosus, qui ante fuerat leprosus; & Petrus, piscator appellatur, qui prius fuerat piscator.

7. *Pluralis numerus ponitur pro singulari. Iohan.* 3. Christus de se loquitur: Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur, sed testimonium nostrum non recipitis. *Gen.* 21. *v.* 7. Certo lactabit filios Sara, id est, filium. Hunc tamen modum quidam referunt ad synecdochen integri. *Huc* quidam referunt Hebraismos illos, qui nominatiuo singulari verbum pluralis numeri, & contra nominatiuo plurali verbum singulare adiungunt: vt *Exod.* 16. Et dixerunt vir ad fratrem suum. *Iob.* 4. Vir fratri suo adhærebunt.

8. *Vocabulum Dei, quod generale est, & tribus personis commune, sæpe vsurpatur pro vna persona SS. Trinitatis. Gal.* 4. *v.* 4. Cum venit plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum. Et *ibid. v.* 6. Quoniam estis filij, emisit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra. Hic significatur Pater. Interdum intelligitur Filius: vt, *Actor.* 20. *v.* 28. Deus acquisiuit Ecclesiam suo sanguine. Interdum Spiritus sanctus. *Actor.* 5. *v.* 4. Non es mentitus hominibus, sed Deo, hoc est, Spiritui sancto.

9. *Nomina quædam ἐξαιρέτως, siue κατ' ἐξοχὴν vsurpantur. Psal.* 16. *v.* 10. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, id est, Christum. *Psalm.* 43. *v.* 3. Mons sanctus, id est, Sion. *Psal.* 45. *v.* 4. Accingere gladio tuo super femur

tuum

trum & potentissime, id est, ô Christe rex potentissime. *Psalm.* 48. *v.* 3. Ciuitas Regis magni, id est, Dei. *Psal.* 68. *v.* 35. Dabit voce sua vocem virtutum, hoc est, Euangelium. *Actor.* 5. *v.* 28. Et ecce repletis Hierosolymam doctrina vestra, & vultis super nos introducere sanguinem hominis istius, hoc est, Christi.

COMPLICATIO TROPORVM.

Absoluimus doctrinam troporum sacrorum. Sed quia sæpe duo tropi in vna voce concurrunt, videamus quoque paucis, quî fiat illa τῶν τρόπων συμπλοκή. *Concursus troporum in sacris literis.*

Synecdoche membri gemina est. Gen. 14. *v.* 21. Da mihi animam, id est, homines illos. Hic primo positus est singularis pro plurali; deinde pars pro toto. Potest etiam dici, quod sit synecdoche speciei & membri.

Synecdoche membri & integri, est Psalm. 16. *v.* 10. Non derelinques animam meam in sepulchro, id est, meipsum; hic est synecdoche membri. Deinde meipsum, hoc est, corpus meum; hic est synecdoche integri.

Metonymia materiæ & synecdoche speciei, est Genes. 37. *v.* 27. Iuda de Iosepho ad fratres ait; Frater noster, caro nostra est. Similis concursus est *Genes.* 29. *v.* 14.

Metonymia effecti & synecdoche generis. Genes. 30. *v.* 23. Rachel cum peperisset filium, dixit: Abstulit Deus opprobrium meum, id est, rem probrosam, nempe sterilitatem. Nam sterilitas in Veteri Testamento reputabatur maledictio. *Gen.* 32. *v.* 20. Placabo vultum eius hoc munere: vultum scilicet iratum: id est, iram.

Metonymia gemina, altera effecti, altera adiuncti, est Gen. 42. *v.* 38. Demitteretis canitiem meam cum mœrore in sepulchrum. Canities hic ponitur pro senectute, per metonymiam effecti: senectus pro sene, per metonymiam adiuncti.

Metaphora & metonymia adiuncti, Genes. 33. *v.* 19. vbi dicitur de Iacobo, quod emerit portionem à filiis Chamor, centum pecudibus, id est, centum nummis, quibus pecudis imago impressa erat. Pecus pro imagine pecudis, est metaphora: imago pecudis pro nummo, cui insculpta est, metonymia adiuncti est. Similis locutio est *Iob. vlt. v.* 11. Dederunt quisque pecudem vnam, id est, nummum vnum.

Metaphora & synecdoche generis, est Genes. 21. *v.* 1. Iehoua visitauit Saram. Visitare Deus dicitur per ἀνθρωποπάθειαν. Deinde visitandi verbum est generale, seu μέσον. Nam accipitur in sacris literis, nunc in bonam, nunc in malam partem. In malam: vt *Esa.* 23. *v.* 17. Visitabit Iehoua Tyrum, id est, excindet per Alexandrum Magnum. Est itaque synecdoche generis in proposito loco.

* * *

CAP. CII.

Figuræ dictionis.

SEquuntur iam figuræ dictionis, numero decem; quas percurremus ordine. Consistunt autem in soni, vel vocis repetitione, & plerumque emphasin habent.

EPIZEVXIS.

Epizeuxis sacrarum literarum.

Esa. 40. & 55. Consolamini, consolamini. *Ibid.* Eleuare, eleuare, consurge Ierusalem. *Esa.* 38. Viuens, viuens, ipse confitebitur tibi, sicut ego hodie. *Gen.* 3. *v.* 16. Multiplicando, multiplicabo. *Exod.* 34. *v.* 6. Domine, Domine Deus. *Habac.* 2. *v.* 3. Veniens veniet Dominus, & non tardabit. *Mich.* 2. *v.* 12. Congregans congregabo te. Hi tamen Hebraismi rectius referentur ad polyptoton. *Esa.* 6. *v.* 3. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth. *Esa.* 48. *v.* 11. Propter me, propter me faciam vt non blasphemer. *Psal.* 22. *v.* 1. Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? *Psal.* 66. *v.* 7. Benedicat nos Deus, Deus noster. *Luc.* 17. *v.* 28. In diebus Loth edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant. Hic epizeuxis est ratione terminationis, non repetitionis. Sic *Psal.* 106. Peccauimus cum patribus nostris, inique egimus, & impietatem fecimus. *Prouer.* 12. *v.* 1. Pondus, pondus; mensura, mensura, vtrumque abominabile est apud Deum, id est, varia pondera, variæ mensuræ. *Matth.* 23. *ver.* 37. Ierusalem, Ierusalem. *Iohan.* 16. *v.* 23. Amen, Amen dico vobis. *Rom.* 3. *v.* 7. Non est qui agat bonum, non est vsque ad vnum. *Rom.* 13. *v.* 7. Reddite omnibus quod debetis; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Vtitur autem scriptura hoc schemate, maioris vehementiæ, amplificationis, & certitudinis gratia.

ANADIPLOSIS.

Anadiplosis S. literarum.

Psal. 113. *v.* 8. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. *Psal.* 122. *v.* 2. 3. Stabunt pedes nostri in atriis tuis Ierusalem: Ierusalem, quæ ædificatur vt sit ciuitas, &c. *Psal.* 145. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. *Rom.* 8. Quod si filii sumus, ergo & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Rom.* 9 *v.* 10. Gentes apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem eam, quæ est ex fide. *Philip.* 2. *v.* 8. Factus Christus obediens Patri vsque ad mortem: mortem autem crucis. Scaliger hanc figuram vocat Epanastrophen. Facit ad explicationem rei, item ad vehementiam.

CLIMAX.

Climax sacræ Scripturæ.

Rom. 5. Gloriamur sub spe gloriæ: nec id solum, verum etiam gloriamur in afflictionibus, scientes quod afflictio patientiam pariat, patientia vero probationem, probatio autem spem; spes vero non confundit. *Rom.*

10.v.14. Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei, de quo non audiuerunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt, si non sunt missi? Hic est elegans regressio ab effectu ad causam, hoc modo: Omnis saluandus debet inuocare; omnis inuocans debet agnoscere Deum, agniturus Deum, est docendus de eo; doctores à Deo mittendi sunt. *Ioh.1.v.* In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. In ipso vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ illam non apprehenderunt. Hic est duplex climax. 2. *Pet.1.v.5* Præstate in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternum, in amore fraterno charitatem. 1. *Cor.11.v.3.* Caput mulieris est vir, viri Christus, Christi autem Deus. *Iacob.1.* Tentatio efficit probationem, probatio parit patientiam, patientia opus perfectum exhibet. *Ibid.* est genealogia peccati & mortis: Propria malitia excitat cupiditatem, cupiditas concipit peccatum, peccatum gignit mortem.

ANAPHORA.

Infinita huius schematis exempla in Psalmis occurrunt. *Psalm.148.v.* 1.2.3.4 5. Laudate Deum de cœlis; Laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes exercitus eius. Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes stellæ luminis. Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt. Laudent nomen Iehouæ: quia ipse dixit & creata sunt. Similis anaphora est *Psalm.* 150. *v.*1.2. *Psalm.*118. *v.* 6. Iehoua mecum, non timebo, quid faciat mihi homo? Iehoua mecum, & ego despiciam inimicos meos. *Psalm.29.vers.3.& seqq.* Vox Domini super aquas. Vox Domini in virtute. Vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringit cedros, &c. *Psalm.*124.*v.*1. Nisi Dominus fuisset nobiscum, dicat nunc Israel. Nisi Dominus ipse fuisset nobiscum. *Psalm.*127.*v.*1. Nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborant qui ædificant eam. Nisi Dominus custodiuerit ciuitatem, &c. *Rom.2.v.21.* Qui doces alium, teipsum non doces. Qui prædicas, non furandum, furaris. Qui dicis, non adulterandum, adulterium committis. Qui execraris simulacra, sacrilegium committis. Qui de lege gloriaris per legis transgressionem Deum dehonestas. *Rom.8.v.35.* Quis nos separabit à dilectione Christi? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? nū periculum? num gladius? Confer. v.38.39. eiusdem cap. *Philip.4.v.6.* Quod reliquum est fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quęcunque amabilia, quæcunque nominis boni, si qua virtus, si qua laus, ea cogitate.

Anaphora S. literarū.

EPISTROPHE.

Epistrophe S. literarũ. Viginti sex huius figuræ exempla suppeditat *Psalm.* 136. Nam in singulis versiculis clausula repetitur: *Quoniam in seculum misericordia eius. Roman.* 12. *v.* 15. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.

SYMPLOCE.

Symploce S. literarũ. *Psalm.* 136. toto continuata est symploce. In cantico trium puerorum (sic vertunt vulgo, pro, virorum) à *v.* 58. *ad* 91. eleganti symploce celebratur benignitas Dei: Benedicite Angeli Domini Domino; Laudate & exaltate eum in secula. Benedicite cœli Domino: Laudate & exaltate eum in secula. Benedicite aquæ supra cœlos positæ Domino laudate & exaltate eum in secula. *Psal.* 118. *v.* 2. 3. 4. Dicat nunc Israel, quod in seculum misericordia eius. Dicat nunc familia Aharon, quod in seculum misericordia eius. Dicant nunc, qui timeant Iehouam, quod in seculum misericordia eius. *Ibid. v.* 8. 9. Melius est sperare in Iehoua, quam sperare in homine. Melius est sperare in Iehoua, quam sperare in principibus. Item *v.* 10. 11. 12. Circumdederunt me gentes, & in nomine Domine exscindam eos. Circumdederunt me, circumdederunt, & in nomine Domini exscindam eos. Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis: & in nomine Domini exscindam eos.

EPANALEPSIS.

Epanalepsis S. literarum. *Psalm.* 8. *v.* 1. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Hæc verba repetuntur *vers. vlt. Psalm.* 120. *v.* 7. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus. *Roman.* 15. *v.* 4. Quæcunque ante scripta sunt, ad nostram consolationem ante scripta sunt. 1. *Cor.* 14. *v.* 15. Orabo spiritu, sed & mente orabo Psallam spiritu, sed & mente psallam.

EPANODOS.

Epanodos in S. literis. *Psal.* 114. Mare vidit & fugit, & Iordan conuersus est retrorsum. Montes exilierunt vt arietes. Hæc paulo post sic repetit: Quid est tibi mare, quod fugisti? Et tu Iordan, quod conuersus es retrorsum? Et vos montes, cur exiliistis: 2. *Cor.* 2. Odorem notitiæ suæ patefecit per nos. Nam Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui seruantur, & qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem: illis vero odor vitæ ad vitam. *Gal.* 2. *v.* 16. Scientes quod non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christum Iesum credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis propterea quod non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. *Rom.* 2. *versic.* 1. Eo ipso quod iudicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim facis ipse, quæ iudicas. *Rom.* 7. *v.* 19. Non enim

quod volo facio bonum, sed quod non volo malum, hoc facio. *Rom.* 9. *v.* 25. Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum; & eam, quæ dilecta non erat, dilectam.

PARNOMASIA.

Elegans paronomasia est *Esa.* 5. Expectaui, vt faceret vinea iudicium משפט, & ecce iniquitas משפח. Iustitiam צדקה: & ecce clamor צעקה. *Rom.* 2. *v.* 1. κρίνεις, κατακρίνεις. 2. *Corin.* 4. ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι. 1. *Thess.* 1. μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους. *Philip.* 3. *v.* 2. Apostolus vocabulo κατατομὴ vtitur, quod opponit vocabulo περιτομή. q. d. concisio, & circumcisio.

Paranomasia sacra.

POLYPTOTON.

Luc. 9. *v.* 60. Sine vt mortui speliant mortuos suos. *Gal.* 2. *v.* 19. Ego per legem legi mortuus sum. *Rom.* 2. *v.* 14. Exarserunt per appetentiam sui alius in alium, masculini in masculos. *Ibid. v.* 21. Qui prædicas non furandũ, furaris. Qui dicis non adulterandum, adulterium commitis. *Rom.* 4. *v.* 18. Abraham contra spem sub spe credidit.

Polyptoton in S. scriptura.

CAP. CIII.

Verba propria & impropria promiscue considerata.

Consideravimus verba propria & impropria distincte: nunc considerabimus illa promiscue, quatenus in materiis variis promiscue considerantur, vt in loco de Deo, de Christo, de lege, & similibus.

LOCVTIONES DE DEO.

1. *Membra corporea, & affectus humani tribuuntur Deo per similitudinem, seu anthropopatheiam.* Hic est regula: Quæ de Deo dicuntur ἀνθρωποπαθῶς, intelligenda sunt θεοπρεπῶς. Huc etiam refer, quando Deo tribuitur anima. Eamus per exempla. *Anima* Dei pro essentia vel vita ponitur. *Ierem.* 5. *v.* 29. An de gente huiusmodi vltionem non sumeret anima mea? *Caput*, pro principe. 1. *Corinth.* 11. *vers.* 3. Deus caput Christi: *Facies*, pro fauore, vel ira. *Psalm.* 30. *v.* 8. Te abscondente faciem tuam fui turbatus. *Psalm.* 34. *v.* 17. Irata facies Iehouæ contra facientes malum. *Oculi* pro fauore, & pro prouidentia. *Psalm.* 34. *vers.* 16. Oculi Iehouæ ad iustos. *Pupilla*, pro re charissima. *Zach.* 2. *vers.* 8. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. *Aures*, pro acceptatione precum: *Nares*, pro indignatione. *Manus*, pro potentia & protectione. *Brachium*, pro robore & fortitudine. *Dextra*, pro imperio & potestate. *Digitus*, pro virtute. *Pes*, pro imperio & robore. *Odoratus*, pro rei acceptatione. *Pœnitentia*, pro rerum & actionum mutatione à DEO facta. Hic repetendum est è superioribus, quod in locutionibus de DEO, qui-

Anthropopatheia est sacra metaphora.

quibus ipsi tribuuntur affectus humani, non solum sit metaphora illa sacra, sed etiam metonymia, iuxta illud principium Theologicum: Affectus Deo tributi intelligantur de effectis: vt, ira de horrendo eius iudicio, derelictione, & supplicio. amor, charitas & dilectio Dei, de beneficiis, defensione & cura. Hic scilicet causa pro effectu ponitur, & antecedens pro consequente.

2. *Actiones Dei, quæ speciem mali præ se ferant, promiscue debent intelligi.* Caue tamen hic intelligas otiosam permissionem. Melius sic informaueris regulam: Dicta de Deo, quæ speciem mali præ se ferunt, per operantem permissionem intelligenda sunt. *Nehem 9. v. 37.* Nam prouentum suum offert regibus, quos *præposuisti* nobis *propter peccata nostra. Esa.19.v.14.* Iehoua *miscente* in medio eius *spiritum peruersitatum*, facient vt erret Aegyptus in omni opere suo. *Exod.4 9. & 11.cap.* Deus dicitur *indurasse* cor Pharaonis. *Deut.2.v.30.* *Obturauit* Deus tuus spiritum eius, & obfirmauit animum eius, vt traderet illum in manum tuam, sicut est hoc tempore, *Iosue 11.vers.12.* *A Iehoua fuit*, quod *obfirmabant* animum suum ad occurrendum bello Israeli. *1.Sam.2.v.25.* Non auscultarunt voci patris sui, *quia Iehoua* volebat illos perdere. *Psalm.105.v.25.* Mutauit animum istorum, vt odio haberent populum suum, vt machinarentur contra seruos suos. *Rom.1.v.28.* Tradidit eos Deus in mentem reprobam. *2.Thess.2.v.11.* Mittet illis Deus efficaciam illusionis, vt credant mendacio. *Ezech.14.v.9.* Ipse autem Propheta cum pellectus fuerit vt eloquatur verbum: Ego Iehoua pellexero Prophetam istum.

3. *Oratio superlatiua, aut exclusiua, de vna persona vsurpata, non excludit alias Deitatis personas, sed creaturas, & fictitia numina quibus verus Deus, siue in vna siue pluribus personis opponitur. Iohan.17.v.3.* Hæc est autem vita æterna, vt te solum cognoscant esse verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Patrem solum verum Deum appellat, vt falsis omnibus diis opponat. *Rom.16.v.27.* Soli sapienti Deo gloria, per Iesum Christum. *1.Tim.1.v.17.* *Iohan.10.v.29.* Pater est maior omnibus, scilic. creaturis. *Marc.13.v.37.* Solus Pater nouit diem iudicii. Omnia opera Trinitatis ad extra, & omnia attributa essentialia inclusiue intelligenda sunt, vt est veterum Theologorum regula. Alii sic enunciant: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, hoc est, communia tribus personis.

4. *Quando Deus absolute & per se consideratur, tres personæ SS. Trinitatis comprehenduntur; quando confertur cum persona Trinitatis, Patrem significat. 2.Corinth.13.v.13.* Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. *Gen.1.v.1.* In principio creauit Deus cœlum & terram.

5. *Proprietates personales, seu attributa personalia exclusiue sunt intelligenda,* Deus Pater tantum est gignens. *Augustinus* dicit: Opera Dei ad intra sunt diuisa.

diuisa. *Damascenus* vocat idiomata characteristica. *Basilio* dicuntur ἰδιώματα ἀσύμβατα καὶ ἀκοινώνητα.

Locutiones de Christo.

Quinque sunt classes dictorum de Christo in sacris literis. Alia enim loquuntur de eo, tanquam Deo: alia de eo, vt homine; alia de eo vt mediatore; alia de eo, vt exinanito; alia de eo, vt glorificato. Hinc illæ Theologorum regulæ. 1. Locutiones de Christo nonnunquam intelligendæ sunt de sola essentia diuina: vt, *Iohan.* 8. Antequam Abraham esset, ego sum. 2. Quædam locutiones de Christo accipi debent de humana natura: vt, edere, bibere, ambulare. 3. Quædam dicta de Christo sunt œconomica, hoc est, loquuntur de actu mediationis: vt esse regem, sacerdotem. 4. Quædam dicta de Christo secundum humiliationem accipi debent. *Ioh.* 17. Glorifica Pater Filium. *Marc.* 13. De die vel hora nemo scit, neque Angeli, neq; Filius. *Ioh.* 14 Pater maior est me. 5. Quædam locutiones de Christo, sunt accipiendæ secundum glorificationem. *Luc.* 21. Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna. Huius loci sunt & illę regulæ Theologicæ: Quædam de Christo dicta, loquuntur de essentia, quædam de officio: Alia dicta de regnante Christo loquuntur, alia de humiliato. *Quinque sunt classes dictorum de Christo.*

2. *Communicatio idiomatum est synecdoche, qua propter personalem vnionem id de integra Christi persona prædicatur, quod alteri naturæ proprie conuenit. Luc.* 2. *v.* 52. Iesus autem proficiebat sapientia, & statura, & gratia apud Deum & homines. *Ioh.* 8. Amen Amen dico vobis, priusquam Abraham fieret, ego sum. Hinc regulæ Theologiæ: Attributum vnius naturæ competit & alteri, sed in concreto. Item, communicatio idiomatum valet tantum in concreto. Concretum autem est nomen personæ; vt, Deus, homo, Christus. Abstractum est nomen alterius naturæ separatim consideratæ: vt, deitas, humanitas. *Κοινωνία ἰδιωμάτων est synecdoche sacra.*

3. *Locutiones de Christo, nonnunquam de Ecclesia intelligendæ sunt. Matth.* 25. Nudus fui, & non operuistis me. *Act.* 9. Saul, quid persequeris me. Hæ locutiones pertinent ad tertiam illam classem, de qua. *Reg.* 1.

Locutiones de lege.

1. *Leges morales intelligendæ sunt synecdochice.* Ratio; quia sub peccato nominatim definito, omnia peccata eiusdem generis, causas eorum, occasiones, irratamenta, & oppositas virtutes significant: Sic enim Christus leges morales interpretatur. *Matt.* 5. per totum, & 1. *Ioh.* 3. *v.* 15. dicitur: Qui odit fratrem, est homicida.

2. *Minæ & promissiones sunt vel puræ, vel conditionales.* Puræ sunt, quæ nullam habent additam conditionem: alias dicuntur categoricæ. Conditionales sunt, quæ cum conditione sunt accipiendæ. Illa autem conditio vel exprimitur, vel subintelligitur. Intelligantur itaque minæ cum conditio-

ne fidei & resipiscentiæ: promissiones, præsertim si corporales fuerint, cum exceptione castigationis. Sic nos docet ipse legislator. *Ezech.* 33.*v.*14. Et cũ dixero improbo, omnino morieris; si reuersus fuerit à peccato suo, & exercuerit iudicium & iustitiam, &c. omnino viuet, non morietur. *Esa.* 38.*v.*1. de Ezechia: Da præcepta familiæ tuæ: nam tu breui moriturus es, ac non viues. *Genes.* 20.*v.*3. Ecce tu morieris, propter mulierem, quã accepisti: excipe, nisi restituas. Eodem modo præcepta Dei sæpe sunt intelligenda cum conditione; vt cum Abrahamo mandat, vt mactet filium suum, subintelligenda est conditio hæc, nisi scil. aliud mandatum interuenerit. Hinc nata est in Scholis distinctio voluntatis signi, & beneplaciti. Voluntas beneplaciti est, qua quædam absolute & simpliciter absque vlla conditione vult Deus, vt mundum creari, & regi, mitti filium. Voluntas signi est, qua vult quædam, sed propter aliud, & cum conditione: & sic dicitur, quod conditio apposita signum sit, Deum sic velle.

Locutiones de sacramentis.

Ratio phrasium sacramẽtalium. *Metonymia sacramentalis est, qua nomen adiuncti simul & causæ adiuuantis ponitur pro re sacramenti; vel symbolum pro re significata, & contra.* *Gen.*2.*v.*17. Arbor vitæ, arbor scientiæ boni & mali, id est arbor, quæ signum est horum. *Gen.*17.*v.*10.11. Circumcisio dicitur & fœdus, & signum fœderis. *Gen.*22. *v.*14. Vocauit Abraham nomẽ loci illius, Deus prouidebit, id est signum, quod Iehoua prouidebit. *Exod.*17.*v.*15. Altare est Iehoua vexillum meũ. *Ezech* 48. Hierosolyma est Iehoua illic. *Leuit.*16. Sacerdos expiator. *Ioh.*1. Christus est agnus. 2.*Cor.*5. Pascha nostrum immolatum est Iesus Christus. *Ibid.* Christiani sunt azymi. *Rom.*3. *v.*25. CHRISTVS est ἱλαστήριον, *propitiatorium*, siue arcæ fœderis operculum. 1.*Corinth.* 10. Christiani sunt vnus panis. Et petra est CHRISTVS. *Tit.*3. Baptismus est lauacrum regenerationis. 1.*Cor.*11. Calix est nouum Testamentum, & panis est corpus Christi; scil. sacramentaliter. Si enim verba sunt intelligenda secundum subiectam materiam, profecto oportebit verba loquentia de sacramentali materia sacramentaliter intelligere.

Locutiones de Ecclesia.

1. *Sæpe sub nominibus Sion, Hierosolyma, Israel, terra Chanaan, notatur Ecclesia, sed ita, vt nihilominus res proprie illis vocabulis notatæ poßint subintelligi.* Exempla sunt innumera in Psalmis.

2. *Dicta Scripturæ de Ecclesia, loquuntur, vel de militante, vel de triumphante: quædam de catholica dicuntur, quæ nullo modo ad particularem referri debent.* Huc refer, quando Ecclesia dicitur columna veritatis, & esse sine rugis atque maculis.

Locutiones de tempore.

Dicta completiue, si nondũ completa sint, inchoatiue intelligenda sunt. Gen.5.v.32. Cum autem Noah natus esset quingentos annos, genuit Schem, Chã, & Iapheth, i.e. cœpit gignere. *Gen. 11.v.26.* Therach vixerat septuaginta annis, cũ genuit Abraham, Nachor, & Aran. *1 Reg.6.v.2. Ps.119.v.8.* Statuta tua obseruabo, ne derelinquas me: de conatu est intelligendum. *Phil. 3. v.12.* Nedum vt iam metam apprehẽderim, aut iam perfectus sim: sed persequar, experiens an quoq; apprehendam: cuius etiam rei causa apprehẽsus sum à Christo. *v. 15* Quotquot itaque perfecti sumus. *Luc. 1. v. 6.* Erant autem iusti ambo in conspectu Dei, incedentes in omnibus mandatis, & constitutionibus inculpate. Alii posteriora dicta loqui aiũt de perfectione partium, non graduum.

Plures locutiones hic colligi possent. Sed oportet modum facere huic operæ. Nam adhuc de aliis dicendum est, quæ forte sunt futura maioris momenti, quanquam ea, quæ de verbis sacrarum literarum hucusque dicta, sunt maximi momenti. Studioso Theologiæ hunc laborem damus, vt colligat locutiones de singulis locis communibus. Sunt enim suæ locutiones loco de Angelis, sunt propriæ loco de peccato, de iustificatione, & similibus materiis Theologicis.

CAP. CIV.

Grammatica consideratio verborum coniunctorum.

Expendimus verba simplicia: nunc expendemus coniuncta, quæ in plena dispositione sunt. Non nego, tropos interdum esse in tota sententia. Sed nos à potiori denominationem fieri scimus, ideoque cum plerique tropi sint in vocabulis simplicibus, tropos retulimus ad classem vocabulorum simplicium.

Verba coniuncta considerantur tribus modis, Grammatice, Rhetorice, & Logi[c]e. Ne mirum alicui videatur, quod dicimus, in Locis quoque considerari vocabula. Nam Logices obiectum est vel primarium, ratio nimirum, vel secundarium, oratio. Hic & illud monendum censeo. Sæpe leges vnum idemque exemplum variis regulis subiectum. Hoc factum memineris ob modum considerationis.

Verba coniuncta Grammatice considerantur in syntaxi, quæ est regularis, & figurata.

De regulari syntaxi in S. literis hæc obseruanda sunt: vbi tamen etiam quædam de irregulari insperguntur.

I. Constructio nominis.

Adiuncta, seu accidentia Hebræi & Græci exprimunt, vel per nomina adiectiua vel Cõstructio

nominis in S. literis. *per nomina substantiua. Per nomina adiectiua*: vt, *Genes.*1. Luminaria magna. *Per substantiua*: vt, *Prouer.*11. Vir benignitatis, id est, benignus. *Luc.*16. Oeconomus iniustitiæ, hoc est, iniustus. *Gal.* 6. Spiritus lenitatis, pro, lenis. Sic vas electionis, misericordiæ, iræ, auri, pretiositatum, figuli. Fit autem oratio magis emphatica, si istiusmodi abstracta ponantur pro concretis, sicut etiam in lingua Latina videre est: vbi ἐμφατικώτερον est, si quis dicat, tu es ipsa sapientia, quam si dicat simpliciter, tu es sapiens. *Cæterum ponunt in genitiuo vt plurimum illud nomen, quod notat accidens:* vt, mammona iniquitatis. *Luc.*16. Rex benignitatis. 1. *Reg.*20. Agnus lactis. 1. *Sam.*7. pro lactens. *Matt.* 13. Abominatio desolationis, pro desolans. *Col.*1. Filius dilectionis, pro dilectus. *Psalm.*76. Montes prædæ, pro montibus prædatoriis. 1. *Cor.*10. Poculum benedictionis, id est, benedictum. *Interdum tamen in genitiuo ponunt nomen, quod significat substantiam, at nomen accidentis in alio quopiam casu, quem scil. orationis forma postulat:* vt, *Gen.*22. Electio sepulchrorum, pro, electa sepulchra. 2. *Cor.*4. Occulta turpitudinis, pro, occultas turpitudines *Eph.*1. Diuitiæ gratiæ, pro, gratia diues. *Eph.*4. Ad ædificationem vsus, id est, ad vsum ædificationis. *Gal.*3. Promissio Spiritus, id est, Spiritus promissus. *Rom.*9. Lex iustitiæ, pro, iustitia legis.

Nomen illud, quod significat accidens, non solum in singulari genitiuo, sed etiam in plurali ponitur: vt, *Prouerb.*14. Testis veritatum. *Psalm.*116. Calix salutum, pro, calix salutaris. 1. *Sam.*1. Si dederis mihi semen virorum, pro, semen viri seu virile. 2. *Sam.*22. A viro iniuriarum liberabis me. *Prov.*5. Cerua amorum, & caprea gratiæ vxor tua. *Psalm.*177. Panem dolorum.

2. *Nomen, quod significat accidens, Hebræi quandoque iungunt nomini substantiæ per præpositionem* ב *In*: vt, *Exod.*32. Tu scis populum hunc, quod est in malo ipse, id est, malus. *Psalm.*33. Quoniam rectum verbum eius, & omne opus eius in veritate, seu fide, id est, verum & fidele. 1. *Tim.*2. Mulier facta est in transgressione, hoc est, peccatrix. *Ibid.* Mulier esto in silentio, pro, silens. *Marc.*5. Homo in spiritu immundo, pro, habens talem Spiritum. *Sed etiam vocula cum, ex & de, hoc munere defunguntur*: vt, *Psal.*89. Tibi est brachium cum fortitudine, hoc est, forte. *Psalm.*10. Homo de terra, id est, terrenus. Sic apud Paulum sæpe : Qui ex fide, lege, præputio, circumcisione, contentione, id est fideles, operarii, præputiati, circumcisi, contentiosi. Talis est etiam ille Græcismus: οἱ ἐκ τῆς στοᾶς.

3. *Substantiam & accidens sacræ literæ sæpe coniungunt per coniunctionem &, vel sine coniunctione, in eodem casu:* vt, *Ierem.*41. Veritas & iudicium, pro, verum iudicium. *Ierem.*29. Vt dem vobis finem & expectationem, id est, finem expectatum. *Psalm.*116. Quoniam exaudiet Dominus vocem meam, supplicationem meam, id est, supplicem vocem meam. *Ier.* 22. Iudicium & iustitiam facite, hoc est, iudicium iustum. Tale est illud in Euangelio: Baptizabit spiritu & igne, id est, spiritu ignito, inflāmante, & excoquēte,

& purificante. Sic *Gen.1.* Ad imaginem & similitudinem nostram, id est, ad imaginem simillimam. *Grammatici* vocant hendiiadem, quia videlicet ἓν διὰ δύο dicitur. Talis hendiias etiam Latinis est vsitata. *Lucanus*:

——Chalybem frænosque momordit,

pro, frænos chalybeos. *Vergil. 2. Georg.*

——Pateris libamus & auro.

pro, aureis pateris.

4. *Substantiuum in accusatiuo vel ablatiuo interdum ponitur pro aduerbio*: vt, iudica iustitiam, *Prou.31.* pro, iudica iuste. *Ibid.* Os suum aperit in sapientia, id est, sapienter.

5. *Duo substantiua per coniunctionem copulatiuam coniuncta, denotant qualitatem, seu, alterum est loco genitiui*: vt, *Genes.3.* Dolores tuos, & conceptus tuos, id est, dolores conceptuum tuorum. *Psalm.96.* Afferte Iehouæ gloriam & fortitudinem, pro, gloriam fortitudinis. *Esa.1.* Non possum (ferre) iniquitatem & cœtum, pro, iniquitatem cœtus, id est, cœtum iniquum. *Ierem.36.* Postquam rex combusserat volumen & verba, pro, volumen verborum.

Constructio pronominis.

Pronomina qui construantur in sacris.

1. *Sæpe affixum in contextu Hebraico ponitur loco pronominis separati*, vt: *Exod.27.* Facies cornua eius, pro, ei. *Psal.2.* Dabo gentes hæreditatem tuam.

2. *Relatiua sæpe ponuntur expletiue*: vt, *Gen.3.* De arbore, quæ est in medio horti, dixit Deus, ne comedatis de ea. *Rom.vlt.* Potenti vos confirmare, soli sapienti Deo, per Christum Iesum, cui gloria in secula. Hic pronomen cui redundat. *Matth.21.* Malos male perdet eos. *Leuit.14.* Auem viuam accipiet eam. *2.Sam.6.* Michol autem, filiæ Saul, non fuit proles ei, vsque ad mortem eius.

3. *Sæpe cum nomen debet poni in obliquo casu, ponitur in recto, & relatiuum loco eius in obliquo*: vt, *Num.5.* Vir vir si deflexerit vxor eius, pro cuiuscunq; viri vxor deflexerit. *Psalm.10.* Dominus in cœlo sedes eius, pro, Domini sedes est in cœlo. *Psalm.89.* Cœli stabilis thronum tuum eris, pro, stabilies regnum tuum ita, vt illud sit duraturum, quamdiu cœli stabunt. *Ita*, sæpe τὸ Ego abundat. *Gen.24.* Ego in via deduxit me.

4. *Sæpe in eadem periodo ponuntur, pronomen relatiuum qui, quæ, quod, & aliquod aliud pronomen relatiuum*: vt, *Iosu.1.* Quam Dominus Deus vester dat vobis ad possidendum eam. *Esa.58.* Cuius non deficient aquæ eius. *Ezech.16. Pet.2.* Cuius vulnere eius sanati estis.

5. *Relatiuum, sæpe nomen antecedens in suum pertrahit casum*: vt, *1. Cor. 10.* Panem quem frangimus, annon communio est corporis Christi, pro panis, quem frangimus. *Matth.21.* Lapidem quem reiecerunt ædificantes, pro, lapis, quem reiecerunt. *Iohan.2.* Hæc est promissio, quam ipse polli-

 citus

citus est nobis vitam æternam, pro vita æterna. *Marc.* 6. Quem egò decollaui Iohannem, iste est, pro, iste est Iohannes, quem, &c. *Rom.* 6. Obediuistis animo, in quem estis traditi typum doctrinæ, pro, obediuistis ei typo, aut formæ doctrinæ, in quem, vel in quam doctrinæ formam estis traditi, seu traducti. Sic *Terentius*: Restitue me, in quem accepisti locum. *Sic*: populo vt placerent, quas fecisset fabulas, pro, fabulæ.

6. *Relatiuum, qui, quæ, quod, sæpe construitur cum antecedente, non vocis, sed sensus habita ratione.* Hæc figura syntactica dicitur vulgo synthesis, aliis synesis. Exempla sunt. *Rom.* 9. Vt ostenderet diuitias gloriæ super vasa misericordiæ, quos vocauit. *Coloss.* 2. Neque obtinens κεφαλὴν, ex quo totum corpus, pro, ex qua. Nam caput in Græco est generis fœminini.

7. *Relatiuum interdum genere conuenit cum sequente*: vt, *Ephes.* 1. Qui est arrhabo hæreditatis nostræ. Antecedens est πνεῦμα, quod est generis neutrius.

8. *Aliquando relatiuum ponitur ante antecedens*: vt, *Psalm.* 87. Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion. Relatiuum eius, refert consequens, Sion. 2. *Corinth.* 7. Qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus. *Matth.* 17. Obiurgauit illud Iesus, & exiit ab eo dæmonium. *Matth.* 26. Qui contingit mecum manum in patinam, is me proditurus est.

9. *Coniunctio & nonnunquam ponitur pro relatiuo, qui, quæ, quod*: vt, *Psal.* 118. Deus est Dominus, & illuxit nobis, id est, qui suo præsentissimo auxilio affulsit nobis. 1. *Sam.* 20. Non faciet pater meus rem paruam vel magnam, & non indicabit mihi, pro, quam non indicabit mihi. *Esa.* 39. Ecce dies veniunt, & auferetur quicquid est in domo tua, pro, in quib. diebus.

3. *Constructio verbi.*

Constructio verborum in sacris literis.

1. *Sæpissime per verbum Sum cum participio aut nomine conueniente circumscribuntur verba*: vt, 1. *Corinth.* 5. Deus erat reconcilians mundum, pro, reconciliauit. *Marc.* 5. Erat Iohannes baptizans in deserto, pro, baptizabat. Sic *Plautus in Curculione*: Sunt bibentes, pro, bibunt. Philologi dicunt, esse Atticismum.

2. *Hebræi verba & participia quædam aliis verbis addunt, loco aduerbiorum*: vt, *Gen.* 8. Et addidit mittere columbam, pro, iterum misit. *Ibid.* Et non addidit columba reuerti, pro, non amplius est reuersa. *Ibid.* Non addam maledicere terræ, pro, non iterum maledicam. *Gen.* 31. Abscondisti te ad fugiendum, pro, clam aufugisti. *Gen.* 25. Et addidit Abraham, & accepit vxorem. *Ioel.* 2. Et laudabimus nomen Domini, qui fecit vobiscum ad agendum mirabiliter, id est, mirifice egit. *Genes.* 30. Reuertar, & pascam oues tuas, pro, denuo pascam. *Psal.* 33. Benefacite psallendo, pro, bene psallite. *Psal.* 106. Festinauerunt, cito obliti sunt operum eius, pro, cito obliti sunt.

1. *Sam.* 1.

1.Sam.1. Et factum est, cum multiplicauit ad orandum. Hic & illud notetur, perdifficile esse de constructione verborũ in lingua sancta exacte iudicare; quia casuum determinationes hic nullæ sunt. Quanquam autem articuli sunt loco terminationum, tamen illi non ita accurate distinguunt casus, vt terminationes in aliis linguis faciunt.

Syntaxis irregularis complectitur figuras de anomalia syntactica.

Figuræ illæ sunt vel principes, vel minus principes.

Figuræ principes sunt numero tres, Ellipsis, Pleonasmus, & Enallage. Hi sunt veluti tres fontes, è quibus reliquæ figuræ syntacticę tanquam riuuli promanant.

ELLIPSIS.

Ellipsis significat, vel breuitatem, vel celeritatem affectuum. Genes. 11. Extruamus nobis vrbem & turrim, cuius fastigium [assurgat] in cœlum. *Actor.* 5. Sin ex Deo, non poteritis dissoluere [ac nescio] an etiam pugnare cum Deo comperiamini. *Psal.* 6. Et tu Domine vsquequo? *Exod.* 22. Qui sacrificat diis alienis, vt anathema perditor; præterquam [qui sacrificat] Iehouæ. 1. *Chron.* 4. Si benedicendo benedixeris mihi [faciam hoc vel illud.] *Exod.* 22. Si affl xeris pupillum [affligam te.] Sed tales ellipses plerumque haud difficulter vel ex præcedentibus, vel ex sequentibus, vel vtrinque, & præsertim ex ipso sensu, ac rebus de quibus eo in loco agitur, animaduerti possunt. Hic opera danda, vt ne supplementum pugnet cum analogia fidei, vel circumstantiis loci: vt, *Ephes.* 3. *v.* 1. Ego *Paulus captiuus ille Iesu Christi pro vobis gentibus.* Oratio est elliptica. Si quis det hoc supplementum [*Legatione fungor*] vel [*Gloriatus sum*] vtrumque erit incõgruum. Illud; quia Paulus pro Christo, non pro gentibus legatione functus. Hoc; quia audacius. Detur igitur aliud. (Sum.) Hoc est congruum. *Ellipsis sacra.*

PLEONASMVS.

1. *Pleonasmus substantiui in eodem casu iterati significat, vel vim & emphasin, vel multitudinem, vel distributionem, vel diuersitatem & varietatem. Vim & emphasin*, vt, *Psal.* 133. Sicut vnguentum quod descendit in barbam, barbam Aharonis. *Luc.* 6. Quid vocatis me Domine, Domine? *Multitudinem*: vt, *Gen.* 32. Dedit in manus seruorum suorum greges greges, id est, multos greges. *Ioel.* 3. Turbæ turbæ in valle concisionis, id est, multæ turbæ. *Distributionem*: vt, 1. *Chron.* 16. Ad portam & portam, id est, in singulis portis. *Leuit.* 17. Vir, vir, id est, singuli. 2. *Chron.* 19. Constitues iudices in vrbe & vrbe, hoc est, in singulis. *Diuersitatem & varietatem*: vt, *Psal.* 12. In corde & corde loquuntur, pro, diuersis cordibus. *Prouerb.* 20. Pondus & pondus abominabilia sunt Iehouæ. *Pleonasmus sacer.*

2. *Pleonasmus substantiui in regimine, significat in singulari certitudinem, in plurali excellentiam. In singulari*: vt, *Exod.* 31. Die septimo Sabbathum sabbathi

chi est. *Michael.* 2. Et lamentabitur lamentum lamentationis. *In plurali:* vt, *Psal.* 136. Deus deorum, id est, summus Deus. Sic rex regum. *Daniel* 2.

3. *Pleonasmus adiectiui exaggerationem significat*: vt, *Ierem.* 24. Vide ficus bonas bonas. *Pleonasmus substantiui eandem habet quandoque vim*: vt, *Exod.* 34. Iehoua, Iehoua, Deus fortis. *Ierem.* 7. Templi Iehouæ, templi Iehouæ, templi Iehouæ sunt ista. *Ierem.* 22. O terra, terra, terra, audi verbum Iehouæ.

4. *Pleonasmus verbi significat emphasin, aut vehementiam, aut certitudinem, aut celeritatem*: vt, *Genes.* 2. Moriendo morieris. *Esa.* 50. An abbreuiando abbreuiata est manus mea. *Esa.* 56. Discernendo discreuit me Iehoua à populo suo. *Psalm.* 50. Cogitas me essendo esse tui similem. *Ierem.* 12. Erit autem si discendo didicerint vias populi mei.

5. *Duplicata negatio negationem intendit*: vt, *Exod.* 14. An propterea, quod non sepulchra in Ægypto, id est, nulla prorsus. *Matth.* 13. *v.* 14. καὶ οὐ μὴ ἴδητε, & non cernetis, id est, plane non videbitis. Secus res habet in lingua Latina, vbi duæ negationes vehementius affirmant: vt, non possum non dolere, pro, maxime mihi dolendum est.

6. *Pleonasmus integræ sententiæ, interdum significat distributionem*: vt, *Ezech.* 46. Atrium in angulo atrij erat, atrium in angulo atrij erat, id est, atrium vnum, in quouis angulo ipsius atrij. *Interdum emphasin notat*: vt, *Psalm.* 145. Propinquus est Iehoua omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. *Psal.* 142. Nisi Iehoua fuisset nobiscum, dicat nunc Israel: Nisi Iehoua fuisset nobiscum.

7. *Repetitio sententiæ, quæ fit aliis verbis, est expositionis gratia*: vt, *Psal.* 6. Audiuit Iehoua vocem fletus mei, audiuit Iehoua precationem meam: Iehoua orationem meam suscepit. *Ioh* 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sic *Ioh.* 6. Christus septies iterat hanc sententiam, se vere esse panem vitæ. *Deut.* 33. Popule stulte, & non sapiens. *Ierem.* 20. Maledicta sit dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. In his tamen exemplis duobus posterioribus pleonasmus non expositioni, sed exaggerationi seruire videtur, vt & in illis. *Gen.* 42. Emite nobis frumenta, vt viuamus, & non moriamur. *Exod.* 9. Quæ deprehendentur in agro, nec erunt collecta sub tectum. *Esa.* 3. Peccatum suum indicarunt, & non celarunt.

7. *Ad pleonasmum pertinent matrologia & tautologia*; quando videlicet res vna pluribus verbis proponitur. *Genes.* 13. Quin & ipsi Loth comitanti Abraham erant greges, & armenta, ac tabernacula. Et non sustinuit eos terra, vt habitarent simul; quia fuit eorum possessio multa, & nō potuerunt simul habitare. *Psal.* 2. Disrumpamus vincula eorum, & proiiciamus deorsos funes illorum.

ENAL-

ENALLAGE.

Enallage, seu heterosis, est varia in sacris literis. Aut enim partes orationis pro se inuicem ponuntur, vt nomen pro verbo, aut vox indeclinabilis pro declinabili, & contra: aut accidentia partium: vt casus pro casu, numerus pro numero, persona pro persona, tempus pro tempore. Vide caput de partibus orationis. Hic excellit illa enallage in oraculis propheticis, qua præteritum pro futuro poni diximus, ad significandam rei certitudinem: vt, *Genes.* 10. Mortuus es propter mulierem, hoc est, morieris. *Esa.* 9. Puer datus est nobis. *Esa.* 21. Cecidit, cecidit Babylon. *Enallage sacra.*

Figuræ syntacticæ minus principales sequuntur.

Suntque

1. *Syllepsis*; qua nomen collectiuum singulare construitur cum verbo plurali: vt, *Exod.* 4. Dimitte populum meum, vt me colant. *Num.* 24. Et viderunt omnis Ecclesia. Hæc figura est vsitatissima in lingua sancta. *Syllepsis.*

2. *Zeugma*; quando plurimis nominatiuis vnum verbum respondet, aut pluribus membris vnum membrum. Exemplum prioris, est *Ephes.* 4. Omnis amaritudo, ira, indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis. Hic vnicum verbum *tollatur*, respondet tot præcedentibus nominatiuis. Posterioris exemplum est. *Psal.* 15. Qui ambulat integre, &c. Qui non transgreditur lingua sua, &c. Qui despectus est, &c. Qui pecuniam suam non dat ad vsuram, &c. Qui facit hæc, non mouebitur in æternum. Hic membrum illud, *non mouebitur in æternum*, respondet omnibus præcedentibus. *Zeugma.*

3. *Hypallage*; qua voces permutantur: vt, *Psal.* 80. Propinasti nobis in lachrymis mensuram, pro, lachrymas in mensura. *Psalm.* 138. Quoniam magnificasti super omne nomen tuum eloquium tuum, pro, super omne eloquium tuum, nomen tuum. 2. *Reg.* 9. Et posuit in stibio oculos suos, pro, oculos suos in stibio. *Psal.* 74. Miserunt in ignem sanctuarium tuum, pro, miserunt ignem in sanctuarium tuum. Facit autem hæc figura ad emphasin & exaggerationem. Huc refer varias transpositiones seu perturbationes verborum, quæ reduci possunt ad quatuor capita. Nam *primo* substantiua duo inter se quasi permutantur: vt 1. *Reg.* 17. Non deficiet hydria farinæ, pro, non deficiet farina hydriæ. *Secundo* adiectiua seu epitheta non suis, sed vicinis adiunguntur substantiuis: vt, 1. *Sam.* 2. Arcus fortium fractorum; pro, arcus fortium est fractus. *Tertio* est hypallage tropica, de qua supra in tropis: vt, *Matth.* 8. confestimque mundata est lepra eius, pro, ipse fuit mundatus à lepra. *Rom.* 10. De tali homine gloriabor, de me non gloriabor, hoc est, de tali Dei beneficio, mihi ac aliis præstito. *Quarto* transponuntur partes propositionis, subiectum & prædicatum: vt *Psal.* 32. Beati quorum remissa sunt peccata, pro, quicunque adepti sunt remissionem peccatorum, sunt beati. *Iohan.* 7. Nemo facit aliquid occulte, & *Hypallage.*

vult ipse propalam esse, prc, Nemo volens inclarescere, occulte facit sua præclara facta.

CAP. CV.

Figuræ sententiæ.

Verba coniuncta Rhetorice considerantur secundum figuras sententiæ; quas nunc percurremus.

Sunt autem numero decem, vt supra indicauimus.

EXCLAMATIO.

Exclamatio sacra. 1. *Biblia sacra referta sunt exclamationibus.* Videamus exempla illustriora. *Deut.* 32. Contestor hodie cœlum & terram, quod proposuerim tibi viam vitæ & mortis. *Num.* 22. Vtinam mihi iam gladius esset in manibus. *Psal.* 8. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! *Psal.* 68. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Effunde super illos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. *Psal.* 104 Induat maledictionem sicut vestimentum. *Matth.* 11. Væ tibi Chorazim, væ tibi Bethsaida. *Matth.* 17. O generatio incredula. *Matth.* 23. Væ vobis Pharisæi, & Scribæ. *Matth.* 27. Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me? *Matth.* 13. Væ prægnantibus. *Rom.* 11. O profunditas diuitiarum & sapientiæ! quam imperscrutabilia sunt iudicia eius! quam imperuestigabiles viæ eius! *Gal.* 3. O insensati Galatæ! *Matth.* 1. Ecce Angelus Domini! Sic sæpe in historia Euangelica occurrit hæc vocula, *Ecce*, 2. *Tim.* 4 Obtestor ego coram Deo & Domino nostro Iesu Christo. *Varios* autem affectus exprimit exclamatio, ita vt alia sit admirantis, alia optantis, &c. *Admirantis*: vt, *Matth.* 15 O mulier magna est fides tua! *Optantis*: vt, *Psal.* 14. O si quis det è Sione salutem! *Laudantis*: vt, *Matth.* 25. Euge serue bone & fidelis. *Ominantis*: vt, *Rom.* 2. Quapropter inexcusabilis eris ô homo! *Obiurgantis*: vt, O incircumcisi auribus & corde. *Actor.* 7. Et *Luc.* 24 O stulti & tardi ad credendum! *Irridentis*: vt, *Gen.* 3. Ecce Adam factus est, sicut vnus ex nobis. *Dolentis*: vt, 2. *Reg.* 14. Heu mihi, mulier vidua sum. *Apocal.* 8. Væ, væ, væ habitantibus in terra! *Increpantis*: vt, *Psal.* 12. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam!

2. *Exclamationi subiiciuntur multa interrogationes, item Epiphonema, & licentia*; quæ Græcis dicitur παῤῥησία.

Interrogationum vis in S. literis. 3. *Interrogatio significat* I. *Vehementem affirmationem, seu asseuerationem*: vt, *Genes.* 3. Nonne si bene egeris, remissio? *Ios.* 10. Nonne hoc scriptum est in libro iustorum? Vide *Iohan.* 4. *v.* 35. *Ios.* 1. *v.* 9. *Genes.* 37. *v.* 13. 1. *Reg.* 20. *v.* 17. *Marc.* 12. *v.* 24. *Ioh.* 6. *v.* 7. 2. *Negationem*: vt, *Genes.* 18. Num difficile erit Domino verbum? *Roman.* 3. Num eorum incredulitas fidem Dei faciet irritam

tam? *Matth.*12. Si Satanas Satanam vicit, quomodo stabit regnum eius? 3. *Prohibitionem*: vt, *Psal.* 79. Adiuua me Deus. Quare dicent gentes, vbi est Deus eorum. 2. *Sam.* 2. Et dixit Abner ad Asahelem: Recede à me, quare te percutiam humi? 4. *Varios affectus*: vt admirationem, commiserationem, querelam, reprehensionem. *Psal.*8. Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! *Esa.*1. Quomodo est facta meretrix, ciuitas fidelis. *Psal.* 22. Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti? Vide *Flac. Illyricum part.* 2. *clau. scripturæ titulo de interrogatione & respons. pag.* 211.

4. *Epiphonema*; cum post expositam aliquam materiam additur congrua quæpiam sententia cum quadam acclamatione & admiratione: vt, *Psal.*2. Beati omnes, qui confidunt in eo. *Psal.* 3. Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua. *Psal.*4. Tu Domine, solus es qui facis vt secure habitem. *Matth.*6. Sufficit cuique diei sua afflictio. *Matth.*5. Estote igitur perfecti, vt pater vester in cœlis. *Epiphonema.*

5. *Licentia*, est cum in oratione vtimur libertate: vti Iohannes Baptista ad Herodem παῤῥησιάζων dixit: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. *Marc.*6. Sic *Actor.*4. Videntes autem Petri παῤῥησίαν. *Iohan.* 8. Vos ex patre Diabolo estis. *Licentia sacra.*

Epanorthosis.

Rom. 8. Scimus, quod omnis creatura congemiscit, & parturit adhuc vsque. Non solum autem illa, sed & nos, qui primitias spiritus habemus. 1. *Cor.* 7. His autem qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus. 1. *Corinth.*15. Copiosius quam illi omnes laboraui: non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mihi adest. *Hebr.* 6. Atque hoc faciemus, siquidem permiserit Deus. 1 *Corinth.*6. Omnia mihi licent, at non omnia conducunt: omnia mihi licent, at ego non redigar sub vllius potestatem. Escæ ventri, & venter cibis. Deus autem, & hunc, & illas abolebit: corpus vero non scortationi. *Hebr.* 6. Sed persuasi sumus nobis, fratres, de vobis meliora, & cum salute coniuncta, etiamsi ita loquamur. 1. *Corinth.*9. Non autem scripsi hæc, vt ita fiat in me. *Epanorthosis.*

Aposiopesis.

Gal. 1. Paulus neque ab hominibus, neque per homines. *Deest*, vocatus, vel missus. *Matth.*9. Vt autem sciatis potestatem habere Filium Dei in terra remittendi peccata. *Deest*: Etiam sanitas ægroto huic restituetur. *Luc.*14. Et si quidem fructum fecerit (*deest*: bene erit, vel non exscindetur) si autem non, postea exscindes eam. *Luc.* 19. Videns ciuitatem, fleuit super illam, & ait: Si cognouisses in die tua hac ea, quæ ad pacem tuam, *Scilicet*, pertinerent, etiam curares. *Rom.*5. Et non sicut per vnum qui peccauerunt (*deest*, omnes pereunt) ita donum. Nam iudicium ex vno *Aposiopesis.*

(id est, propagatur carnali generatione) ad condemnationem. Donum autem ex multis delictis (deest liberat) ad iustificationem. 1. Cor. 6. Esca ventri, & venter escis, scil. destinata. Rom. 11. Per lapsum illorũ salus scil. contigit. Ibid. Quod si primitia sancta, & rami (scil. sancti erunt.) Exod. 22. Si affligendo afflixeris eum, subintellige postea ego te affligam. Aposiopesi subiiciuntur eclipsis, quam vocant, & anantapodoton. Eclipsis autem nihil est aliud quam ellipsis, id est, defectus constructionis, vel elegantiæ orationis, vt in allatis exemplis videre est. Anantapodoton est membrum non redditum: vt, Roman. 5. Sicut per vnum hominem intrauit mors & peccatum: deest, ita & per vnum hominem iustitia & vita. Item: Ne libertatem in occasionem carnis, scil. detis.

APOSTROPHE.

Apostrophe. 1. *Ab hominibus ad Deum fit auersio.* Atque hæc in psalmis Dauidicis est vsitatissima: vt, Psal. 109. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum. Tu autem Iehoua Domine fac mecum propter nomen tuum; quia suauis misericordia tua.

2. *Ad humanam personam dirigitur oratio:* vt, Psalm. 2. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Psal. 6. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Ierem. 5. Ascendite muros eius, & dissipate, auferte propagines eius, quia non sunt Domini. Psalm. 4. Fil j hominum, quousque mea gloria probrum? Psal. 27. Credo me visurum bona Domini in terra viuentium. Expecta Dominum, & viriliter age, & confortetur cor tuum. Psal. 110. Deus meus es tu, confitebor tibi. Rom. 9. Atqui ô homo, tu quis es, qui ex aduerso responsas Deo? Rom. 11. Vobis dico gentibus. Rom. 2. Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo. Confidis te ipsum esse ducem cæcorum.

3. *Ad rem mutam & inanimẽ tanquam ad personam fit orationis conuersio:* Matt. 11. Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida. Et tu Capernaum, &c. Ierem. 47. O mucro Domini, vsque quo non quiescis? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile. Esa. 7. Audite vniuersæ procul terræ. Accingamini & conteramini: accingite vos, & conteramini: inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet: quia nobiscum Deus. Psal. 114. Mare vidit & fugit, Iordan est conuersus retrorsum. Quid est tibi mare, quod fugisti? & tu Iordan, quod conuersus es retrorsum?

PROSOPOPOEIA.

Prosopopœia. *Iudic. 9. v. 7. & seqq.* Continetur illustris prosopopœia, qua arboribus tribuitur animus & sermo. Similis figura est. 2. Reg. 14. Remisitque Ioas rex Israel ad Amasiam regem Iuda dicens: Carduus Libani misit ad cedrum, quæ est in Libano dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem.

Transierúntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, & conculcauerunt carduum. *Prouerb.8.à vers.1. ad finem capitis*, sapientia introducitur loqui. *Luc.* 1. Dixit Maria: Ecce ego ancilla Domini sum. Fac mihi secundum verbum tuum. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum; & *Rom.* 10. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? Id est, Christum deducere: Aut quis descendet in abyssum? Hoc est, Christum à mortuis reducere. *Ibid.* Sed quid dicit scriptura? Prope est verbum in orte tuo, & in corde. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. *Apoc.6.* Et reges terræ & principes, & diuites, & tribuni, & fortes, & omnis seruus & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium, & dicunt montibus: Cadite super nos, & abscondite nos, &c. *Apoc.7.* Vidi turbam magnam ex omnibus populis & tribubus terræ amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus ei, qui sedet super thronum Dei nostri, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, adorantes Deum & dicentes Amen: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen. *Huc pertinent* omnes parabolæ & historiæ Euangelicæ, in quibus varii variarum personarum gestus, dicta & facta exprimuntur. *Huc refer* & illa loca, in quibus Ecclesia fit mulier, virgo sponsa. *Sic* Ierusalem, Sion, & Babylon, alias virgines, alias viduæ, alias scorta finguntur. *Es.*37. Filia Sion dicitur deridere & subsannare regem Assyriæ. *Sæpissime* virtutes, vitia, & regiones sub specie mulierum introducuntur. *Cœtus* piorum pingitur tanquam vnum corpus, cuius membris tribuitur sermo. *Rom.*12. *&* 1. *Cor.*12. Non potest autem oculus dicere manui, non est mihi opus te: aut rursus caput pedibus, non est mihi opus vobis. *Item*: Si dicat auris non sum oculus, igitur non sum de corpore. 1. *Corin.*3. Prolixe depingitur charitas. *Admodum illustris* est prosopopœia *Sapient.* 5. *vers.*1. *& seqq.* vbi tremores & angustiæ damnatorum describuntur.

Prosopopœiæ subiiciuntur μίμησις & διαλογισμός

Μίμησις est, qua alterius verba aut gestus imitamur: vt, *Esa.* 56. Venite sumamus vinum, & inebriemur, & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius. Hic Propheta μιμητικῶς verba impiorum Epicureorum exprimit. Talis μίμησις est. *Psalm.* 2. Disrumpamus vincula eorum. *Psalm.* 35. Euge, Euge, viderunt oculi nostri. Euge animæ nostræ, deuorauimus eum. *Esa.* 22. Comedamus & bibamus. Cras enim moriemur. *Esa.* 14. Ascendam super excelsa nubium, & similis ero altissimo. Hic Propheta exprimit superbissimas iactationes regis Assyriorum. *Iohan.*7. Et me nostis, & vnde sim nostis. Quidam μιμήσει dant locum inter tropos, & subiiciunt ironiæ. — Μίμησις quid?

Dialogismus, est sermocinatio, qua personam absentem facimus loqui tanquam — Dialogismus.

 præ-

præsentem. Sic *Esa.* 14. tribuitur sermo regibus, & satrapis, & inferno, occurrentibus regi Assyrio: Videntes te, attétè aspiciant te, ac ex animo stabunt, dicentes: Nunquid est ille vir, qui contremefecit terram, & concussit regna? Posuit orbem quasi desertum, &c. *Esa.* 58. tribuitur sermo Ecclesiæ, miranti vnde tot sibi filii veniant, & piis petentibus ab aliis, vt sibi aliquid spatii concedant, & impiis cum Deo expostulantibus. Sic *Esa.* 63. dialogismus instituitur inter Christum & Prophetam. Quis est iste, qui venit de Edom, rubricatus in vestibus de Bosra? Ego qui loquor iustitiam, & potens sum saluare. Quare rubrum est vestimentum tuum, &c. Torcular calcaui. Sic Christus. *Luc.* 16. tribuit sermonem Abrahamo & diuiti. Et *Matth.* 25. piis & impiis in extremo die iudicandis.

Addubitatio.

Addubitatio. Illustris est ἀπορία Dauidis. *Psalm.* 139. Quo ibo à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si lectum strauero in infernum, ades. Vide *vers. seqq. Luc.* 16. ait dispensator intra se: Quid faciam, quoniam Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. 1. *Cor.* 11. Quid vobis dicam? Laudabo vos in hoc? Non laudo. *Phil.* 1. Quid eligam ignoro? Coarctor enim è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne magis necessarium propter vos.

Communicatio.

Communicatio. *Actor.* 4. Vos ipsi iudicate, an iustum sit in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum. *Matth.* 22. Licetne censum dare Cæsari, annon? *Marc.* 3. Licetne Sabbatho benefacere, annon? *Luc.* 7. Tune es ille, qui venturus est, an alium expectabimus? *Luc.* 11. Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. 1. *Corin.* 10. Vt peritis loquor, iudicate vos quod dico. Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi? 1. *Cor.* 12. De spiritualibus donis, fratres, nolo vos ignorare. Scitis quod gentes eratis, &c. 1. *Cor.* 11. Apud vosmetipsos iudicate, an decorum est, mulierem non velatam orare Deum? *est & aliud communicationis genus*, cum doctor auditores increpans se illis admiscet, quod fit plerumque leniendæ inuidiæ causa: vt, *Hebr.* 2. Propterea oportet nos vehementius attendere iis, quæ dicta sunt nobis, ne quando perfluamus. Etenim si is, qui per angelos dictus fuerat sermo, fuit firmus, & omnis transgressio, & inobedientia iustam præmii compésationem accepit, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?

Occupatio.

Ad hanc figuram referes anthypophoram, vt vocant. Exempla sunt *Occupatio.* varia in sacris literis: vt, *Rom.3. à v.1. vsque ad finem capitis*, vbi sunt octo occupationes: videl. *v.*1.2.3.5.9.27.29.31. *Roman.*4. Quid igitur dicemus, Abraham patrem nostrum adeptum esse secundum carnem? Nam si Abraham ex operibus iustificatus est, habet quod glorietur, at non apud Deū. Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam *Roman.*6. Quid igitur dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia auctior fiat? Absit. *Rom.*7. Quid ergo dicemus? lex peccatū est? Absit. Imo peccatum non cognoui, nisi per legem. Sic *Rom.*8. *à v.*35. *ad* 39.1. *Cor.*15. At dicat aliquis, quomodo resurgunt mortui? quali autem corpore prodeunt? Stulte, tu quod seminas, non viuiscit, nisi mortuum fuerit. *Rom.*9. Dices ergo mihi, Quid adhuc succenset? Nam voluntati eius quis resistet? O homo quis tu es, qui Deo ex aduerso responsas? *Rom.* 14. Atqui scimus omnes cibos esse liberos? Noui ego quoque; & persuasum habeo, nihil esse impurum, &c. 1. *Cor.*10. Quod si ego cum gratiarum actione edo, cur blasphemor? Omnia in gloriam Dei dirigite. 1. *Iohan.*3. Cujus autem rei gratia occidit eum? Quia opera eius erant mala, fratris vero justa.

Permissio.

1. *Cor.*7. Cæterum si quis aliquid indecorum in virginem suam com- *Permissio.* mitti putat, si florem ætatis excedat, & ita debet fieri: quod vult faciat, non peccat; jungatur matrimonio. *Ierem.*12. *& Habac.*1. Iustus es tu Domine, si contendero tecum: attamen loquar tecum iudicia: Quare via impiorum prosperatur, & felices sunt præuaricantes præuaricationem? *Apocal.*22. Qui iniuste agit, iniuste agat adhuc: qui sordet, sordescat adhuc. Sic Christus dicit Iudæ: Quod facis, fac cito. Item Iudæis: Destruite templum hoc. Et Apostolis: Dormite & requiescite. *Matth.*23. Vos quoque implete mensuram patrum vestrorum. *Iacob.*2. Tu credis, & dæmones credunt ac contremiscunt. *Rom.*2. Circumcisio prodest quidem, si legem seruaueris. Quod si legis transgressor fueris, &c.

Concessio.

*Rom.*11. Dices ergo defracti sunt rami, vt ego insererer. Bene dicis. Per *Concessio.* infidelitatem defracti sunt: tu autem fide stetisti. 2. *Corinth.* 12. Sed esto, non grauaui vos, sed cum essem callidus, dolo vos decepi: num per quemquam eorum, quos misi ad vos, vos decepi?

CAP. CVI.

Logica consideratio verborum coniunctorum.

Verba coniuncta qui considerentur Logice in S. literis?

VErba coniuncta Logice considerantur secundum hos canones.

1. *Quædam locutiones in Scripturis sunt reciprocæ*: vt, Pax Dei, & Deus pacis; nos benedicimus Deum, & Deus benedicit nos; Deus habitat in nobis, & nos in Deo.

2. *Quædam in locutiones in S. literis sunt allusiuæ*: vt, Christus. *Iohan. 6.* Fidem vocat opus, respiciendo ad verba Iudæorum: Quid faciemus vt operemur opus Dei? *Matth. 26.* Non bibam amplius de fructu vitis, donec illum bibam nouum in regno cœlorum, id est, donec fruar cœlesti gloria.

3. *Perturbatio rerum interdum occurrit in S. literis*: vt, *Psalm. 7.* Ecce parturit iniquitatem, & concepit dolorem, & peperit mendacium. Hæc figura vocatur ὑςερολογία, item ὕςερον πρότερον, itemque perturbatio sensus, & inuersio rerum. Sic 2. *Paralip.* 32. Prius narratur cędes profugi Sennacherib, postea liberatio Ezechiæ, cum Ezechias sit prius ab ipso liberatus, nempe cum Angelus ipsius exercitum læsit, memorabili strage edita.

Ὑςερολογία.

4. *Negatio semel posita, etiam in sequentibus membris est repetenda*: vt, *Leuit.* 19. Non iurabis in nomine meo mendaciter, & polluces nomen Dei tui pro nec pollues.

5. *Negatio potentius tollit quam affirmatio affirmat*: vt, *Psalm. 18.* Non sunt infirmata vestigia mea, id est, validissime sunt firmata. Hoc sensu supra diximus, negatiua Dei præcepta esse vehementiora, pluraque complecti affirmatiuis.

6. *Negatio vel præposita, vel postposita signo vniuersali, non facit particularem propositionem*: vt non omnis, omnis non, idem valent, quod nullus: vt, non iustificabitur ex operibus legis omnis homo, est idem, quod nullus homo: Nisi abbreuiarentur dies illi, non seruaretur omnis caro.

7. *Potest fieri, vt idem prædicatum de plurimis subiectis prædicetur*: vt, 1. *Corinth. 5.* Eos qui foris sunt, iudicabit Dominus. Hic Apostolus affirmat de iis, qui foris sunt, hoc est, de ethnicis, quod DEUS illos sit puniturus, neque tamen hoc negat de iis, qui intus sunt. 1. *Corinth. 7.* Bonum est mulierem non attingere. Non dicit, ideo malum esse, mulierem attingere.

8. *Propositiones Legales & Euangelicæ in S. literis sunt vniuersales, sed diuerso modo.* Legales, sunt simpliciter vniuersales. Ratio, quia omnes omnino homines, sunt peccatores, cum igitur lex arguat peccatum, eiusq; ministros dicam an magistros, vniuersaliter illa loqui putanda est. Propositiones autem

Propositio-

autem Euangelicæ sunt vniuersales respectu credentium. Ratio huius est; *nes Euangelicæ qui sint vniuersales?*
qui. Euangelium est concio de gratia, quæ solum respicit credentes. Cum igitur fides non sit omnium, temeritatis est blasphemiæ, & blasphemiæ temeræ, promissiones Euangelii omnibus sine discrimine hominibus applicare velle.

9. *Propositiones vniuersales sæpe loquuntur de parte potiori:* vt, *Psalm.* 14. Non est intelligens quisquam, non est requirens Deum, omnes inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, id est, pars maxima inutiles facti sunt. Nam in fine eiusdem Psalmi fit mentio populi Dei, qui profecto non est factus inutilis. Vtramque illam regulam, præcedentem scilicet & hanc, alii sic efferunt: *Vniuersaliter dicta sæpe ad speciem aut partem, cui proprie competunt, sunt restringenda*: vt, *Iohan.* 1. Christus dicitur illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, omnem scilicet quicunque illuminatur. *Ibid.* Omnes de plenitudine illius accipimus, scilicet quicunque accipimus.

10. *Negatiuæ propositiones sæpe negant non simpliciter, sed secundum quid*: vt, Christus negat à Patre iudicari quenquam, ita sci. vt Iudæi arbitrabantur, qui Patrem à Filio separabant, cum Pater nonnisi per Filium in carne manifestatum omnia agat in hoc mundo. Sic dicit, se non venisse, vt faceret voluntatem suam, sed voluntatem Patris: item, hanc doctrinam non esse suam, sed eius à quo erat missus. Neutrum simpliciter hic asseritur, sed ex hypothesi & sensu eorum, qui ipsum à Patrem separabant, quique putabant, ipsam suam facere voluntatem, & suam quandam spargere doctrinam, cum reuera vna sit Patris & ipsius voluntas atque doctrina.

11. *Duæ categoricæ propositiones per coniunctionem copulatiuam connexæ, nonnunquam hypotheticæ, seu conditionaliter significant*: vt, *Psal.* 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, pro, si postulabis. *Psalm.* 4. Irascimini, & nolite peccare, pro, si irascimini. *Luc.* 10. Hoc fac, & viues. *Ioh.* Creditis in Deum, & in me credite.

12. *Duæ categoricæ propositiones per copulatiuam connexæ, nonnunquam æquipollent discretiuæ.* vt, *Psalm.* 3. Ego iacui, & dormiui, & surrexi. *Habac.* 2. Ecce iste coopertus est auro & argento, & omnis spiritus non est in ipso. q. d. Etiamsi idolum est auro & argento insignitum: tamen nihil habet animæ, nihil vitæ.

13. *Duæ propositiones categoricæ per copulatiuam connexæ sæpe sic coniunguntur, vt posterior sit explicatio prioris.* In hoc casu coniunctio & ponitur ἐξηγητικῶς: vt. *Psal.* 4. Sacrificate sacrificia iustitiæ, & sperate in Domino q.d. sperate in Domino, & hoc putate sacrificium. *Psal.* 116. Sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.

14. *Duæ propositiones categoricæ per copulatiuam connexæ, nonnunquam κατὰ σύγκρισιν, comparatiue, sunt intelligendæ*: vt, *Psalm.* 125. Circum Ierusalem

ſunt montes, & Dominus eſt in circuitu populi ſui, pro, ſicut Hieroſolymam montes, ita Deus cingit Eccleſiam.

15. *Duæ propoſitiones κατ' ἀντίθεσιν propoſitæ, ſæpe intelligi debent comparatiue*: vt, *Pſam.* 34. Leones egebunt & eſurient, quærentes autem Dominum non deſtituentur vllo bono, pro, Leones potius egebunt, quam quærentes Dominum: vel, etſi leones egebunt, non tamen ii, qui quærunt Domini. *Hoſ.* 6. Miſericordiam volo; & non ſacrificium, hoc eſt, potius miſericordiam, quam ſacrificium. *Luc.* 4. Cum facis prandium, noli vocare fratres tuos, &c. ſed voca pauperes, mutilos, claudos, cæcos, id eſt, potius hos quam illos.

16. *Verba debent intelligi ſecundum ſubiectam materiam*: vt, *Pſal.* 7. Si eſt iniquitas in manibus meis, ſcil. in hac cauſa Saulis. *Pſalm.* 112. A triſti fama non timebit, ſcil. inordinato timore. *Prov.* 6. Ne reſpondeas ſtulto ſecundum ſtultitiam eius, ne ſimilis ei efficiaris, ſcili. inordinata reſponſione. *Ibidem.* Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam eius, ne ſibi ſapere videatur, ſcil. ordinata reſponſione: *Eccleſ.* 1. Radix ſapientiæ, timere Deum, ſcil. filiali timore. *Dan.* 12. Qui iuſtificabunt multos, ſicut ſtellæ firmamenti lucebunt, nempe, eo modo, qui competere poteſt in homines. *Matth.* 11. Venit Iohannes neque bibens, neque comedens, ſcil. multum. *Matth.* 6. Nolite ſoliciti eſſe de craſtino ſcil. inordinata ſollicitudine. *Iohan.* 6. Caro mea eſt vere cibus, ſcil. coniuncta cum verbo & fide. *Iohan.* 6. Neque hic, neque parentes eius peccauerunt, ſcil. in hac cauſa quoad cæcitatem. *Ioh.* 12. Qui odio habet animam ſuam in hoc mundo, in vita æterna cuſtodiet eam, ſcil. in negotio ſalutis, & tempore confeſſionis. *Rom.* 12. Mihi vindicta, & ego retribuam, ſcilicet priuata. 1. *Cor* 8. Scientia inflat, ſcil. ſine charitate. 1. *Tim.* 1. Iuſtis non eſt lex poſita, ſcil. quoad condemnationem, ſed quoad pædagogiam. Sub hac regula continentur illæ. *Generales ſententiæ nonnunquam per reſtrictionem de vna certa ſpecie debent intelligi.* Item: *Simpliciter dicta nonnunquam ſecundum quid intelligi debent.* Item: *Incluſiue dicta nonnunquam excluſiue ſunt intelligenda.* Item: *Oratio vniuerſalis reuocatur ad veriſimilem authoris mentem, nec patitur omnes ex ſe trahi ſequelas.* Item: *Generalia intelligenda ſunt ſeruata cuiuslibet proprietate.*

17. *Propoſitiones de bonis operibus inchoatiue intelligi debent*: vt. *Pſalm.* 18. Cuſtodiui vias Domini, id eſt, fuit in me conatus ille, & cœpi præſtare obedientiam aliquam præceptis Dei. *Luc.* 11. Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud. *Rom.* 6 Mortui ſumus peccato. Vbi & hoc notãdum, has tales propoſitiones ſic accipi de bonis operibus, vt fides præſupponatur: vt, *Ioel.* 2. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit, ſcilicet ratione fidei prælucentis.

18. *Præcepta negatiua & de negatiuis, & de affirmatiuis intelligenda ſunt*: vt, *Exod.* 20. Non erunt tibi dii alieni coram me, non occides, non committes

te adulterium; hic est sensus, non solum illa fugies, sed etiam facies contraria.

Hic lubet ὡς ἐν ἐπιτομῇ proponere quæ habet *Christophorus Agricola Rhætus in propugnaculo Antipistoriano*, qui liber est lectu dignissimus, sed paucis lectus. Ego bona fide summa capita perstringam, perpaucis hinc inde adiectis. Diuidam autem totam istam Epitomen in octo sectiones, in quibus occurrent varia de verbis & rebus S. Scripturæ: ita vt commode hoc loco possit poni illa doctrina, qua scil. & repetantur, quæ hactenus dicta sunt de verbis S. literarum, & animi lectorum præparentur ad sequentem tractationem de rebus.

SECTIO I.

De primo sacrosanctorum effatorum genere: quod στοιχειῶδες.

SYmmetrian Scripturæ perpendamus. Doce nos ὦ Αὐτοσοφία per Spiritum tibi cum Patre æterno ὁμοούσιον καὶ ὁμότιμον?

Si sacra Biblia perlustres, quatuor locorum genera inuenies, quibus res sacræ enuntiantur: iique sunt subordinati, vt primus secundo, secundus tertio, tertius quarto inseruiat pulcre. *Quatuor locorum genera occurrunt in sacris.*

Primum genus est στοιχειῶδες: quod habet Scripturæ effatum, cuius & signa & signata sunt manifesta, ὀφθαλμοφανῆ: hoc est, verba & res. Verba sic dicuntur: quia sunt εἰκόνες, ὁμοιώματα, δηλώματα, σύμβολα. *I. Genus στοιχειῶδες; vbi multa de Scriptura claritate.*

Hoc genus notum est omnibus, qui vti possunt & oratione & ratione. Ratione quidem, vt norint inter rem & non rem esse discrimen, hoc est, quiduis non esse quoduis. Oratione autem, vt percipiant ab alio prolata verba.

Annon hæc pugnant cum illis Apostoli: ψυχικὸς ἄνθρωπος non intelligit, quæ sunt Spiritus Dei. 1. *Corinth.* 2. Et *Roman.* 11. Quam inscrutabilia sunt iudicia Dei! Me expedio, quamuis necdum impeditus sim. Cum tenemus rem, scimus eius vel τὸ ὅτι, vel τὸ διότι. Hoc non ab omnibus intelligitur; quia procedit è causis primis & immediatis. Pauci hoc assequuntur, imo nemo perfecte. Quare quæramus legendo, & inueniemus meditando: pulsemus orando, & aperietur nobis contemplando: Illud vero, τὸ ὅτι inquam, habemus, quando τὰ ἑπόμενα introspicimus: quæ sunt vel αἴτια vel τεκμήρια, *effecta vel signa*. Et hac intelligendi via prostant hi loci omnibus, idioma eorum capientibus, & rite sapientibus, hoc est, rationem afferentibus. Clarius: Omnes illi, qui linguam sacri fœderis norunt, ex eo quædã capiunt, quæ aduertunt talia vel talia asseuerari: at non omnes vident, quã ob causam possint esse vera, quæ asseuerantur hoc modo. *Aristot. Anal. post. l. 1. c. 10. August.*

Vnde existunt duo hominum genera: vnum, quod videt, quæ afferuntur: illis tamen fidem haud habet: alterum, quod intelligit & fidem habet. Sic ergo homo non assequitur caussas diuinarum rerum; vnde & eas stultitiæ damnat, ipse supra stultitiam desipiens. Mysteria à tantilla creatura capi non possunt: interim clara sunt verba, quibus tanta de tantis delibantur mysteriis, quantum nobis ad veram fidem satis sit. Hoc est illud lac, quod Apostolus propinandum docet catechumenis. *Heb.6.1. 1.Cor. 3.2.* Recte August. Multa dicuntur in Scripturis submisse humi repentibus animis, vt accommodatius per humana in diuina consurgant. Perspicuitatem Scripturæ probat Moses. *Deut.30.v.11.* Hunc mucronem lambitet ille, qui nouit Bellareminus. Excipiunt: hoc de V.T. intelligendum. O infantes! S.V.T. clarum, an Nouum erit obscurum? Adde *Deut.4.6.* Tacete vulpiones Papistæ & Hyperplatones. *Psal.119.v1.05.106* Hoc dictum valet, vincit. Absit fimetum traditionum. Tace Hetrusce haruspex. Lucerna illuminat. Ab actione sic appellatur: quæ tum demum suo defuncta est munere, si passio sit in altero. *Eccles.2.v.13.* vbi Salomon de sapientia loquitur in genere. Si ergo sapientia est tanta, quanto verius id dicemus de omnigena sapientia, cuius promptuarium est Scriptura. Itet ergo & negate lucem esse lucem, id est, lucem esse noctem dicite. Ite ad tabulas nouas. Ibi habemus multa magna pro nobis. *Matth.5.v.14.* Vos estis lux mundi, videlicet propter bona opera, inter quæ præcipuum est vacare sacris. *Ioh.12.v.48.* Sermo ille iudicabit eum. Si verbum Dei iudicabit hominem, vtique intellectum id esse oportet, ne quis possit excipere: Iudicor lege, quam nunquam audiui, non intellexi. Nec impii se excusabit hac ratione: vt docet ὑπέρμεγας Orator. Petrum magni faciunt. Eum audiant. *2.Ep.1.v.19* Sublimis Aquila & nos erudiat. *1.Ioh.2,8.* O pyropum egregium! ô sidus illustre!

Scriptura perspicuitas demonstratur.

Pergo. Ecclesiæ credimus, non quia cana, sed quia sana. Ecclesia Scripturam explicat, vel potius applicat: cum nil ibi impliciti fiet. Quia enim Scriptura nobis loquitur, nostris vtitur in loquendo. Ita docuit Hilarius, eoque nos exhilarauit. Aureum os Chrysostomus testatum facit, Scripturam tam planam, vt facilis sit intellectu piscatoribus, pastoribus, opificibus.

Fulgentii nobis affulget dictum: Sic cœlestium delitiarum copia spiritalis exuberat, vt in verbo Dei abundet, quod perfectus comedat: abundet etiam, quod paruulus sugat. Ibi enim est & lactens potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia; & solidus cibus, quo robusta perfectorum iuuentus spiritalia sanctæ virtutis accipiat incrementa, πάντα σαφῆ τῇ θείᾳ γραφῇ. *Epiphan.* En! veneranda vetustas nobis assentitur, nec vobis assentatur! Sincerum animi nostri lumen consulamus. Illud autem

adhibebit Scripturæ canonem. Si vniuersa Scripturæ compages est obscura, 1. Proprio suo excidit fine. Ratio: scribitur quid, vt legatur; legitur vt intelligatur. Si non intelligitur, frustra legitur; si frustra legitur, nullo fine erit descriptum. 2. Est impedimentum nostræ institutionis. Ænigmata namque impediunt acutissimum quemque, non exercent, sed arcent. 3. Est superuacua. Si enim traditiones sunt claræ, Scriptura vero obscura: vtique illæ arripiendæ sunt. 4. Non vndiquaque sibi respondet. Necesse enim est, res verbis significatas sua inter se discordia illam Bibliorum caliginem parere. Stulte suspicitur. Si enim non intelligitur, non est quod eam miremur. Admiratio quidem est principium Philosophiæ: attamen mirari rem illam, cuius nec ὅτι cognitum est, prorsus stolidum. 6. Non est bona. Si enim obscura est, non potest sua nobiscum communicare. 7. Erit probanda per aliam lucem. 8. Deus erit inuidus. Si enim Scriptura est obscura, aut Deus non potuit dare claram, aut noluit. 9. Deus erit malus. Absurdum hoc cogitare. Cur enim obtrusit menti obscuræ obscuram scriptionem? 10. Erit iniustus. Requirit namque sui notitiam apertam & certam. At plus exigit à nobis, quam credidit, si obscure nos erudiit. 11. Non danda ei opera. 12. Vilior esset quacunque scientia. Scientia enim omnis nititur principiis notis atque claris. 13. Erit inferior traditionibus, ratione, sensu ipso. 14. Non esset canon. 15. Dei oracula essent similia responsis Satanæ & Sibyllarum.

Atqui hæc omnia sunt falsa. Ergo & illud. Præterea si Scriptura probanda est & illustranda per aliud, aut Scriptura non erit diuina, aut aliquid ea diuinius, ἐκ πιστοτέρων enim est legitima probatio. Neutrum est: prius ἄθεον: posterius βλάσφημον. Alterutrum si asserant, demonstrabunt se esse vacuos homines vel scientia vel conscientia. Scriptura est clara quoad signa & signata. Ergo tota est clara: quicquid Loiolistæ contra deblacterent, fremant & tremant. Verba esse clara asserimus in versionibus, clarissima in Archetypis seu archiuis.

Hic Philologicam ordimur disputationem. Socrates apud Platon. in Cratylo contendit contra Hermogen. τὴν ὀρθότητα τῶν ῥημάτων sibi constare τῇ φύσει hoc est, rebus imposita esse nomina ex suæ naturæ conditione. Contra asseuerat Aristoteles ex Hermogenis sententia, res acquisiuisse suas appellationes κατὰ συνθήκην, id est, homines vocasse τὰ πράγματα, prout suasit ipsorum arbitrium. Optarem tantorum virorum concordiam. Et est sane aliqua, si quis rem acutius æstimet. Distinguenda quippe vocum varietas, & comperietur duplices illas esse, alias πρώτας, alias δευτέρας. πρῶται fuerint, quæ ab aliis non descendunt, nec ex iis componuntur: δεύτεραι autem, quæ vel compositæ, vel aliunde ducunt originem. Illæ rebus sine vlla ratione sunt attextæ: & tantum consensio loquentium effecit, vt hæc vel illa res hoc genere appellationis notaretur, *De impositione nominum sententia Agricola.*

tur, Do exemplum. τὸ אדם. Hebræis significat, Rubuit. Cur hoc dissyllabum actiui rubendi attribuatur, ego nescio; nec facile quis sciet, nisi cuius sapientia omnium scientias absorpsit.

At hæ ἐκ συνθήκης quidem ortum etiam habent suum: sed tamen ita sunt conformatæ: vt, si respicias ad voces, quæ eos peperunt, prorsus respondeant rebus κατὰ φύσιν. Nam naturales quodammodo sunt factæ, postquam consensum est inter loquentes. Et paradeigma sit hoc: vox אדם hominem denotat. Non frustra. Fluit enim hoc nomen à superiori illo verbo. Verbum autem significat Rubere. Conuenienter ergo hinc nomen homo apud Ebræos ducitur, cuius corpus è terra, quæ rubebat, erat confectum. Eadem est & aliorũ ratio. Μέλος Græcis est membrum. At cur? Et ἔδω, est edo: causam ignoro. Combina has duas voces, & prodibit, ὁ μελεδὼν:, quod verbum sonat curam. Heîc ratio. Sic enim est dictum, ὅτι ἔδει τὰ μέλη; absumat membra.

Hoc iam accommodemus. Quæcunque signa in sacra Scriptura occurrunt, ea vel sunt πρῶτα vel δεύτερα. Si πρῶτα fuerint illa, nota fuerint. Nota enim est συνθήκη, conuentio illa, quæ inter homines eiusdem linguæ ob hanc vel illam vocem intercedit.

At si δεύτερα sint, duplici modo perdisces. Quid significent, suggeret συνθήκη. Erudiet & te præcise φύσις: quam introspicere debes. Sic quadam iucunditate aspicies, quam proprie τὰ δεύτερα, ipsis tamen rebus mediantibus, τοῖς πρώτοις applicentur. Recte ergo Hilarius: Ex verbis sensum, ait, sequamur; ex sensu rationem; & ex ratione veritatem apprehendamus. Sunt tamen quædam verba, quæ legentis captum excedunt. Summa: Res per verba, & verba per res cognoscuntur. Sunt enim ἐκ τῶν πρός τι; vtpote signa & signata. Exempli gratia ponamus principium τοῦ Berescith: Ἐν ἀρχῇ ὁ Θεὸς ἔκτισε καὶ τοὺς οὐρανοὺς καὶ τὴν γῆν. Verba hæc explicant articulum fidei & agunt de creatione. Euoluenda primo vocabula. Accersamus ergo Philologum, qui dicet בראשית Græcis ἐν ἀρχῇ. Latinis, in principio. Accersamus Philosophum realem; quæramus quid sit principium? Respondebit: Est id à quo alia secundum seriem dependent. Sic ברא ἔκτισε, creauit. Creare vero est è nihilo aliquid facere. השמים τοὺς οὐρανοὺς; cœlos. Definiendum venit cœlum. Sed & hoc obseruita. Res sunt domesticæ vel exoticæ. Illæ sunt notæ; hæ non item: adeoque recurrendum ad magistros mutos, viuos, vel & ipsam experientiam, quoad eius fieri poterit. Ego enim Germanus nunquam vidi cedros Libani. Ergo hoc cognoscam ex historicis. Nec tamen scriptura obscura. Hæc enim tantum faciunt perfectiorem, si teneantur, non exuunt Christienismo. Talpa videat, eos nolle videre, qui se hæc videre negant. Nam τὸ ὅτι ita perspicimus. At Spiritus S. τὸ διότι nobis aperit. Nam illud Mosis pronunciatũ credere nõ possunt nimium sapientes, nimiũ desipientes.

Nimium ſapientes (quorum in tribu Simplicius) non exiſtimant Deum ab æterno fuiſſe otioſum. Verum hoc eſt. Sed inde non infertur. Ergo ab æterno creauit mundum. Nimium deſipientes; qui ſomniant ex nihilo nihil fieri. Qui vero aſſeuerata ſcripturæ negat; principia negat; proindeque cum eo non diſputandum. Diſpellamus vnicam nubem, & diſpellamus in Rhodum. Sacra ſcriptura eſt clara, inquiunt, quando ab Eccleſia explicatur. Ita Stapletonus, & ex eo Piſtorius, item Bellarminus. Quæ vero Eccleſia? An Catholica? Forſan cacoCatholica. At probate. 1. Romanam Eccleſiam eſſe Catholicam illam. 2. Papam eſſe iudicem. Papa enim eſt reus, cui intentatur lis. Ergo non iudex. Audite Ieſu-vitantes. Veſtræ Eccleſiæ membra ſunt Laici vel clerici. Laici non interpretari poſſunt ſcripturam. Ergo clerici. Hi ſunt vel examen vel rex examinis. Examen cadit, ſi abſit rex. Ergo ſolus rex, hoc eſt, Papa purpureus erit ille doctor & ductor, an ſeductor & decoctor? Sed quæro an Deus iuxta velit, vt vni Chriſtiano ſcriptura ſit tantum clara? Si Papa eſt regula fidei, vtrum admirandus, vel quia talis ex ſe eſt, vel quia fit aliunde? Forſan aliunde? An à Deo? Hoc probatum ite. Ieſu bone! Quot Papæ fuerunt hæretici, quot magi, quot ſacrilegi? Pergo. Si traditiones ſunt vehicula illa diuinitatis, cur non exauctorantur libri Canonici? Cur non autorantur Traditiones? Nam ab illis ſcriptura lumen accepit, ſi Deo placet. Sed vnde traditiones? Numne ab Apoſtolis? Minime. Ergone partus, vel fœtus abortiuus, ingenij humani erit regula ſacrarum literatum? Patres aliter. Ἰδοὺ φιλοπάτορες. Ecce antiquatii. O poſteri præpoſteri! Cur ſcripta per nonſcripta explicatis: Traditiones an à Patribus? At Patres ipſam ſcripturam vrgent: At patres à ſeipſis interdum diſſentiunt. At patres fuere homines. An à concilijs? Dicite: an Eccleſia Italica amplectitur omnia concilia? an nulla? an quædam? Si omnia oſculatur, etiam multas hęreſes, quę in aliquibus Synodis ſancitæ. Non reicit omnia, Ergo quædam probabit: id quod & nos facimus. At dum quædam reiicit, alia recipit, inter ea diſcernit. Si diſcernit, an ſine regula? Quod ſi itaque quadam regula iudicantur, ipſa nequeunt eſſe regula. Igitur detur alia regula. Inſuper largiar traditiones eſſe ſcriptas. Ideone Canonicæ? Vos ſcripturam repudiatis, nos traditiones. Obſcura eſt, dicitis, ſcriptura: Quia à varijs varie explicatur. Idem de veſtris rraditionibus dico. Vnicum attexo. Cur traditiones debent magni fieri? Quia, dicunt, per manus maiorum ſunt traditæ. Hoc ſc. eſt patrocinari Iudæis. Talmudiſtæ enim ſuas traditiones Moſi acceptas ferunt: vnde conficiunt catenam quandam auctorum, donec res deſinat in Hildel. En & hic ſucceſſio! Item; ſi traditiones veræ ſunt, examinandæ vtique. Iniqua enim lex eſt, quæ non patitur ſe examinari. Si examinandæ, vtiq; per regulam: ſi ita, ipſæ non ſunt ſumma regula. Obtinemus igitur, ꝙ obtinendũ: videl. Eccleſiam erudiri per ſcripturam, non autem ex-

terna

terna illa dogmata. Descendite, Papistæ, in infernum. Nam si ethnicorum aliqui scripturam intellexerunt, an negatum ibitis esse aliquid in scriptura εὔπορον. Amelius Philosophus ethnicus, qui Iohannis initium intellexit, cuius & verba iuxta vsurpauit. Galenus quoque Mosen legit iuxta & intellexit, quanquam impie correxit eum. Atqui hi fuere pagani extra Ecclesiam: nec illis hoc explicatum per Ecclesiam. Adite & audite caelites, Patres ipsos, qui scripturam sine explicatione intelligi posse tradiderunt. Adeamus eos spe, & te aliquando ipsis associabimur. Audite denique Spiritum sanctum, quem supra audire debuistis. Ille testatur, scripturam esse claram. Præuidit scilicet apostatarum strophas & gladios conuersum iri in scripturam. Hic figat ancora primæ nauigationis. Breuioribus agam in seqq. πᾶν γὰρ βραχὺ καλὸν, εἰ σαφές.

SECTIO II.

De secundo sacrosanctorum effatorum genere: quod σεμνόν.

Secundum genus effatorum in S. literis, σεμνόν.

RECte Pindarus docuit, alias vias aliis esse faciliores transitu. O quam verum! Sic & nos viam faciliorem transitu instituimus, iam difficiliorem ingredimur. Nam secundum genus eloquiorum diuinorum est σεμνὸν; sublimius enim est illud: sublimioribus quippe propositum verbis. Sic finio: *Σεμνὸν scriptura effatum est, cuius signata in aperto, at signa aliquanto sublimiora.* Hæc non repugnant superioribus, vbi dictum res cognosci per verba. Nam res possunt esse manifestæ, tametsi verba aliquo modo nos fugiant. Nam res huius generis secundi manifestantur per res primi generis. Quocirca fieri potest, vt probe teneamus sententiam Spiritus sancti & interim tamen signorum vel vnum vel aliqua nos fugiant. Paradeigma esto. *Psal.* 19. *v.* 4. Exiuit regula eorum, &c. Quorũ regula? An cœlorũ? Nequaquã. Apostolus n. *Rom.* 10. *v.* 18. Apostolis hoc tribuit. Res ergo iam manifesta. Ad iam aliquid difficultatis suboritur è verbis. Cur enim hæc signata his signis tribuuntur: verbi gratia cur Apostoli vocantur cœli? cur dicuntur perreptasse totam terram? Cur Paulus sonum dicit, quod Dauid regulam. Sic *Ps.* 45. de Christo intelligendus. Nõ enim est Epithalamium compositum Solomoni & filiæ Pharaonis, vt Iudæi existimant. Sed cur Christus vocatur pulcher? cur labia ei tribuuntur gratiosa?

Breuiter: Hoc genus locorum is tantum tenet, cui iam verum prius genus elementare est ostensum. Elementare ergo latius patet, quia ad omnes attinet homines: hoc vero σεμνὸν, sublime, ad eos tantum, quos Deus in Ecclesia sua iam aliquantum extulit. Simile illustremus: Homo simplicior habeat Imperialem thalerum, cuius nec effigiem nec inscriptionem agnoscat. Nihilominus eum probum existimat; quia voce omnium commen-

commendatur, quia iustæ materiæ & ponderis. Sic & de sublimi scripturæ genere sentias velim. Deus ceu Monarcha cudit scripturam ceu monetam. Iam vt quidam de bonitate numi non iudicant ex inscriptione aut effigie, sed ex monitu aliorum, & præstantia numi ipsius: ita & nos τὸ σεμνὸν scripturæ genus non iudicamus è singulis signis, quibus descriptum est, sed è perspicuo dictorum genere, hoc est, στοιχειῶδες & ex ipso contextu.

Hæc non minus eleganter quam vere dicta putabitis. Hoc est quod dixit vel potius innuit, Paulus 1.*Timoth.6.v.6.* quosdam relicta mente σεμνῶν γραφῶν λογομαχεῖν. Sic August. Quando de re constat, non opus est certare de nomine. Gregorius ait: Inter cætera Prophetiæ miracula, hoc quoque mirandum habent libri Prophetarum, quod sicut in eis verbis Res; ita nonnunquam verba rebus exponuntur. Notate ô βιβλιόμανοι! Quid vero causæ, quod Deus reliquerit in hoc programmate quædam sublimiora? Hic ingenium humanum temperet sibi à curiositate. Sed enim si moderate hæc res agitatur, nonnulla prodibit causa. Quatuor occurrunt fines huius diuini consilij. 1. Vt edomaret nostram superbiam. Solemus enim trita & nota despicere. Sic fastidium nostrum fregit an & fastigium? Sic, inquam, elementaria illa condire voluit, vt magis nostro palato saperent. Nam sicut parentes φιλότεκνοι liberis cum morbo conflictantibus, & pharmacum amarum respuentibus, istud saccaro conspergunt, mel illinunt: cuius dulcore, quæ visa est, amarities pellatur: ita Deus parens, nobis ægrotis, saccaro, id est, claris temperat amarum, id est, sublimia illa. Augustin. Multa etiam figurate dicuntur, vt studiosa mens & quæsitis exerceatur vtilius, & vberius lætetur inuentis. 2. Deus non per otia, sed negotia suos pertrahit ad metam optatam. Apertis enim pascimur; & exercemur obscuris, vt ait August. 3. ne sanctum obiiciatur porcis: ne diuinorum maiestas, impiorum sannis prostituatur. Deus ideo non inuidus: sed iustus. Cum enim videt sua munera sperni, ea subtrahit. Huc pertinet illud: Prophetæ locuti sunt sublimius, non inuidendo legentibus intelligentiam, sed præcauendo legentium malitiam. 4. Ne sapientiæ illa gemma vilesceret, etiam piis. Mens enim nostra prona ad nauseam, si quid cogatur cognoscere & recognoscere. Vide ὁμόφωνα Patrum dicta. Augustinus monuit, scripturæ dicta tegi his figuratis amictibus, ne nuda vilescant.

Σεμνὰ enim sunt obscura, si τὸ στοιχειῶδες prosternatur.

Affectiones generis σεμνοῦ καὶ δεινοῦ sunt:

Proprietes generis σεμνοῦ.

1. Habet verba figurata. Figura est Rhetorica vel Grammatica. Nam difficultas illa oritur vel ex ipsis signis, vel signorum situ. Signa ipsa figurata sunt quatuor modis. Quatuor enim sunt tropi. Deinde difficultas verbis oboritur, quando transponuntur vel dirimuntur. Verbi gratia ὑστερολογία: vt, *Psalm.* 21. Diuiserunt vestimenta & fecerunt sortem. Ibi

ὕςερον πρότερον. Sic male hæretici verterunt teste Aug. gust. id quod habet Iohannes ille Aquilifer *cap.* 1. Et verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Verbum hoc erat in principio.

2. Τὸ σεμνὸν sæpe tale est, vt oppositum eius occurrat: μὴ ὄν, ἀλλὰ φαινόμενον. Hic pauciora intelligenda secundum plura. Quæ inter duas dissidentes (κατὰ δόξαν tamen) sententias est rarior, & pauciores habet symphonas, habeatur pro grandiori & sublimiori, e.g. *Esa.16.v.14.* Mortui tui non resurgent. Fauet Epicureis, si proprietati verborum insistas. Sed vox Mortui: improprie explicanda: ne alia scripturæ dicta euertat. Mori quis potest variis modis: naturaliter, spiritualiter, ciuiliter, æternum, calamitate, voluntate: vnde eligatur quod huic loco maxime congruum.

Aug. Repetitio in scriptura est confirmatio.

3. Sublimia S. Codicis prolata si proprie accipiantur, sæpe æquitati aduersari videntur. Æquitas ea duplex: credendi lex, id est, symbolum Apostolicum: & naturæ dictatum; verbi gratia, Apostolus ait: Operamini salutem vestram cum tremore. Papici arripiunt & inferunt, dubitandum esse de salute. Verba symboli reclamant: Credo remissionem peccatorum. Ergo moneor aliud latere sub signis, quam illi volunt. Tremor enim non diffidentiam, sed diligentiam notat.

Huc refer illud Augustini: Sacramentum symboli est fidei Catholicæ fundamentum, supra quod ædificium surrexit Ecclesia, constructum manibus Apostolorum & Prophetarum.

Lex quoque naturalis non repugnat Scripturæ, vel contra. Deus enim in suis semper sibi constat operibus. Quando ergo dictum Scripturæ illam videtur violare, ad διάνοιαν confugiendum. Rite August. Si Scriptura flagitium aut facinus videtur iubere, aut beneficentiam vitare, figurata locutio est: vt, *Si offenderit te oculus tuus, erue eum.* An facies te vnoculum? Id cortex verborum præ se fert. At præceptum sextum prohibet.

4. Τὰ σεμνὰ recte intelligentur intellectis elementaribus: & tum sunt illustriora. Metaphoræ enim & figuræ quanto sunt obscuriores, dum non intelliguntur, tanto suauiores, quum intelliguntur. Exempli gratia *Ier.31.* 15. Rachel plorat filios. Hic si quis interueniat, qui non legit dictum elementare, certe hærebit. Adeat ergo *Matth.* 2.*v.* 17. Mos enim Scripturæ est obscuris manifesta subnectere, monente Hieronymo. Et Augustinus apposite: Doctrina legis & prophetarum amygdalis similis est: quia fructus primo quidem indumento amarus est: sequenti munitur ac tegitur: tertio sumentem pascit, & nutrit:

5. Dicta sublimia κατὰ ῥητὸν accepta, vsque adeo non congruunt cum elementaribus, vt ea eneruent potius atque euertant: vt *Matth.7.v.1.* Nolite iudicare. Hoc prima fronte fauet Catabaptistis fratribus fraterrimis omnia tribunalia proscribentibus. At V.T. approbat magistratum. Num N.T. veteri contrarium? Num antiquauit? Non. Christus enim ait *Matth.* 22. Date

22. Date Cæsari, &c. Confer *Rom.* 13. v. 1. 1. *Pet.* 2. 13. Hinc patet prohibetri iudicii genus, quod vocant traducendi vocabulo. Ergo dissentit quidem & deflectit ab elementari genere, sed potest ad illud reduci, si leuiter inflectatur. Augustin. Quod ad literam nisi absurde, non possit intelligi, proculdubio figurate dictum accipi debet.

6. Propositiones sublimes Scripturæ, non quibusuis, sed adultis cōcedendæ. Nec tamen Laicis extorquenda Biblia. Nam Prophetarum vaticinia non sunt Sibyllarum carmina. Certi tenendi sunt gradus. Catechumeno ingeminanda sunt τὰ στοιχειώδη. Iis præceptis, & perceptis aggreganda τὰ σεμνά. Sic *Plato l. 7. de Republ.* sanxit: vt ad Dialecticen soli admittantur οἱ τριακοντούτεις, qui nati 30. annos: ne qui mali inde fiant, ἀεὶ εἰς ἀντιλογίαν χρώμενοι: *ad contradicendum tantum vtentes.* Sic imbecilliores non sunt defatigandi sublimibus. Sic informandi infirmiores. Hoc obseruarunt Iudæi, qui aliquos libros iunioribus non legendos putarunt: Ante 30. annum ætatis nō legendi erant hi: principia Genes. Canticum Canticorum, Ezechielis Exordium & finis, annotante Hieron. in Procem. in Ezech. Hîc tamen discrimen obseruandum. Alij enim sunt iuuenes τοῖς ἤθεσιν, alij τοῖς ἔτεσιν. Illis potuit differri Scripturæ lectio: his non item. Quanquam Rabbini videantur superstitione adducti.

7. Numerus τῶν σεμνῶν est deminutior, respectu elementarium: quamuis per se æstimata sint multa. Nouit enim Deus, paucos esse aptos scrutandis altioribu. O Dei sapientiam! Hoc piis esse potest solatio. Pauca sunt δυσνόητα: & ea ingenti copia dilucidissimorum explicantur.

8. Genus σεμνὸν habet necessaria ad salutem. Habet enim eadem, quæ στοιχειώδες. Supra dictum: non omnium esse, hoc posse intelligere. Si ergo est necessarium ad salutem, en quidam saluandi possunt carere necessariis ad salutem: Hoc non volo. Nam necessaria ad salutem possunt hauriri ex elementaribus. Hæc duo genera continent vnum idemque, si rem spectes: modo differunt. Τὸ στοιχειῶδες παιδείᾳ ἁπλῇ, τὸ σεμνὸν μεθόδῳ χαλεπωτέρᾳ. constat.

Atque hæc de secundo genere dicere nécesse habui. Liberauimus ergo Scripturam à crimine rusticæ simplicitatis, quam quidam illi imputant. Quæ dicta, sunt ἀμετάπτωτα; constabilita suffragio vetustatis & congerie exemplorum simplicioribus implantata. Nam ἐπιστήμη ἀποβαίνει διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις, scientia hominibus obuenit per experientiam: vt ait acutus sapientiæ mystes. *Metaph. l. 1. c. 1.*

SECTIO III.

De tertio sacrosanct. effatorum genere, quod μυστικόν.

AEmon Philosophus dixit Deum vndiquaque absconditum. Hermes autem: Deum mente quidem cognosci difficulter: nunquam

autem fando exprimi posse: referente Iustino Martyre, qui magnus fuit Theologo-philos. Certum est; Deum esse abyssum, in quam si homo se mergat, submergitur. Eius enim οὐσία est ὑπερούσιος. Hoc quam verum sit explicabit τὸ μυστικὸν Arcanum genus. Sic dicitur; non quod reliqua tria non contineant τὰ μυστήρια; sed κατ' ἐξοχὴν sic dicitur.

Tertium genus effatorum in S. literis, μυστικόν. *Hoc genus habet effatum scriptura, cuius signa communiter obuia, cum signata lateant:* cum verba, inquam, sunt dilucida: at res verbis propositæ sunt supra captum capti hominis. Quidni enim captum dicam? Opponitur itaque hoc genus secundo, cuius res sunt claræ, verba obscura. Cum ergo Deus de se loquitur, loquitur ea, quæ à nobis non possunt intelligi. Nam natura eius super hanc vniuersam naturam. Ergo & sermo de illa nobis sublimis est: adeo vt mens nostra intenta in hanc abyssum euanescat magis, quam stilla muriæ illata Oceano. Interim Deus se attemperat nobis, & temperat stylum mysticum, ita vt verba conueniant nostræ balbutiei. Si tamen fidelis assequatur sensum alicuius effati mystici ex loco clariore, ea sit modestia, vt credat se vix scire ὅτι, multo minus διότι. Esse huiusmodi dicta, dicit scriptura. Dauid enim petit à Deo, vt mirabilia explanet. *Psal.* 119. 27. Nec mirum talia tantaque esse in scriptura: cum & in profanis autoribus se multa offerant, quæ transcendunt acumen & cacumen nostri intellectus. Quid? Ea quæ ante pedes sunt, quæ calcamus, quæ palpamus, fugiunt aciem intellectus. Demus exempla, in quibus quidem verba sat manifesta; sed res nō item: nec occurrit ex elementaribus, quod res has nobis expresse suggerat: vt, *Genes.* 1. *ver.* 7. אשר מעל לרקיע ובין המים. *Et inter aquas, quæ sunt supra expansum.* Verba sunt limpida: Res ambigua: qualis nimirum fiet illa aqua, quæ supra firmamentum? Coniecturæ variæ. Hic dicit esse veras aquas; at alius, corpus aeris; quidam angelos; nonnulli galaxian.

Sic 1. *Cor.* 11. *v.* 10. Fœmina debet potestatem habere supra caput propter Angelos. Verba intelligimus: res est abstrusa. Vulgata est hæc ἔκθεσις: ἐξουσία est σκέπασμα velamen, κατὰ μετωνυμίαν. Ἄγγελοι sunt ministri Ecclesiæ. Verum sublimis Apostolus aliud quibusdam innuisse putatur. Profani sunt & vani, qui hinc turpem Diabolorum & hominum commixtionem eliciunt, an extorquent? Hæc sunt impia iuxta & inutilia. Eccur vero Deus in suis tabulis voluit quædam tecta? Num scriptura est obscura? Num Deus inuidus? Sapientiam enim suam abscondit. Tenendum hoc. Scriptura est variegata. Omnia sunt aperta in se, & nobis quantum sufficit ad salutem. Has vero ob causas Deus illa voluit inuecta, id est, vt probaret infinitam suam sapientiam. Mens humana se dicit scire, quod scit se nescire. Homo est arrogans. Et hanc arrogantiam voluit refellere Dei sapientia: dum alicubi eo emicat fulgore, qui oculos effodiat iis, qui se vel Argos & oculeos profitebantur. Hinc Gregorius: Diuinus sermo

ſermo eſt quaſi quidam fluuius, planus & altus: in quo & agnus ambulet ſeu peditat, & elephas natat. 2. Deus illa reſeruare voluit in ſcholam gloriæ. Hic ſumus abecedarii. 1. *Cor* 13.12. 3. Scripturæ quędam dicta ſunt myſtica hanc ob cauſam, Deus voluit probare noſtram fidelitatem. Pii enim nō reſpuunt illa myſteria, ſicut impii ſolēt: ſed admirantur, quamuis eorū præſtantiam nondum teneant. Norunt enim illa eſſe à Deo, ac proinde magna. Dura enim videntur inſipientibus, quæ ſapienter dicuntur, dixit Cyrillus. Vere dixit non nemo: Diſtorta ingenia cognoſci poſſe, ſi Scripturæ varietate exerceātur. Certe verū. 4. Vt præferox noſtrū ingeniū hac ſublimitate retūderetur ac cōfūderetur. Etenim ſi ſumus perſuaſi, eſſe nos καὶ πανσόφυς καὶ παντεπιςήμονας, cornua nobis ſumimus illico, inaniter rati, extare nihil, quod noſtram fugiat ſcientiam. Omnis vero ſuperbia eſt ſtulta: adeo vt recte quidam dixerit: ſtultum nos Germanos dicere, quem ſuperbum dicamus: cū ſtultitia & ſuperbia differant vt mater & filia. Recte Auguſt. ait, à ſcripturis inſultari his, qui ſe ſcripturis exiſtimant inſultare.

Euoluamus affectiones huiuſmodi generis. 1. Genus μυςικὸν ita affectū eſt, vt nec ad elementare, nec ad ſublime reduci poſſit. Exempli gratia. *Iudic.5.v.20.* De cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ in curſibus ſuis aduerſus Siſaram pugnarunt. *Proprietates generis myſtici.*

Si vrgeas ῥητὸν & elementariter exponas, gratum dices Aſtrologo-Chaldæis. Sin conſules διάνοιαν, etiam hærebis. Expone de Deo & Angelis. Eſt incertum. Ergo quia non capio hoc effatum, magis ſuſpicio. Scripturæ enim notitia cum legentibus creſcit, ait Gregor. Intelligam aliquando.

2. Cognitio huius generis extollit in Eccleſia, ſi habeatur: nec excludit eum, qui vel ea careat. Non omnibus Deus eadem largitur dona. V.g. *Gen.3.v.24.* quæritur quid ſignificet rhomphæa flammea? Lyranus per gladium flammeum intelligit ignem materialem à Deo ordinatum, qui in ſuperiore parte acuatur inſtar gladii. Lutherus ait: Cherubos habuiſſe nō ferrum, ſed flammam, qualis eſt fulguris, quæque habuerit formam gladii, qui aſſidue mouetur. An Lyrano anteponemus Lutherum? vterque magnus.

3. Myſtici generis notitia non omnibus conceditur, ſed iis, quos Deus ſingillatim ſua dignatur gratia. Videmus magis ac magis reſtringi Scripturæ cognitionem. Primum nempe dictorum genus ad omnes attinebat vocatos, qui linguę gnari: ſecundum ad quoſdam; tertium magis coit.

Cumprimis miniſtris ea reuelat Deus. Nam penes illos debet eſſe penu myſteriorum, vt in penuria ſuccurrant infirmis, & occurrant obfirmatis. Sed nec ſingulis miniſtrorum concreditur: quod tamen de rationibus officii

ficii nil demit. Tales fuere œcomenici illi Apostoli. Ab his nostrorum tẽporum ministri lõge absunt. Interim non inficias iuerim, esse hodie, quos Deus in adyta illa introducat: quod tamen non fit tanta mensura, quanta olim.

4. Horum mysteriorum notitia non est de necessitate salutis. Paucis enim contingit. Ergo & pauciora sunt huius classis dicta. Non damnatur, qui Canticum Canticorum non vbique assequitur. An ergo illa superuacua? An omnino vacua? Quorsum tradita? Ita sunt admiranda. An ille non attinget portum portamque salutis, qui non intelligit, quid sit stimulus carnis qui datus Paulo, & colaphi satanæ eidem impacti? 2. Cor. 12. 7. Absit. Tot enim ibi interpretationes, quot interpretes.

SECTIO IV.

De quarto sacros. effatorum genere, quod ὀνομαστικόν.

Quartum sacrorum effatorum genus ὀνομαστικόν.

QVartum sacrorum eloquiorum genus restat, quod est arctissimum. Secundum est contractius & angustius primo: tertium secũdo, quartum denique tertio. Ecquod illud? Est τὸ ὀνομαστικόν.

Ad hoc genus referendum est huiusmodi Scripturæ sacræ effatum, cuius cum signa, tum signata in abdito. Oppositum ergo est primo illi. Nam quæ in secundo & tertio genere aliquam habuerunt difficultatem, confluunt in hoc genere. Verba ignorantur ob quatuor causas. Namque aut linguam ignorabimus, quam loquitur eo loci Spiritus sanctus. Ignorata lingua, ignorabitur res quoque. Discamus ergo linguas prototypas. Aut quia linguæ peregrinæ non perinde sunt nobis notæ, vt esse debebant. Nam quamuis Spiritus sanctus duas potissimum linguas sibi sanctificarit: tamen & peregrinas voces iis interdum aspersit. Aut non assequimur vocum significata: quod res nobis sint incognitæ, tametsi originis ratio aliqua de iis edocuit. V. g. suo nominetur nomine frutex quidam Indicus, qui in his terris non visitur. Si vel edoceant me Physicorum lexica: tamen quia adhuc nescio, qui frutex ille sit, adhuc hæsito. Aut denique quia voces eiusmodi interpretum suffragiis contrariis ita sunt exulceratæ, vt ad eliciendam veram assertionem aliquot Oedipodis esset opus. Multitudo interpretum nobis officit, & efficit, vt dum nescimus, quid sit nobis eligendum, magna in copia sentiamus maiorem inopiam. Vnde euincitur, laudabile quidem esse, si quis etiam in hoc genere accuratius sit eruditus: nõ tamen periclitari fidem Christianam. Cauendum tamen ne occipiamus λογομαχεῖν.

Promamus paradeigmata. Vnum è V. instrumento. Genes. 41. vers. 43. in

in inauguratione Iosephi præco clamauit אברך *abrech*. Hæc vox crucem fixit lectoribus. Lutherus dubitat. Lyranus fluctuat. Fasciculus Myrrhæ docet esse principem, coram quo genua flectantur: & tum est à ברך genua flexit. Vulgata versio ab hoc non dissentit. Iudæorum quidam compositam esse vocem autumant, ac significare tenerum Patrem: q. Pharao respexerit ad teneram Iosephi ætatem, ab אב pater: & רך tener. R. Salamo contendit esse μιξοβάρβαρον seu vocem conflatam ex Hebræa & barbara: ex אב & τῷ רך quod in quadam lingua barbarica significet regem: vbi respexit vel ad Latinum, Rex: vel Gallicum Roii. Ioannes Goropius Belga contendit esse Cimbricam vocem seu Germanicam. Inferiores enim Germani summatem appellant Obrecht. Hæc vox cum Mosaica plane congruit. Forsan est Ægyptiaca vox. Abeamus ad instrumentum N. *Act.* 7. *vers.* 43. Stephanus increpat Synedrium Iudaicum; vbi occurrit vox Rhemphan & Moloch. Quid Rhemphan? Quidam aiunt hanc vocem male descriptam esse è Luca, qui habeat ῥεμμὰν, nec ῥεμφάν. Rhemmon vero fuit idolum Syrorum, 2. *Reg.* 5. 18. Alii apud Lucam legunt ῥαφὴ, raphe (Hebr. רפא) quod significat gigantem, cuius statura solitus est depingi Hercules: quam Ægyptii adorabant, & appellabant Chonem: quæ vox cum Hebr. Chiun conuenit; quæ apud Amosum: indeque existimant interpretes Herculem ibi innui per antonomasiam. Quidam dicunt, deceptum esse interpretē conformitate literarum: q. lectum sit רמון Remuan pro כיון kiun apud Prophetam Amosum. Sed quid kiun? R. Kimchi ait esse illud placentæ genus, quod offerri solitum idolo Moloch. R. Selomo contendit esse stellam Saturni. Alius intellectum putat Sirium. Kiun enim Græcis κύων. Et hoc probabile est. Nam caniculæ exortus Aegyptiis sacer fuit habitus, & dignus à quo annum auspicarentur suum. Et tum legendum ῥέμβον, non ῥεμφὰν. Nam ῥέμβον est, in gyrum agens. Sirius enim canes in rabiem versos circumagit. En! Hæc sunt coniecturæ, quæ lectorem suspendunt. Affectiones huius generis attexo,

1. Genus onomasticum versatur circa quædam nomina propria ignota: vt sunt vrbium, fluuiorum, stellarum, animalium. *Proprietates generis onomastici*

Nomina vrbium controuersa sunt: cum quia ipsæ sunt euersæ: tum quia nomina sua subinde mutarunt. Sic fluuii iidem aliter alibi nominantur. De animalibus idem esto iudicium. Nam quid sibi volunt illa nomina auium. *Leuit.* 11. *v.* 22. arbe, selaam, hargol, hagal. Pauca tamen sunt nomina ἄδηλα in Scriptura.

2. Hoc genus ferme est ἀνεξερεύνητον. Implicatum manet, vt maxime implicetur. Exempli gratia. Quid vox illa *Gene.* 30. *v.* 14. דודאים (Dudaim) significat. R. Kimhi mandragoras intelligit: vt & antiquæ traditionis auctor. R. Selomoh interpretatur de præstantissimo ficuum genere.

Hæc

Hæc sententia superiori est contraria. Non ergo est de necessitate salutis tenere generis onomastici explicationé. Nemine.n.priuabit salute ignoratio vocis קִיקָיוֹן k Kaion. *tom* 4.*v.*6. Lxx. vertunt coloquintham.R.Abraham vult esse cucurbitam. R. Salem docet esse genus herbæ, superne habens ramos multos, quibus obrumbrat. Hieron. arbustum, Latinis ignotum. Et satis de onomastico genere.

Ad horum effatorum genus vnum potest referri, quicquid in S. Scriptura occurrit. Hęc est arx illa, vnde sternendi Pontificii.

SECTIO V.

Ἡ Ἐργασία *primi generis.*

Explicatū *ςοιχειῶδες*

EXplicuimus quatuor illa genera: nunc applicemus: quęque illorum beneficio sit obuiam eundum Papicis, monstremus.

Nescio, Pontificii, stultitiamne vestram an iniquitatem demirari debeam! Stultitiam quidem; quia postulatis, vt nos subiiciamus vestræ sententiæ; quum nos accusemus vos. Iniquitatem vero: quod vestros constituitis iudices, qui nobis sunt rei. Iudex neutralis est quærendus. Der nicht partheyisch sey. Nec vos, nec nos iudicem seligemus è partibus dissidentibus. Volumus iudicari iudice non suspecto. Causa summa coram summo iudice disceptanda. Nec est quod euocamus eum è cœlo. Habemus eius oracula, quæ quatuor sunt generum. Eorumque alia facilia, alia difficilia. Illa explicent, hæc explicentur.

Genus ςοιχειῶδες non explicari potest, non debet per superius aliquod. Est enim primum. Sol illustrari non potest. Si esset explicandum, aut è ipsa Scriptura, aut extra eam. Non ex vel in ipsa: quia est clarissimum hoc genus. Ergo non admittit clarius. Non extra Scripturam, quia omnia, quæ sunt extra Scripturam, sunt inferiora, Excipe digitum Dei. Non traditiones valent, non Ratio: quia illa est inepta ad hanc prouinciam secundum quantitatem & qualitatem. Quantitas rationis non patitur. Est finita. Est parua. Est non capax infiniti & magni illius.

Qualitas impedit. Est enim à diuinis auersa, est peruersa; est cæca. Id circo ratio nostra nil assuet Scripturæ, vt vel perfectiorem vel euidentiorem reddere conetur. Recte Hilarius: Optimus lector est; qui dictorum intelligentiam expectet è dictis potius, quam imponat: & retulerit magis, quam attulerit; neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.

Penes dicentem est dictorum interpretatio.

Sed ad rem: Elementare genus nullam requirit explicationem, si sint homines eruditi ac seduli: at signa & signata huius generis admittunt explicationem, si ad rude vulgus respexeris. Lumen enim fit amplius, si ellychnium

lychnium dirimatur & explicetur: vt, *Matth.* 1.*v.*19. quid sit παραδειγματίζειν. Ita & signa magis futura sunt luminosa, si breuiter dicta paraphrastice enarrentur. Huc spectant Iudæorum Targumim: vt, *Psalm.* 2.*v.*12. Osculamini Filium. Hoc vobis notate à Rege Dauide acroama: Si Deum cupitis habere propitium (cupitis autem omnes) suauissimum Filium, non Salomonem, verum Dei Filium, certatim vero pietatis affectu amate, & eius in amplexus supra suaues frequentes feruentesque ruite, ite. Verba sunt clarissima [osculamini Filium] tamen hoc modo proposita efficacius feriunt audientis animum. Sic ergo signa seu verba huius generis duobus explicantur modis. Signata seu res sicpote explicantur. Multa è verbis attente consideratis per bonam elici queunt consequentiam. Et hæc non minus valent, quam si totidem verbis in Scriptura extarent. Hoc modo τὸ ὁμοούσιον, quoad nomen, in Bibliis haud est: ita nec vox τριάδος, atque similium: res tamen his vocibus conuentę habentur ὀφθαλμοφανερῶς. Tantum videndum ne assurgat νόθος συλλογισμός. Exempli gratia. Sit Epicureus; dicat hunc mundum esse Deum. Quia in Scriptura non sit scriptum, Mundus non est Deus: Vrgeatur ratione è Scriptura. Mundus est creatus. *Genes.* 1. Ergo non Deus. Mundus peribit. 2. *Pet.* 3.10. Ergo non est Deus. Hæc æque probant, atque si in Scriptura esset totidem verbis: Mundus non est Deus. Hoc est procedere argumentatiue. Adhæc signata illa sunt applicanda præsentibus locis, temporibus, personis. Scholasticorum doctrina de quadruplici sensu huc pertinet. Caute tamen heic procedendum. Enunciata μετριοφανῆ vetustatis sunt.

Littera gesta docet, quid credas allegoria:
Moralis quid agas: quid speres anagogia.

Lyranus paradeigmatis gratia affert vocem, Hierusalem. Ea secundum literam significat metropolin Iudææ: allegorice Ecclesiam militantem: tropologice animam fidelem: anagogice Ecclesiam triumphantem. Tolerari potest hæc methodus, si in quibusdam tantum Scripturæ effatis adhibeatur: at singula sic torquere, est intolerabile. Rectius feceris, si obserues in plerisque locis quatuor seqq. vt exemplo docebimus. CHRISTVS est Deus benedictus in sæcula. *Rom.* 9.*v.*5 1. Est doctrina & refutatio Arriomanitarum. 2. Præceptum. Hoc omnibus credendum. Q. Spiritus sanctus inculcat. 3. Comminatio, omnibus pereundum, qui de illo dubitant. Est enim Christianæ religionis ἐσιῶδες δόγμα. 4. Promissio: reseruata est salus hoc credentibus. Atque hæc. 4. Paulus comprehendit. 2. *Tim.* 3.*v.*15. Sic quidam dixit: πάντες οἱ λόγοι τοῦ κυρίου τὰ τέσσαρα ταῦτα περιέχουσι, τὰ δόγματα, τὰς ἐντολὰς, τὰς ἀπειλὰς, τὰς ἐπαγγελίας, hoc est, *omnes sermones Domini hæc quatuor complectuntur: dogmata, præcepta, minas, pollicita.* *Vtilissima obseruatio.*

Addamus & illa.

1. Στοιχειῶδες Scripturæ genus est instar alphabeti: vnde & dicitur elementare. Omnes enim scientię sua habent elementa, sua principia: quibus ignoratis oleum & opera perdatur, oportet. Insanus fuerit, qui tyroni Apocalypsin Ioan. dederit legendam. Elementare ergo genus est lactis instar. 1 *Cor.* 3.2. *Heb.* 6.1.

2. Prima & sola est probatio, quam subministrat genus elementare. Non ergo audiendus, qui aliunde petit probationes. Hic est murus mirus & aheneus orthodoxorum. Hoc effatum exterebrat Papisequis occulos. Hæc est Pharus eminentissima, incommodans suffenis, quibus tenebræ commodant. Hoc & Patrum chorus nobis charus agnouit. Augustinus fatetur ea, quæ apertissime sunt dicta, esse præponenda in acie, non autem cōmemoranda, quæ obscure, vel ambigue, vel figurate dicta sunt. Lyranus scite ait: ex solo sensu literali, & non ex mystico, potest argumentum fieri ad probationem vel declarationem alicuius dubii. Thomas idē ait; quod è solo literali sensu liceat argumentari.

Nec ideo conqueri poterimus de angustiis nostrarum probationum. Nam genus hoc elementare continet omnia, quæ reposcentur à consecuturis vitam æternam. Theologia allegorica seu symbolica non est argumentatiua, dixit Thomas. Certe optarem, vt heic me totum possem diffundere, quo confunderem aduersarios. Probabo autem Scripturam esse perfectam, seu genus elementare esse tale. Duplex erit acies; vna auctoritatum, alterna rationum. Auctoritates diuinæ. *Psal.* 1. *v.* 1. *Psal.* 19. *v.* 7. *Deut.* 4.2. *Prov.* 30.6. *Matth* 15.3. *Ioh.* 5.39 *Iohan.* 20. *v.* 31. *Actor.* 29. *v.* 22. 2. *Timot.* 3. *v.* 16.17. *Gal.* 1.8. 1. *Pet.* 1.18. 1. *Ioh.* 1. *v.* 4.

Assurgat iam imperfectum cerebrum, & Scripturarum imperfectionis arguat.

Auctoritates patrum quot quantæ suppetunt? Vnicum Basilii βασιλικὸν dictum satis sit: Manifestum est infidelitatis, & arrogantiæ crimen, vel reiicere aliquid, quod scriptum est, vel addere aliquid, quod scriptum non est. Rationes sunt. Thema: Scriptura est perfecta: Ratio 1. Quia diuina. 2. *Tim.* 3.15. 2. Quia facit sapientem ad salutem: Paulo teste. *d.l.* 3. Quia diuinum reddit hominem. Nam agēs patiens sibi quodammodo assimilat. 4. Quia nos reddit certos. 5. Quia est regula, norma, forma fidei & vitæ. 6. Quia tranquillat conscientiam. 7. Quia habet sapientiam imperscrutabilem. 8. Quia facit beatum. 9. Quia reiicitur à malis 10. Quia nunquam à se dissentit. 11. Quia manet in æternum. 12. Quia antiquissima. 13. Quia nil datur perfectius in hac classe.

Si enim est imperfecta, defectus ille supplendus. Atqui nihil est illi ὁμογενές. Si velis admouere ἑτερογενές, illud erit vel infra vel supra Scripturam. Nihil est supra. Quod est infra, infirmum est. 14. Quia nunquam exhaurietur, etsi quotidie haurietur. 15. Quia successit viuæ Dei voci: Imo est ipsa

pla Dei vox: adeoque αὐτόπιστος. Christoph. Agricola congessit rationes 50. Sed homines impii timent intelligere. Quia tument: ne scilicet cogantur, quod intellexerunt, facere, vt ait Augustinus. Occurritur hic à quibusdam. Illud Iacobi, aiunt: Iustificamur per opera: ad hoc genus elementare pertinet. Ergo secundum literam intelligatur. O miseram ἀσυλλογισίαν. Dabimus ergo regulas, vt palam fiat, quis sit elemẽtaris Scripturæ sensus. Præmittam tamen dictum Irenæi aduersus hæretic. lib. 3. c. 2. imo immittam; nec Papistas dimittam, antequam soluerint: Cum ex Scripturis arguuntur (de hæreticis loquitur) in accusationem vertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant; neque sint ex auctoritate: & quia varie sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Hisdem ille. Annon S. vir Papisticum genium pinxit? Sed ad regulas.

1. Illud censendum est elementare Scripturæ dictum, cui nil directe vel oblique inuenitur contradicere in reliqua Scriptura. Cautiones. 1. Nulla in Scripturis ἀντιλογία. Si qua videtur mens nostra accusetur stupiditatis. 2. Multa sunt ἐναντιοφανῆ. 3. Quædam directe opposita videntur: qualia sunt. *Prov.* 26. *v.* 5. 6. Ne respõdeas stulto: respõdeas stulto. 4. Quædam oblique videntur inter se dissidere: vt, *Eccles.* 3. *vers.* 19. Homo moritur vt brutum: oblique pugnat cum aliis sexcentis Scripturæ dictis. *Regula generis elementaris.*

Dictum vero elementare liberum est à contradictione directa & obliqua: vti est *Gen.* 2. *v.* 7. Deus creauit hominem.

2. Nihilominus etiam illud dictum est elementare, quod pluribus Scripturæ testimoniis est stipatum: at pauciora sunt, quæ ipsi videntur repugnare. Nam quæ sæpius occurrunt, simpliciora occurrunt: quæ semel atque iterum se offerunt, abstrusiora sunt: ipsis Philosophis testibus, ô admirabilem Dei sapientiam, quæ clara abunde disseminauit!

3. N. T. est lucidius V. Nam Filius Dei ipse docuit in N. Spiritus S. afflauit mirabili modo Apostolos. Et hoc iubar Ecclesiæ præuiderunt. *Esa.* 27. *v.* 13. *Ioel.* 2. 28. Clare hanc claritatem Euangelii asserit Hieron. In lege (ait) promittitur: in Euangelio completur: ibi initia, heic perfectio: in illa operum fundamenta iaciuntur: heic fidei & gratiæ culmen exponitur.

4. Parabolæ sunt clariores rebus expositis. Parabolæ illustrant: res parabolis propositæ illustrãtur: heic passio, illic actio. Actio semper validior passione & res parabolis expositæ fiunt clariores. Ergo parabolæ magis claræ. Nam propter quod vnumquodque tale est, id magis tale. Et Seruator ait, se parabolice locutum, ne ab indignis caperentur dicta.

5. Res externæ accensentur elementari generi. Res externę sunt, quæ à Theologia non explicantur, sed aliis scientiis: quales sunt res ethicæ, mechanicæ, &c. Illæ sunt faciles intellectu. Verba enim sunt trita. Notæ etiam res è principiis, κοινὰς ἐννοίας vocant, tum è libris Philosophorum.

6. Ad genus elementare referendæ sunt historiæ. Historiæ enim tam faciles quam quæ maxime. In illis enim spectatur tantum τὸ ὅτι. Historica tamen sæpe sunt allegorica: non semper. Nam expositio literæ est quasi expositio omnium expositionum sequentium, vt ait Episcop. Burgens. Et idem autor est, omnia, quæ de necessitate salutis traduntur credenda seu agenda, in S. Scriptura sub sensu literali inueniri. Genus ergo elementare est clauis, ad maxima Scripturæ mysteria rite recludenda.

Septem regulæ Ticonianæ, quæ magnæ fuerunt apud veteres authoritatis.

Attexamus septem regulas Ticonii, ex Augustino: quæ vtile quidam spergent huic tractationi. Ticonius tanti eas fecit, vt dixerit esse luminaria & claues Scripturæ. Lyranus eas euoluit. Nos formalia verba ceu obscura non recitabimus, sensum dabimus. 1. Interdum de Christo dicitur, quod conuenit Ecclesiæ: interdum autem de Ecclesia, quod proprie competit Christo. 2. Quod proprium est Ecclesiæ veræ, interdum tribuitur falsæ, & contra. 3. Legalia interdum Euangelice enunciantur, & è diuerso. 4. Sæpe integrum sumitur pro membro, & vice versa. 5. Sæpe pars temporis ponitur pro toto: interdum minutiæ temporis omittuntur, interdum ponuntur: quandoque computatio annorum incipit in vno loco à priori loco, in alio à posteriori: & Scriptura sæpe loquitur de futuro per modum præteriti. 6. In Scriptura est sæpe ὕστερον πρότερον, & πρότερον ὕστερον. 7. Interdum de Satana dicitur, quæ eius complicibus possunt adaptari: & impiis adscribuntur, quæ proprie in Diabolum cadunt. Hæ regulæ sunt vtiles. At si ἀκρίβειαν velis, referes ad doctrinam de Tropis.

SECTIO VI.

Ἡ Ἐργασία seu Ἑρμηνεία eius generis, quod vocitatum est ζεμνόν.

Recte Augustinus docuit hæreticos hoc boni nobis offerre, vt veritas ex alternantium & altercantium conflictu nitidior ac illustrior fiat, & nos acuamur ad eruendam veritatem. Ita & Pontificii nos vrgent, vt hæc Scripturæ genera diligentius excutiamus, præsertim vero præsens, quod ζεμνόν. Id admittit interpretationem seu lucem. Esse autem illam exegesin necessariam, exinde patet, quod Deus dederit Doctores & discipulos. Docebimus ergo quomodo effata difficilia illustrari queant, debeant.

Regulæ generis ζεμνοῦ.

1. Qui huius generis interpres esse voluerit, Deum precetur, vt sibi aperiat oculos cordis. Cum enim precatio ardēs in omnibus institutis sit necessaria, sane hic maxime. Hæc enim ζεμνὰ ita sunt in sinu Dei, vt & nos eorum participes fieri queamus. Recte ergo Augustinus Sp. S. his orauit verbis: O Flamen! Huc sedeto. Immota commoueto. Quæ falsa sint, moneto. Quæ vera sint, doceto.

2. Non aget artem huius generis interpretem, qui non pellegit tota Biblia. Ita interpres Aristotelis audire nequit, nisi qui sciat exacte, quid in singulis doceatur libris. Eunuchus Æthiops nunquam hæsitasset in c.53 *Esa.* si habuisset Acta Apostolorum & alia loca perspecta: vt *Actor.* 8.*v.* 35 1.*Pet.*7.*v.*22.

3. Qui interpres scripturæ sublimis esse cupit, is teneat linguas, quibus Spiritus sanctus in vtroque instrumento vsus est. Secus illi hærebit aqua, exempli gratia. *Psalm.* 2.*v.*12. Dauid, Hebræo-Chaldaice ait נשקו-בר. Quidam vertunt, Apprehendite disciplinam. Est pia quidem admonitio: sed non illa, quam porrigit litera Hebraica, videlicet Osculamini Filium. Dauid docet, quî mortales euadere possint immortales. Bella vero minus est Bellarmini expositio, qui conciliat has versiones. Sic & *Gal.* 2.*v.* 6. quidam versor peruertit locum. Sermo est de Petro, Iohanne & Iacobo. Ab iis autem qui videbantur esse aliquid. Ille τὸ videbantur explicuit per cernebantur: Quasi quorumuis oculis fuerit manifestũ, eminentiam quandam hos tres Apostolos præ reliquis habere. In fonte est ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι. Τὸ δοκεῖν est videri: aliud est τὸ βλέπειν, ἢ ὁρᾷν. Valeant igitur Romanenses, qui Romuli linguæ clamant inesse hunc thesaurum.

4. Interpres instructus sit scientia artium liberalium: cumprimis Dialectices. Res quidem sacræ suum robur non hauriunt è Logicis: sed tamen Logica iuuat docentes & discentes in lectione Scripturæ: vt possint ὀρθοτομεῖν λόγον Θεοῦ. 2.*Timoth.*3.*v.*13. Hoc fuit significatum, si nominatissimis authoribus credere volumus, per Vrim & Thummim: id est, lucem & perfectionem, quibus duæ partes Logicæ sunt adumbratæ. Admonebant enim summum Pontificem, vt operam daret Logicæ.

Hæc nî tenueris; pendebis inter cœlum & terram.

His addam alias regulas, quæ tenendæ in omni Scripturæ enarratione.

1. Ita explica quod in Scriptura arduum, vt inde conseruetur caritas. Nam finis præcepti est caritas. 1.*Timoth.*1.*v.*5.6. Caritas autem hæc respicit qua Deum, qua proximum. Sensus igitur regulæ est: quæcunq; in Scriptura occurrunt, ea vel nobis præcipiunt Dei amorem, vel tradunt beneficentiam erga proximum. Seruator *Matth.*22.*v.*40. docet hæc duo mandata esse compendium Scripturæ. Ergo qui dubia Scripturæ dicta ita explanat, vt Deo suum tribuat & proximo, is dicat se habere explicationem eiusmodi, quæ nec Deum, nec Ecclesiam offendat. Hanc regulam sæpe inculcat Augustinus.

2. Ita interpretare Scripturæ sublimitatem, vt interpretamentum inseruiat liquido illustrandæ gloriæ Christi. Christus enim est scopus Scripturæ. *Actor* 10.*v.*43. Hinc August. Ego sum (ait Christus) via, & veritas, & vita: hoc est, per me venitur; ad me peruenitur: in me permanetur.

3. Interpres σεμνῶν admoueat Scripturam ipsi Scripturæ, & facilis

Scriptura efficiet, vt difficilis fiat facilis. Dent Bibliomisi constantiorem regulam & vicerint. Si huiusmodi interpretatio non est constans, non dari potest alia, quæ sit constans. Audite Scripturarij hæretici, Pseudopetreani.

4. In collatione Scripturæ non solum verba spectabis, sed & signata, id est, sensum.

5. Vide, num Scriptura Scripturam citet & alleget. Allegat autem vel explicite vel implicite. Explicite quidem, quando alius Scripturæ locus disserte nominatur: vt, *Matth.* 1. *v.* 22. *citatur Esa.* 7. *v.* 14. En Scriptura explicat: Scriptura explicatur. Chorœbo e. stupidior sit oportet, qui transmarinam insuper requirit interpretationem. Implicite vero Scriptura Scripturam appellat, quando alius locus Scripturæ porrigit explicationem, quod in alio desideratur, vt *Matth.* 24. *v.* 29. Stellæ cadent de cœlo. Hoc est è genere *σεμνῶν*.

Hic vero quid stellæ? quid cœlum? Resp. è *Matth.* 5 *v.* 14. quod pij Ecclesiæ ministri sint stellæ: Ecclesia vero cœlum; quia in cœlo aliquando Ecclesia catholica conueniet.

6. Circumstantiæ sublimioris sententiæ probe teneantur: maxime vero duæ, 1. Scopus quem qui negligit, Scripturam non intelligit. 2. Antecedd. & conseqq. ἡγούμενα καὶ ἑπόμενα. Eorum curam viri in Ecclesia illustres faciunt tanti, vt omnem difficultatem inde tolli posse habeant persuasissimum.

7. Linguæ cuiusque idiotismi obseruandæ sunt. Nam si in alia lingua secundum literam huiusmodi idiomata efferas, plerumque aliquid absurdi inferes. Ergo phrases cum phrasibus commutato, e.g. *Matth.* 11. *v.* 19. ait Christus: Iustificata est sapientia à Filiis suis. Est Hebraismus q. d. est reprehensa seu traducta. Germani hoc didicerunt ab Ebræis. Si accipias hoc verbum prout sonat, Christus pugnantia loquetur. Dicet enim huius seculi homines sapientiam coluisse & non coluisse. Sic *Marc.* 3. *v.* 31. Veniunt fratres & mater Christi. Ergone Christus habuit fratres? Eos habuit, qui Maria permansit virgo? Idiotismus est Hebræi sermonis. Cognati namque, puta patrueles aut consobrini, Hebræis dicuntur fratres, non vterini tantum. Habet omnis lingua, ait Augustinus, sua quædam propria genera locutionum; quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda. Ergo lingua Scripturæ est emollienda, si alias in linguas sit transfundenda.

8. Cognitio historiæ sæpenumero illustrat locum. Historia est sacra vel profana. Hæc illam sæpe illustrat: neque tamen est scitu necessaria ad salutem. Xenophon verbi gratia describit excidium Babylonis.

9. Collatio multorum locorum parallelorum est perquam fructuosa Biblio-philo: Habeas ergo ad manus Concordantias, e.g. Thema controuer-

trouersum est: Vtrum iustificet fides, vel bona opera? Appellantor Biblia. Conquiruntor testimonia è V.T. pro & contra vt vocant.

10. Pauciora per plura sunt interpretanda. Potior enim pars concludit, apud ICtos. Verbi gratia *Iac.* 2. *v.* 24. occurrit locus, qui videtur astruere meritum bonorum operum. Vnicus ille locus intelligendus est secundum plura loca in N. & V.T. Sic olim numerabantur suffragia. Hinc quidam recte dixit: Æquius est, vt ego tot & talium amicorum sententiam sequar, quam vt tot & tales amici meam vnius voluntatem sequantur. Neque tamen hoc fauet Papico dogmati.

11. Vetus Testamentum per Nouum explicetur. Verbi gratia, si decem occurrant in V.T. ea explicanda erunt per quinq; Noui Testamenti. Recte August. In V.T. est occultatio Noui: in N.T. est manifestatio veteris. Lutherus dixit, N.T. esse instar Solis, à quo Luna Testamenti veteris illustretur.

Hactenus docuimus quo nam modo signata generis huius sint explicanda: at quà via procedemus in explanandis signis. Duabus opus regulis: quarum vna *Gram.* altera *Rhetorica*. *Gram.* Homonymia vocum est obseruanda, verbi gratia vt Iacobum cum Paulo concilies, scito τὸ iustificari esse ὁμώνυμον. Praeter alia enim significat iustum declarari; vt *Luc.* 10. *v.* 26. Legis consultus volens se ipsum iustificare, hoc est, iustum declarare. Ita Iacobus accipit. Nam homo declaratur iustus è bonis operibus quæ possunt videri. Sic *Luc.* 7. *v.* 47. Remissa sunt ei peccata multa: ὅτι ἠγάπησε πολύ. Hic ὅτι non significat causam; sed euentum importat; Et sic ὅτι idem est quod διὸ; Ideo. Sic Hebræum כי 1. *Samuel.* 2. *ver.* 25. Non audierunt (filij Heli) vocem Patris sui: כי quia Iehoua vol... ... re τὸ כי significat ideo. Ergo hic sensus: Fœminæ peccatrici remissa sunt peccata: & ideo dilexit multum. Hoc est conueniens. *Rhetor.* Quod proprie intellectum parit absurditatem, tropice intelligendum est. Tropi autem illustrant & delectant. Summa: sicut ferrum & lucet & vrit, cum ignem iam suscepit, tametsi sua natura sit cum lucis, tum caloris expers: ita & τὰ στερρὰ lucent nobis & vrgent aduersarios, si per τὰ στοιχειώδη explicentur.

SECTIO VII.

Ἡ ἐργασία *generis* μυστικοῦ.

MYsteria Scripturæ transcendunt hominis oculatissimi rationem: siue spectas ipsa mysteria, siue hominem. Mysteria quidem in se sunt sublimia: quia de diuinis. Homines autem sunt ψυχικοί. Quamuis autem genus dictorum τὸ μυστικὸν sit inexplicabile; tamen Deus interdum quibusdam id explicat familiariter; secundum modum receptiuitatis humanæ.

Cau-

Cautio: Si incidamus in illa arcana, caute incedamus, nec incidamus iis neruum. Hæc decet mirari, non rimari. Id quod & sanctissimi viri fecerunt. Nostra enim nullitas non debet Dei omnitatem scrutari, & irreuerenter in adyta illa inuolare. Ambrosius ait: Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda; quæ autem manifesta fecit, non sunt negligenda; ne & in illis illicite curiosi, & in istis damnabiliter inueniamur ingrati. Hæc ille. Quod si nos sues irruimus in illas generosas rosas illotis pedibus, duplici ratione iniusti sumus: quia nec nos, nec Deum recte agnoscimus.

Ratio explicandi mystica. Verum enimuero, si vel simplices offendantur, vel mali calumnientur, explicabimus τὰ μυστικὰ, duplici adhibita cautione. 1. Mystica ita sunt explicanda, ne contradicant vel directe, vel oblique, generibus Scripturæ cum elementari, tum sublimi. Hoc si quis obseruarit, aut rem tanget, aut non erit in explicando impius. Sequitur enim γνήσιον gnomona. 2. Interpretatio mysticorum fidei sit analoga. Hanc regulam nobis suppeditat Paulus. Quæ vero est analogia? Augustinus docet, in explicanda Scriptura respiciendum esse ad duas illas solemnes leges: Ama Deum: dilige proximum, vel subtilius. Omnis expositio analoga sit fidei & caritati; hoc est, Symbolo & Decalogo. Vide *Irenæum adu. hæret. l. 1. c. 2.*

Adhæc, ô homo Dei, cum aggrederis explicationem mystici generis, obserua quatuor canonas, quos in sublimi genere Scripturæ etiam notandos commonuimus: videlicet precare Deum: perlege Biblia, tene linguas: esto Philosophus. Hæ sunt alæ quibus volitamus ad astra.

His addo alia quatuor θεολογήματα.

I. Vt sensum mysticum inuenias, sane philosophare. Illa vero Philosophia non debet τυραννεῖν intra Scripturæ pomœria: (non dominari) sed domari. Deus est rationis autor & fautor. Non enim illam repudiabit, verbi gratia. Mysticum videtur, quod extat *Eccles. 9. v. 20.* Cor sapientis in dextra eius: & cor stulti in sinistra illius. Interpretes varia dicunt. Philologi aiunt, dextram sumi pro felici, & sinistram pro infelici. Sed vetustas reclamat. Veteribus enim sinistra erant auspicata: vnde & sinistra vocata sunt εὐώνυμα. Hinc ἀριστερὰ ἄριστα; quasi εὐώνυμα. *Matth. 26. v. 38. Marc. c. 15. v. 27.* Hoc autem videtur significatum illis verbis: Salomo voluit his verbis definire sapientem, qui non tantum videt, quæ ante pedes sunt, sed quoque circumspicit, quid circumstet, quid antecedat, quid consequatur: qui nouit

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur:

vt, *Vergil. Georg. 4.* canit ex *Hom. l. 1.*

Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

Ratio exegeseos est: quia cor non potest tibi dextrum fieri, nisi tergum versus conuertas faciem. Illius enim respectu quod sinistrum fuerat antea,

tea, hac conuersione fit dextrum. At qui cor semper sinistrum habet, id est, nunquam respicit, sed tantum in præsentia animum defixum habet, is fatuus est: si vel fata eum fecissent sapientem. Sapiens contemplatur præterita, vt de futuris habere possit coniecturam. Et hæc sententia in prouerbiis sæpe occurrit.

2. Prophetiæ sunt obscuræ nobis, quarum complementum nondum habetur. Sic & alia mysteria, quorum complementum non habetur. At si complementum habeatur, habebitur id quoque, quod indicabatur complendum. Verbi gratia *Exod.* 38. *v.* 23. Deus ait: Videbis posteriora mea. Hîc quidam intelligunt effecta Dei; in & è quibus Deus videtur. *Rom.* 1. *v.* 20. Alij rectius exponunt: quod Christus intelligatur, ὁ λόγος; imago Patris. Quando autem Moses vidit λόγον? Resp. In monte Thabor. *Luc.* 9. *v.* 30. 31. Heîc certe vidit Moses posteriora illa. Christus enim ibi locutus est Mosi. Sensus ergo est: Faciem meam seu priora mea non videbis, hoc est, diuinam naturam: at posteriora videbis, id est, me indutum carne.

3. Præstantes in Ecclesia viri sunt consulendi: si aqua hæreat; vel si maxime videaris rem tetigisse, adi & audi illos. Si sint probati Deo & bonis, cur eos improbaremus? Consule viuos & mutos magistros, verbi gratia. Quid sibi vult verbum ferri. *Gen.* 1. *v.* 1. Et ferebatur Spiritus. Consule Lyranum: Is sic exponit. Spiritus Dei, id est, voluntas ferebatur super illam congeriem elementorum: Sicut voluntas artificis super materiam, quam formare intendit. Rabbinicum hoc videtur glossema. Augustinus exponit rectius per fouere. Vertendum enim potius ferebatur. Hanc sententiam Basilius approbat. Sicut enim gallina vel auis fouet oua, illa animando calore; ita Spiritus adminiculatus fuit in prima creatione.

4. Genus mysticum per σεμνὸν ad elementare traducendum est. Nam si ttia superiora obseruasti, signa & signata erunt clara. Christus ait *Luc.* 10. *v.* 18. Videbam Satanam, vt fulgur, de cœlo cadentem. Vtut hoc explicetur: tamen arcanum spirat. Quod si vrgearis vt exponas, hæc exprome: Christus vidit, quomodo Satanas de solio suo sit deturbatus prædicatione discipulorum. En sic est σεμνὸν genus? Quanquam enim verba sint subobscura: tamen res aperta ex aliis Scripturæ locis, quæ sunt elementaria vt 1. *Iohan.* 3 *v.* 8. vt dissoluat opera Diaboli. Dissoluit autem per ministros; qui eiusdem legati. 2. *Corinth.* 6. *v* 20. Ecce talia facta sunt elementaria, cum alia essent. Ergo emolienda sunt signa: fulgur: cœlum: cadere: quæ sunt metaphorica. Fulgur significat subitum impetum, qualis est in fulgure: cœlum, principatum, qualem habet cœlum præ reliquis corporibus: cadere, id est, deturbari. Et sic si explices mystica, nil effuties impij, & tuo consules honori per hanc modestiam.

SECTIO VIII.

Ἡ ἐργασία illius generis: quod dictum τὸ ὀνομαστικόν.

VLtimum genus restat. Eo in explicando non erimus multi: quia nec Scriptura est multa in eo propalando. Ratio: quia non multum operæ ponit in iis, quæ non conducunt saluti. Attamen, vt cum vtilitate etiam in hac prouincia versari possimus, hæc obseruanda.

Ratio explicandi genus onomasticum.

1. Sagacius in originem vocis obscuræ inquirendum est, vt res eius aliquo modo nobis patescat. Manendum ergo est in lingua Originali. Παραδείγματος ἕνεκα. *Genes.* 4. *v.* 16. dicitur Cain habitasse in terra Nod, interfecto fratre, τὸ Nod quid sit, fere ambigitur. Ambiguitatem hanc diuersitas expositionum insuper auget. LXX. vertunt ἐν γῇ ναίδ. Et videntur certum locum indigitare. Hi habent ὁμόψηφον R. Salomonem. Vt res planior fiat, vocis origo perpendenda. Hebraicum נוד significare potest demigrationem, à verbo נוד quod est migrare, vagari. Sensus est: Cain habitauit in terra migrationis, hoc est, exulis vitam egit, ob fratricidium conscientiæ morsu à loco in locum subinde migrauit. Vel נוד motionem significare potest; quod schola Iudaica sic explicat: In terra Nod, id est, motionis: quia quocunque ibat Cain, terra subter illum mouebatur; creaturæque dicebant: Recedite; hic est qui fratrem suum occidit. Et sane quem tibi pollicearе fauorem à creaturis, si ipsum creatorem tibi sensisti infensum.

2. Dispiciendum est, si quidem potest fieri, de natura rei, cuius nomen tam est incertum. At quomodo dispici potest de re, cuius nomen adhuc ignotum? Annon è signis cognoscenda signata? Resp. Circumstantiæ sæpe suppeditant, quod ingerat probabile quid de vocis ignotæ significatu. Multa possemus adducere exempla, nisi institutum nostrum nobis imperaret breuitatem. Vnum caput Esaiæ videlicet 15. multa nobis suggerit: è quibus duo delibare licet. *ver.* 5. quid sit Luith? quid Oronaim? Hieron. & Lyranus putarunt esse nomina locorum vel vrbium in Moab. Nos inquiramus in rem ipsam. Vates in hoc cap. vaticinatur de interitu gentis Moabiticæ. Iccirco & introducit præcipuas Moabitarum vrbes eiulantes, suaque fata miserabili planctu testificantes. Ergo non errare videbitur, qui hîc dabit locū τῇ προσωποποιΐᾳ; ac dicet, verba hæc (Luith, Oranaim) esse imitamenta etiam sono illius luctus, quem Moabitæ inter fugiendum ostenderint. Hinc quidam scite dixit: Quid si propheta per Luith, & Horonaim voces clamantium exprimere voluit? Nam Lu, & Ho syllabæ, sonum vlulantium & clamantium imitantur.

3. Interdum occurrunt voces peregrinæ, vt Syriacæ & Latinæ. Quod quidem Spiritum S. fecisse creditur, cum vt hac varietate delectaret, tum

vt cum

vt cùm vulgo vulgariter loqueretur v. g. 1. *Corinth.16.v.22.* Vbi de Maranatha inter doctissimos maxima controuersia. In hoc fere conueniunt, esse extremam excommunicationem. Quidam contendunt, esse vnicam vocem Syricam, quæ sonet, quod apud Hebræos τὸ חרם; qua voce generalis quædam designatur deuotio. Alij compositam esse dicunt; è Syrico מרן, id est, Dominus noster, & אתא venit. Hanc volunt esse formulam, qua extrema illa excommunicatio sit peracta, vt sit expressa *Iudæ v.14.* Ἦλθε κύριος. Quasi sensus fuerit: Ecclesia de huius hominis salute desperat; icicrco eum iudicio Domini Christi iam iam venturi committit. Est pia & erudita coniectura.

4. Adeundi sunt præstantissimi Grammatici: non omnes. Artifici sua in arte credendum est. Verbi gratia, *Gen. 31 v.19.* legitur Rachel Patri furata esse תרפים Teraphim. Quid sint illi Teraphim, magna contentione quærunt Iudæi. Plerique à רפה deducunt, quod est cessauit: quod ad inspectionem horum Teraphim, homines vel faciebant, vel omittebant opus. At quid tandem erant? De his R. Aben Ezra. Erant imagines factæ ad similitudinem corporis humani, & erectæ certis horis, & sub certa constellatione vocem edebant, eo quod capaces essent cœlestiũ influentiarum. At Lyranus ait: Hebræi dicunt, quod Tharaph (vnde in plur. Theraphim) est caput alicuius pueri primogeniti, interfecti & sacrificati Dæmoni: & istud caput præcisum salsatur, & aromatibus conditur, vt possit diu stare: & super linguam eius in lamina aurea ponitur nomẽ Dæmonis, & sic dat responsa. Alij horologia esse putant; alij aliud. Doctiores sequuntur Ab. Ezram & Lyranum.

Obsigno hanc scriptionem verbis Augustini, quibus obsignauit libros suos de sacrosancta Trinitate. Dico eius ore: Domine; Deus Vnus, Deus Trinitas: quæcunque dixi in his de tuo, agnoscant & tui: si qua de meo, & tu agnosce, & tui: Amen!

CAP. CVII.

Analogia Theologica.

Vidimus media interpretationis ratione verborum: videbimus iam media ratione rerum, quorum sunt numero tria, videlicet analogia Theologica, consideratio circumstantiarum, & collatio locorum seu dictorum Scripturæ.

Analogia Theologica, *est quædam epitome Scripturarum ex apertissimis locis collecta, ad quam reuocantur loca nobis obscura.* Apostolus 2. *Tim.* 1 hanc analogiam vocat ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, dum sic monet discipulum suum Timotheum: *Exemplar teneto sacrorum sermonum, quos à me audisti, cum fide & charitate, quæ est in Iesu Christo.* Theologi vocant analogiam, quia est regula certa interpretationis. Nam anomalia non potest esse regula; *Analogia Theologica quid sit?*

quia regula debet eſſe recta. Cuius igitur anomaliæ opponatur analogia, illa erit dicenda regula. Hoc ſenſu *Quintilianus l. 1. c. 6.* accepit vocabulum analogiæ: *Omnia tamen hæc*, ais, *exigunt acre iudicium. Analogia præcipue, quam proxime ex Græco transferentes in Latinum, proportionem vocauerunt. Eius hæc vis eſt, vt id quod dubium eſt, ad aliquid ſimile de quo non quæritur* (id eſt controuertitur) *referat, vt incerta certis probet. Quod efficitur duplici via, comparatione ſimilium, in extremis maxime ſyllabis* (*propter quod ea quæ ſunt è ſingulis, negantur debere rationem*) *& deminutione comparatio in nominibus aut genus deprehendit, aut declinationem. Genus, vt ſi quæratur funis maſculinum ſit an fœmininum, ſimile illi ſit panis, &c.* Alio modo hæc vox accipitur in Mathematicis. Huic loco ferme conuenit ſignificatio, quæ in Grammaticis habet locum. Ferme dico. Eſt enim diſcrimen, quod expreſſimus nomine adiectiuo addito, nempe analogia Theologica.

Analogia Theologica eſt duplex, fidei & charitatis. Illa in ſymbolo, iſta in Decalogo continetur. Multi Theologi analogiam Theologicam vocant analogiam fidei. Sed tum late accipitur phraſis hæc, *analogia fidei*, ita vt illius duæ partes ſint conſtituendæ: Prima de fide, quam tractat ſymbolum Apoſtolicum: altera de charitate, quam explicat Decalogus. Hoc ſenſu accipitur iſta phraſis ab Apoſtolo *Roman. 12. v. 6. Habentes autem diuerſa dona pro gratia, quæ nobis data eſt, ſiue prophetiam, prophetamus pro analogia fidei.* Sed nos hoc loco analogiam fidei accipimus in anguſtiori ſignificatu. Atque hoc monendum duxi, ne forte aliquis turbetur, ſi videat alios late, alios ſtricte accipere hanc phraſin, *analogia fidei.*

Canones de hac analogia ſunt hi.

Principia regulatiua interpretationis Theologicæ.

1. [*Omnis interpretatio Scripturæ ſeruet analogiam fidei & charitatis.*] Etiam laici, quos vocant, habent parua Biblia, in quibus ſymbolum Apoſtolicum & Decalogus continentur. Hæc ſunto principia regulatiua expoſitionis. Non noua principia ſunt cudenda, ſed condita ſunt retinenda. Principia illa iam condita, ſunt vel de credendis, vel de faciendis. Omnia credenda in ſacra Scriptura reſoluuntur & reducuntur in ipſos articulos. Omnia facienda reſoluuntur in decem illa verba, vt loquitur Spiritus ſanctus, hoc eſt, in decem præcepta, quorum duo ſumma capita, dilectio Dei & proximi. Hi articuli, & hæc præcepta non poſſunt reſolui in alia. Ex illis itaque noſtra theoremata deducamus. Ex his demum problemata reſoluamus, non ſecus ac Mathematici ex ſuis axiomatis & poſtulatis. Imo tanto firmius, quanto in creatore quam in creatura fundamentum ſolidius, in ipſo vniuerſitatis legiſlatore, quam in Lege quam præſcripſit; naturam Philoſophi vocant. Peccant igitur, & vehementer peccant, qui principia illa Theologica, articulos fidei dico & præcepta Decalogi, ſubmittunt hominum iudicio: qui item cōfundunt principia & metas ſcientiarum, contra illam regulam, μὴ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος: id eſt, *ab vna ad aliam*

ad aliam scientiam ne transeas: cum secundum verum Logicæ vsum, nostra ratiocinatio è principiis vnius scientiæ theoremata, ex his corollaria ad eandem pertinentia deducere debeat. In articulos & præcepta illa Decalogi impingere, idem est quod Philosophis deduci εἰς ἀδυνατον, id quod est exorbitare à ratione, à natura, à vera Theologia vinci ac conuinci. Recte igitur fecit Ecclesia primitiua, quod nobis breui symbolo complexa est summam credendorum. Recte item fecit, quod Decalogum à Deo datum constituit normam omnium conclusionum, quæ tractant de faciendis & fugiendis. Obiiciet hic aliquis: Symbolum igitur est supra Scripturam. Sed in tali homine ego requiram maiorem prudentiam. Symbolum Apostolicum (cuius, quæ postea in conciliis tradita sunt symbola, quidam veluti commentarii sunt) non dicimus esse supra Scripturam, cum sit ex illa, sed canonem interpretationis constituimus. Canones itaque habemus duos, maiorem & minorem. Maior est ipsa sacra Scriptura: minor, est illius epitome. Scriptura est canon palmarius, epitome Scripturæ est canon subsidiarius, inseruiens tenui memoriæ nostræ. Cum enim S. Scriptura sit diffusa, & memoria nostra angusta, non dico vtile, sed vtilissimum est, certam epitomen habere, quæ cum sit ipsa Scriptura, recte constituitur norma interpretationis. Oportet enim Scripturam explicare per Scripturam. Quoties igitur locum aliquem Scripturæ explicandum sumimus, vel explicationem ab aliis factam iudicare volumus, oculis nostris obuersetur canon hic minor. Si explicatio congruit cum illis principiis, recta censeri debet: sin, illegitima. Exempli gratia. Est nobis res cum Arriano. E Scriptura profert, *Pater maior est me*. Nos regerimus: *Ego & Pater vnum sumus*. Nascitur igitur controuersia. Hanc decidet summus controuersiarum iudex, ipsa Scriptura. Hæc quia prolixior, quam vt omnia ipsius loca inspici possint, nobis recurrendum est ad epitomen. Epitome illa duplex, fidei & charitatis. Porro itaque videndum, an propositus locus controuersus sit de credendo, an de faciendo. Est autem de credendo. Assumatur itaque symbolum. Quid vero illud? Tradit, nos credere in Iesum Christum, Filium Patris vnigenitum, Dominum nostrum, &c. Ecce hic dicis, te credere in Christum. At nonnisi in Deum credere debes. Dicis Christum esse Filium Dei vnigenitum. At qui nuda creatura est, hoc titulo insigniri non potest. Insuper dicis, Christum esse Dominum tuum. At qui ψιλὸς ἄνθρωπος, non potest esse Dominus tuus, hoc sensu, qui exprimitur in symbolo. Hinc concludis locum illum, quẽ vrget Arrianus, sic esse exponendum, vt ne quid contra symbolum committatur. Opus igitur fuerit distinctione, vt ne statuamus Scripturam loqui pugnantia. At hæc distinctio vnde petenda? Ex ipso symbolo. Symbolum autem docet te distinguere in Christo duas naturas, diuinam & humanam. Dices itaque priorem illum locum respicere naturam humanam,

Canones interpretationis sunt duo.

nam, posteriorem accipiendum esse de diuina. Consideremus & hoc exemplum. Scriptura dicit: *Si oculus tuus te offendit, erue illum.* At hoc si proprie, vt verba sonant, accipiatur, statuetur aliquid contra analogiam charitatis. Tale enim est principium Decalogi; *Non occides.* Quomodo igitur locus ille est explicandus? Notetur hæc regula: *Si τὸ ῥητὸν pugnat cum analogia, vel fidei, vel charitatis, confugiendum erit ad διάνοιαν*: hoc est, si verba proprie accepta, pariunt absurditatem, tropus erit statuendus. Quare in loco allato διάνοια erit spectanda, & dicendum, quod oculus sit positus pro concupiscentia praua, siue pro affectu malo, qui abiiciendus. Summa igitur huc redit: Cum analogia fidei pugnare dicitur expositio, quæ euertit principia, seu articulos symboli Apostolici: Cum analogia charitatis, quæ euertit principia Decalogi: vt, Deus dicitur dormire in sacris literis; si proprie accipias, labascent articuli symboli. Christus *Ioh. 6.* iubet edere carnem suam; si proprie accipias, aliquid statuetur contra symbolum & Decalogum. Ibi euertentur articuli, qui loquuntur de veritate humanæ naturæ: hic violabitur præceptum sextum. Præterea si κατὰ ῥητὸν accipias illud dictum, symbolum arguetur imperfectionis; quoniam ibi nihil habetur de tali manducatione. Quidam regulam modo allatam sic cōcipiunt: *Verba sacrarum literarum proprie accipienda sunt, nisi loci sensus in aliquem articulum fidei, aut charitatis præceptum, propalam incurrat.*

2. [*In explicatione Scripturæ perpetuo collimetur ad finem & scopum vniuersæ Scripturæ.*] Finis ille est Christus Dominus noster, quem qui recte cognouit, Scripturæ verum sensum & vsum non difficulter reperiet. Vide *Ioh. 5. v. 39. Act. 3. v. 18. & seqq. c. 7. v. 52. c. 10. v. 43. Rom. 10. v. 4. 2. Cor. 3. v. 14. & 16. Gal. 3. v. 24. 1. Cor. 2. v. 2. Apoc. 19. v. 10.* vbi dicitur, testimonium Iesu est Spiritus prophetiæ, id est, ad Iesum, tanquam certissimum scopum, feruntur omnes prophetiæ. Christus itaque est τέλος συστηματικώτατον in explicatione Scripturæ, & quoddam quasi centrum in circumferentia articulorum fidei. Vnde & pars secunda symboli est prolixior duabus reliquis. Huc pertinet dictum cuiusdam Theologi Germani: **Man muß die heilige Bibel lesen/als wann sie mit dem Blut Jesu Christi geschriben were/das ist/man muß Jesum Christum in der Bibel suchen.**

3. [*Obseruetur discrimen inter legem & Euangelium, ne ea quæ legis sunt propria, tribuantur Euangelio, aut vice versa.*] Legis summa est in Decalogo, Euangelii in symbolo, vt modo indicauimus. Grauissime igitur errant omnes ii, qui in Scripturis explicandis ea quæ legis sunt, cum Euangelii doctrina confundunt. Atque hoc est, quod alii monent, in Scripturarum lectione respiciendum esse ad fœdus Dei, quod est Legale & Euangelicū. Hac ratione fiet vt id, quod pertinet ad fœdus legale, prudēter discernamus ab eo, quod est fœderis Euangelici. Verbi gratia, quando magnifice in sacris literis depingitur Ecclesia, quando opera sanctorum prolixe laudantur,

bantur, quando liberum arbitrium commendatur, hoc omne accipi debet de fœderatis, non legaliter, sed Euangelice consideratis, hoc est, quatenus illi sunt in fœdere gratiæ, quod pactum est in manu mediatoris. Et huius rei nobis in mentem venire debet, quoties epigraphen sacrorum Bibliorum legimus. Inscribuntur enim ita: Testamenti Veteris & Noui, seu fœderis, Biblia sacra.

CAP. CVIII.

Consideratio circumstantiarum.

Consideratio circumstantiarum multis locis multum lucis adfert. Solent autem variis modis cõmemorare istas circumstantias. Quidam has ponunt: *Quis, cui, qua occasione, quo tempore, quo loco, quo fine, quid antecedat, quid sequatur?* Alii illas comprehendunt hoc versu:

Quis, quid, vbi, per quæ, quoties, cur, quomodo, quando?

Nonnulli recitant hunc versum:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Alii sic recensent: *Persona, tempus, modus, causa vel consilium, locus, & instrumentum.* Nos hoc modo illas recitamus:

Quis, scopus, impellens, series tempusque locusque,
Sedes, & modus: hæc octo perpendito lector.

Dicamus de singulis eo ordine, quem expressimus.

Principio oportet considerare, Quis, dicat. Nam interdum loquitur Deus ipse, interdum alii, vt Diabolus, homines pii vel impii. Quæ Deus loquitur, citra omnem exceptionem admittenda sunt. Aliorum dicta examinanda sunt. Diaboli dicta, etiamsi vera sint, non tamen vt diuina acceptanda sunt. Idem de impiorum dictis iudicium. Homines pii, quorum dicta in sacris literis occurrunt, aut ex instinctu Spiritus sancti locuti sunt, aut ex infirmitate carnis. Si illud, dicta ipsorum tanquam θεόπνευστα admitti debent. Si hoc, oportet nos ita statuere, hæc ideo annotata esse, vt discamus humilitatem. Dum enim legimus, etiam sanctissimos quosque lapsos esse, à maiori ad minus, seu à minus probabili ad magis probabile argumentari debemus, & ita DEI opem implorare, vt nos gratia sua anteueniat, comitetur & subsequatur. Ex his constat, multum in eo situm esse, vt expendamus, quis loquatur in S. literis. Multa ibi dicuntur ex persona impiorum. In Iobo multa ipse & amici eius parum sana dicunt. Pii homines sæpæ multa inepta dixerunt: vt Petrus, quando passionem dissuasit Christo; Philippus, quando voluit sibi monstrari Patrẽ, Vide hac de re, quæ diximus supra *l. 1. c. vlt.* Sic *Iob. c. 3. v. 1. & seqq.* diei natiuitatis suæ maledicit, ex angustiis & mœrore: Dauid multis in Psalmis hostes

Oportet in Scripturis expendere, Quis dicat?

suos

suos diris deuouet, iisque mala quæque imprecatur, vt *Psalm.7.& 35.* Sed tenendum, potius esse denunciationes Propheticas, quam imprecationes humanas.

Scopus alicius loci spectandus est interpreti.

Deinde scopus principalis spectari debet in explicatione sacrarum literarum. Vulgo dicunt in Schola Logica, scopum seu finem esse mensuram: itemque, fines discriminare actiones. Satis apposite. Quoties igitur explicandum tibi sumis locum aliquem Scripturæ, hanc normam respice, intentionem videlicet dicentis. Considerari autem potest scopus ille tribus modis, vniuersaliter, communiter, & singulariter. *Vniuersaliter* consideratur, quatenus libri sacri ad vnum eundemque scopum collineant, qui est Christus Seruator, vt diximus capite antegresso. Si dicas, scopũ illum esse, Dei gloriam, & Ecclesiæ ædificationem, nihil absurdi dices. Nam Christus vtrumq; illud complectitur. *Communiter* consideratur scopus, quatenus quilibet Scripturæ liber habet proprium scopum, ad quem explicandum omnia & singula capita faciunt. Hic autem scopus, vt plurimum colligitur ex primo capite cuiusque libri. E.g. scopus finis *libri Iob* expressus est, *cap.1.vers.20.* his verbis. *Iehoua dedit, & Iehoua recepit; sit nomen Iehoua benedictum. Psalmorum* scopus exprimitur Psalmo primo, qui est veluti prooemium; quo docetur, illum esse beatum, qui in libro legis meditatur noctes dies. *Prouerbiorum* scopus continetur *ca.1. Timor Domini est initium sapientiæ.* Scopus *Ecclesiastis* est *cap 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Hæc igitur norma respicienda erit in explicatione istorum librorum. Denique scopus consideratur *singulariter*, quatenus est proprius huic vel illi loco Scripturæ. Hic cum in omnibus Scripturæ locis diligenter attendendus est, tum omnium diligentissime in parabolis, seu similitudinibus, quæ si vltra scopum extendantur, infinitas pariunt absurditates vitio interpretis. Sic si velis scire & orthodoxum & genuinum sensum illorum verborum, *Hoc est corpus meum*, perpende scopum Christi. Scopus autem ille fuit, consolari electos. Iam cogita, vtra expositio faciat ad solidam consolationem: nostrane, vel potius Scripturę, an vero Transsubstantiatorum, & Consubstantiatorum. Sumamus etiam parabolam. *Matth.20.à vers.1. vsque ad 17.* occurrit parabola de operariis in vineam conductis. Hanc si velis dextre explicare, primo cogitandum tibi erit de scopo. Hic continetur *versu16.* Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Quare tuum erit sic omnia explicare, vt faciant ad hunc scopum. Id nisi obserues, cum Pontificiis merita operum ex isto textu adstruere conaberis.

Scopus S. literarum ab interprete spectari debet tribus modis.

Causa impellentis habenda est ratio in interpretatione.

Tertio loco obseruare oportet causam impellentem, seu occasionem dictorum. Hæc autem occasio est multiplex, prout varii fuerunt homines, quibuscum locuti sunt sancti homines. Sic aliter Christus loquitur ad superbos ac prefractos Pharisæos, aliter ad auditores cupidos veritatis, aliter ad contentiosos: aliter ille monstrat viam salutis Pharisæo, aliter Nicodemo. Ille consi-

confidebat, se propriis viribus posse consequi regnum cœlorum, iste suam miseriam agnoscebat. Hinc colligere est, diuersitatem auditorum parere diuersum agendi modum cum illis. Huius circumstantiæ consideratione etiam monstrari potest recte esse vtrumque ab Apostolo Paulo factum; & quod Timotheum propter infirmos circumciderit, & quod Titum circumcidi noluerit.

Quarto oportet seriem seu contextum in explicatione considerare, hoc est, antecedentia & consequentia. Ineptum igitur est, atripere vnicam voculam, & in ea extruere velle turrim Babylonicam. Si Iurisconsf. dicit, *turpe est de lege iudicare, tota lege nondum inspecta*, quid putas Theologo dicendum erit de lege summi Imperatoris. Quare non oportet syllabas numerare, sed potestatem vocabulorum (vocant λογογεωφιλὼ ανάγκλω) decet ex antecedentibus & consequentibus venari. Hoc si ita fiat, verum esse deprehendemus illud Rabbinorum: *Nulla est obiectio in lege quæ non habeat solutionem collateralem*. Sensus dicti istius Rabbinici hic est. Si cui occurrat locus difficilis, quem non satis intelligat, respiciat ad antecedentia & consequentia, quæ eximent scrupulum. Exemplo nobis sit locus, qui est. 1. *Timoth.* 2. *vers.* 3. 4. *Nam hoc bonum est & acceptum coram Seruatore nostro Deo, qui quosuis homines vult seruari, & ad agnitionem veritatis venire.* Hic est controuersia de vocula *Quosuis*, seu *omnes*: an illa sit accipienda pro singulis generum, ita vt idem sit, quod *vniuersi*, an vero pro generibus singulorum, ita vt idem sit, quod *omnis generis*, seu *cuiusuis ordinis & ætatis* homines. Hanc controuersiam decidet summus controuersiarum Iudex, videl. ipsa Scriptura. Inspice igitur antecedentia, quæ tibi erunt instar Mercurii, vt ita dicam, *versu primo* sic ait Apostolus: *Adhortor igitur ante omnia vt fiant deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones pro quibusuis hominibus.* Quomodo accipiat illud: *pro quibusuis hominibus*: declarat *versu secundo*: *pro regibus & quibusuis in eminentia constitutis.* Præterea hanc expositionem esse genuinam, ostendi potest ex aliis Scripturis locis, vbi prohibemur orare pro iis, qui peccant in Spiritum sanctum. Non igitur hoc vult Apostolus d. l. orandum esse pro omnibus & singulis hominibus, sed pro omnis generis hominibus.

Series & locorum respicienda est interpreti.

Quinta circumstantia est Tempus; quæ & ipsa maximi momenti est. Nam Deus alio tempore aliter cum quibusdam hominibus egit. Initio obscurius se patefecit, sed tamen ita, vt ista patefactio potuerit esse satis pro illo tempore. Initio ante legem pauciores fuerunt ceremoniæ, liberiorq; fuit religio: postea sub lege plures sunt præscriptæ, à quibus nos nunc plene liberi sumus. Iniqua igitur fuerit argumentatio à statu legis ad statum Euangelii. Principio nascentis mundi coniugia fratrum & sororum fuerunt concessa, sub lege & gratia non item illa conceduntur. Polygamiam Deus olim probauit, nunc non probat. Pertinet huc distinctio boni, quæ est

Temporis ratio habenda interpreti.

in prima Philoſophia. Bonum eſt vel æternum, vel temporarium. Illud eſt, quod ſemper tale eſt, vt laudare Deum. Temporarium eſt, quod certo tempore tale eſt; vt, obſeruare cultum Moſaicum. Pertinet huc illa Auguſtini monitio: *Diſtingue tempora, & concordabunt Scripturæ*, vel vt alii legũt, Diſtingue tempora, & concordabis Scripturas. In primitiua Eccleſia fuerunt miracula edita à ſeruis Dei, vt ita authoritas conciliaretur doctrinæ ſacræ. At hodie non licet petere miracula, quando doctrina ſatis eſt confirmata. Sub initium abrogationis ceremoniarum, Apoſtoli præceperũt, abſtinendum eſſe à ſanguine & ſuffocato: id quod nunc Eccleſiis iniungere, oleret Iudaiſmum.

Loci conſideratio eſt interpreti neceſſaria. *Sexta circumſtantia eſt Locus*; cuius ratio etiam variat dicta & facta. Multa enim in ſacra hiſtoria dicuntur ἀορίστως, quæ niſi reſtringuntur ad locũ, vbi vixerunt illi, qui talia dicta protulerunt, manifeſtam parent abſurditatem. Videamus vnum atque alterum exemplum. Paſſim in S. literis celebratur balſami odor gratiſſimus, & præſtantia ſingularis. Quod ſi quis velit noſtrum balſamum conſiderare, ſacris literis magna fiet iniuria. In Iudæa aſinis vecti ſunt reges: at in Germania id non fit. Multa prædicantur de politia Moſaica ratione loci, qui fuit circumſcriptus certis finibus: ideoque ſat commode ibi potuerunt obſeruari, quæ in S. Romano Imperio, vel in aliis locis non ita commode obſeruari poſſunt: quale eſt illud de pœna furti. Reſtitutio dupli, vel quadrupli in politia Moſis poterat locum habere, at hodie ſuſpendium fures manet. Ratio huius eſt; quia populus Iudaicus erat diſtinctus in certas tribus, certiſque pomœriis incluſus, ita vt fures non facile poſſent elabi. At hodie id non poteſt obſeruari. Sed de hiſce duabus circumſtantiis, loci videlicet & temporis, infra plura dicemus.

Septima circumſtantia, quam in explicatione locorum ſcripturæ reſpicere debemus, eſt Sedes, nimirum alicuius materiæ, ſiue thematis. Hac de re ſic accipe. *Interpres debet obſeruare principalem ſedem thematis.* Thema duobus modis tractari poteſt, ex profeſſo, & incidenter. Iam illud in omnibus ſcriptis ac ſtudiis eſt primarium præceptum, vt ſingulæ materiæ ex ſuis præcipuis ſedibus aut fontibus petantur & iudicentur, vbi ſcilicet plene tractantur, vt, locus creationis tractatur copioſe *Gen.* 3. 6. 8. *Pſal.* 51. *Rom.* 7. & ſimilibus fuſe explicatur. Doctrina de iuſtificatione proponitur pluribus *Rom.* 3. 4. 5. *&* 8. capp. Ex his itaque ſedibus iudicãdum eſt de his talibus materiis. Quod ſi aliis in locis hæc eadem themata tractentur incidenter, & ita quidem, vt contrarium docere videantur, recta ratio nos docebit, loca iſta eſſe explicanda ex iis, quibus eædem materiæ fuerunt plenius pertractatæ.

Modus reſpici debet in expla- *Octaua circumſtantia eſt modus*; qui nimirum obſeruatus fuit in dicendo, ſcribendo, & agendo. Hic modus valde mutare ſolet dictum, vel factum. Chriſtus *Iohan.* 2. videtur acerbe tractare matrem; dum ſic ait: *Quid mihi & ti-*

& tibi mulier? Sed modus sermonis istius facile excusari potest, si quis obseruet, nudum hominem alio modo alloqui debere parentes, alio item modo Christum ibi debuisse alloqui matrem, qui non vt nudus homo, sed vt θεάνθρωπος versabatur tunc in tali functione, in qua suam maiestatem omnibus modis debuit testatam facere. Proinde & tali formula istā maiestatem voluit testari. Alio modo Christus concionatus est, dum Iudæos vocauit progeniem viperarum, & filios Diaboli. *Matth.12.& 23. & Iohan.8.* item dum Petrum appellauit Satanam: alio etiam modo nostros concionatores oportet populum obiurgare.

natione alicuius loci.

Iam in vno loco ostendamus, qua nam ratione octo istæ circumstantiæ obseruatæ, faciant ad interpretationem solidam. *Eccles.1.v.1.* dicitur, *omnia esse vana.* Si quis hinc velit inferre, cogitationem Dei, & cogniti cultum quoque vanum esse, locus ille falsitatis arguetur. Hinc constat, commodam interpretationem esse adhibendam. Commoda autem interpretatio erit, quæ nobis suppeditabitur à circumstantiis, quas ordine videamus. *Quis* igitur hoc dictum protulit? Salomon resipiscens. Ecce resipiscentis hominis est omnia damnare vanitatis, quæ sunt huius mundi. Hæc igitur Salomon intellexit, quando in hæc verba erupit, *vanitas vanitatum.* & *Quis scopus* horum verborum? Voluit Salomon dehortari à nimio studio, quod impenditur rebus fluxis, & contra hortari ad studium pietatis. Vana itaque illa pronunciauit, quæ non conducunt ad pietatis studium. Porro quæ *causa impulit* Salomonem, vt hoc diceret? Ipse expertus fuerat vanitatem rerum momentanearum. *Series* quomodo iuuat hanc interpretationem? *Versus tertius* sic habet: *Quid emolumenti est homini, ex toto labore suo, quo laborat sub sole?* Ecce loquitur de rebus laboriosis. Confer sequentia. Quo *tempore* hæc scripsit Ecclesiastes? Quo *loco?* Eo tēpore, quo Deus ipsum conuertit; eo loco, quo peccauerat, Hierosolymis videlicet: quæ duæ circumstantiæ vanitatem illam maxime exaggerant, & quibus de rebus accipienda sit, satis superque testantur. Ad hæc hic *ex professo* tractatur illud thema, vt & per totum ferme librum. De illo itaq; satis plene iudicari potest ex hoc loco. Denique consideretur *modus,* quo hæc protulit. Est autem ille hyperbolicus. Quapropter non ad viuum resecandus. Sic vides in quorundam locorum explicatione octo istas circumstantias commode adhiberi posse: sed caue de omnibus hoc accipias. Sufficit sæpe, si vnam vel alteram ex his circumstantiis adducas, firmādę expositioni congruæ.

CAP. CIX.

Collatio locorum Scripturæ.

C*Ollatio locorum est, qua illi cum aliis conferuntur.*

Estque vel honoraria, vel necessaria. Illa est minus principalis, hæc magis

gis principalis. De illa, primo loco præcipimus, quia pauca hanc in sententiam nobis dicenda sunt.

Loci scripturæ collatio honoraria quæ sit.

Collatio honoraria est, qua locus Scripturæ confertur cum ratione, seu natura. Hæc dicitur honoraria; quia instituitur non alicuius cogentis seu vrgentis necessitatis causa, sed hoc fine, vt consensus S. Scripturæ cum libro naturę pateat ad oculum: qui consensus etiam annumerari potest probationibus illis, quibus certitudo S. literarum asseritur, cuiusmodi sexaginta tres collegit *Flaccius in fine lib. 2. clauis Scripturæ.*

Collatio honoraria est vel manifesta, vel minus manifesta.

Manifesta, est qua locus Scripturæ cum natura collatus, ita cum illa conuenit, vt nulla pugna appareat: vt, pleræque sententiæ in prouerbiis Salomonis plane conueniunt cum dictis Ethicis, Oeconomicis, & Politicis: multa dicta in Iobo & Psalmis conueniunt cum axiomatis Physicis.

Principia sex obseruanda sunt, si dicta sacra videantur pugnare cum ratione.

Collatio minus manifesta, est qua locus Scripturæ cum natura collatus, prima fronte videtur cum illa pugnare.

Quanam ratione apparens illa pugna sit tollenda, docuimus supra cap. 10. Sunt autem hic insuper tenenda certa principia, communissima scilicet & rationi nota, per quæ satis dextre omnia illa, quæ in Scriptura pugnare videntur cum ratione, demonstrari vtcunque possunt, vt etiam rationi vera, vel certe verisimilia videri possint. Principia illa sunt numero sex.

" 1. [*De Dei essentia non est iudicandum, ex humana ratione, vel naturæ ordine.*] Ratio; quia author naturæ non subiacet legibus istis, quas naturæ præscripsit, sed infinitis modis illam transcendit. Quam ob causam primus Philosophus, Deum vocat *transcendens*, non ob aliquam generalitatem, sed ob summam essentię singularitatem, qua ipse superat totam hanc vniuersitatem. Quare qui contrarium statuunt, perinde faciunt, ac si quis conspectis luteis ollis, etiam ipsum figulum luteum esse ratiocinetur.

" 2. [*Deus est liberrimum agens.*] Ergo non semper vno eodemque modo agit. Proinde potest hominem post hanc vitam sic formare, vt non egeat cibo ac potu.

" 3. [*Deus est omnisapiens.*] Quidquid igitur facit, non debet argui alicuius imperfectionis, vt vt rationi corruptæ tale videatur.

" 4. [*Deus est omnipotens.*] Proinde in ipsius potestate est omnis natura, ita vt illam possit gubernare & alterare, prout ipsi videtur conducere, vt ita dicam.

" 5. [*Anima humana est aliquid diuinum & spirituale.*] Hoc multis rationibus astruit orator *in Tusculanis*. Non igitur de anima iudicare debemus secundum leges, quas obseruant corpora.

" 6. [*Natura abhorret à progressu in infinitum.*] Quare oportet esse aliquod nomen, supra quod assurgere nemo possit, & à quo sint omnia bona.

Omnia

Omnia igitur absurda r tioni, quæ sunt in sacris literis, possunt ad hæc principia redigi iisque defendi: quæ cum nec ipsa ratio possit negare, falsa est atheorum calumnia, Scripturam penitus cum omni ratione pugnare.

Collatio necessaria, est qua locus Scripturæ cum alio tanquam parallelo confertur, vt sensus elucescat.

Hæc talis collatio vnice est necessaria ad sacras literas cùm fructu legendas, vt legere est *Actor. 9. v. 22. Saulus autem magis inualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci* [συμβιβάζων] *collatis testimoniis, demonstrans eum esse Christum:* id est, collatis Scripturæ locis, sicut artifices aliquid compacturi solent singulas partes aptare inter se, vt alia aliis ad amussim quadrent. Non igitur inutilem sumsit operam *Franciscus Iunius*, quando scripsit *libros parallelorum sacrorum.*

Collatio illa est vel reciproca, vel directa.

Collatio reciproca, est qua datus locus cum se ipso alibi in sacris literis citato & repetito confertur. *Collatio reciproca quid sit:*

Huiusmodi repetitiones sunt multæ in sacris literis, adeo quidem, vt sæpe vnus idemque locus quinquies, vel sexies occurrat: vt, ille qui est apud *Esaiam c. 6. v. 10. Fac vt pinguescat cor populi huius, & aures eius fac ingrauescant, oculique eius fac conniueant: ne videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & sanitas obueniat ei.* Hic, inquam, locus sexies repetitus occurrit in N.T. vt, *Matth. 13. v. 14. Marc. 4. v. 12. Luc. 8. v. 10. Ioh. 12. v. 40. Rom. 11. v. 8. Actor. 28. v. 27.*

Loci repetiti frequentes mutationes habent ob causas quinque. Sunt enim mutationes istæ, *Loci iidem sæpe repetiti leguntur in sacris.*

1. *Exegeticæ*, expositionis gratia: vt,

Psal. 78. v. 24.	*Iohan. 6. v. 51.*
Frumentum cœli dedit illis.	*Panem de cœlo* dedit eis, vt vescerentur.
Psal. 116. v. 10.	*2. Cor. 4. v. 13.*
Credidi; quia locutus sum.	Credidi, *ideo* locutus sum.
Psal. 78. v. 2.	*Matth. 13. v. 35.*
Aperiam per parabolam os meũ eructabo occulta inde ab antiquitate.	Aperiam per parabolas os meũ, eructabo occulta, *à iactu mundi fundamentis.*

Vide *Esa. 28. v. 16. & Rom. 9. v. 33. Psalm. 110. v. 1. & 1. Corinth. 15. v. 25. Genes. 13. v. 15. & Gal. 3. v. 16.*

2. *Diacriticæ*; vt loci, & tempora, & personæ inuicem distinguantur: vt

Mich. 5. v. 1.	*Matth. 2. v. 6.*
Tu autem Bethlehem Euphra-	Tu autem *Bethlehem Iudææ nequa-*

 dæ:

tæ minima existens in ducibus Iudæ: ex te mihi exibit, qui sit dominator in Israele.	*quam es minima* in ducibus Iudæ. Ex te enim exibit author, qui pascet populum illum meum Israelem.

3. *Circumscriptiuæ*; quæ sensum loci vere restringunt, prout fuit mens Spiritus sancti: vt,

Deut.6.v.13.	*Matth.4.v.10.*
Iehouam Deum tuum reuereberis, & ipsi seruies.	Dominum Deum tuum adorabis, & ei *soli* seruies.
Esa.59.v.20.	*Rom.12.v.26.*
Veniet Sioni vindex, & reuertentibus à defectione ex Iacobo.	Veniet *ex Sione* liberator ille, & euertet impietates à Iacobo.

Confer *Esa.29.v.13.cum Matth.15.v.8.9.& Genes.2.v.24.cum Matth.19.v.5.*

4. *Applicatoria*; quibus accommodatur typus ad veritatem, generale ad certam speciem, & contra: vt,

Psal.69.v.22.	*Ioh.19.v.28.29.*
Dederunt pro alimento meo amarorem, & in siti mea bibendum dederunt mihi acetum.	Vt perficeretur Scriptura, dixit, Sitio. Vas igitur erat illic positum aceto plenū. Illi vero impleuerunt spongiam aceto, & hyssopo circumpositam admouerunt ori eius.
Exod.12.v.46.	*Ioh.19.v.26.*
Os ne confringatis ex eo.	Facta sunt enim hæc, vt Scriptura impleretur, non confringetur os ipsius.

Confer etiam *Ier.1.v.7.* cum *Rom.12.v.39.40. Esa.61.v.1.2.* cum *Luc.4.v.18.21. & Psal.69.v.26.* cum *Act.1.v.20.*

5. *Breuitatis gratia*; cum quædam omittuntur: vt,

Zach.9.v.9.	*Matth.21.v.8.*
Exulta valde filia Sionis, clange filia Ierusalem: ecce rex tuus venit tibi iustus & salute præditus, pauper & insidens asino & pullo filio asinarum.	Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus & insidens asino ac pullo filio subiugis asinæ.

Collatio directa, est qua locus datus cum aliis confertur. Hæc dicitur directa, quia non reflectitur in ipsum locum, sed dirigitur ad alium, contra quam reciproca.

Est que similaris, vel dissimilaris.

Collatio locorum similarium. *Collatio similaris, est qua loci certis modis inter se congrui sunt.*

Loci autem congruunt, vel phrasi, vel sensu.

Loci quoad phrasin congrui, sunt quorum phrases sunt eadem: vt,

Gen.

Genes. 3. v. 5.

Hoc conteret tibi caput: *videlicet semen mulieris.*

Genes. 28. v. 12.

Eoque somniante, ecce scalam constitutam in terra, cuius summitas pertingebat ad cœlum, & ecce angelos Dei ascendentes, & descendentes per eam.

Rom. 16. v. 15.

Porro Deus pacis Princeps *conteret* Satanam sub pedes vestros.

Iohan. 1. v. 51.

Præterea dixit ei, Amen, Amen dico vobis, Deinceps videbitis cœlum apertum, & *angelos Dei ascendentes & descendentes* super filium hominis.

Hisce locis exquirendis optime inseruiunt concordantiæ Græcæ, Hebraicæ & Latinæ.

Loci sensu congrui sunt quorum eadem est sententia. Huiusmodi locos conquisitos vide in locis communibus *Marlorati:* vt,

Psal. 32. v. 3. 4.

Cum silerem, inueterascebant ossa mea, &c. Peccatum meum notum tibi faciebam, & iniquitatem meam non tegebam: dixi, &c. & tu sustulisti iniquitatem peccati mei.

Prouerb. 28. v. 13.

Qui tegit defectiones suas, non prosperabitur; qui vero fatetur, & derelinquit, afficietur misericordia.

Adducamus hoc loco exemplum, quo ostendamus vsum eorum, quæ hactenus tradita sunt de analogia, consideratione circumstantiarum & collatione, vt ita praxis huius doctrinæ perspiciatur.

Quoties tibi offertur locus Scripturæ explicandus, considera num sit analogus, an crypticus.

Locus analogus est, cuius sensus ita est euidens, vt nemo Christianus illo audito vel lecto aliquem scrupulum concipiat: vt, *Actor. 10. v. 43. Huic etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius, quemuis qui crediderit in eum.* Apertissima est significatio verborum istius loci, Iesum Christum dare iustitiam & vitam æternam credentibus in eum. Hæc significatio est orthodoxa, & genuina. Orthodoxa; quia conuenit cum analogia fidei, itemque aliis locis sacrarum literarum. Genuina; quia conuenit cum circumstantiis. *Loci analogi in sacris qui dicantur?*

Locus crypticus est, qui difficilior est, ita vt variæ dentur illius interpretationes. Hæ interpretationes examinandæ sunt iuxta normas à nobis traditas. Illæ, quæ congruunt cum normis, retinendæ, quæ repugnant, reiiciendæ sunt: exempli gratia sit explicandus ille locus, *1. Corinth. 11. v. 24. Hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur.* *Loci cryptici in sacris qui dicantur?*

Interpretatio Transsubstantiatorum.

Hic panis est re uera & proprie corpus Christi, per conuersionem.

Interpretatio Consubstantiatorum.

Corpus Christi, est, in, con, seu cum, & sub pane, modo inuisibili.

Inter-

Interpretatio Orthodoxa.

Hic panis est corpus Christi sacramentaliter: ita vt sit metonymia subiecti pro adiuncto.

Nunc accedat Theologus criticus, & iudicet iuxta præcepta à nobis præscripta, quænam ex his interpretationibus sit congrua. Recurrit igitur ad analogiam, circumstantias, & collationem.

Duæ priores interpretationes sunt incongruæ. Rationes.

1. Q. Pugnant cum analogia fidei, & charitatis. Si enim seruatur τὸ ῥητὸν, euertetur ille articulus: *Ascendit in cœlum:* sextum item præceptum violabitur.

2. Q. Circumstantiæ loci Paulini refragantur. Loquitur enim Paulus de Sacramento. Sacramentaliter igitur phrasis ista intelligi debet.

3. Q. Si quis conferat illas interpretationes cum ratione recta, itemque aliis Scripturæ dictis, contrarium esse verum deprehendet.

Tertia autem interpretatio est congrua. Rationes.

1. Congruit cum analogia fidei.

1. Christus *ascendit in cœlum.* Non igitur ore potest percipi in cœna, sed fide in cœlo.

2. *Natus è Maria Virgine, passus,* &c. Ergo habuit verum, naturale, & loco circumscriptum corpus; quod non potest esse vbique, vel multipræsens.

2. Congruit cum circumstantiis dati loci.

1. *Accepit. fregit.* Quis credat Christum assidentem discipulis, proprium corpus accepisse, & fregisse.

2. *Traditum pro vobis.* Panis nullo modo dici potest esse traditus pro nobis, sed Christi corpus. Ergo panis est corpus Christi, non κατὰ τὸ ῥητὸν, sed sacramentaliter; nisi velis τὸ ῥητὸν late accipere, ita vt aliud esse dicas proprium, aliud sacramentale. Sed quando Theologi vtuntur hac phrasi κατὰ τὸ ῥητὸν, stricte illam accipiunt, quatenus significat propriam acceptionem vocis aut phraseως alicuius.

3. *Poculum est Nouum Testamentum.* Ergo & in his verbis, *Hoc est corpus meum*, erit consimilis metonymia.

4. *Hoc facite in mei recordationem.* Ergo Christus non est præsens corporaliter ori, sed spiritualiter fidei.

5. *Donec veniat.* Ergo Christus est absens corpore.

6. Christus non dixit, *sub specie panis*, vel, *in pane*, sed, *hoc*, id est, hic panis, est corpus meum. Sic igitur λογογραφικὴ ἀνάγκη refutat priores illas interpretationes.

7. *Modus*, seu natura Sacramenti nostram interpretationem confirmat.

mat. Est enim in omni Sacramento ponenda analogia inter signum, & rem significatam, quæ nulla esse potest, si panis proprie est corpus Christi.

3. *Congruit cum aliis locis.*

1. Optime conuenit *cum ratione* nostra; videlicet cum præceptis Rhetoricis, & Logicis. Nam disparatum de disparato dici non potest, nisi per tropum. Et conuenit cum recepta recte loquentium consuetudine; qua fasces ponuntur pro imperio, sceptrum pro regno, toga pro pace, laurea pro triumpho.

2. Cum similibus locis congruit. *Genes.* 17. *v.* 10. *Hoc est fœdus meum inter me & vos, &c. Circumcidetis igitur carnem præputii vestri, vt sit signum fœderis inter me & vos.* 1. *Corinth.* 10. *v.* 4. *Bibebant ex sequenti petra spirituali; petra vero erat Christus. Exod* 12 *v.* 11. *Agnus est Pascha. Et vers.* 13. *Agnus est signum transitus. Actor.* 22. *Baptismus ablutio peccatorum. Iohan.* 6. *ver.* 35. *Dixit autem iis Iesus: Ego sum panis ille vitæ, qui venit ad me, nequaquam esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam.* 1. *Corinth.* 10. *v.* 16. *Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?* id est, signum communionis.

Ex his efficitur, vltimam interpretationem, & orthodoxam, & genuinam esse.

Collatio dissimilaris, est qua loca Scripturæ ἐναντιοφανῆ, seu ἑτεροσχήμονα, *hoc est phrasi vel sententia, in speciem non congrua, conferuntur & conciliantur.* Dixi potius ἐναντιοφανῆ, quam ἐναντία; ἑτεροσχήμονα potius, quam ἑτεροῖα, quoniam in sacris literis nullæ occurrunt antilogiæ veræ, sed apparentes. Vt autem conciliare possimus talia loca, oportet obseruare requisita legitimæ oppositionis, quæ sunt numero quatuor, vt nempe sit τὸ αὐτὸ, *idem;* κατὰ τὸ αὐτὸ. *secundum idem;* πρὸς αὐτὸ, *ad idem;* & τῷ αὐτῷ χρόνῳ, *eodem tempore.* Hinc quatuor constituimus regulas, quibus continetur artificium limitationis. *Collatio dissimilaris quæ sit?*

1. [*Non sunt opposita, in quibus non est idem subiectum.*] " *Artificiũ*
2. [*Non sunt opposi*[illegible]*, quando oppositio non fit secundum idem, hoc est, secundum eandem partem.*] " *concilia*" *tionis*
3. [*Non sunt opposita, quando oppositio non fit ad idem, hoc est, eodem respectu.*] " *quatuor*
4. [*Non sunt opposita, quando oppositio non fit eodem tempore.*] " *regulis traditum.*

Explicemus istas regulas paulo copiosius.

I. Regula.

[*Non sunt opposita, in quibus non est idem subiectum.*] Non igitur hæc loca Scripturæ sunt contraria. "

2. Reg. 2. v. 11.	*Malach. 4. v. 5.*
Elias Propheta dicitur sublatus in cœlum.	Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.

Conciliatio.

Non est eadem persona. Prius dictum loquitur de Elia Thesbite posterius de Iohanne Baptista. Obiicis:

Iohannes dicit, se non esse Eliam.

Christus dicit, Iohannem esse Eliam.

Resp. Iohannes Baptista non est Elias, respectu personæ, seu substantiæ indiuiduæ: sed respectu spiritus & virtutis. *Luc. 1. v. 17.*

Luc. 17. v. 19. & Rom. 3. v. 25.

Fides est maior charitate.

1. Corinth. 13. v. 2.

Fides est minor charitate.

Conciliatio.

Prius dictum loquitur de fide iustifica, quam immediate sequitur charitas: posterius de fide miraculorum, signorum, ac virtutum.

Iohan. 16. v. 13.

Apostoli post acceptum Spiritum sanctum non errarunt.

Galat. 2. v. 11.

Petrus, qui acceperat Spiritum sanctum in festo Pentecoste, errauit.

Conciliatio.

Apostoli non errarunt in doctrina, quam à Deo immediate acceperunt: at Petrus errauit in conuersatione cum gentibus, seu in vita. Nam vitam si spectes, Apostoli non fuerunt constituti extra periculum errandi.

Esa. 59. v. 21.

Deus promittit, se fœdus æternum initurum cum populo suo.

Matth. 21. v. 43.

Regnum auferetur à vobis.

Conciliatio.

Esaias loquitur de Ecclesia Catholica, eamque perpetuam fore prædicit: Christus loquitur de gente seu Ecclesia Iudaica. Non igitur est idem subiectum.

II. Regula.

Hanc regulā multi comprehendunt sub tertia.

„ [*Non sunt opposita axiomata, in quibus non est oppositio secundum idem:*] hoc est, secundum eandem partem, quæ est, vel membrum, quod καθ' ἐξοχὴν dicitur pars; vel species, quæ dicitur pars subiectiua. Videamus exempla:

Rom. 7. v. 22.

Paulus delectatur lege Dei.

Rom. 7. v. 23.

Paulus repugnat legi Dei.

Conciliatio.

Paulus iuxta spiritum, seu hominem internum, seu partem regenitam delectatur lege Dei: at secundum carnem, seu hominem externum & partem non regenitam repugnat legi Dei.

Rom.4.v.5.

Non operanti, sed credenti imputatur fides ad iustitiam.

Luc.10.v.28.

Operanti promittitur vita æterna.

Conciliatio.

Verbum Dei duabus constat partibus, Lege & Euangelio. Lex operanti, Euangelium credenti promittit vitam æternam.

Ephes.2.v.6.

Christus est æqualis Deo Patri.

Ioh.14.v.29.

Christus est minor Deo Patre.

Conciliatio.

Est æqualis respectu diuinæ naturæ: est minor quoad naturam humanam: quibus duabus quasi partibus constat Christi persona, tanquam *σύνθετόν τι.*

Ierem.17.v.5.

Maledictus, qui confidit in homine.

Iohan.3.v.16.

Omnis, qui credit in Christum, saluus fiet.

Conciliatio.

Homo est vel nudus, ordinarie consideratus, per se subsistens, & fallax: & de hoc loquitur Propheta: vel vnitus τῷ λόγῳ, extraordinarie consideratus, subsistens in diuina natura: de quo loquitur Euangelista. Sunt igitur duæ species hominum.

Matth.9.v.13.

Christus venit vocare non iustos, sed peccatores.

Eccles.12.v.3.

Altissimus odio habet peccatores.

Conciliatio.

Duæ sunt species peccatorum: alij sunt resipiscentes, alii non. De illis accipe prius, de istis posterius dictum.

Genes.2.v.11.

Deus quieuit ab omni opere.

Iohan.5.v.17.

Deus adhuc operatur.

Conciliatio.

Quiescit ab opere creationis primæ, non ab opere creationis secundæ, gubernationis, & conseruationis. Et quidem vocabulum quiescendi accipitur *ἀνθρωποπαθῶς* siue *συγκαταβατικῶς.*

Iohan.8.v.21.

Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.

Heb.9.v.27.

Statutum est hominibus semel mori.

Conciliatio.

Mortis species duæ sunt. Alia est temporalis & corporalis, alia æterna & spiritualis. De illa Apostolus, de hac Euangelista.

Genes. 6. v. 9.

Pij hominis iustitia est imperfecta.

Esa. 64. v. 6.

Pii hominis iustitia est imperfecta.

Conciliatio.

Iustitia electorum consideratur vel in iustificationis, vel in sanctificationis actu. Illa est perfecta, quia est Christi iustitia, nobis imputata: ista est imperfecta, quia est iustitia inchoata. Illa est fidei, ista vitæ.

2. Pet. 1, v. 19.

Scriptura comparatur cum lucerna.

2. Pet. 3 v. 16.

Quædam sunt δυσνόητα in epistolis Pauli.

Conciliatio.

Scriptura est clara, si spectes lumen fidei: obscura, si lumen rationis corruptæ. Hoc innuit Petrus d. l.

Exod. 20. v. 5.

Deus visitat peccata Patrum in filiis.

Ezech. 18. v. 20.

Deus non puniet filios propter iniquitatem Patrum.

Conciliatio.

Filij vel insistunt vestigiis impiorum parentum, vel non. Illos puniet Deus adæque ac Patres, istos non item.

III. Regula.

[*Non sunt axiomata opposita, in quibus non est oppositio ad idem.*] Nam diuersus respectus tollit omnem contradictionem. Hic oportet notare generalissimas distinctiones è Metaphysicis & Logicis, quarum vsus est in applicatione huius regulæ maximus: nec non speciales Theologicas. *Distinctiones Metaphysicæ sunt.* 1. *Essentia distingui debet ab existentia.* Nos fuimus electi ante iacta mundi fundamenta quoad essentiam, non quoad existentiam. Vita æterna est in nobis, ratione essentiæ, non autem existentiæ. Christus fuit in V. T. quoad essentiam, quoad existentiam non item. 2. *Essentia distingui debet à subsistentia;* seu, natura à supposito. Humana Christi natura habet propriam essentiam & existentiam, at non subsistentiam. 3. *Quod est κατ' ἀλήθειαν, distingui debet ab eo, quod est κατὰ δόξαν.* Impii quidam sunt in Ecclesia κατὰ δόξαν, seu δοξαστῶς, non κατ' ἀλήθειαν, seu ἀληθῶς; sunt φαινομένως, non ὄντως. 4. *Oportet distinguere inter actum & potentiam.* Angeli potentia sunt corruptionis capaces, non actu corrumpuntur. 5. *Actus primus maxime differt à secundo.* Fidem non amittunt electi quoad actum primum, sed possunt amittere quoad actum secundum, hoc est, non quoad δύναμιν, sed quoad ἐνέργειαν. 6. *Independens, infinitum, increatum, primum & originale, differt à dependente, finito, creato, secundo, & communicato.* Solus Deus est bonus bonitate independente, infinita, increata, prima & originaria. 7. *Id quod est per se non debet confundi cum eo, quod est per accidens, &*

Distinctiones quędam generalissimæ ex prima Philosophia.

contra-

contra. Euangelium est odor vitæ ad vitam, *per se*, est odor mortis ad mortem, per accidens. Christus est lapis angularis, *per se*, *sua natura*: sed est lapis offensionis ex accidenti. 8. *Quantum debet distingui à quali.* Electi possunt amittere fidem quoad quantum, non quoad quale. 9. *Totum ens & totum entis non sunt vnum & idem.* Totus Christus est vbique, at non totum Christi. 10. *Necessitas alia est absoluta, alia conditionata, seu ex hypothesi.* Adam lapsus est necessario, ex hypothesi decreti diuini. Hæc autem non est necessitas coactionis, sed infallibilitatis. Sic cum dico, Deus necessario est bonus; Deus Pater necessario genuit Filium: intelligo necessitatem immutabilitatis, quæ est necessitas naturæ; non coactionis. Eodem sensu alii distinguunt inter necessitatē consequentis & consequentiæ. 11. *Aliud est loqui de absoluto, aliud de respectiuo:* seu de essentia & absoluta & respectiua. Anima hominis semper viuit κατ᾽ οὐσίαν: perit æternum κατὰ σχέσιν ad Deum. Panis est corpus Christi, ratione σχέσεως, & ita panis Eucharisticus differt ab vsuali, seu cibario, quo vtimur domi nostræ. Saulus persecutus est Ecclesiam absoluta consideratione, Christum relatiua consideratione. Patiente Ecclesia, patitur Christus, vt caput & vni-dominus illius. Deus est inuisibilis & impalpabilis in se, visibilis & palpabilis quodāmodo in creaturis. 12. *Distinguendum est id, quod est ex parte seu merito rei, ab eo, quod est ex parte intellectus:* seu, id, quod est secundū rem, κατὰ τὸ πρᾶγμα, & id quod est secundum rationem, καθ᾽ ἡμᾶς seu καθ᾽ ὑπόληψιν ἡμῶν. Diuinæ proprietates sunt vnum in Deo, secundum rem: at secundum rationem sunt multæ. Huc refer distinctionem inter id quod est secundum rem, & secundum rationem. 13. *Aliud est loqui* ἁπλῶς, *simpliciter, aliud*, κατά τι, *secundum quid.* Corpora nostra in altera vita erunt spiritualia, non simpliciter, sed secūdum quid. 14. *Distinguendum est id, quod est simpliciter, ab eo, quod est* τινὶ *huic tale.* Pœna, qua Deus homines afficit, est bona simpliciter, sed est mala huic & illi. 15. *Id quod est* πρώτως *primario, distingui debet ab eo, quod est* δευτέρως, *secundario.* Christus est Filius Dei πρώτως, nos sumus Filii Dei δευτέρως, propter Christum. 16. *Res considerari potest directe, vel indirecte, seu* ἑπομένως. Deus vult peccatum, non directe, qua peccatum, sed consequenter, quatenus facit ad illustrandam ipsius gloriam. 17. *Res fit vel immediate, vel mediate.* Scriptura est à Spiritu sancto, & ab illius amanuensibus: ab illo mediate, ab his immediate. 18. *Distinguere oportet inter* τὸ *authoritatiue & ministerialiter:* seu, inter causaliter, presse accepta voce, & instrumentaliter; inter rationem agentis & instrumenti. Deus confert vt author, sacerdos vt minister. 19. Τὸ *Causaliter distinguendum est à* τῷ *formaliter.* Christus est iustitia nostra, in sensu causali, non in sensu formali, hoc est, per modum causæ efficientis, non formæ. 20. *Id quod est formaliter, seu in abstracto, distinguendum est ab eo, quod est subiectiue, seu in concreto.* Dona Dei in se considerata, sunt perfecta: sed variam determinationem & modificationem, seu circumscriptionem acci-

piunt à variis subiectis, quæ recipiunt secundum modum receptiuitatis suæ. 21. *Alia sunt καθ' ὕπαρ, secūdum eßentiam*, seu rei veritatem; *alia κατ' ὄναρ, secundū externā rationem ac formam*, seu secundū quandā apparentiam. Deus sæpe videtur iniustus in operibus suis, cum sit modo incomprehensibili iustissimus, & ὑπερδίκαιος, vt ita dicamus. 22. *Scriptura interdum loquitur, non ἀκριβῶς, seu ἀκροαματικῶς, exacte & philosophice, sed κατὰ πλάτος, seu ἐξωτερικῶς, populariter.* Sic Sol & Luna dicuntur luminaria magna, cum Saturnus & Iupiter sint stellæ maiores. 23. *Res debet distingui à modo*: seu, id quod est reipsa ab eo quod est eximie.

Sunt enim rei vnius gradus multi. Alias Scriptura loquitur de summo, alias de inferioribus gradibus. Solus Deus est æternus, immortalis & sapiens, scil. eximie, At pii etiam sunt æterni, immortales & sapientes, gradu inferiori. Deum nemo vidit vnquam, nisi Filius, sc. in gradu summo: at Moses etiam vidit Deum, sed in gradu medio: in inferiori, multi. 24. *Substantiale distingui debet ab accidentali.* Christus est imago Patris, sed substantialis: homo est imago Dei, sed accidentalis.

Distinctiones quædā generalißima ex Logica.

Distinctiones Logicæ sunt. 1. *Termini Logici enunciantur de aliquo vel vniuoce, vel analogice.* Deus appellatur totum, ipsius proprietates vocantur adiuncta; Christus appellatur totum, naturæ ipsius dicuntur partes, scilicet ὡσανεὶ, seu quasi; quæ est vox improprietatis, vt loquuntur. 2. *Causa sine qua non distingui debet à principali.* Bona opera sunt causa salutis, non meritoria, sed sine qua non. Sunt necessaria, non necessitate meriti, sed necessitate præcepti & medii. 3. *Materia est vel vniuoca, vel Analogica.* Angeli habent materiam analogicam, seu νοητὴν, non habent vniuocam, seu αἰσθητὴν. 4. *Forma est vel informans, vel aßistens.* Deus interdum appellatur forma, nō ratione informationis, sed ratione assistentiæ. 5. *Finis est vel summus, vel sub summo.* Gloria Dei est finis, & nostra salus est finis, diuerso respectu. 6. *Distinguendum est id, quod simpliciter dicitur, ab eo, quod comparate enunciatur.* Angeli dicuntur perfecti, si cum aliis creaturis comparentur, vel etiam simpliciter in sua natura spectētur; imperfecti, si cōferantur cū Deo. 7. *Definitio est perfecta vel imperfecta.* Deus non pōt definiri perfecte, pōt imperfecte. 8. *Res consideratur vel late vel stricte*: vt, Sacramentum nunc pro signo sacro, nunc pro tota actione ponitur. Sed hæ & similes distinctiones Logicæ sunt ferme notæ. His igitur missis, properemus ad Theologicas quæ sunt speciales, & propriæ huius loci. Hîc tamen notandum ea, quæ supra attulimus è Grammaticis & Rhetoricis, continere quoque nonnullas limitationes seu distinctiones perutiles.

Distinctiones quædā Theologicæ.

Distinctiones Theologicæ. 1. *Distinguendum est id, quod est secundum naturæ consequentiam, ab eo, quod est secundum muneris gratiam.* Adamus erat mortalis, seu mori poterat, conditione naturæ, seu corporis animalis, seu ex conditione mutabilitatis, quæ est sequela seu affectus entis creati & dependentis.

dentis. Sed erat immortalis pietate, vt loquitur *Augustinus tom. 3. de Genesi ad literam lib. 24.* id est, beneficio creatoris. 2. *Id quod est* σωματικῶς, *corporaliter, distingui oportet ab eo, quod est* πνευματικῶς *spiritualiter.* Mali in Ecclesia mixti sunt bonis corporaliter, separati sunt à bonis spiritualiter. 3. *Id quod est subiectiue, distinguere oportet ab eo, quod est imputatione, seu imputatiue.* Christus est factus peccatum, non solum quatenus fuit victima pro peccato, sed etiam quatenus ipsi imputata sunt nostra peccata, vt est *Esa.* 53. Passio est carnis Filii Dei, subiectiue est personæ Filii Dei, imputatione. 4. *Natura seu essentia distinguenda est ab œconomia seu dispositione & dispensatione diuina, seu officio.* Panis cœnæ Dominicæ aliud est natura sua, aliud officio. Aliud tribuitur Filio Dei ratione naturæ, aliud ratione œconomiæ, seu officii. 5. *Sufficientia distingui debet ab efficientia.* Sanguis Christi satis sufficiens fuisset ad redimendum vniuersum genus humanum: sed profuit duntaxat electis quoad efficientiam. 6. *Distinguendum est id, quod est subiectiue, ab eo, quod est* χαρακτηριστικῶς. Christus est sapientia Patris, non subiectiue in Patre, vt accidens est in subiecto, sed characteristice in persona sua illam exprimens. 7. *Res consideratur vel abstracte secundum se, vel applicate.* Cœna Domini consideratur, vel abstracte, καθ' ἑαυτὴν, vel applicate, in vsu legitimo. Hoc modo dicitur Sacramentum magis proprie iuxta regulam: Sacramentum non habet rationem extra vsum legitimum. Sed quia longum foret omnes & singulas istas distinctiones explicare, hic proponemus παραλλήλως præcipuas.

PARALLELISMVS DISTINCTIONUM Theologicarum.

Abacus distinctionū præcipuarum in Theologicis.

Loca Scripturæ accipi debent vel

De Deo essentialiter considerato.	De Deo personaliter considerato.
De Ecclesia { Triumphante. / Catholica.	De Ecclesia { Militante. / Particulari.
De iustitia personæ.	De iustitia causæ.
Legaliter.	Euangelice.
De iure.	De facto.
Inclusiue.	Exclusiue.
De Politica seu Pharisaica iustitia.	De iustitia imputata.
De effectione.	De permissione.
De ordinario.	De extraordinario.

De

De parte regenita, seu homine interno.	De parte non regenita, seu homine externo.
De corpore animali.	De corpore glorificato, seu spirituali.
De inchoatione.	De incremento.
De iustificatione.	De sanctificatione, seu regeneratione.
De ignorantia iuris	De ignorantia facti.
De natura integra.	De natura corrupta.
De malo culpæ.	De malo pœnæ.
De concreto.	De abstracto.
De modo naturali.	De modo Sacramentali.
De necessario.	De libero, seu medio, quod est adiaphorum.
De statu humiliationis.	De statu exaltationis.
De natura.	De gratia.
De infirmitate.	De malitia.
De mandato.	De viribus hominis.
De fide saluifica.	De fide historica, temporaria, vel miraculorum.
De vsu.	De abusu.
De tentatione bona.	De tentatione mala.
De iustificatione, quæ fit corã Deo.	De iustificatione quoad homines
De persona Christi, & officio.	De altera natura Christi.
De libertate Christiana.	De libertate carnis.
De timore filiali.	De timore seruili.

Huic abaco, vt ita dicam, præcipuarum distinctionum adiiciet studiosus Theologiæ infinitas alias. Nunc illustremus hanc regulam tertiam appositione exemplorum.

Dan. 9. v. 17.	*Ioh. 16. v. 24.*
Sancti in V. T. orarunt in nomine Messiæ.	Sancti in V. T. non orarunt in nomine Messiæ.

Conciliatio.

Orarũt in nomine Messiæ sub vmbra, videlicet sub propitiatorio, adeoq; implicite: at non ita distincte, vti nos iubemur orare in N. T.

Matth. 15. v. 25.	*Ioh. 19. v. 14.*
Erat autem hora tertia, quando crucifixerunt eum.	Erat autem parasceue paschæ, hora vero quasi sexta, tum dixit Iudæis, ecce rex vester.

Conciliatio.

Oppositio non est ad idem. Sunt enim hic obseruandi duo modi cõputandi horas diei. Marcus loquitur de hora maiori, Iohannes de minori, qua de re sic paucis accipe. Orientales distinguebant diem in horas æquales duodecim, quas vulgo dicimus planetarias, & in quatuor quadrãtes, quos ab hora proxime præcedenti denominabant. Horas illas 12. nominant minores, quadrantes istos vocant horas maiores. Typus hic esto.

Horæ sunt duplices in S. literis.

Horæ		I.	III.	VI.	IX.
Maiores					
Minores	Orientales	1.2.3.	4.5.6.	7.8 9.	10.11.12.
	Nostrę à 6. ad	7.8.9.	10.11.12.	1.2.3.	4.5.6.

Matth. 1.v.12.
Iechonias genuit Salathiel.

Luc. 3.v.27.
Salathiel filius Neri.

Conciliatio.

Filiatio est vel naturalis, vel legalis. Naturalis fit generatione: legalis, adoptione, quæ testanda est educatione & enutritione & successione in regno vel hæreditate. Salathiel fuit filius Neri natura; filius Iechoniæ legaliter, respectu successionis in eodem regno. Hoc modo Zedekias est Iechoniæ frater. 2. *Chron.* 36.v.10. & patruus. 2. *Reg.* 24.v.17. & filius. 1. *Chron.* 3.v.16. Frater generatione, filius iure successionis. Hoc modo conciliantur Matthæus & Lucas in genealogia Christi. Alter enim legalem ordinem sequitur, vt Lucas, alter naturalem. Confer 2. *Sam.* 21.v.8. & 1. *Sam.* 18.v.18. vbi τὸ *parere* loco priori, tantum significat educare, alere, nutrire. Sicut *Gen.* 50.v.23. filii Machiris dicuntur nati super genibus Iosephi, hoc est, educati.

Filiatio est duplex naturalis & legalis.

Luc. 14.v.26.
Qui vult ad Christum venire, patrem, matrem, vxorem, filios, &c. odio habeat.

Ephes. 5.v.1. & 29.
Filii obedite parentibus.
Nemo carnem suam odio habet.

Conciliatio.

Locutio comparata distinguenda est à simplici. Lucas loquitur comparate, interprete Matthæo c.10. *vers.* 37. Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.

Ioh. 8.v.14.
Si testimonium, inquit Christus, perhibeo de me, verum est testimonium meum.

Ioh. 5.v.31.
Si testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum nõ est verum.

Conciliatio.

Testimonium priori loco consideratur tanquam à Patre & Christo simul profectum: posteriori loco, accipitur pro tali, quod Christus absque Patris testimonio videbatur Iudæis perhibere. Si enim Christus solus absque Patris testimonio voluisset de se testari, non fuisset testis idoneus.

Ioh. 8. v. 36.

Christus pios liberos pronunciat à peccato.

Rom. 7. v. 23.

Paulus se captiuum duci, & venditum sub peccati iugum affirmat.

Conciliatio.

Pii sunt liberi à peccati damnatione & dominatione: at sunt serui peccati, quatenus caro concupiscit aduersus Spiritum, eumque vincit, sed contra voluntatem ipsorum, gignendo in ipsis prauas concupiscentias.

Ephes. 2. v. 8.

Salus nostra est donum Dei, non ex operibus.

Matth. 5. v. 12.

Salus nostra est merces.

Conciliatio.

Salus nostra est donum Dei ratione acquisitionis, applicationis, conseruationis & consummationis: Eadem dicitur merces non proprie, sed improprie. Merces, proprie accepto vocabulo est iusta & debita laboris retributio, ita vt sit congrua proportio inter opus & mercedē. Impropria significat gratiosam seu gratuitam compensationem, & sic idem est, quod gratia. Vide *Genes. 15. vers. 2. Psalm. 127. vers. 3. Matth. 6. vers. 1. Luc. 6. vers. 32.* Summa: Merces datur vel ex merito, vel ex gratia. Hoc modo vita æterna dicitur merces.

Hebr. 2. v. 17.

Filius Dei iuxta carnem nobis est similis excepto peccato.

Coloss. 2. v. 9.

Filius Dei secundum carnem nobis non est similis, quia habitat in eo plenitudo deitatis corporaliter.

Conciliatio.

Est nobis similis respectu essentiæ, dissimilis respectu hypostasis seu subsistentiæ, item maiestatis & gloriæ. Hic obiter obserua, voculam (σωματικῶς, *corporaliter*, hic poni pro modo eminentissimo. Quia enim corpora & res corporales maxime incurrunt in sensus, fit vt corpus & corporale

Vox corpus inter-

portale sæpe ponantur pro eo, quod est excellens, & maxime conspicuum. dum κατ' ὑπερβολικῶς ponitur pro eo, quod reuera est.

1.Sam.16.v.16.	*Ibid.*
Saul Dei Spiritu est agitatus.	Saul malo spiritu est agitatus.

Conciliatio.

*Gregorius lib.2.moral.c.10.Iob.*ait: Spiritus Domini est per licentiam iustæ potestatis: malus vero per desiderium iniustæ voluntatis. Deinde est spiritus Dei ratione substantiæ & creationis, sed est malus ratione qualitatis & defectionis.

Esa.52.v.10.	*Matth.c.15.v.24.*
Hic Messias promittitur gentibus, vt & in aliis locis.	Christus negat, se venisse ad gentes, & affirmat, se missum ad Iudæos.

Conciliatio.

Christus duplici in his terris munere est perfunctus, speciali, & generali. Speciale consistebat in prædicatione Euangelii, & confirmatione doctrinæ per miracula. Generale situm erat in perficiendo salutis mysterio. Illud Iudæos attinebat, præ gentibus: exceptis paucis quibusdam. *Matth.8.Ioh.4.Matth.15.* Hoc spectat vniuersum genus humanum, Gentes & Iudæos, maxime tamen Gentes.

Matth.28.vers.19.& Act.9.v.15.	*Gal.2.v.9.*
Paulus & Petrus fuerunt Doctores omnium hominum, tam Iudæorum, quam gentium.	Inter Paulum ac Petrum conuenit, vt ille inter gentes, hic vero inter Iudæos Euangelium prædicaret.

Conciliatio.

Distingue obiectum principale, à minus principali: itemque prædicationem ordinariam, ab extraordinaria. Paulus principaliter & ordinarie prædicauit gentibus, Iudæis minus principaliter & ordinarie. Petrus contra.

Ioh.5.v.34.	*Ioh.15.v.34.*
Ego, inquit Christus, ab homine testimonium non accipio.	De me, inquit idem, & vos testimonium perhibebitis.

Conciliatio.

Christus non indiget testimonio ratione sui ipsius: at vtitur testimoniis ratione nostri, vt credamus in illum.

Malach.3.v.6	*Ierem.18.v.7.8.*
Ego Dominus,& non mutor.	Iehoua mutatur.

Conciliatio.

Deus non mutatur affectiue, ratione essentiæ, sed effectiue, ratione operum; quando beneficia mutat in iudicia, & contra: hoc est, non mutatur, sed mutat. Seu, Deus videtur mutari, non mutatur. Hoc ergo dicitur de Deo ἀνθρωποπαθῶς seu συγκαταβατικῶς.

Psal.18.v.21.	*Psal.143.v.2.*
Dauid vult iudicari secundum iustitiam suam.	Dauid non vult iudicari iuxta iustitiam suam.

Conciliatio.

Priori loco loquitur Dauid de iustitia causæ, quæ ipsi erat cum hostibus: posteriori loco agit de iustitia personæ. Deinde Dauid interdum loquitur de se, non absolute, sed respectiue, quatenus fuit typus Messiæ.

Esa.9.v.7. *Luc.1.v.33.*	*1.Cor.15.v.24.*
Christi regnum est æternum.	Christus tradet regnum suum Deo Patri.

Conciliatio.

Regnum Christi est vel essentiale, vel œconomicum. Illud cum Patre & Spiritu S. obtinet in omne æuum, istud tradet Patri, posteaquam Ecclesia non opus habebit in hac vita isto auxilio, quippe quæ iam tunc erit cum capite suo.

Quartæ regula de conciliatione.

IV. Regula.

[*Non sunt opposita, quando oppositio non fit eodem tempore.*]

Regulæ speciales, generalem istam illustrantes, sunt:

" 1. [*In supputationibus regnorum nonnunquam propter malitiam principis, vel*
" *nomen eius, vel numerus annorum, quibus male administrauit, omittitur.*] 1.Sam.13. v. 1. Saul duobus annis regnauit super Israelem: subaudi, legitime, vel, vt inquit Lyra de iure: alias vero longe plures annos regnauit: *Matth.1.vers.8.* Ioram genuit Hosiam. Hic propter impietatem tres omittuntur, Acharzias, Ioas, Amazias. 4. *Reg.8.* Ioram dicitur fuisse 32. annorum, cum regnare cœpit, & regnasse octo annos. Hic textus loquitur de administratione legitima. Sed ex 2. *Chron.22.* & 4. *Reg.8.* collatione facta cum ætate Ahasiæ colligitur, annos 20. prætermitti quibus insuper regnauit, sed impie.

" 2. [*Datum tempus sumitur, vel complete, vel incomplete: eiusque partes in-*
" *telliguntur, vel inclusiue, vel exclusiue*]; vt, 1. Reg.15. v.9. Anno vigesimo Ierobeam regnauit Asa super Iudam.

v. 25.	*v.* 28.
Nadab filius Ieroboam regnare cœpit anno secundo Asæ regis Iudæ, & regnauit biennium.	Baasa morte afficiens eum anno tertio Asæ regis Iudæ regnauit pro eo.

Conciliatio.

Nadab, qui cœpit regnare anno secundo Asæ, potuit regnare biennium: quamuis Baasa anno tertio Asæ succedat; quia anni regum Israelis & Iudæ vltimi non sunt completi; sed eorum quidem, vt in hoc loco, vix menses complectuntur: cæteris positis complete.

Matth. 17. *v.* 1.	*Luc.* 9. *v.* 28.
Sexto vero post die assumit Iesus Petrum & Iacobum, & Iohannem fratrem eius, & subducit eos in montem sublimem.	Factum est autem post hæc verba, quasi dies octo intercesserunt, cum assumtis Petro, & Iacobo, & Iohanne ascendit in montem.

Conciliatio.

Matthæus exclusiue ponit tantum intermedios dies, qui integri fluxerunt: Lucas extremos etiam dies inclusiue connumerat. Ponit autem Scriptura temporis partes aliquando inclusiue, aliquando exclusiue, duas ob causas. 1. Vt perfectior sit numerus. Hinc *Augustin. quæst.* 47. *in Exod.* In numero perfectiori sæpe quod deest vel quod superest, nō computatur: vt *Iud.* 11. *v.* 26. Habitauit Israel in Hesbon, & Aroer trecentos annos. Si computentur anni, erunt 305. At quinque isti omittuntur, propter rotundationem, vt loquuntur, temporis; quia nimirum maior & par iste numerus 300. & computationi, & sermoni est aptior. 2. Breuitatis causa: vt *Iud.* 20. *v.* 46. Cæsi è Beniamitis 25000. Hic 100. non computantur, vt apparet *v.* 35. Israelitæ prosternebant eo die è Beniamine vicies quinquies mille centum viros. *Hæc vocatur numeri vel etiā temporis rotundatio.*

3. [*Numero maiori & pleniori adnumeratur minor.*] *Iud.* 3. *ver.* 11. *Quiescebat terra omnis annis quadraginta, cum mortuus est Othoniel.* Sub hoc numero comprehenduntur omnes anni à morte Iosuæ ad mortem Othonielis, etiam octo anni seruitutis sub Syris. *Iud.* 3. *v.* 30. *Terra quieuit octoginta annis.* Hic ab Othonielis morte anni Ehud & Samgar simul connumerantur. Ehud enim 80. annis iudex esse non potuit. Simile occurrit *Iudic.* 5. *v.* 31. *&* 8. *v.* 28 *&* 9. *v.* 22. *&* 10. *v.* 2. 3. *&* 11. *v.* 26. vbi annis 300. includuntur anni moræ in deserto.

4. [*Rex vel externo bello, vel senio, vel morbo impeditus pro regem filium viuus constituit: ideoque in computationibus annorum patris & filii simul regnantium anni regiminis aliquando coniunctim, aliquando separatim numerantur.*] vt

2. *Reg.* 1. *v.* 17.	2. *Reg.* 3. *v.* 1.
Mortuus est Achazias, & regna-	Ioram filius Achab regnauit an-

uit Ioram pro eo, anno secundo Ioram filij Iosaphat regis Iudæ.

no decimo octauo Iosaphat. *cap.* 1. *ver.* 16. Anno quinto Ioram filij Achab regnare cœpit Ioram, filius Iosaphat, & 8. annis regnauit.

Conciliatio.

Iosaphat anno regni 17. constituens regi Achab contra Syros auxilium ferre, Ioram filium designat proregem. Anno 18. regni sui & filij secundo regnauit Ioram filius Achab. Postea quinto anno huius Ioram filij Achab, Iosaphat senio confectus, filio suo Ioram regnum confirmat: qui dicitur octo annis regnasse, quatuor viuente adhuc Patre, & quatuor solus iam mortuo Patre.

2. *Reg.* 15. *v.* 30.

Hosea filius Elæ percussit Remaliam ita, vt morte afficeret eum, & regnauit pro eo, anno vigesimo Iotham filij Vziæ.

2. *Reg.* 15. *v.* 33.

Iotham filius Vziæ natus 25. annos erat, cum regnare inciperet, & sedecim annos regnauit Hierosolymis.

Conciliatio.

Sedecim annos regnauit solus mortuo Patre: regnauit viginti cum Patre; quia vice Patris leprosi administrationem iniit. Alij regulam hanc sic enunciant. In supputationibus annorum Patris & filij simul administrantium nonnunquam de communi administratione, nonnunquam de propria textus loquitur, vt 4. *Reg.* 8. Ahasias viginti duorum annorum erat, cum regnare cœpisset, & vno anno regnauit Hierosolymis: scilicet cum Patre. 2. *Paralip.* 22. Quadraginta duorum annorum erat Ahasias cum regnare cœpisset, scilicet solus.

" 5. [*In supputationibus interregnorum aliquando vacationis anni computantur*
" *ad annos eius, qui sequitur.*] Sic 3. *Reg.* 16. *Anno trigesimo primo Asa regis Iudæ regnauit Amri super Israel duodecim annos.* Duodecim anni complectuntur interregnum præcedens, cuius erant anni quatuor; per se tantum octo præest. *Ibidem.* Ahab filius Amri regnauit super Israel nempe post mortem Patris, anno trigesimo octauo Asa regis Iudæ. Hic Amri patri tribuuntur octo tantum anni, quia totidem per se, sine interregno connumerato gubernacula tenuit.

6. [*Dies apud Iudæos fuit distributus in quatuor quadrantes, & nox in quatuor excubias siue vigilias.*] Singuli illi quadrantes, & singulæ noctis vigiliæ seu custodiæ habuerunt ternas horas. Tum singuli quadrantes, & singulæ vigiliæ acceperunt eius horæ nomen, à qua fuerunt inchoatæ. Ideo primus diei quadrans, qui incipiebat à prima hora, vocabatur prima hora, & durabat vsque ad tertiam horam. Secundus quadrans appellabatur tertia hora, &c. vide typum supra expressum. Idem esto iudicium de vigiliis

giliis noctis. Sunt autem Iudæi diem auspicati hora nostrate matutina sexta & finierunt hora sexta vespertina, quæ iis fuit hora duodecima diei & vltima. Et sic à sexta hora vespertina ad sextam matutinam numerarunt noctem, vt quæ nobis est quinta matutina, & durat vsque ad sextam, illis fuerit vltima seu duodecima noctis hora.

Exempla promiscua ad hanc regulam sunto ista.

Matth. 10. *v.* 5.	*Marc.* 16. *v.* 15.
Apostoli non debuerunt ire in viam gentium.	Apostoli debuerunt excurrere in vniuersum mundum.

Conciliatio.

Prius dictum loquitur de tempore ante passionem Christi; posterius de tempore post ascensionem Christi.

Gen. 17. *v.* 10. *&c.*	*Actor.* 15. *v.* 28.
Deus voluit homines circumcidi.	Deus voluit circumcisionem abrogari.

Conciliatio.

Distingue tempus legis à tempore gratiæ.

Matth. 12. *v.* 40.	*Matth.* 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24. *Ioan.* 20.
Christus tres dies & noctes debuit manere in sepulchro.	Christus vna duntaxat die, & duabus noctibus fuit in sepulchro.

Conciliatio.

Tres dies iacuit in sepulchro scilicet incomplete. Nam positus fuit in sepulchro die Veneris seu parasceues, mansit ibi toto die Sabbathi, resurrexit initio diei, quem dicimus Dominicum.

Marc. 16. *v.* 1.	*Marc.* 16. *v.* 9.
Christus resurrexit, cum transisset Sabbathum.	Christus resurrexit mane primo Sabbathi.

Conciliatio.

Marcus illum diem, qui magnum Iudæorum Sabbatum fuit subsecutus, quoque Christus resurrexit, vocat primum Sabbathorum; quia videlicet fuit primus dies magnum illud Sabbathum subsequens.

CAP. CX.

Modus tradendi in sacris literis.

Consideravimus verba & res sacrarum literarum, considerabimus iam modum tradendi.

Supra docuimus, quod omnes scientiæ habeant tria quædam, in quibus

bus differunt ab aliis, nempe verba, res, & modum seu rationem tradendi. Cum igitur hucusque dixerimus de verbis & rebus, superest vt de modo tradendi paucis praecipiamus.

Modus tradendi in sacris literis quis sit?

Modus tradendi in sacris literis, est ratio seu ordo doctrinae, quem Spiritus sanctus in illis tradendis adhibuit.

Hic autem modus est temperatus ex ordine sapientiae seu exquisito, & prudentiae seu populari. Si enim Spiritus sanctus tradidit res sacras, vt illarum maiestas non sit diminuta, neque hominum imbecillitas obruta. Dicimus tamen sacram Scripturam ἐπὶ τὸ πολὺ loqui populariter; quod ita accipias oportet, vt ne existimes modum illum exquisitum nullo modo habere locum.

In modo illo tradendi oportet considerare proprietates, seu communes affectiones illius, & species.

Dispositio plena in sacris literis.

Communes affectiones sunt duae, dispositio videlicet plena, & occulta.

Expositio plena, seu manifesta, est quae cum naturali omnino conuenit: ideoque nullam additionem, detractionem, vel transpositionem habet admistam. Huius dispositionis exempla vide *Rom.6.v.16.17.19.* vbi Apostolus ordine collocat propositionem maiorem & minorem, itemque conclusionem syllogismi huius: Cuius serui estis, ei seruiatis oportet. At iam serui estis, non peccati, sed iustitiae. Non itaque peccato, sed iustitiae seruiatis. *Psal.25.* est talis syllogismus *à v.12. vsque ad* 17. Qui timet Dominum non confundetur. At ego Dauid timeo Dominum. Ergo non confundar. Maior est. *v.*12.13.14. Minor. *v.*15. Conclusio. *v.*15.16 Petrus *Actor.*10. *v.*38. *vsque ad* 43. manifesta seu plena dispositione proponit doctrinam de Christo, monstrando officium praeteritum, praesens & futurum. Ad praeteritum pertinent vita. *v.*38. mors. *v.*39 resurrectio. *v.* 40. & ascensio. *v.* 42. Ad praesens spectat sessio ipsius ad dextram Dei Patris. *v.*42. Ad futurum refer reditum ipsius ad iudicium. Infinita huius dispositionis exempla occurrunt in sacris.

Dispositio occulta in sacris literis.

Dispositio occulta, est qua occultatur dispositio naturalis.

Estque vel defectus, vel redundantia, vel transpositio. Defectus est, quando aliqua pars deest. Sic *Psal.23.v.1.* Dominus est pastor meus, nihil mihi deerit: deest propositio maior, cui Dominus est pastor, illi nihil deerit. *Matth.* 24.*v.*28. Vbicunque fuerit cadauer, illic congregabuntur aquilae. Hic deest pars altera comparationis, quae dicitur apodosis siue redditio: Ita vbi ego ero, ibi & vos mecum eritis.

Redundantia est, quando praeter essentiales partes aliquid accedit. Huc pertinent variae digressiones & parentheses. Parentheseωs exempla sunt. 2. *Chron.*32. Misit Sennacherib rex Assyriorum seruos suos Hierosolymam (ipse enim cum toto exercitu oppugnabat Lachis) ad Ezechiam regem Iuda. *Ierem.*33. Sic dicit Dominus, adhuc audiatur in loco isto (de quo vos

vos dicitis quod sit deuastatus, vt non sit in eo homo, nec iumentum: & in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ierusalem desolatio, vt non sit homo, & non sit habitator, nō sit iumentum) vox gaudij & lætitiæ, vox sponsi & sponsæ. Talis parenthesis est *Esa.* 42. Sic dicit Dominus cœli, &c. Vide *Rom.* 1.*v.*24.25.26. *Galat.*2.*v.*7.8.9. 1.*Corinth.*8.*v.*1.2.3.4. vbi statim versu 1. est parenthesis vsque ad vers. 4. Digressionis exempla sunt multa in epistolis: vt, 1.*Tim.*5. Manus cito ne cui imponas, &c. Hic interponitur, quod plane alterius est negotij: Ne posthac bibas aquam, &c. Hinc redit ad institutum, dicens: Quorundam hominum peccata manifesta sunt, &c. *Huc etiam* referendæ sunt amplificationes, quæ fiunt ratione subiecti & prædicati. Sic *Esa.*9.*v.*2. amplificatur hæc propositio: Populus gaudebit. Describitur primo populus, deinde gaudium. Sic *Iob.*14.*v.*1.2. amplificatur ista propositio: Homo est miser.

Transpositio, seu inuersio, est quando partium ordo immutatur. Dicitur etiam ὑστερολογία. Sic 2.*Corinth.*6.*v.*14.*& seqq.* proponitur hic syllogismus: Fideles non debent iugū ducere cum infidelibus. Sed vos Corinthij estis fideles. Vos itaque Corinthij non debetis iugum ducere cum infidelibus. Conclusio est primo loco, nimirum *vers.*14. *Psal.*1.*v.*1. est tale enunciatum: Pius est beatus. Huius enunciati partes inuerso ordine sunt positæ. Nam subiectum *Pius*, sequitur, prædicatum antecedit. *Psal.*25.*v.*2.3. est talis syllogismus: Qui Deo confidunt, non confunduntur. Atqui Dauid Domino confidit. Ergo non confundetur. Syllogismus hic in textu proponitur inuersus. Assumtio est primo loco, complexio secundo, propositio vltimo. *Matth.*6. *ver.*28. est syllogismus hypotheticus: Si Deus vestit flores, multo magis vos filios suos vestiet. Atqui verum est illud. Ergo & hoc. Conclusio est primo loco. *v.*28. assumtio. *v.*28. *&* 29. Propositio *v.* 30.

Species modi tradendi sequuntur. Est autem modus tradendi in sacris literis vel contractior, vel plenior.

Modus tradendi contractior, est vel axiomaticus, vel syllogisticus.

Modus tradendi axiomaticus, est quando Scriptura breues sententias tradit. *Dispositio axiomatica in S. literis.* Harum innumerus est numerus in sacris literis: vt, *Gen.*3.*v.*15. Ipsum, (semen mulieris) conteret tibi (serpenti) caput. *Gen.*3. *v.*6. In dolore paries filios, & sub viri potestate eris. *Ios.*23. *v.*14. En ego hodie ingredior viam vniuersæ terræ. *Psal.* 34. *v.* 20. Multæ tribulationes sunt iusto; sed ab his omnibus liberat eum Dominus. *Psal.*92. *v.*13. Iustus vt palma florebit. *Iohan.*1. *v.*29. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Modus tradendi syllogisticus, est quando Scriptura proponit aliquid forma syllogistica. *Dispositio syllogistica in S. literis.* Exempla notabimus pauca. *Gen.* 3. *v.*17. Ex omni ligno paradisi comedes. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Quocunque enim die comederis de eo, morte morieris. Hic habes quæstionem

& argumentum, seu medium terminum. *Zach.9. ver.9.* Exulta filia Sion iubila filia Ierusalem. Ecce rex tuus venit tibi, iustus, &c. Hic itidem est thema controuersum cum medio probatiuo, seu argumento probante. *Matth.11.v.26.* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. *Rom.11.v.6.* Quod si per gratiam, iam nō ex operibus: quandoquidem gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non ex gratia: quandoquidem opus iam non est opus. Exempla huius modi infinita sunt in Psalmis Dauidis & Epistolis Apostolorum.

Dispositio methodica in sacris literis.

Modus tradendi plenior in sacris literis, est quando illæ thema aliquod prolixe tractant. Potest appellari *modus tractandi methodicus*, de quo sunt hi canones.

„ 1. [*Naturalis ordo est, vt primum ponatur thema, seu propositio aliqua, affirmans aut negans aliquid: deinde eius ratio seu confirmatio.*] Hoc idem videre est in sacris literis, vt in Psalmis, concionibus Christi, & Epistolis. Duæ itaque tractationis plenioris constitui debent partes principales, propositio & confirmatio.

„ 2. [*Confirmatio continet vel vnam rationem, vel plures.*] Si sit vna ratio, mox illius sequitur vel explicatio, vel amplificatio, vel defensio. Si plures, vna aliqua ratione absoluta, noua adfertur.

„ 3. [*Accedit plerumque exordium, & conclusio.*] Exordium præmittitur propositioni, conclusio subnectitur confirmationi.

„ 4. [*Interdum contraria obiectio repellitur.*] Hæc ferme additur rationi, contra quam adfertur.

„ 5. [*Exordia crebro adhibentur in epistolis.*] Hic enim concilianda beneuolentia, attentio & docilitas.

„ 6. [*Sacra Scriptura plerumque multas materias simul tractat.*] Cum enim res plurimæ & grauissimæ in religione coniunctæ sint, fieri non potest vt aliæ sine aliis intelligi possint. Hinc Scriptura plures materias simul tractat. Aliter in scriptis humanis videas procedi. Nam disputationes, epistolæ & orationes ibi tractant de vna aliqua materia, eamque prolixe persequuntur. Quod igitur Cicero de Philosophia in Tusculanis suis pronunciauit, quod nec pauca quidem in ea sine multis cognosci possint, hoc rectius de sacra Scriptura nos pronunciauerimus. Hinc est creber lapsus styli ex alio in aliud. Nam Spiritus sancti amanuenses

Lapsus styli ex alio in aliud in sacris literis.

1. Nunc docent, nunc redarguunt, nunc hortantur, nunc consolantur, nunc obiurgant, nunc inuocant, nunc celebrant Deum.

2. Modo Deum, modo auditores, modo aduersarios, modo rem ipsam, modo circumstantias respiciunt.

3. A thesi ad hypothesin, vel contra transeunt.

4. Obiurgationem mutant in amicam compellationem, laudem in accusationem, perterrefactionem in consolationem & contra, prout auditorum

ditorum postulare videtur ædificatio. Et sane hæc varietas mirifice est vtilis. Varios enim excitat affectus, & eos quidem salutares. Si oratio tota esset austera, cor hominis ad desperationem adduceretur facillime: si tota esset blanda, nimium sibi placeret homo.

5. Transeunt à persona sua ad functionem, inde ad doctrinam, & ab hac ad Christum. Atque hic modus est artificiosissimus, & climax seu gradatio non ignobilis, non quidem Rhetorica, sed Logica.

6. Non raro progrediuntur à doctrina ad inuocationem, gratiarum actionem & celebrationem Dei. Et hic modus est mirabiliter artificiosus. Aut enim docent de Dei beneficiis & iudiciis, aut de hominis officio & vitio. Si primum, recte subiungitur gratiarum actio. Si secundum, recte subiungitur deprecatio. Si tertiũ, recte additur precatio, qua Deum inuocemus, vt largiatur nobis suam gratiam. Si quartum, recte additur confessio peccati, & deprecatio pœnæ. Huc pertinet illud Theologorum: *Sacræ literæ interdum transeunt ab adhortatione ad precationem auxilii diuini, eo quod sine illo omnis adhortatio sit inanis.*

7. Subitas mutationes sententiarum à subitis motibus Spiritus habent: videlicet à tentationibus, turbationibus, interiori gaudio, & similibus. Huiusmodi mutationes in Psalmis sunt creberrimæ. Ita Christus exultauit Spiritu *Matth.* 11. *Luc.* 10. sed incipit contristari *Ioh.* 12.

CAP. CXI.

Media inueniendi sensum post Scripturæ lectionem.

Fuerunt media communia inueniendi sensum Scripturæ ante lectionem, & in ea; sequuntur nunc paucis media post lectionem. Suntque numero quatuor. *Media inueniendi sensum, post lectionem Scripturæ.*

1. *Gratitudo erga Deum.* Postquam Deus illuminauit mentes nostras radiis & fulgore Spiritus sui sancti, nostri muneris est, illi gratias agere ex intimo cordis affectu pro tanto beneficio, & simul illum precari, vt verbũ suum cordibus nostris ita infigat, vt ne vnquam excidat. Ita monet Apostolus 1. *Thess.* 5. *v.* 17. 18 *Sine intermissione orate: pro omnibus gratias agite.*

2. *Repetitio & ruminatio lectorum atque intellectorum.* Non imitabimur illos, qui, postquam aliquid legerunt & intellexerunt, nihil pensi habent, an illud retineant nec ne. Ita debemus cogitare, rerum diuinarum cogitationem esse medicinam animi, & eam quidem vniuersalem, quam dicũt panacéam. Sicut igitur homo, qui panaceam corporis habet, nunquam eam negligit, sed semper secum circumfert: ita & nos semper circũferre debemus panaceam illam spiritualem, circumferre, inquam, mente & memoria nostra. Hac ratione fiet, vt animus nũquam lethaliter ægrotet. Hac ratione erimus munda, vt ita dicam, animalia coram Deo no-

ſtro. Sicut enim munda animalia Deus pronunciauit iſta, quæ ruminabant: ita & illos pronunciant mundos homines, qui ruminant cibum illum ſpiritualem. Neque vero tædium aliquod nobis oborietur ex iſta repetitione, ſi cogitemus illud Pauli. *Philip. 3. v. 1. Eadem ſcribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem tutum eſt.*

3. *Communicatio eorum, quæ intelleximus, cum aliis, qui vel cogitatione doctrinæ intellectæ, vel confirmatione in ea indigent.* Hoc nimirum exigit charitas, hoc poſtulat gloria Dei. Adde, quod Deus ſua dona in iis coronat, qui hoc agunt, vt ædificetur magis magiſque domus illius ſpiritualis.

4. *Translatio doctrinæ cognitæ ad noſtrum vſum*; quæ conſiſtit in hiſce; vt in doctrina recte cognita perſeueremus, errores fugiamus, & in imaginem Dei magis magiſque transformemur, exercendo pietatem, diligendo Chriſtum toto pectore, emendando vitam, retinendo bonam conſcientiam, conſolando denique nos aduerſus omnis generis tentationes. Hæc media facient ad conſeruationem intellectorum, & acquiſitionem aliorum, quæ non intelligimus.

CAP. CXII.

Editio Bibliorum authentica.

H*Actenus communiter ſpectata fuit inuentio ſenſus Scripturæ: iam ſpectanda erit ſingulariter, ratione certorum librorum Biblicorum.*

Quæ hactenus tradita ſunt de inueniendo genuino ſacrarum literarum ſenſu; ſic comparata ſunt, vt omnibus & ſingulis libris accommodari poſſint. Quia vero ſinguli ferme libri certum habent characterem, putamus nos magnum operæ pretium facturos, ſi nunc in ſpecie perluſtremus ſingulos ſacræ Scripturæ libros.

Ratione certorum librorum Biblicorum tria expendenda ſunt; editio authentica, translatio, & character.

Editio authentica librorum ſacrorum quæ ſit?

Editio authentica librorum Biblicorum authentica, quæ ex ſe fidem atque autoritatem habet, ſibi ſufficit, ſe commendat & probat, citra vllius alterius editionis adminiculum, eo quod ipſa ſit prototypum diuinæ veritatis à Deo per Prophetas & Apoſtolos traditum.

Editio authentica Veteris Teſtamenti eſt Hebraica, & in quibuſdam capitibus Danielis & Eſdræ Chaldaica, Noui Teſtamenti, eſt Græca.

De editione Hebraica Veteris Teſtamenti hæ ſunt monitiones.

Editio Hebraica in V. T. eſt authentica.

„ 1. [*Hebraica lingua fuit omnium prima.*] Hoc probatur hunc in modum. Terram fuiſſe ante confuſionem Babylonicam vnius eiuſdemque labij, ſiue ſermonis, colligitur ex *Geneſ. 11.* Quod autem illa lingua non fuerit alia, quam Hebræa, oſtendunt nomina propria, quæ ante confuſionem Babylonicam fuerunt, vt Adam, Abel, Noah, Sem. Accedit, quod omnes

aliæ

aliæ linguæ ex Hebraica ortæ sunt: vnde à quibusdam vocantur dialecti linguæ sanctæ. Huic assertioni fidem faciunt origines illæ editæ à viris doctissimis, qui cognationem aliarum linguarum cum Hebraica ostenderunt.

2. [*Lingua Hebraica conseruata est in familia Heber, qui quartus fuit à Noacho, & ab eo propagata est ad posteros, non quidem omnes, sed eos, ex quibus ortus est Abraham.*] Hinc remansit illa in populo Dei incorrupta ad vltimos vsque Prophetas, Haggæum, Zachariam, & Malachiam, qui hac lingua scripserunt.

3. [*Lingua Hebraica scriptum est Vetus Testamentum.*] Scriptor primus fuit Moses. Hunc secuti sunt Prophetæ, quorum alii ante captiuitatem, alii in captiuitate, alii post captiuitatem scripserunt: & scripserunt quidem omnes Hebraice. Quod enim Daniel & Ezra quædam scripserunt Chaldaice, hoc nihil impedit, quominus totum V.T. Hebraice scriptum esse dicatur, cum parum pro nihilo reputetur, & à priori fiat denominatio, cũque lingua Chaldaica sit vicina Hebraicæ.

4. [*Libri Mosis & Prophetarum conseruati sunt admiranda Dei prouidentia in vrbis & templi incendio, & in captiuitate.*] Sunt qui existimant, Mosis & Prophetarum libros consumptos fuisse in incendio vrbis & templi: hos autem, quos nos habemus, reparatos fuisse, & rescriptos denuo ab Ezra, extra ordinem à Deo vocato ad hoc munus. Sed hæc sententia falsa est. Nam præterquam quod nulla ratione sufficiẽte probari potest, etiam Dei prouidentia extenuat, de qua Rabbini scite dicunt: Deus potiorem habet curam literarum & syllabarum Legis, quam stellarum cœli. Deinde non est verisimile, nullum extitisse virum pium, qui tempore incẽdii, vel non eripuerit sacros libros ex incenso templo, vel certe apud se nullum horum exemplar habuerit; præsertim cum eo tempore vixerint Ezechiel & Daniel.

5. [*Probabile est, Ezram post reditum populi libros Mosis & Prophetarum repurgasse, in vnum corpus digessisse, & certo ordine eos distribuisse.*] Sic annotarunt viri doctissimi. Rationem adducunt istam. Exemplaria Legis & reliquorum librorum ἐνδιαθήκων erant vel publica, vel priuata. Publicum erat, quod reseruabatur in Aron, hoc est, in capsa templi. Priuata erant hominum piorum. Iam autem verisimile est, in priuatis exemplaribus quædam fuisse immutata tempore captiuitatis Babylonicæ. Hæc Ezram restituisse itidem fit versimile, cum totum cultum Dei reformauerit. Alii sic sentiunt hac de re. Cum authenticus liber, qui in ἀρῶν siue vt vocat Epiphanius, capsa Ecclesiæ in templo asseruabatur, incensus esset, & publicum exemplar loco illius desideraretur, Ezra contulit inter se priuata exemplaria, & confecit vnum authore Dei Spiritu, quod authenticum publice haberetur, asseruareturque, vt communis aliorum in Ecclesia canon. Quod

vero Ezra libros illos sacros eo ordine distribuerit, quem hodieque habemus, non sit verisimile. Hoc potius Massoritis tribuendum esse putarim, vt & distinctionem librorum in certa capita. Ratio nos monet ista, quod distinctio illa in certa capita interdum non est satis accurata; quippe cum materiæ cognatæ sæpe sint diuulsæ, quæ cohærere debebant. Hic etiam quæritur de origine literarum & punctorum, quibus Vetus Testamentum est exaratum. Existimant nonnulli, Ezram inuenisse illos characteres Hebraïcos, quibus conscriptum est Vetus Testamentum, eo quod veteres characteres Iudęi dedidicerint in captiuitate Babylonica, vel certe, quod vetus illa Hebræorum Scriptura fuerit operosior. Sed hæc sententia ridicula est. Quasi scilicet Iudæi spatio septuaginta annorum characteres suos potuerint dediscere. Quod autem asseritur, veterem illam Scripturam fuisse operosiorem, eadem qua dicitur, facilitate, reiicitur. Profecto scriptio à Deo, Patribus & Prophetis sanctificata, ab Ezra vel vllo alio non debuit mutari, nec operosa est dicenda. De punctis sic habendum, Biblia olim erant particularia, vel publica. Biblia particularia ferme omnia punctis caruisse verum est. At non continuo ex eo sequitur, publica etiam Biblia atque authentica, quæ in Synagogis erant, caruisse punctis. Vt illa carerent punctis, fecit rei difficultas, vt hæc non carerent, fecit religionis necessitas. Hinc Iohannes Isaac Iudæus conuersus recte dixit, eum qui sine punctis & accentibus Scripturam legit, similem esse homini equitanti equum ἀχαλίνωτον, *effrænem*. Quare cum puncta sint veluti animæ consonarum, & sine iis dubia sit lectio, omnino statui debet, puncta vna cum incunabulis huius linguæ extitisse. Non igitur à Massoritis puncta sunt inuenta, vt vult Elias Leuita. Hi Massoritæ alias vocantur Iudæi Tiberiadis, qui semper cultiores omnibus Hebręis in lingua sancta sunt habiti.

" 6. [*Marginales lectiones numero 848. in V.T. non corrigunt textum tanquam*
" *corruptum, sed sunt veluti commentarius*.] Tres sunt sententiæ de lectionibus marginalibus. Prima est quorundam Christianorum, qui textum corruptum esse dicunt. Secunda est Iudæorum. Tertia Christianorum quorundam. Dicemus de singulis. Prima non potest consistere. Si enim corruptus est textus Hebraicus, à Iudæis id factum sit oportet. At non hoc. Ergo nec illud. Sumtum probatur. Si corruptus est textus Hebraicus à Iudæis, id factū est, vel ante Christum, vel post Christum, si ante Christum corruptus fuisset textus, Christus non dissimulasset hoc flagitiū. At nunquam legimus, Christum insimulasse Iudæos hoc nomine, quod ab iis editio Hebraica fuerit corrupta. Imo vero legimus, Christum & vsurpasse illam editionem, & Iudæos remisisse ad illam. *Ioh. 5. v. 39*. Sed neque post Christi ætatem corruptus est textus Hebraicus à Iudæis, tum quia illi non potuerunt omnia exēplaria corrumpere, vtpote quorū maxima pars versabatur

Tres sententiæ de lectionibus marginalibus V.T.

sabatur in manib. Christianorũ; tum quia Iudæi maxime venerantur verba Scripturæ, ita vt oẽs literas, syllabas dictiones & versus in numerato habeant, vt in Massorah magna videre est. Iudæorũ sententiã cõmemorabo verbis Eliæ Leuitæ: Viri Synagogæ magnæ, nimirũ Haggæus, Zacharias, Daniel, Hananias, Misael, Azaria, Ezra, Nehemias, Mardochęus, Zerubabel: quib. præterea adiuncti fuerunt sapientes quidam ex Haraseh & Masger vsq; ad summã centũ viginti virorum, hæc (scil. marginalia) scripserunt secundum Cabbaleth, quod scil. Moses non legerat vocabulum illud alicuius mysterii causa, ꝙ illis notum fuit, quod mysterium tradidit Mose Iosuæ, Iosua senioribus, & seniores Prophetis. Hoc videlicet vocabulũ scripserunt in margine quẽadmodum legi deberet. & Ezra fuit scriba ille, qui *Keri* adscripsit in lege Mosaica. Idẽ factum in Prophetis & Hagiographis, in omnibus vocabulis, in quib. habuerunt Cabbalah, & mandato Prophetarũ & sapientum generationũ, vnus ex ore alterius, nimirũ ꝙ non debeant vocabula quædã legi quẽadmodum scripta sint. Verum in libris exilii nõ habebãt opus ista traditione. Nam illi ipsi authores fuerunt ibi cum illis, & quando inuenerunt vocabulũ aliquod, ꝙ illis videbatur peregrinum iuxta intentionẽ materiæ & expositionẽ Scripturę, tũc dixit illis author libri causam, cur scripserit aliter, tunc scripserunt vocabulum in margine, quomodo legi deberet: vt, cum viderunt in Haggæo וארצת בו ואכבד *veertza bo veechabed*, dixit illis Haggæus non esse legẽdum, *veechabed*, sed *veechabedah*, quasi haberet ה in fine: dixitq; eis rationẽ, videl. propter quinque ornamenta, quæ fuerant in primo tẽplo & non in secundo: propterea scriptũ à se esse ita. Tunc scripserunt in margine קרי ואכבדה *veecabedah, Keri*. Sicq; fecerunt in omnibus aliis, quę sunt in libris exilii. Summa est (ait Leuita) quod viri Synagogæ magnæ fecerunt *Keri*: quæ in lege sunt, iuxta mandatum Cabbalæ, quod habuerunt à Mose illo magni nominis, super illum sit pax: & quæ in Prophetis & Hagiographis iuxta mandatum Cabbalæ, quod habuerunt à Prophetis & sapientibus temporum: & quæ in libris exilii (sic Leuita vocat Haggæi, Zachariæ, Malachiæ, Danielis, Ezræ, Paralipomenon; quæ scripsit Ezra & Esthere, quem librum scripsit Mardochæus, iuxta mãdatum illorum ipsorum, qui authores librorum fuerunt: nequaquam vero propter dubia, quemadmodum putauerunt multi. Hanc sententiam non possum probare ob rationes alibi dicendas. Illud tamen maxime probo, quod Elias in illo suo tractatu, quem inscripsit *Massoreth hamasoreth* contra illos acerrime disputat, qui *Keri* & *Ketib* propter dubia factum esse asserunt. Tertia sententia, quæ est quorundam Christianorum, nobis probatur. Ea sic habet. Fuerunt duo exemplaria authentica, vnum Hierosolymis, alterum Nehardeæ (sic dicta est ciuitas illa vocabulo Chaldaico coniuncto, quasi נהר דעא *fluuius scientiæ*) quæ maximæ erant authoritatis apud Iudæos.

Hæc

Hæc peritiores Iudæi inter se contulerunt, & vbi deprehenderunt diuersitatem aliquam eam in margine notarunt. Et ea quidem vox, quæ contextui est inserta, appellatur בתיב *Ketib*, id est, scriptura, quod ea solummodo scripta sit, non legi debeat. Puncta vero, quæ illa ipsa dictio in textu posita habet, sub vocem in margine scriptam transferenda sunt, vt his punctis illius lectio informata, pro ea, quæ in ipso contextu est, legatur: ideoque dictio in magine posita קרי *Keri*, hoc est, *lectio*, dicitur. Hæc diuersitas non arguit aliquam textus corruptelam, sed est expositionis gratia, vt scilicet voces in textu positæ tanquam anomalæ explicentur, vel aliquid arcani continere indicentur. Manet igitur Hebraica editio omni ex parte pura, ac proinde sola Veteris Testamenti editio authentica.

Editio Græca N.T. est authentica.

De editione Græca Noui Testamenti sunt hæ monitiones.

1. [*Lingua Græca ad nos transmissum est Nouum Testamentum tres ob causas.*] Primo lingua Græca tempore Christi & Apostolorum inter linguas Gentium fuit omnium præstantissima. Deinde fuit vulgatissima. Nam etsi tum longissime patuerit monarchia Romana: tamen lingua Latina nondum longissime patuit, vti Cicero testatur pro Archia. Denique hac lingua conscripta fuit tota Philosophia gentilium. Hanc vt facilius redargueret Deus, retinuit linguam, qua illius decreta consignata erant.

" 2. [*Probabile est, Matthæum Græce primum scripsisse.*] Ratio est; quia illa lingua alii Apostoli scripserunt primum, non solum omnibus promiscue Iudæis & Gentibus, sed etiam Iudæis peculiariter. Si dicis, Matthæum scripsisse Hebraice, ostende illam editionem. Quæ hodie circumfertur, non est genuina. Accedit, quod sermo purus Hebraicus tum non erat vernaculus sed Syriacus, mixtus ex Hebræo & Chaldæo. Vtut est, Græca Matthæi editio est authentica, vtpote viuentibus adhuc Apostolis scripta & comprobata.

" 3. [*Probabile est, epistolam ad Hebræos Græce primum scriptam fuisse.*] Ratio; quia Iudæis plerisque lingua Græca tum familiaris erat, maxime illis, qui in Asia minore degebant. Hinc illa distinctio Iudæorum, in Ἑβραΐζοντας & Ἑλληνίζοντας seu Ἑλληνιστάς. qui Hebrææ linguæ peritia plane caruerunt in sua illa diuturna peregrinatione. Deinde verisimile est, Apostolum non solum Hebræis, sed etiam cæteris gentibus, apud quas lingua Græca tum vsitata erat, simul voluisse consultum. At verisimilius est, inquiat aliquis, Apostolum ad Hebræos Hebraice scripsisse. At, inquam ego, hac ratione dicendum fuerit, Apostolum ad Romanos Romane, hoc est Latine, scripsisse. Cur autem Græce ad Romanos scripsit? Cur non Latine? Quia plerasque terræ partes lingua Græca tum obtinebat.

" 4. [*Probabile est, Marcum scripsisse primo Græce suum Euangelium.*] Vulgatus est versiculus:

Rebus in obscuris quod minimum est sequimur.

Iam duo ista sunt obscura, an Marcus scripserit Græce, vel Latine. Nos sequimur minimum, videlicet quod Græce scripserit ob causas dictas monitionibus præcedentibus, secunda & tertia.

5. [*Variæ lectiones Noui Testamenti non arguunt textum corruptum, sed librariorum vel inscitiam, vel malitiam.*] Quod diximus de Bibliis Hebraicis, illa fuisse publica vel priuata: hoc idem dicendum est de Græcis. Cum enim Christiani in N.T. omnibus temporibus habuerint Synagogas & Ecclesias, necesse est habuerint quoque exemplaria publica Bibliorum. Etsi igitur quædam defuerunt, vel immutata sunt in libris imperitorum, vel hæreticorum: non tamen in orthodoxorum peritiorum exemplaribus defuisse vel immutata esse consequitur. Adhæc male quod paucorum est, exemplaribus Græcis omnibus tribuitur: & ἀλόγως ex particulari adstruitur vniuersale.

Variæ lectiones in N.T. vnde sint.

His sic se habentibus, concludimus hoc caput tali dyade syllogistica. 1. Ea editio, quæ scripta est primum lingua omnium prima, & in hac lingua integre conseruata est ad nostra vsque tempora, ea inquam editio Veteris Testamenti est authentica. At talis est editio Hebraica. Ergo. 2. Ea editio Noui Testamenti, quæ scripta est primum lingua vsitatissima illo tempore, quo scripta est, & omnium ætate in illa puritate est conseruata, ea, inquam, pro authentica haberi debet ab omnibus. At talis est Græca illa Noui Testamenti editio. Ergo.

CAP. CXIII.

Translatio Bibliorum.

TRanslatio librorum Biblicorum, *est qua illi in linguas vernaculas ex originalibus fuerunt versi*: vnde & *versio* dicitur. Hic nota distinctionem. Libri Biblici αὐτόγραφοι dicuntur, quando in lingua originali; ἀπόγραφοι, quando vt in aliam translati, considerantur.

Translatio, est vel antiqua, vel recens.

Translatio antiqua alia ante Christum natum prodiit, alia post Christum.

Translatio ante Christum natum est Veteris Testamenti. Estque Chaldaica, vel Græca.

Translatio Chaldaica non est ad verbum facta, sed est pharaphrastica. Paraphrasin hanc vocant Targum. Pentateuchum vertit R. Aquila (qui Onkelos dictus est ab iis) itemque R. Ionathan. Reliquos libros Veteris Testamenti verterunt partim R. Ionathan, filius Vzielis, partim R. Ioseph cœcus. Paraphrasis hæc apud veteres magnæ fuit authoritatis & celebritatis, vt & hodie est apud Iudæos. Cum igitur multa loca de Messia in illa paraphrasi ὀφθαλμοφανῶς sint exposita, nostri muneris est, illi cognoscendæ

Translatio Chaldaica V.T.

aliquid temporis impêdere, vt eo felicius contra Iudæos agere possimus. Plura hac de re paulo post dicemus.

De translatione Græca V.T.

Translatio Græca Veteris Testamenti ante Christum est illa, quæ dicitur LXXII. *Interpretum:* & interdum *versio septuaginta* dicitur, Græce τῶν ἑβδομήκοντα, vbi numerus minor omittitur, quam vocant rotundationem numeri.

De hac sunt monitiones istæ.

1. [*Quatuor versionum Græcarum, quæ à LXX. Interpretibus factæ sunt, fit mentio in historiis.*] Hæc res est maxime obscura & intricata. Ego rei obscuræ lucem conabor adferre, & expedire rem intricatam. *Prima versio* LXX. Interpretum fuit ante Alexandrum Magnum. Ex hac Plato cæterique Philosophi non pauca hauserunt. Vide *Clemen. Alexand. Secunda* facta est tempore Ptolomæi Lagi, cum Iudæi, qui Alexandro Magno in occupanda Ægypto fuerāt adiutores, ciues Alexandrini iure Macedonico facti sunt, vt scribit *Iosephus lib.* 12. ἀρχαιολογίας, & *lib. 2. contra Appionem.* Atque hæ duæ translationes fuerunt priuati operis. *Tertia* versio LXX. Interpretum facta fuit Ptolemæi Philadelphi ætate, opus nempe publici consilii: & propterea in Synagogis obtinuit passim. *Quarta* versio LXX. Interpretum itidem publici iuris fuit, quam ad postulatum Ptolomæi vltimi (qui frater Cleopatræ fuit, & Iudæis, quorum subsidio maxime C. Cæsar vicerat, gratificari omnino voluit.) Herodes curauit fieri atque confirmari. Atque hęc illa videtur esse translatio, quam veteres singulari nomine κοινὴν, id est, *communem*, seu vulgatam appellarunt, & Lucianus postea restituit emendatam, ex quo & λουκιανὸς à plerisque dicta, vt scribit Hieronymus *ad Suniam & Fretel.* Hic igitur notandum est, septuaginta à Iudæis ferme appellari doctores & primores illos, ex quibus consilium magnæ Synagogæ (quod illi Sanhedrin, voce Syriaca è Græca συνέδριον deflexa) erat constitutū. Possunt itaque quatuor illæ versiones appellari LXX. Interpretum, sed diuerso respectu. De versione illa quarta, quam Herodes procurauit, accipe illud *Iustini Martyris apolog. 2. Cum Ptolemæus Aegyptiorum rex bibliothecam institueret, & hominum omnium scripta comportare conaretur, de prophetiis hisce certior factus, ad Herodem Iudæorum tum regem misit, copiam sibi fieri Propheticorum librorum petens. Ac rex quidem Herodes illos qua diximus Hebraica lingua conscriptos ad eum misit. Verum cum Aegyptiis incognita essent quæ scripta erant, denuo legatione missa illum rogauit, vt ad se, qui libros eos in Græcum transferrent sermonem, homines mitteret: atque hoc sic facto, libri apud Aegyptios permansere ad hodiernum vsque diem.* Cęterum quando disputatur de versione LXX. Interpretum, intelligitur tertia illa; de cuius versionis modo hæc habet *Epiphanius de ponderibus & mensuris. Cum 72. numero essent, & in Pharia insula, superna terra appellata è regione Alexandriæ, in 36. domunculis par & par in domunculis, à matutino vsque ad vesperam conclusi, & vesperi in 36. nauiculis*

culis

cubiculis in Ptolomai Philadelphi palatium transeuntes, & cum ipso cibum capientes, & par ac par in cubiculis 36. dormientes, vt ne quid inter se conferrent sed incorrupte interpretarentur, sic vitam degebant. Prædictas enim 36. domunculas nominatus Ptolomeus construxit in vlteriore parte in insulam, ipsasque duplices fecit, ac duos & duos, veluti dixi, inclusit, & pueros duos ministros simul cum ipsis conclusit, obsonii parandi ac ministrandi gratia, vna cum velociter scribendi peritis. Sed neque fenestras domunculis illis ex parietibus fecit, sed superne ex domibus lucem introduxit. Illi vero sic degentes à matutino ad vesperam vsque claustris conclusi, hoc modo interpretati sunt. Singulis autem paribus vnus liber tradebatur, verbi gratia liber generationis mundi binis. Exodus filiorum Israel aliis binis, Leuiticus aliis binis, & sic deinceps alius liber aliis. Atque sic 27. libri electi, receptique ac genuini, verum viginti duo iuxta alphabethi apud Hebræos ordinem numerati, conuersi sunt. Viginti enim & duo habent elementorum nomina, quinque vero sunt ex ipsis quæ duplicant. Quapropter etiam libri iuxta hunc modum, viginti quidem duo numerantur, verum 27. reperiuntur, eo quod ex ipsis duplicantur. Connectitur enim liber Ruth iudicibus, & numeratur apud Hebræos vnus liber. Connectitur primus Paralipomenon secundo, & dicitur vnus liber: primus regnorum secundo, tertius quarto, & primus Ezræ secundo. Sic igitur compositi sunt libri in operum quinarios quatuor, & manent alii duo extra hunc ordinem, vt sint libri genuini hoc modo. Quinque legales, &c. Hic est primus quinarius, qui est legislatio. Deinde alter habet appellatas Scripturas, & ab aliquibus vocata sancta scripta, & sunt hæc, Iesus Naue, liber Iudicum cum Ruth, primus regum cum secundo, tertius regum cum quarto, primus paralipomenon cum secundo. Tertius deinde quinarius habet versu scriptos libros, lib. Iob. Psalm. Prouerb. Ecclesiasten, Cantica. Quartus quinarius est Propheticus: duodecim Prophetæ liber vnus. Idem. Eo quo diximus modo conuersi sunt in Græcam linguam per circuitum singulis paribus interpretum traditi, & à primo pari secundo, & rursus à secundo tertio, atque sic peruenerunt ad nos singuli sexies ac trigesies conuersi, velut fama refert. Postquam vero absoluti fuerunt, consedit Rex in throno alto, itemque 36. lectores, habentes vniuscuiusque libri 36. conuersa exemplaria, ita vt vnus haberet libri Hebraici exemplar, & vnus ex lectoribus legeret, & alii se continerent, & attenderent, an inueniretur dissensio. Verum mirabile est opus Dei ad hoc, vt cognosceretur quod illi viri donum Spiritus sancti habentes, consenserunt in deserto. Et vbi apposita erat dictio vel verbum, idipsum ab omnibus appositum repertum est: vbi vero detraxerant, omnes æqualiter detraxisse comperti sunt. Et quæ quidem detraxerunt, his non opus est, quæ vero non sustulerunt, opus est. Alii paulo aliter, hunc modum versionis recitant. Septuaginta duo senes ex tribubus Israel vtriusque linguæ, Hebraicæ & Græcæ peritissimi, iussu Ptolemæi Philadelphi, miraculosa celeritate, nempe 72. dierum spatio, admirabili consensione, ad Pharum Ægypti, versionem hanc absoluerunt. Et alii quidem singulos seorsim sedibus disclusos; alii binos; alii omnes con-

confertim confidentes vno loco, & operas conferentes, versionem hanc confecisse tradunt. Alii solum Mosen ab illis LXXII. quos Eleazar ad Ptolemæum Philadelphum miserat, versum esse tradunt, alii vniuersam V.T. Scripturam, qua de re iam dicetur.

" 2. [*Septuaginta duo interpretes, quos Eleazar summus Iudæorum Pontifex misit ad Ptolomæum Philadelphum, vniuersam V.T. Scripturam fecerunt Græcam.*] *Iosephus proœmio in libros antiquitatum, & Philo Iudæus l. 2. de vita Mosis*, existimant solummodo legem Mosis à LXXII. interpretibus esse versam. Sed contraria sententia videtur verior, ob duas potissimum rationes. 1. Ptolomæus Rex non fuisset contentus sola versione Pentateuchi. Voluit enim suam bibliothecam esse instructissimam ab omnibus libris, qui haberi poterant. 2. Nullum fuisset miraculum in celeritate huius versionis, si tantum Pentateuchus fuisset versus, quæ nempe fuerit 72. dierum spatio absoluta. Tradunt autem hanc versionem fuisse miraculosam. His rationibus accedit authoritas Patrum Chrysostomi, Theodoreti, & aliorum. Quare verior est hæc sententia, totius Veteris Testamenti versionem ab iis fuisse factam.

" 3. [*Versio LXXII. Interpretum consideratur vt pura, & vt corrupta.*] Vt pura, consideratur, quatenus illa Hebræis fontibus fuit conuenientissima, vt testatur Aristæas Ptolomæi Regis hyperaspistes, qui ait, reddita esse propria propriis nominibus, Græcis ad Hebræa exacte respondentibus, eamque interpretationem à plurimis discussam, consideratam, examinatam, antequam in Regis bibliotheca poneretur, & ab omnibus acclamatum, sancte & fideliter singula esse translata, vt nihil addi, nihil demi possit. Idem testatur Philo Iudæus. At hodie nos illam versionem habemus, sed corruptam infinitis locis, vt etiam Hieronymus annotauit. Quod autem non plane interierit ista versio, sed ad nos deuenerit, saltem quoad rudera, vt ita dicamus, id vel ex eo probari potest, quod dicta, quæ in N.T. multis quidem in locis, consentiunt cum versione LXXII. Interpretum.

" 4. [*Authoritas versionis LXX. Interpretum non est alia quam translationis.*] *Epiphanius in libro de ponderibus & mensuris*, non interpretes tantum fuisse dicit, sed prope Prophetas. Augustinus quoque nimius est in laude huius interpretationis. Alii non tantum ei tribuunt; in quibus est Hieronymus, qui in præfatione in Pentateuchum interpretes eos fuisse dicit, non vates contra Epiphanium. Nobis sic statuendum est. Versio LXX. pura fuit alicuius authoritatis, sed corrupta est perexiguæ authoritatis. Aliquam authoritatem dum dico, intellectam volo illam, quam antea dixi interpretationis. Est enim & alia authoritas, quæ est editionis originalis. Et hæc quidem est mensura mensurans: ista est mensura mensurata: quæ distinctio multum lucis adfert huic causæ.

Authoritas versionis LXX. quasi.?

Tran-

Translatio antiqua post Christum natum, est vel Græca, vel Syriaca Noui Testamenti, vel Latina, vel aliarum linguarum, & hæ quidem vtriusque Testamenti.

Translationes Græcæ, & ea quidem Veteris Testamenti, numerantur octo.

Translationes Græcæ octo V. T. post Christum.

Prima fuit Aquilæ cuiusdam Synopensis, imperante Adriano facta, vt testis est Epiphanius. Hic Aquila primum gentilis fuit; deinde ad Christianos transiuit & baptizatus est; postremo, cum propter nimium Astrologiæ iudiciariæ studium reprehensus esset, tandemque eiectus ex Ecclesia, ad Iudæos desciuit; apud quos dum ageret, linguam literasque Hebraicas didicit, & scripturam V. T. ex Hebræo in Græcum transtulit; sed animo prauo, vt testatur Theodoretus, quo nimirum testimonia, quæ doctrinam Christi confirmant, obscuraret, & apostasiæ suæ fucum faceret. Fuit autem illa Aquilæ editio triplex.

Secunda fuit Theodotionis, imperante Commodo, vt author est Epiphanius. Hic homo fuit Ponticus, ex secta Marcionis hæretici, postmodum secta sua improbata, omninoque religione Christiana abiurata, ad Iudæos defecit, linguam Hebraicam didicit, Scripturam V. T. ex Hebræo Græcam fecit; sed peruerso animo, & fide mala, vt testis est Theodoretus, ad confutationem sectæ suæ.

Tertia fuit Symmachi, facta imperante Seuero Augusto, vt scribit Epiphanius. Hic Samaritanus fuit genere, & cum principatum apud suos non obtineret, Iudæis se adiunxit, & secundo circumcisus est. Hic scripturam V. T. Græcam fecit, sed mala fide, teste Theodoreto; in confutationem nimirum Samaritanorum gentilium suorum. Hæc Symmachi versio & à Nazareis plurimi fiebat, & in synagogis Iudæorum ἑλληνιςῶν maxime celebris erat, & ter ab ipso fuerat recognita.

Post hanc Symmachi versionem fuerunt duæ anonymæ, ab Origene ex recessibus terræ prolatæ, quæ *quinta* & *sexta editio* vocantur. *Prior* fuit inuenta apud Hiericho in doliis sub Imperatore Caracalla. *Posterior* reperta fuit apud Nicopolin Aquilonarem sub Imperatore Alexandro Mammææ filio. Quæ ex illis quinta dicebatur, nobis est quarta; quæ illis sexta, nobis est quinta.

Sexta est Origenis. Hic vixit anno 261. sub Valeriano & Galieno. Fuit quam diligentissimus in aliorum, qui ante ipsum fuerunt, versionibus conferendis. Nam versiones quatuor, nempe Aquilæ, Symmachi, septuaginta, & Theodotionis in vnum volumen compegit, & quatuor columnis distinxit. Et hæc erant Origenis τετραπλᾶ. Deinde ad has quatuor columnas adiecit seriem textus Hebraici duplicem, vnam Hebraicis, alteram Græcis characteribus exaratam, & hæc erant Origenis ἑξαπλᾶ. Postremo ad has columnas sex adiecit anonymas illas, quas diximus editiones, & hæc erant Origenis ὀκταπλᾶ, opus laboriosum, diuinum, & maximo Ecclesiæ malo amissum.

Septima fuit Luciani cuiusdam post Origenem, circa tempora Diocletiani. Hic fuit Ecclesiæ Antiochenæ presbyter & martyr. Huius editionis exemplar, ipsius Martyris manu exaratum, inuentum fuit Nicomediæ in arca quadam marmorea. Et de hac editione accipies illud Hieronymi, qui in catalogo scribit, sua ætate fuisse exemplaria Græca, quæ Lucianea sint appellata. Hic autem Lucianus non tam istam versionem proprio Marte perfecit, quam emendauit quartam illam L X X. quæ facta fuit tempore *Herodis*. Vide supra.

Octaua fuit editio Hesychij, qui interpretationem L X X. Interpretum, quam paulo ante diximus tertiam. Hanc Ecclesiis Ægypti tradidit. Nam illæ versionem à rege suo olim comprobatam magni faciebant.

Atque hæ sunt octo versiones Græcæ, quæ post Christum extiterunt, quæque omnes perierunt: nisi quod Papistæ retinent quædam Theodotionis, impij hæretici primum, deinde apostatæ. *Dan.* 13. & 14. *cap.* & *fragmentum Theodotionis.* Quidam addunt nonam versionem Græcam Sophronii cuiusdam.

Translatio Syriaca N.T. *Translatio Syriaca est Noui Testamenti: de qua sunt hæ monitiones.*

1. [*Syriæ nomen à probatis authoribus sæpe vsurpatur ad designandum amplissimum Orientis tractum.*] Syria Hebræis dicitur ארם. *Aram*, à quo quam plurimæ istius tractus regiones & linguæ appellantur. Regio igitur *Aram* Hebræis est, quæ ab Antilibano recta Euphratem contendit, & eo traiecto Tigrim legit, & Mesopotamia tota peragrata sub Damasci fines considens, ad ipsam Arabiam petræam terminatur. Complectitur regiones sex. Harum *prima*, maxima, & antiquissima, est Mesopotamia; quæ interdum κατ' ἐξοχὴν dicitur *Aram*: Aliquando פדן ארם *Paddan Aram*, hoc est, iugum Syriæ, q. d. Syriam iugatam, hoc est, sub duorum fluuiorum iugum missam: vnde & aliquando ארם נהרים. Syria duorum fluuiorum, seu interamnis dicitur. *Secunda*, est ארם צבה *Aram Tzobah*. Ad hunc tractum videtur fuisse Chamath Tzobah seu inferior, de qua 2. *Paral.* 8. *v.* 3. *Tertia*, est ארם ב ת רחוב. *Aram Beth Rechob*, non procul dissita à loco illo, cuius mentio fit *Genes.* 36. *v.* 37. *Quarta*, est ארם מעכה *Aram Mangachah*. Vide 2. *Samuel.* 8. & 10. *Quinta*, est ארם דמשק. *Aram Damasci*, quæ est Cœle Syria, κοίλη Συρία, q. d. caua-Syria, sic dicta, quod duorum montium, Libani videlicet & Antilibani vallibus fuerit terminata. Atque hæ quinque regiones in sacrosanctis literis disertè de nomine *Aram* appellantur. *Sexta*, est Syria Comagena seu Antiochena. Huius incolas à veteribus scriptoribus Arimos appellatos esse, author est Strabo: quæ appellatio ex Hebræa manauit.

Syria complexa est regiones sex.

Sex dialecti linguæ Aramicæ. 2. [*Totidem sunt Aramicæ seu Aramææ linguæ dialecti, quot fuerunt regiones.*] Ex his dialectis duæ sunt puriores, quatuor impuriores. Puriores sunt prima & secunda. Impuriores sunt reliquæ. *Prima* dicitur *Babylonica dialectus*.

lectus. Hæc fuit omnium puriſſima: qua de re ſic accipe. Linguæ Aramicæ vſus videtur cœpiſſe apud Meſopotamicos. Prima ſiquidem linguæ Aramicæ mentio & veſtigia apparent in Rabanis Meſopotamici hiſtoria. Videtur igitur à Meſopotamicis per poſteros Nachoris ad Chaldæos & Aſſyrios perueniſſe. Poſtea propagato Chaldæorũ imperio, hæc quoq; lingua Aramæa non ſolum omnes illas tractus Aramici regiones peruaſit, ſed & Iudæam, Palæſtinam, & Phœniciam. Maxime vero exculta fuit Babylone apud Proceres & Philoſophos Babylonicos, vt ibi puritatẽ quam maximam conſecuta ſit. Merito igitur prima & puriſſima linguæ Aramicæ dialectus conſtituitur Babylonica, in qua Daniel & Ezra quædam ſcripſerunt. *Secunda* dialectus, eſt *Chaldaica* ſeu *Syriaca*; qua priores Bibliorum paraphraſtæ, Onkeles, Ionathan & R. Ioſeph vſi ſunt. Hæc eſt purior reliquis, ſed non ita pura vt prima. *Tertia* dialectus, eſt *Hieroſolymitana*; qua ſcriptæ ſunt poſteriores paraphraſes in legem, & librum Eſther. Hinc mentio fit Targum Hieroſolymitani. Dicta autem eſt hæc dialectus Hieroſolymitana, quod vulgus Iudæorum reducum è captiuitate Babylonica, multa vocabula Ammonitica, Moabitica, Perſica, & Græca, linguæ Chaldaicæ permiſceret. *Quarta* dialectus, eſt *media* inter Chaldaicam illam ſecundam, & tertiam hanc Hieroſolymitanam. Hac ſcriptæ ſunt paraphraſes, ſeu Thargumin in Pſalmos, Prouerbia, Iobum, Eccleſiaſten, & Canticum; quæ vocant quinq; volumina. Atque ex hac linguarum Aramicarum differentia duplex Thargum à Dd. Hebræorum conſtituitur, Babylonicum & Hieroſolymitanum. Vtrumq; ita vocant, non quod illud Babylonica, hoc Hieroſolymitana lingua conſcriptum ſit, ſed quod illud puriore, hoc impuriore ſtylo conſtet. *Quinta* dialectus, eſt *Thalmudica*, quæ mixta eſt, non ſolum ex ſuperioribus dialectis, ſed & ex Hebraica, multiſque vocabulis Latinis, Græcis, Arabicis, & barbaris aliis audacius paulo aſſumtis. Eſtque Thalmud duplex, Babylonicum, quod puriori ſtylo exaratum, & Hieroſolymitanum, quod impuriori. *Sexta* Aramicæ linguæ *dialectus*, eſt *Syra Antiochena*, ſeu *Comagena*, quæ etiam *Maronitica* dicitur. Hanc poſtremo loco ponunt viri docti, non quod poſt alias orta ſit, ſed quod omnium poſtrema vſum ſuum conſtanter retinuerit, atque omnibus illis ſucceſſerit, & eas quaſi antiquarit. Huius linguæ vſus fuit non ſolum in Eccleſia Antiochena, ſed & in toto illo Patriarchatu, qui illi Eccleſiæ adiudicatus fuit. Illius vſus adhuc durat in Palmyrena, cui adſcribitur à Geographis Maronia vrbs, vnde & hæc lingua Maronitica dicta eſt, ob loci & Eccleſiæ celebritatem. Hac eadem lingua vtuntur Meſopotamici, quando ſacris rebus vacant. Hic incidit quæſtio, an Chriſtus hac lingua fuerit vſus? Illam multi affirmant, ideoque Syram linguam vocant Chriſtianam: ſed negatiua eſt vera. Etenim Syram linguam nondum fuiſſe vſitatam Iudæis tempore Chriſti, vel hoc vno argumento

doceri

doceri potest. Ionathan paraphrastes quadraginta circiter annis ante Christum vixit, & Iudæis sui temporis voluit inseruire sua paraphrasi. Tum igitur Iudæis vsitata fuit secũda illa dialectus, quam diximus Chaldaicam, item Syriacam, quaque Ionathan vsus est. Non autem probabile fit, linguam illam tam subito esse mutatam, ita vt Christi ætate alia fuerit in vsu.

" 3. [*Syra versio Noui Testamenti Ecclesiæ illi Antiochenæ primum nascenti, Christianisque primum in ea appellatis videtur adscribenda.*] Quis author fuerit illius versionis, quo etiam tempore facta fuerit, non satis liquet. Verisimile tamen prorsus consentaneum videtur, hanc versionem factam circa initia Ecclesiæ Christianæ, idque ab Apostolis, vel Apostolorum discipulis.

" 4. [*Syra versio & olim fuit, & nunc magnæ est authoritatis.*] Rationes huius rei sunt duæ. 1. Veneranda antiquitas illius. 2. Fidelitas illius summa, quam deprehendet, qui versionem istam cum originali Græco conferet. His duabus rationibus nonnulli addunt miram linguę istius elegantiam. Quæ cum ita sint, Theologiæ studiosus fundamenta saltem & initia huius linguæ cognoscere debet, præsertim cum characteribus Hebraicis sit descripta. Tam clara est hæc versio quibusdam in locis, vt possit esse vice commentarij. Vnde quidam illius authorem constituunt Marcum. Plura vide hanc in sententiam apud *VVidmanstadium, Tremellium, & Guidonem Fabricium.*

Translationes Latinæ Bibliorum apud veteres.

Translationes Latinæ tempore Augustini tam multæ fuerunt, vt numerari nullo modo potuerint, de qua varietate conqueritur *Hieronymus in proœm. in lib. Iosuæ. Præcipuæ fuerunt tres.*

Prima fuit Itala quædam; quam *Augustinus* omnibus aliis anteponit, vt & verbis astrictiorem, & sententiis magis perspicuam. *lib. 2. de doctrina Christiana cap.* 15. Hæc fuit longe antiquior versione Hieronymi. Quo autem authore sit facta, non constat.

Secunda fuit communis & vulgata, vt dicebatur; quam ex plurimis receptiorem fuisse, & inde sic appellatam esse, colliges ex *August. l. 16. de ciuit. Dei. cap.* 10.

Tertia fuit versio Hieronymi. Ea duplex fuit, Veteris Testamenti tantum. Nam quod ad Nouum Testamentum, Hieronymus illud non vertit in Latinum, sed veterem Latinam emendauit, vt testis est ipse Hieronymus multis in locis. Duplex autem illa Hieronymiana V. T. versio fuit talis. Prior ex Græca editione 72. Interpretum in Latinum, posterior ex Hebraica veritate in Latinum est facta. Hæc Hyeronymi editio cum primum prodiit, mox cœpit recipi in Ecclesia, & publice legi. *August. epist.* 10. *ad Hieronymum*: ita tamen vt non contemneretur vetus illa Itala. Nam teste Gregorio, duæ hæ versiones, vetus illa Itala, & hæc Hieronymi noua in Ecclesiis Latinis celeberrimæ fuerunt, & maxime vsitatæ. Tandem

Itala plane intercidit. Hieronymi versio paulo post similiter, vel corrupta, vel amissa est. Quidquid horum sit, certũ est, eam versionẽ, quæ hodie Hieronymi nomine circumfertur, non esse illius. Hoc ostendi potest tribus potissimum argumentis. 1. Hieronymus accurate transtulit Vetus Testamentum ex Hebraico in Latinum. At hæc Latina vulgata editio non est accurata. Ergo non est Hieronymi. Propositio probatur. Hieronymus ipse profitetur, versionem suam Hebraicæ veritati prorsus conuenientem fuisse: vt, in *prologo galeato, in præfatione in libros Regum, præfatione in Psalterium ad Sophronium*; quibus in locis testatur, se nihil de Hebræa veritate mutasse, & ad Hebræos prouocat, qui testentur de fidelitate versionis suæ. *Augustinus de ciuitate Dei. lib.* 18. *c.* 43. scribit, Hebræos ipsos fateri, Hieronymi versionem veracem esse. Assumtio probatur. Vulgata illa versio Latina non est accurata, neque consentit cum fonte Hebræo, sicut testantur infinita loca, quæ si conferantur cum veritate Hebraica, δὶς διὰ πασῶν ab illa distare videbuntur. 2. Quia vulgata versio Latina continet innumera, quæ reprehendit Hieronymus, & ipse aliter vertenda iudicat *in quæstionibus Hebraicis, in libro de optimo genere interpretandi, in commentariis in Psalmos, in Ecclesiasten, in Prophetas.* 3. Quia discrepat plurimum ab illa versione, quæ in operibus Hieronymi extat. Sed nec illa versio vulgata est Itala illa à veteribus celebrata; quia Itala illa versio fuit adstrictior ad verba, quæ in fontibus extant, & sententiam clarius ac dilucidius interpretabatur, vt testis est *Augustinus lib.* 1. *de doctrina Christiana. cap.* 11. Talis autem non est hodierna versio vulgata. Qualis ergo est? Hieronymi solum negamus esse: non negamus vnguem Hieronymi ad eam accessisse, at eam ex multorum symbolo esse συνεῤῥαμμένην *consutam*, agnoscimus. Quidam existimant hodiernam illam vulgatam esse Aquilæ, aut Symmachi, aut Theodotionis, factam Latinam.

Quid statuendum sit de editione vulgari Latina?

Translationes antiquæ aliarum linguarum non fuerunt multæ. Fuerunt tamen: vt in lingua Arabica & Æthiopica.

Translatio recens, est qua libri Biblici ex originalibus linguis, vel etiam ex aliis versionibus, translati sunt in varias linguas, vernaculas potißimum. De his canones sunt duo.

1. *Recentes versiones sunt plurimæ, in omnibus fere linguis, Latina Germanica, Gallica, Anglica, Italica, Hispanica, Bohemica, Polonica, Dalmatica, &c.*] Latinæ præcipuæ sunt Sanctis Pagnini Francisci Vatabli, Immanuelis Tremellij & Francisci Iunii, Leonis Iudæ Tigurini, &c. Noui vero Testamenti Latinæ versiones celebriores sunt, Erasmi Roterodami, & Theodori Bezæ.

Recentes Bibliorũ translationes.

2. [*Harum translationum authoritas est humana, nunquam potest esse diuina.*] Authoritas est diuina, vel humana. Diuina non potest esse illarum rerum, quæ non sunt diuinæ ortu, & immediate. Rursus humana illa ver-

sionum authoritas, est vel vniuersalis, vel particularis. Vniuersalis, est editionis seu versionis, quam pleræq; Ecclesiæ probant: vt hodie est versio Germanica Lutheri, apud reformatos. Particularis, est versionis, quam paucæ Ecclesiæ probant: vt hodie est versio Latina Tremellij, Iunij & Bezæ, item Osiandri. Rursus vtraque illa authoritas versionum, est vel ex necessitate, quando propter certas circumstantias necessario hæ vel illæ versiones retinentur; vel ex commoditate & ordine, vsque dum meliores Deus per seruos suos suppeditauerit. Sic enim deteriora solum, ac non meliora à publico excluduntur.

CAP. CXIV.

Topographia Biblica.

Character externus librorum Biblicorum quis sit?

SEquitur vt de charactere librorum singulorum dicamus.

Character, est proprietas cuiusque libri Biblici, quam habet præ aliis.

Character ille est vel externus, vel internus.

Character externus, est quo describuntur circumstantiæ.

Accurate dispiciendum est Theologo, vt res internas seu principales distinguat ab externis seu minus principalibus. Res internæ & primariæ hic sunt, quarum cognitio præcise ad salutem est necessaria: vt, quid sit Deus, eiusque voluntas, quid & qualis sit homo, qualis remissio peccatorum. Hæ res comprehenduntur quinque capitibus religionis Christianæ. Res externæ & secundariæ hoc loco sunt, quarum cognitio facit ad meliorem interpretationem sacrarum literarum: vt sunt innumeræ res, quarum hinc inde fit mentio in sacris literis. Huiusmodi autem res ad duo summa capita possunt reuocari. Aut enim pertinent ad Geographistoriam, aut ad Chronographiam. Hinc duplex constituitur character externus.

Character externus sacrarum literarum est vel Geographistoricus, vel Chronographistoricus, vel Symbioticus.

Character Geographistoricus, est vel topographicus, vel politicus.

Character topographicus, est quo describuntur loca Geographice considerata.

Locus considerari potest, vel Geographice, vel Politice. V.g. terra Chanaan. In illa enim spectamus situm aliaque accidentia naturalia, vel insuper relationem politicam, quæ est ex θέσει, vt loquuntur.

Loca Geographice considerata, sunt paradisus, loca familiarum Noe, terra Chanaan, & terra aliorum populorum, qui Iudæis vicini fuerunt.

Topographia Paradisi.

Paradisi descriptio.

1. Paradisus sic dicitur, voce Persica, non autem Græca; quasi sit παρὰ & δέω. Hebraice dicitur hortus Eden.

2. No

2. Nomen *Eden* est appellatiuum, significans amœnitatem & delitias: sed proprie duobus locis in Scriptura tribuitur. Nam aliud est Eden situm in Telassar, id est in superiore parte Chaldææ, vt Ἀσκελικῶς appellatur 2. *Reg.* 19. *v.* 12. & *Esa.* 37. *v.* 12. Aliud vero Eden in CœleSyria ad Damascum, cuius meminit *Amos c.* 1. *v.* 5.

3. Paradisus fuit in Eden, qui in Telassar est, id est, in superiore tractu Chaldææ. Diuiditur enim Chaldæa in tres partes. *Summa* est, quam vocant Auranitidem ad Euphratem fluuium, contermina Mesopotamiæ. *Mediana*, quam vocant Chaldæam ad Arabiam desertam. *Infima*, quam vocant Amordaciam ad sinum Persicum.

4. Esse autem Edenem istam Auranitidem his probari potest rationibus. I. Inter omnes historicos conuenit amœnissimũ & fertilissimũ non solũ totius Orientis agrum, sed terrarum orbis esse Babylonicum, qua ab Euphrate & Tygri irrigatur. Testatur enim *Plin. lib.* 18. *nat. hist. c.* 17. segetes ibi bis secari, tertio depasci; terram item cum quinquagesimo fœnore messes reddere, & diligentioribus cum centesimo quinquagesimo. Testatur idem eodem loco, tam pinguem & vberem esse istius soli glebam, vt fluuiorum Euphratis & Tygris exundatione sit opus ad densam illam vbertatem diluendam atque euehendam: qua de re *Solinus cap.* 50. Limum enim, ait, Euphrates Tygrisque non inuehunt, sicut Nilus, sed abstergunt rarefaciuntque solum: quod alioqui adeo fermentatum est & densum, vt ne terra quidem ipsa herbas soleat gignere. II. Mosis circumscriptio hoc ipsum euincit. Docet enim fluuium vnum esse, qui in Edene vnus & idem quadripartitus est. Quæ res nonnisi Babyloniæ summæ competere potest. 3. Verisimile est, quod Auranitis sit dicta quasi Audanitis, hoc est Edenitis.

5. Vera igitur interpretatio verborum Mosis *Genes.* 2. hæc est. *Fluuius*, inquit, *v.* 10. *Procedit*. Hic loquitur de fluuio vno, qui est Euphrates. Hic procedit, non oritur. Procedit autem *ex Edene*, hoc est, secundum Edenem. *Irrigando hortum*, scilicet qui in Edene est. *Et inde*, id est, ex quo processit in Edenem, non autem ex horto. *Diuidit se*, scilicet Euphrates. *Estque in quatuor capita*, id est, ostia vel principia alueorum, in quos alueos Euphrates quadripertitus est.

6. Primum caput, seu fluentum Euphratis est *Pischon*, qui dicitur Euphrates inferior. Hic ad Apameam miscetur cum Tygri, & inde ab Apamea ad sinum vsque Persicum, ab incolis dicitur Pasitygris, quasi Pisotygris, à Pischon. Finis ipsius est regio Chauilæ, id est, Susianes.

7. Secundum fluentum est *Gichon*, vulgo Gehon, Geographi Maharsares vocant, vel potius Naharsares. Finis ipsius est *terra Cusch*, regio Arabiæ desertæ, ad quam disperit fluuius in paludes Babylonicas mersus.

8. Tertium caput Euphratis est *Chiddekel*, id est Tygris. Chaldæis dicitur *Nahar Melcha*, Græcis βασιλειος ποταμος, *regium flumen*. Olim etiam appellatus fuit *Diglito*, vt tradit *Plinius lib. 6 nat. hist. c. 27*. hodieque accolis dicitur *Diglath* vel *Tiglath*: quæ nomina conueniunt cum Hebraico. Hic fluuius Mesopotamiam ab Assyria, & Susianes principium à superiore Chaldææ parte determinat.

9. Quartum fluentum nomen *Euphratis* obtinet κατ' ἐξοχήν. Hoc flumen mediam regionem secat, Babylonem scilicet & Otrin permeat, reliquis præcellens.

Loca familiarum Noe, ex Genes. cap. 10.

Confer hoc caput cum 1. Chro. 1.

IStæ sunt autem generationes filiorum Noachi, Schemi, Chami, & Iephethi: quibus filij post illud diluuium nati sunt. 2. Filij Iepheti, Gomer, & Magog, & Madai, Iauanque, & Thubal; & Meschec, & Thiras. 3. Filij autem Gomeri, Aschenaz, & Riphath, & Thogarma. 4. Filij vero Iauanis, Elischa, & Thaischisch; Citthim, & Dodanim. 5. Ab his diuisæ sunt postea regiones gentium per terras earum, cuique secundum linguam suam, secundum familias ipsarum in gentibus suis. 6. Filij autem Cham; Cusch, & Mitzraiim, & Put, & Cenahan. 7. Et filij Cuschi, Seba, & Chauila, & Sabbetha, & Rahma, & Sabtheca: filii vero Rahmæ, Scheba, & Dedan. 8. Præterea Cusch genuit Nimrodum, &c. vers. 13. Mitzraiim autem genuit Ludæos, & Hanamæos, & Lahabæos, & Naphthuchæos. 14. Pathrosæos quoque, & Casluchæos, vnde egressi sunt Pelischthæi, & Caphthoræos. 15. Cenahan vero genuit Tzidonem primogenitum suum, & Chethum: 16. Iebusæum quoque, & Emoræum, & Gigarschæum. 17. Et Chiwæum, & Harkæum, Sinæumque. 18. Et Aruadæum, & Tzemaræum, & Chamathæum; posteaque sparserunt sese familiæ Cenahanæorum, &c. vers. 20. Isti sunt filii Chami in familias suas; in terris ipsorum per gentes suas. 21. Denique ipsi quoque Schemo edita est proles, patri omnium filiorum Heberi fratri Iepheti natu maximi. 22. Filij Schem, Helam, & Aschur, & Arphaeschad, & Lud, & Aram. 23. Filij autem Arami, Hutz, & Chul, & Gether, & Mesch. 24. Arphaeschad vero genuit Schelachum, & Schelach genuit Heberum: 25. At Hebero editi sunt duo filii, quorum vnius nomen est Peleg, quia diebus huius fuit diuisa terra, nomen vero fratris huius Ioktan. 26. Ioktan autem genuit Almodadum, & Schelephum, & Chazarmauethum, & Ierachum. 27. Et Hadoramum, Vxalemque, & Diklam. 28. Et Hobalem, & Abimaelem, & Schebam. 29. Et Ophirum, & Chauilam, & Iebabum: hi fuerunt omnes filii Ioktanis. 30. Fuitque horum habitatio à Mescha; qua venis Sepharum, ad montes Orientis vsque. 31. Isti sunt filii Schemi in familias suas secundum linguas suas, in terris ipsorum per gentes suas. 32. Hæ familiæ

miliæ filiorum Noachi, secundum generationes ipsorum in gentes suas: atque ex his sese diuiserunt gentes in terra post diluuium illud.

Argumentum, siue summa capitis.

Filiorum Noachi propagatio, & ab illis omnium omnino gentium origo describitur. Proinde hic recensentur filiorum Noachi filii, nepotes, pronepotes. Ac primum quidem Iapheti, *à vers. 2. ad 6. vsque:* deinde Chami, *à vers. 6. vsque ad* 21. Postremi Semi, *à vers. 21. vsque ad finem.* Ita sunt tres capitis partes.



PRIMA PARS.

Orti ex Iapheto.

Iaphethitæ recensentur hoc ordine.

I. Iapheth
- 1. Gomer.
  - 8. Aschenaz.
  - 9. Riphath.
  - 10. Thogarma.
- 2. Magog.
- 3. Madai.
- 4. Iauan.
  - 11. Elischa.
  - 12. Tharschisch.
  - 13. Cittim.
  - 14. Dodanim.
- 5. Thubal.
- 6. Meschec.
- 7. Thiras.

Summa 14.

PARS SECUNDA.

Posteri Chami.

Chamitæ recensentur hoc ordine.

II. Cham
- 1. Cusch
  - 5. Seba.
  - 6. Chauila.
  - 7. Sabbetha.
  - 8. Rahema.
    - 11. Scheba.
    - 12. Dedan.
  - 9. Sabteca.
  - 10. Nimrod.
- 13. Ludæi.
- 14. Hanamæi.

Mitzraim

2\. Mitzraiim
- 15\. Lehabæi.
- 16\. Naphthuchæi.
- 17\. Pathrusæi.
- 18\. Gasluchæi.
- 19\. Pelischthæi.
- 20\. Caphthoræi.

3\. Put.
- 21\. Tzidon.

4\. Cenahan.
- 22\. Cheth.
- 23\. Iebusæus.
- 24\. Emoræus.
- 25\. Girgaschæus.
- 26\. Chivvæus.
- 27\. Ha kæus.
- 28\. Sinæus.
- 29\. Aruadæus.
- 30\. Tzemaræus.
- 31\. Chamathæus.

Summa 31.

PARS

PARS TERTIA.

Ortiè Semo.

Recensio Semitarum.

- Schem
  - 1. Helam.
  - 2. Aschur.
  - 3. Arphacschad
    - 10. Schelach
      - 11. Heber
        - 12. Peleg.
        - 13. Iokran
          - 14. Almodad.
          - 15. Scheleph.
          - 16. Chatzarmaueth.
          - 17. Ierach.
          - 18. Hadoram.
          - 19. Vxal.
          - 20. Dikla.
          - 21. Hobal.
          - 22. Abimael.
          - 23. Scheba.
          - 24. Ophir.
          - 25. Chauila.
          - 26. Iobab.
  - 4. Lud.
  - 5. Aram.
    - 6. Hutz.
    - 7. Chul.
    - 8. Gether
    - 9. Mesch.

Summa 26.

Summa summarum.

14. Iaphetii.
31. Chamitæ.
26. Semitæ.

71.

OBSER-

OBSERVATIONES AD HOC CAPVT.

1. Noachus cum tribus suis filiis, Semo Chamo & Iapheto, in Armenia post diluuium aliquando substitit. Sed cum iam crescere inciperet nepotum numerus, ipse in Syriam abiit, vt fit verisimile, Meridiem versus; filiis cum prole pergentibus ad Ortum, ante extructam turrim in Babylone, & ante dispersionem vniuersalem, primo adhuc post Cataclysmũ currente centenario: vt recte obseruat *Ioan. Iezlerus de fructu mortis Dominicæ, lib.* 2. Turrim enim extructuri, promiscue confluxere Semitæ, Chamitæ, Iaphetii: vt *Philoni Iudæo in Antiquit.* placet, &, vt *Moses Gen.* 11. scribit, ab oriente progressi campum inuenerunt in terra Sennaar, postea Babylonia dicta: & habitauerunt in ea, donec iam inchoata turri, cum annus à diluuio ageretur centesimus & vnus, ob linguarum confusionem in totum terrarum orbem essent diffusi. Locorum opportunitas quod dico facit credibilius. Est enim Armenia regio Asiæ, inter Taurum & Caucasum montem sita: à Septentrione Colchiden habens, vt *Ptolomæus* Geographorum daduchus author est: Iberiam item & Albaniam: ab occasu magnum Euphratis cursum, qui Cappadociam, minorem Armeniam, & Syriam Comagenam relinquit à dextris: ab oriente partem Hircani maris ac Mediam, qua montes Caspii assurgunt: à Meridie Mesopotamiam atque Syriam. Hac locorũ vicina oportunitate obseruata, Noe Syriam, à se ante diluuium quoque inhabitatam cum paucis reperiit: filii vero suis comitati tum vxoribus, tum liberis, per Mediam sese in Orientem contulerunt, sedibus adhuc vagantes incertis. Ac Sem quidem, aut patrem recta comitatus est ex Armenia in Syriam, ante dispersionem totalem, aut eum paulo post subsecutus est, ex Chaldæa per Mesopotamiam migrans: Arphaxado tamen ibi relicto cum nepotibus: Aramo forte comitatus, à quo & Syri originem ducere perhibentur. Nam Semum in Syria diutissime vixisse, promissionem pure conseruasse, Deumque rite coluisse certum est. Qua de re *Melanchthon & Peucerus in Chronico Carionis, lib.* 1. *Vixit, inquiunt, Noe post diluuium annos trecentos quinquaginta. Et rediisse arbitror ex Armenia in veterem patriam: id est, in loca vicina Damasco, vbi antea vixerat, & vbi primos parentes conditos esse sciebat. Et post diluuium agnoscere regionem potuit, consideratis spatiis dierum, & vmbris in gnomone. Certum enim est filium Noe Sem, rursus vixisse in illa regione, cum fuerit rex Salem, quæ postea nominata est Ierusalem. Est enim Sem ille ipse, qui nominatur Melchizedec.* Semum autem fuisse regem Salemi ex historia sacra probari potest: quamuis huic sententiæ, quod nẽpe Sem fuerit Melchizedec, refragentur doctissimi interpretes, in quibus est *Iohan. Caluinus in commentar. in Genes. cap.* 14. Verum hic quilibet suo abundet sensu. Mihi probatur sententia *Philip. & Iezleri l.* 2. *de fructu mortis*

Topographia Armeniæ.

Protoplastorum sepulchretũ vbi fuerit?

Melchizedec quis fuerit?

Domin. qui secuti sunt Hieronymum. Hic obserua, quod Melchisedec dicatur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, καὶ ἀγενεαλόγητος in epistola ad Hebræos; quia illius pater vel mater non fuit, si spectes regnum, & hoc modo nullam quoque habuit genealogiam. Oportet igitur patris & matris vocabula accipere ciuiliter, vt loquuntur. Post hanc, quam hactenus commemoraui, patrum à filiis distractionem, demum secuta est illa memorabilis totius posteritatis Noachicæ diuisio linguis in Babylone confusis, & structura cœptæ turris impedita. [*In Ortu manserunt Semitæ; Chamitæ profecti ad Meridiem; Iaphetii consederunt in Septentrione.*] Ex his Semitæ erant filii promissionum: Iaphetii autem & Chamitæ filii carnis.

Tres classes Iaphetiorum & Chamitarum.

2. Filii carnis extra Hebræos fuere innumeri: quos in treis classeis dispescere allubescit. 1. Quidam ex his sanguine fuerunt Hebræis, siue Semitis, id est, promissionum filiis, coniuncti; ex Lotho Moabitæ & Ammonitæ; ex Abrahamo Ismaelitæ & Madianitæ; & ex Isaaci filio Esau Idumæi. Hi singuli singula occuparunt regna, quemadmodum & loca à se inuicem distincta. 2. Quidam non sanguine, sed locorum vicinitate propinqui, quotidiana cum illis habuerunt commercia; annis 430. Tales Sodomitæ erant & Gomorrhæi; quamuis horum non tam diu durarit συμβίωσις, *conuersatio*. Tales Chananæi in regna seu principatus plusquam 30. diuisi. Tales Tyrii in Phœnicia, & Sidonii, terræ promissæ finitimi. Quin & Ægyptii tales, apud quos non solum Abraham hospes aliquandiu fuit, famis declinandæ causa: sed ipsius quoque ex nepote Iacobo posteri, diutissime: vsque dum scil. per Mosen ex Ægypto abducti sunt. 3. Quidam vtroque, tam sanguine, quam loco, fuerunt ab Hebræis disiunctissimi, vt Scythæ, Phryges, Bactryani, Persæ, Sicyonii, Argiui, Thebani, Athenienses, Thessali, & ex parte etiam Assyrii. De multis aliis, in Septentrione & Occidente degentibus, nihil dico. Floruit enim post diluuium regnum Babylonicum, postea dictum Assyriacum, an. mundi 1788. Sicyonium an. mundi 1880. Scythicum, Bactryanum, & sub Cedorlaomor etiam Persicum proxime ante annum mundi 2023. quo facta est Abrahami vocatio, Argiuorum an mundi 2113. Thebanum sub Ogyge, an. mun. 2176. Atheniense an. mundi 2412. Deucalionis in Thessalia an. M. 2440. quatuordecim annis ante legem Hebræis à Mose latam.

3. Semo quinque fuerunt filii, Arphaxad, Assur, Helam, Lud & Aram. Ex his soli Arphaxadæi, hoc est, Hebræi, constãter seminis benedicti promissionem conseruarunt, vsque dum promissus in carnem venit Dei Filius: cæteri eam obliti sunt. Obliti ex Assur Assyrii, ex Helam Elamitæ & Persæ; ex Lud Lydii, & ex Aram Syri obliti. Ergo propter Hebræos maxime, ex Arphaxado oriundos, Semitæ promissionis filii nuncupantur. Quin & Hebræi carne & promissione itidem disiuncti fuerunt. Duos enim Heber cum haberet filios, Iectanem & Palegum, & Iectan tredecim filios

filiorum pater, numerosa cum prole profectus esset in ortum, factum est, vt Iectanæi à sanctorum Patrum tum consortio, tū etiam promisso auulsi sint, in omne genus supstitionū indies magis magisq; abrepti. At vero Palegus, & ab hoc orti Regumus, Sarugus, Nachor & Tarachus, & ante vocationem Abrahamus aliquam promissionis scintillam retinuerunt in Chaldæa, quemadmodum & in vicina Mesopotamia ipsorum posteri, Bathuel, Laban, Rebecca, Rachel, Lea, & complures alii ex Nachore Abrahami fratre geniti. Genes. 22. Hinc quo quisque in Arphaxadi stirpe prior, eo in cultu diuino purior: & quo posterior, eo indies factus deterior, atque corruptior. Quæ causa est, quod Abrahamum cum patre & auo idololatriæ insimulat Iehosua, priusquam ex Chaldæa traductus esset in Chanaan. Iehos. 24. v. 2. & 14.

4. Nulla quæstio magis exercuit historiarum scriptores, quā quæ habetur de origine populorum. Alii quidem se à diis ortos esse prædicarunt; alii se indigenas terræ parentis, h. e. αὐτόχθονας & γηγενεῖς, appellarunt. Alii alia mendacia sparserunt de sua origine; vt præclare ostendit *Ioan. Bodinus c. 9. meth. hist.* Hic quid opus facto? Nostrum est prouocare ad diuinum historicum nempe Mosen, qui potis est tantas componere lites.

5. Licet hæc genealogia non sit admodum curiose tractanda: moderate tñ spectata non erit inutilis. Si quis igitur accuratius excutiat genealogias, diligentia non est improbanda. Et quidem interpretes non infeliter suam industriam & studium hic posuerunt. Mihi autē satis erit breuiter attingere, quæ obseruatu magis vtilia censeo: præmissis hisce regulis.

1. Non est friuolæ curiositatis (vt magnus ille Caluinus putat) certos ac distinctos in singulis nominibus populos quærere. Etenim ipse Moses, diuinus historiographus, huius capitis X. versu XXXII. ait: *Istæ familiæ filiorum Noah per generationes suas in gentibus suis: & ab istis diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.*

2. Regula. Quorum nominum hac in genealogia occurrentium ratio manifesta est, sicuti Chus, Mizraim, Chanaan, & similium: in aliis coniecturæ sunt verisimiles: in aliis maior est obscuritas, quam vt certi aliquid excogitari queat: & quæ interpretes afferunt commenta, partim longe sunt detorta & coacta, partim insipida, & quæ nil habent coloris. Ne igitur Philolo-Geographus hic aberret à ianua, vt est in prouerbio, consulat annotationes diligentissimi *Francisci Iunii*, qui hoc X. Genes. caput accuratissimis illustrauit scholiis.

3. Aduertamus & hic sacrarum literarum vetustatem: quæ nobis indicant variarum prouinciarum originem: quo ipso redarguere possumus mendacia cum philosophorum tum poetarum, qui fabulantur & mentiuntur quæ volunt de mundi principio, & gentium origine. Sat scio non nullos esse, qui contendunt Noachum fuisse Ianum illum bifrontem *Ianus quis fuerit?*

siue bicipitem, (qui fingitur esse bifrons, quia fuit quasi ἐπρόβι@, quippe qui vixerit ante diluuium & post illud) à *Laiin*, Hebræa voce; deflexo nomine, quod vinum significat (quanquam alii à ianua Ianum dictum sic volunt) cum illi etiam in sacris literis hoc tribuatur inuentum. Arbitrantur etiam alii Iaphetum à Mose decantatum esse illum Iapetum illustrem poetarum carminibus. Verum hæc quia certis argumentis probari non possunt, mittenda esse censeo cum doctiss. Petro Martyre.

Obseruatio Cabbalistica.

4. Considerabis quædam nomina propria in hac genealogia plurali numero scribi, quo nobis indicetur ibi quempiam significari cum omni natione, quæ ab eo ortum habuerit, vt Ludim, Capthorim, Lehabim, &c.

5. Hoc caput cum profanis & sacris Geographorum descriptionibus est conferendum. Mirum enim dictu quam recondita hoc in capite lateat sapientia. Adeste igitur Cosmographi: Philologi adeste. Nam & vestra interest nosse origines gentium. Qui sic, inquietis? Quia, inquam ego, populi vicini & confines tradunt sibi mutua linguarum commercia. Imo & mercatores non solum merces, sed & vocabula materna important regionibus, in quas proficiscuntur. Iccirco Philologus hoc è loco discet concatenationem (liceat mihi βαρβαρίζειν) linguarum, earundemque numerum. Denique cognoscet, quænam linguæ sint cognatæ, ideoque simul discendæ, v.g. Galli & Itali & Hispani sunt vicini. Plurima igitur vocabula communia habeant necessum est. Ea propter Philologus operæ pretium faciet, tres hasce linguas si addiscat simul.

6. Vt caput hoc Mosaicum probe intelligas, lectita annotationes *Fr. Iunii & Hugonis Brougthoni Angli*, præceptoris olim nostri, concentum sacræ Scripturæ. Ne tamen hic tibi desim, primo annotationes cursorias strictim, deinde plenum commentarium tibi proponam.

Annotationes cursoriæ in caput 10 Genes.

Quatuordecim posteri Iaphethi.

Iaphethi genus.

1. GOmer, & eius posteri superiorem Asiæ partem obtinuerunt: argumento loci *Ezech.* 38. 6. Iosephus scribit, populum Galatarum à Gomer procreatum: quod nescio qui esse possit, cum Galatas Asianos inde in historiis dictos legam, quia hi Galli, qui Romam duce Brenno, Camilli tempestate, expugnarunt, Italia relicta in Asiam abierunt, ibique locatis sedibus, ac priorib. eiectis inde incolis Galatæ sunt dicti, vel Gallogræci. Forte per illos intelligit ipsos Gallos.

2. Magog est Scytharum author. *Ezech.* 38. 2. *&* 39. 6.

3. Madai, Medorum progenitor. 2. *Reg.* 17. 6. *Esa.* 13. 17. *Ierem.* 25. 25. *Daniel.* 5. 6. *&* 8. Nec enim Medi à Moda, vt fabulantur Gentes, vel à Medo Medeæ filio, dicti sunt.

4. Iauan, Ionum Græcorum parens. *Dan.* 8.21. *Ioel.* 3.6. Vnde Ionium mare.

5.6. Thubal, Mesech, fuere progenitores Hispanorum, qui Hiberiam incolunt, item Albanorum & Cappadocum, vbi est oppidum Mazaca Cæsarea postea dictum. *Ezech.* 27.31. & 32.26. & 38.3.

7. Thiras, Thracum autor accolentium Pontum Euxinum atq; Propontidem.

8. Aschcenaz fuit incola Ponti & Bithyniæ, vbi lacus & fluuius est Ascanius ab hoc denominatus. *Gen.* 51.27. Sunt qui existimant, Germanos ex huius linea descendere, ducti hoc argumento; quod Iudæi Germanos vocant *Aschcenazim*. Alij contendunt Gothos esse illius posteros.

9. Riphath, Paphlagonum autor, qui olim Riphathæi seu Riphæi.

10. Thogarma. Ab hoc descendunt populi incolentes Armeniam minorem, quorum reges Tygranes, & vrbes plurimæ Tygranokartæ vocabantur. *Ezech.* 27. & 38. Pet. Martyr putat Phrygios ab eo prognatos esse.

11. Elischa, autor Æolum purpura celebratorum. *Ezech.* 27.

12. Tharsis, incola Ciliciæ, qua Syriæ iungitur; vbi sita est Tharsus metropolis, Apostoli Pauli patria. *Actor.* 22. 3.

13. Cittim, maiori parti interpretum Itali, Iosepho Cyprij. Iunio, quem sequitur Piscator, Cittim sunt Cetidis in Cilicia incolæ. *Num.* 24. 24. *Esa.* 23.1. *Ier.* 2.10. 1. *Maccab.* 1. 1. *Hic autem postremus locus*, vt annotat Doctor Iunius, *male à plerisque intelligitur: qui illud, quod dicitur Alexander ex Cittim exiuisse, ita accipiunt, quasi inde originem duxerit, itaque nomine Cittim Macedonas significari putant. Sensus enim est, Alexandrum in Darium expeditionem facturum, ex ea regione summo labore & molestia propter asperitatem eius per angustias Amani montis prodiisse, vt inopinantem opprimeret. Sic etiam accipiendus Numer. locus, quod Romani ibi curata sua classe in Hebræos irruperunt.*

14. Dodanim, sunt Rhodii & Dores, à quibus vi maris Rhodum insulam separatam scribunt. Alij legunt Rodanim, decepti similitudine elementorum *Resch* & *Daleth*. Pindarus, & alij, comminiscuntur, insulam Rhodum diu delituisse sub vndis, postea deorum beneficio emersisse. Quæ fabula si ab indigenis est prodita, nobis indicat, illos homines, quod à suo progenitore de vniuerso terrarum orbe factum audierant, detorsisse ad suam patriam, vt aliquid priuatum & peculiare.

Triginta & vnus posteri Chami.

Filii Cham totum meridianum tractum à Babylone in Asia & Africa obtinuerunt. *Posteri Cham.*

1. Cusch Arabibus & Æthiopibus nomen dedit. *Ier.* 13.23. 2. *Reg.* 19.9.

2. Mitzraim, autor Ægyptiorum.

3. Put, incoluit Lybiam, & regiones vlteriores, vbi flumen est Phthuth *Ezech.* 27.10. & 38. 5. Martyr autumat Afros ab eo progenitos esse.

4. Chenaan, nomen dedit terræ promissæ.

5. Seba, autor incolarum Arabiæ desertæ. *Psal.* 71. 10. *Esa.* 43. 3. Duplex est Seba, vna in Arabia, altera in Æthiopia, & discrimen est in elementis. Nam ista per *Samech* scribitur, altera per *Sin*: ista à filiis Cusch, illa à filiis Sem. Et ex illa altera Arabiæ venerunt Magi ad Christum, & regina Saba ad Solomonem.

6. Chauila; ab hoc oriundi sunt incolæ Susianes, quæ est regio Persiæ, seu potius frons in Perside; cuius mentio fit *Gen.* 2. *v.* 11. & *c.* 25. *v.* 18. *Plin. lib.* 6. *nat. hist. c.* 27. corrupto nomine Babytacen vocat. Martyr ait: *Hauila est Getulia, & altera in Arabia reperitur, quam circuit flumen è Paradiso.*

7. Sabbetha, imæ regionis in Arabia felice incola, vbi erat vrbs Sabbotha, ab eius nomine sic dicta.

8. Rahema, autor populorum in Arabia felice, ad sinum Persicum, vbi Ptolomæus Regamam ponit.

9. Sabteca, Arabiæ felicis populorum author, vbi Sachalitæ sunt sub sinu Persico.

Nimrod qualis fuerit?

10. Nimrod. Hunc nonnulli, cum primus describatur tyrannus, Ninum esse volunt: qui, referente Iustino, primus vicinis bella intulit, vt fines & deditionem regni ampliaret. Sed historia sacra, Berosus & alij non consentiunt. Quicquid huius sit, Nimrodi consilio extructa fuit turris Babel. Primum imperitauit in Mesopotamia & Chaldæa. Quatuor loca hic *v.* 10. memorantur, quæ ipsi paruerunt. 1. *Babel*: de ea vide *Genes.* 11. 2. *Erec*: Hieronymo est Edessa vetus ad Euphratem. 3. *Accad*, vrbs alias dicta Nisibis, sita in Accadene Mesopotamiæ parte, quam Geographi corrupte Acabenen vocant. 4. *Calne*, id est, Seleucia. *Amos.* 6. 2. quæ alias Ctesiphon est appellata. Hæc fuerũt oppida Nimrodo ab initio subiecta, in terra Sinear, hoc est, inferiore parte Mesopotamiæ, quæ subiacet monti Singaræ. Porro Nimrod ædificauit quatuor vrbes: quarum 1. fuit *Nineue*, metropolis Assyriæ, ad fluuium Tigrim, vt è Prophetia Ionæ constat. 2. *Rechoboth-hhirem*. Huius vrbis mentio iniicitur *Gen.* 36. 37. Alias vocatur Oroba ad Tigrim, vnde dicto loco vocatur Rechoboth fluuij. Præsenti autẽ in capite additur vocula *hhir*, id est, vrbs; ne quis nomen *Rechoboth* accipiat pro platea, quæ isto nomine significatur: 3. *Celach*, siue *Calah*, quæ regioni Calacinæ nomen dedit. 4. *Resen*, oppidum in Adiabene, forte an Bessara, quod videtur indicare situs.

11. Scheba, incola Australis regionis, auro, thure, aromatisque abundantis in Æthiopia. *Esai.* 50. 6 *Matth.* 12. 42. 1 *Reg.* 10. vbi reginæ Kandak, siue Candaces dicebantur. *Actor.* 8. 27. *Strabo & Plinius. l.* 6. *c.* 29.

12. Dedan, superioris tractus in Arabia felice incola, vt apparet tum ex mer-

ex mercibus, quarum *Ezechiel.c.27.v.15.& 38.v.13.* meminit, tum ex propinquitate Rahemæ.

13. Ludæi, Mareoticæ præfecturæ in Ægypto incolæ, orti ex Lud, cuius meminit *Esa.c.66.19.*

14. Hannamæi, fuerunt (vt perhibent Geographi) Cyrenæi, siue Pentapolitæ.

15. Lehabæi, Libyæ incolæ.

16. Naphthuchæi, Æthiopes Ægypto contermini, quorum metropolis Napatha siue Naphta.

17. Pathrusæi, posteri Pathros, cuius meminit *Esai.c.11.ver.11.* Ptolomæus Phaurusios, Plinius Pharusios vocat.

18. Casluchæi, incolæ Cassiotidis in ingressu Ægypti.

19. Pelischthæi, incolæ Palæstinæ.

20. Caphthoræi, incolæ Sethroitidos præfecturæ, oriundi à Caphthor, de quo legere est *Deut.2.23.* Nota, quod Iudæorum, & modo recensitarum gentium duntaxat nomina habemus: quia hi populi exierunt demum in Palæstinos & Cappadoces. Rabbi Salomo Iarchi, inquit hos populos in istos alios tandem conflatos esse propter vxorum connubia; vti scimus Troianos Latinos factos, Sabinos Romanos: quod ita fuisse cum probari non possit, quibus ille modus minus placuerit, alium facile fingere poterunt.

21. Tzidon, Sidonis conditor. Tyrus ad Sidoniæ regionem pertinebat.

22. Cheth, à quo Chittæi ad Orientem siti Euphratem versus. *Ios.1. vers.4.*

23 Iebusæus, conditor Iebusi, quæ postea Ierusalem dicta. *Ios.18.28.* *Iebus conditor Hierosolymorum.*

24. Emoræus, Baschanis & Gilhadis incola *Deut.2.* & alibi.

25. Girgaschæus, siue Gergesenus. Gergesenorum meminit *Matth.c. 8.21.*

26. Chiwæus, in agro Gibeonitarum habitans. *Ios.9.19.*

27. Harkæus, incola Arcæ siue Charkæ in Phœnicia ad radices Libani.

28. Sinæus, Caparorsæ incola, quam ciuitatem Ptolomæus in Idumæa, non procul à Iebuso collocat, meridiem versus.


29. Aruadæus, incolens Aradum & Antaradum.

30. Tzemaræus, incolens Tzemaraiima, *Ios.18.22.* vsque ad montem Tzemaraiimorum. *2.Chron.13.4.*

31. Chamathæus, incola regionis Chamathæ, à Libano ad Arabiam vsque porrectæ.

Posteritas Semi. 26.

Posteri Sem. Ad versum 19. huius capitis aliquid singulare notandum est. Quia enim Moses Israelitis scribebat, quibus regio Chanaan destinata erat, singulari studio describit terminos tractus, quem id temporis Chananæi occupabant. Nam Tzidon & Gaza maritimæ ciuitates angulos Occidentis designant à Septentrione ad Meridiem: Sodoma autem & Lasa siue Calirrhoe angulos Orientales vna cum reliquis tribus finitimis oppidis à Meridie ad Septentrionem: vt ex sequenti Sciagraphia colligere est.



1. Helam, à quo Helamitæ in superiore Persidis parte.
2. Aschur, Assyriis nomen dedit.
3. Arpacschad, à quo κατ᾽ ἀφαίρεσιν Chasdím, id est, Chaldæi dicti sunt.
4. Lud, à quo Lydij.
5. Aram, à quo Aramæi, id est, Syri in Mesopotamia.
6. Hutz, author populorum in Trachonitide, quam Ausanitida vocant.
7. Chul, Palmyrenen ad Euphratem vsque obtinens, vbi fuit oppidum Cholle, Ptolemæo.
8. Gether, Apamenes incola, vbi Atergatis idolum colebatur. Ab illo sunt oriundi Acarnanii vel Carii.
9. Mesch, siue Mas, incolens superiorem tractum Syriæ inter Ciliciam & Mesopotamiam, ad partem vsque Amani montis, quam Masium vocant. Hinc incolæ dicti sunt Mœones.
10. Schelach.
11. Heber. Ecce ab Arphacschad Chaldæo editus est Schelach, inde

Heberi

Heber; quo loco manifeste videmus à Chaldæis ortum habuisse populum Iudæorum. Ab hoc Hebero dicti sunt Hebræi: non (vt existimat P. Martyr) ab Abrami cognomine, qui עברי tranator vel transvectus est appellatus, eo quod vocante Domino è Mesopotamia sit egressus & flumen Euphratem transmiserit.

12. Peleg, filius Heber, q.d. diuisionem.

Eius nominis hæc fuit causa, quod eius ætate contigit confusio linguarum. Hi patres procul dubio erant Prophetæ, qui ex euentis quæ prouidebant filiorum tempore & ætate futura, filiis suis nomina indebant.

Alij posteri Semi nomina dederunt & impertiti sunt populis orientalibus, quæ nunc temporis vel deleta sunt, vel ita detorta, vt non agnoscantur. Sed pleniori commentario hoc caput illustremus.

Plenior commentarius in cap. 10. Genes.

VT neinscii, vel etiam scioli, hæc qualia qualia collectanea geographica titulo inutilitatis damnent, vno atque altero exemplo ostendam primum quid emolumenti exinde ad Theologos redundet; deinde commentari in hoc caput incipiam. Tristissima in Psalmo querela: *Hei mihi quod sum exul in Mesech, & habito in tentoriis Kedar. Molesta est habitatio animæ meæ cum his qui oderunt pacem.* Vt multæ in Psalmis querelæ, Prophetiæ sunt & picturæ vltimæ senectæ Ecclesiæ: Ita hanc ipsam querelam, non dubium est prædictionem esse de hostibus acerrimis & crudelissimis, quos habitura sit Ecclesia senescens. Duas enim gentes nominat feras & omnium truculentissimas: quæ propter crudelitatem & sæuitiam infames erant apud Iudæos. Kedar enim fuit filius Ismaelis, qui persecutus est Isaac. Ab hoc Arabes propagati sunt, vt nomine Kedar Arabia in S. literis significetur; sicut apparet ex vaticinio de pœnis Arabum. *Esa.* 21. Nomen ei inditum est à nigro colore. Sunt autem Arabes Nomades, & sine certis sedibus vagantur, sicut & Moschi, siue Moscouitæ. Quales vero mores sint Nomadum, ostendit Euripides in Cyclope, qui ita canit:

Psal. 120. *v.* 5.6.

Querela Ecclesiæ exulantis.

Genes. 15.

Kedar Arabes.

Νομάδες, ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενὸς, Nulla habita ratione honesti aut aliorum hominum, rapiuntur suis cupiditatibus, & indulgent genio suo, nec patiuntur se regi legibus aut disciplina, nec habetur apud eos turpe lædere aut iniuria afficere quemquam: imo laudem ex iniuriis, rapinis, & aliorum cæde sibi comparant. Arabes autem eiusdem furfuris fuisse, satis superque clamant historiæ. Etenim ab Arabibus orta est terribilis potentia regni Saracenici & Turcici; quod primum à Mahomete Arabe, tempore Heraclii Imperatoris, circa annum Christi 622. constitutum est, cui cum postea admixti sunt Turcæ, à regibus Persicis primo è Septentrione & Caucaso monte contra potentiā Saracenicam accersiti, historia multorum seculorum ostendit, quale illi regnum inde vsque ab anno Chri-

Regnum Saracenicum & Turcicum.

Turcarum potentia quando creuerit? sti 1051. tenuerint. Eo enim tempore Turcas, Saracenis, partim bellis intestinis, partim armis Græcorum Imperatorum attenuatis, sed retento tamen regni Saracenici neruo, Mahometica scil. impietate, potenter dominari & grassari in Asia cœpisse certum est. Quæ cum ita sint, indubie de illius regni aduersus Ecclesiam crudelitate, Dauid vaticinatur, quod ab Arabibus primitus ortum & horum latrociniis auctum est. de quo & alia sunt ὀφθαλμοφανῆ in Ezechiele, Daniele, & Apocalypsi vaticinia.

Genes. 10. Mesech. Præterea Mesech fuit filius Iapheth: à quo posteri propagati dicuntur filij Mesech. Videtur autem nomen ei inditum esse à iaculando, seu ab extendendis arcubus: vnde Scytharum nomen factum est, qui lingua *Scytharum dictio?* Saxonica sunt Schütten: vel certe futurum præuidens pater vt posteritas Mesech in longinquas, & procul extensas regiones sese dissiminaret, hoc nomen tanquam omen futuri incrementi ei indidit, quasi dicat: meus filius erit Mesech, id est, procul se & posteros suos extendet. Occupabit enim magnas & latas ditiones. Cæterum constat filios Iapheth occupasse loca minoris Asiæ, & vicinum tractum in Europa & Septentrione. Ac multi olim fuerunt ex Septentrione effusi populi. Et aliqui etiam nunc illis ipsis in locis magna imperia tenent, quorum nomina testantur à po- *Cimmerii.* steris Iapheti eos oriundos esse. Sic à Gomer Cimmerios esse, à Thiras *Riphæi.* Thraces, à Riphat Riphæos, ab Ascenas Tuiscones, nominum similitu- *Teutones.* do coarguit. Itaque cum hodie reliqua sit in septentrione, potens & terribilis gens Moschica, cuius non solum appellatio vsitata cum nomine Hebraico Mesech prorsus congruit: sed vetus etiam μοσχῶν & μοσσυνοικῶν, quæ in Argonautico carmine Apollonij *libro secundo* recitatur feritas *Moschi.* & immanitas, valde verisimile est, Moschas esse reliquias posterorum Mesech. Moueor autem cum præsentium temporum, tum aliquot re- *Moschicorum latronum immanitas.* tro seculorum bellis horribilibus, quibus barbara illa latronum Moschicorum multitudo Ecclesiam Christi afflixit, ac præsertim infantulorum, puellarum, matronarum & senum magna agmina crudeliter trucidauit: vt prorsus in hanc sententiam adducar, hanc in Psalmo querelam vaticinium esse, recitans vltimi temporis historiam. Nam si quod vnquam fuit tempus, de quo querela hæc vere dici potuit, profecto de nostri seculi Ecclesia dicitur verissime. Prorsus enim iam quasi in medio horum imperiorum collocata ab vtroque premitur, ac tantum non opprimitur. Quid enim? Annon Turcæ ab Oriente Hungariam, Moscouitæ à Septentrione Liuoniam & Poloniam horribiliter affligunt. Ac quo minus de hac sententia dubitem etiam vaticiniis moueor, quæ in libris Eze- *Gog & Magog.* chielis & Apocalypseos extant de Gog & Magog, & de principe terræ Mesech & Tubal, quos prodituros ab Aquilone Ezechiel dicit ad opprimendos montes Israel. Hic per Magog intelliguntur & Turcæ & Moscouitæ. Etenim Turcæ tanta celeritate ex angulo illo Aquilonari à Cau-

caso monte progressi, maximam orbis habitari partem in *Africa*, *Asia* & *Europa* occuparunt, & horrendis bellis Ecclesiam & nomen Christi ex professo oppugnarunt iam olim, & adhuc dum eheu oppugnant. Moscouitæ autem, qui nunc primam & patriam Turcarum sedem possident, etiam à Propheta hic perstringuntur. Nam à Litvania, & huic vicina Russia, in quo regno metropolis & regia Tyranni siue Magni Ducis Moschia est, nomen faciens genti & regioni Moscouiæ, potentiam Moschiam vsque ad maris & montis Caspii iuga versus Orientem, & extremam Scythiam, quæ prima Turcarum sedes fuit, extendi certissimum est.

Metropolis Moscouiæ.

Congruit & vetus appellatio, quæ in *Apollonio* est, cum Hebraica Magog. Nam Mossynecos dictos esse affirmat *Apollonius* à μοσσυνοῖς, h. e. casis seu tuguriis ligneis, quæ in plaustris ædium loco, gens illa Scythica circumuexit, iisque nunc quoque vti dicitur. Et Hebræis Magog (vt Georgius Maior scribit) gentem significat oriundam à Gog, hoc est, tuguriolo tali circumuectam, seu sparsim & sine cœtu, legibus & disciplina consociato, viuentem & hinc inde vagantem. Congruunt denique mores fœdissimæ gentis, quos idem *Apollonius* commemorat, inquiens, tantam fœditatem esse, vt libidines in publico sine pudore exerceat. Nam hæc verba eius sunt: Οὐδ' εὐνῆς αἰδὼς ἐπιδήμιος, ἀλλὰ σύες ὥς, φορβάδες οὐδ' ἠβαιὸν ἀτυζόμενοι παρεόντας μίσγονται χαμάδις ζωνῇ φιλότητι γυναικῶν. Hæc de Moscouitis nunc quoque vera esse, innumerabilium hominum gemitus testantur, qui ab his oppressi sunt.

Quomodo Gog & Magog in Apocalypsi accipiantur, vide infra.

Fœditas Moscouitarum.

Ex his omnibus liquido liquet, quam vtilis quam necessaria sit opera, quæ in hoc studio ponitur. Iccirco accingamur ad vberiorem sacræ Chorographiæ pertractationem.

Capita familiarum Noe sunt firmamenta sacrarum historiarum, per vniuersum Scripturæ corpus. Ea *Moses* & *Ezras* ita describunt accurate, vt notent, quomodo similes figura literæ, variis nominibus occasionem dederint, & ex vnico duo facta sint: vt *Rhodanim* ex *Dodanim*. Prophetæ quoque alii, aliquot ex singulis familiis afferunt, & sic eas inter se coniungunt, vt ex illustrioribus obscuræ cognosci possint. *Ezechiel* vigesimo septimo, vbi de negotiatione variarum nationum cum Tyro non exiguum earum adducit numerum. Adeo, vt ibi ex signis non ambiguis, sedes, quibus cõsederunt, facile quis dignoscat. *Esaias*, *Ieremias*, *Daniel*, *Naum*, *Habbacuc*, *Sophonias*, & *D. Lucas*, alias habent. Ipsi quoque Ethnici clare ostendunt, Deum; nullis ἀμάρτυρον, calamorum suorum fuisse ductorem, quatenus gentes iisdem ferme nominarunt nominibus sedibusque locarunt, quibus à Mose & vocatæ, & collocatæ sunt. Quod vt fiat manifestius, in medium dabo nomina Hebræa familiarum Noe: quę punctis vocalibus destituta, varie possunt enuntiari, prout etiam vulgus ostendit Interpre-

Hugo Broughtonus in concentu S. Scripturæ.

terpretum. Adiiciam alia, quæ apud authores extant ethnicos, ad ea maxime accommodata. Vbi videbit linguarum peritus, quomodo Antiqui, vocales & consonantes commutare consueuerint. Qua in re Pythagoras summam sapientiam sitam existimabat, si nimirum infinitos vocis sonos pauculæ literarum notæ terminarent. Et Plato in Cratylo ab hac scientia maximam suam laudem nactus est. Expendamus ergo vela ζω̃ θεῶ, & sequamur viros omni exceptione maiores: *D. Eucharium Episcopum Lugdunensem: Iosephum: Ioan. Bodinum cap. 9. de meth. hist. Guilielmum Postellum: Benedictum Ariam Montanum: Philip. Melanth. in Chronico: Peucerum, Matthæum Beroaldum in Chronico: Hugonem Brougthonum: Fr. Iunium: Ioan. Heiden: Matthiam Flaccium Illyricum*: & denique *Iosephum Scaligerum*,

——— Πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων.

Cui addo illustrem *Philippum Mornaiium de verit. relig. Christ. cap. 8.*

Noacho fuere tres filij, Sem, Cham, Iapheth. Ab his vero tribus Noe Liberis, tres orbis partes post diluuium & confusionem linguarum fuerunt occupatæ: à Semo quidem Asia, à Chamo vero Africa, à Iaphetho Europæ pars cum Asia minore, vt *Postellus* & *Beroaldus* recte docent. Nec enim est quod moueamur authoritate vel *Iosephi*, qui *libro. 1. antiquitatum Iudaicarum* hanc trium orbis partium diuisionem aliter proponit, vel ipsius etiam *Epiphanii*, qui *tomo 2. l. 2. contra hæreses* & in Ancorato aliam distributionem adfert.

Iapetionidæ.

Iapheth. à Iaphetho Europæi propagati creduntur.

IAPHETH habitauit orbis partes literis vel fabulis Græcorum celebratas, nempe ab Assyriis & Medis totam Asiam minorem & notiorem ad Tanain vsque & insulas maris mediterranei, atque Europæ partes. Hunc Iaphetum profanæ historiæ & mythhistoriæ vocant, Attalum, item Iapetum: sed illum Cœlo & Terra natum volunt, additis aliis ex officina Satanæ petitis mendaciis, quæ in sua Theogonia persequitur Hesiodus. Horatius, de Prometheo (quem fecerunt Iapeti filium) agens, inquit:

——— *Audax Iapeti genus*
Ignem fraude male gentibus intulit.

Id quod Flaccus ab Homero & Æschylo sumsit: nec non ex Hesiodi ἔργοις καὶ ἡμέραις, vbi meminit Ἰαπετιονίδȣ. Quem locum *Ouidius* in sua *metamorphosi* expressit. *l. 1 fab. 2.* cui non absimile est, quod habet *Virgil. lib. 6. Æneid.* Antiquitas hunc Iapetum vt virum sanctum, non in mortalium, sed cœlestium numero habuit: eiusque liberos, quos poetæ Titanas vocant, antiquiores genere humano celebrauit, vt *Sabinus* ait. Sed Natalis Comes l. 4. Mythol. c. 6. inquit: *Fuit autem Iapetus vnus è Titanibus, qui aduersus Iouem arma sumserunt, qui ante bellum Giganteum filiam habuit* Anchialen, *à qua nominata est vrbs Cilicia: de quo ita Virg. in primo Georg.*

Γιγαντομαχία. Iapetus Gigas.

——tum

——tum partu terram fundo

Cœumque Iapetumque creat, sæuumque Typhœa.

Alius Titanum & Iapetum aliquando communi consilio cum Saturno regnasse scribit, quod patet ex his versibus:

Καὶ βασίλευσε Κρόνος, καὶ Τιτὰν Ἰαπετός τε.

Γαίης τέκνα φέρτατα καὶ οὐρανοῦ ἐξεκάλεσαν. Nat. Com. l. 2. mythol. cap. 2.

Regnauit Titan, Saturnusque Iapetusque:

Optima quæ cœli dixere & pignora terræ.

Ecce quam πολυειδές, quam πολυποίκιλον est mendacium. Vt enim verum vero consonat: ita falsum & à vero & à falso dissonat. Satan enim res veras, aspersione mendaciorum solet obscurare, & paulatim supprimere. Sicut autem familiam & originem Iapeti obscurauit, ita & nomen deprauare conatus est. Nam mirum quam Græci se frustra torserint in huius vocis etymologia. Alius παρὰ τὸ ἰάπτειν, id est, *lædere*: alius παρὰ τὸ ἰᾶσθαι, *mederi*: nonnulli παρὰ τὸ ἰέσθαι καὶ πέτεσθαι, *à motu scilicet & volatu* duci voluerunt; vt annotarunt *Ioan. Bodinus* meth. histor. c. 8. & *Natal. Com.* l. 4. Mythol. c. 6. cum Hebraice dilatationem significet. Ita Iudæos Tacitus quasi Idæos, à Creta oriundos facit, vbi mons est Ida. Hinc illos in Mauritaniam, postremo in Palæstinam circumagit: cum tamen ea voce Hebræis laudatores appellentur. Consimili errore Strabo & Liuius Germanos quasi fratres Gallorum dici putant, quæ vox, vt Alemannus quoque, totum hominem, siue strenuum patria lingua significat, vt docuit *Altamerus*. Eodem errore Ion, vel vt Homerus, *Iaon* à flore Græci deriuarunt: quod Hebraice defraudatorem significat. Ab hoc Iones in Asia & Græcia propagati sunt.

Etymologia inepta.

Garmann. Allmann.

Iaphethi vero genus ita Scriptura nobis proponit: *Filii Iapheth, Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Thubal, & Mesech, & Thiras.* Hic obserua, quod marginalia Græca huic capiti adiecta sint nomina apud ethnicos scriptores occurrentia, quæ affinitatem habent cum Hebræis.

1. GOMER, siue Gamer, apud LXX. Ab hoc orti sunt Καμαεῖται, siue Κιμμέριοι apud *Dionys. Geograph.* Melanchth. & Peucerus sic hac de re scribunt: *Gomer, id est finiens. Ab hoc orti sunt Cimmerii, qui postea Cimbri dicti sunt. Nam Ezechiel. cap. 38. expresse inquit:* Gomer & Togorma latera esse Aquilonis. *Fuisse autem Cimmerios vltra Thraciam, circa Mœotidem paludem, appellatio Cimmerii Bosphori, & oppidi Cimmarii testatur. Nec longa via est à Bosphoro Cimmero per vicinam Russiam, Litvaniam, Liuoniam & Borussiam ad Cimbricam Chersonesum, vbi in hoc littore postea late regnarunt. Inde & Sicambri dicti sunt.* Hactenus vir ille paruus artubus, sed magnus artibus. *Eucherius Episcopus Lugdunensis* libro de form. spir. Intellig. cap. 3. de Gentibus hæc habet: *Gomer, in Genesi, Galatæ, id est Galli; qui à candore corporis primum Galatæ appellati sunt, è quibus populi quondam in Orientis longinqua migrantes, primum Gallo Græci, nunc*

Καμαεῖται. l. 1. Chronici.

γάλα, lac.

ci, nunc antiquo Gallorum nomine Galatæ vocantur. Iosephus. huius sententiæ autor est, qui ait olim Galatas dictos fuisse Gomeritas à Gomero.

Verum Græcis Galatæ sunt Galli, à quibus profecti ii, qui Delphos spoliarunt, & postea in Asia proxime Troadem consederunt. Et hi dicti sunt Gallogræci & Galatæ Asiani : qui Phrygiæ partem maiorem occuparunt, vt docent Geographi. *Berosus* mythhistoricus falso docet, Gomerum Italos de suo nomine dixisse Gomeritas, deductis in Italiam coloniis.

In fragmentis.

l. 4 Chro. cap. 6.

Quam vero sibi male consentiant ista, nihil est necesse prosequi. *Beroaldus* certo affirmat, Gomeritas esse populos Asiaticos, qui respectu Iudææ spectent ad Aquilonem. *Postellus* ait: *Gomari sunt populi ad Assyrios & Medos pertinentes. Pomponius Mela illorum meminit. Ptolomæus vrbem Gomaram ad Assyrios pertinere dicit.* Nos, secuti *Iunium*, asserimus, Iapetionidas Borealem tractum plurimũ obtinuisse supra Babyloniam, Syriam, & mare mediterraneum. Et Gomer quidem Septentrionalem tractum obtinuit præ fratribus suis, occidentem versus, vt tum ex liberorum sedibus cognoscitur. *Genes.* 10. *vers.* 3. & paulo ante laudato loco *Ezechielis* 38. 6. tum ex Cimmeriorum appellatione, à quibus interiorem Asiæ partem postea obsessam fuisse narrat Herodotus: id est, vt Iosephus tradit, Galatiam; quum à suo solo Scytharum interuentu pulsi profugissent. Hinc *Cimmerii montes* supra Albaniam, & in Phrygia oppidum *Cimmeris*, & *Cimmerius Bosporus*, & in vltimo eius ostio *Cimmerium oppidum*, quod antea Cerberion fuisse vocatum dicit *Plinius lib. 6. natur. histor. cap. 6.* Etiamsi Francisco Iunio videtur in eo loco deceptus Plinius vocis homonymia. Nam duplex fuit Cimmerium: vnum Tauricæ Chersonesi, trans fretum, in ipso ore Bosphori, vt loquitur *Pomponius Mela lib. 1. Geograph. cap. 21.* alterum iuxta lacum Auernum quondam in Campaniæ agro, cuius meminit idem Plinius lib. 3. c. 6. Cerberion aũt non illud Tauricæ fuit appellatũ, sed hoc Campaniense propter insalubritatem loci, quam efficiebat Auernus grauissimo odore aquæ sulphuriæ, donec Octauius Augustus cædi opacam syluam, & mare in Lucrinũ & Auernum lacum immitti iussit; quo facto salubriores effectæ sunt, vt *Suetonius* & *Seruius* annotarunt. Qui autem Cimmerii ante vocabantur, iidem Cimbri degenerante nomine fuerunt appellati. Ad extremum hic notetur error *Hierosolymitani*, qui Gomero Africam tribuit: quo autore, aut qua ratione, nullus video.

Plinius castigatus à Fr. Iunio.

Laudabile factum Augusti.

2. MAGOG, Scytharum, siue Sarmatarum autor, quos antea Magogas scribit Iosephus nominatos esse, vt Ezech. 38. 2. & 39. 6 Plinio, Ptolomæo, Pomponio, & Straboni dicuntur Massagetæ, & Getæ κατ' ἀφαίρεσιν. Apud Arab. Geograph. inuenias *Iagog & Magog, Gyges, Gogarene,*

Gygæa palus, montesque *Gygæi* nota sunt. *Magog* vrbs est, quæ Plinio *Hierapolis*, insignis superstitione Decertoa, vt autor est *Lucianus*. Est etiam altera *Magog* apud Geographum Arabem, non procul à monte Caucaso. Sed priorem illam vrbem Magogā posteris γνησίοις τ̃ Magog esse conditam, simillimum est vero. Nam ab eo tempore, quo Asiam populati sunt & obtinuerunt Scythæ, non solum Scythopolis in Cœle Syria, sed etiam Hierapolis (quam alii Callinicem, alii Bambyca dixerunt) à Syris fuit appellata Magog, teste Plinio l. 5. natur. hist. cap. 23. vbi prodigiosa *Adargate*, Græcis autem *Darceto* dicta colebatur. Sic enim restituendus locus. Huic Hierosolymitanus sedem Germaniæ perperam assignat. *Postellus* de Magog ita sentit: *A Magog Magogæ, seu Massagetæ, vel Magagetæ Scythæ vocati sunt. Scythæ Græcis dicti sunt à* ζκύτῳ, *id est, corio, τ mutato in θ, quod crebro pellibus pro vestimentis vterentur*. Magog autē Hebræis est vox coniuncta, ex *Min*, id est *de*, & *Gog*, hoc est, tectum. Quare Scythicam gentem hoc nomine exprimi, id est, Turcicam, intelligimus; quia ea olim in plaustris circumferebat *Goggoth*, id est, tecta siue tuguria, vt subinde alia loca facilius occupare posset. Falsi ergo sunt Philologi non-Chorographi & Chorographi non-Philologi, qui τὸν Magog fecere authorem Gothorum. Falsus etiam est *Beroaldus*, qui ait: *Non sunt igitur Magogi, Scythæ, sed populi Cœlesyriæ perpetui & capitales Dei populi hostes*. Hui doctissimi *Beroalde*! Annon Scythæ sunt illi capitales Dei hostes? Annon & illi Cœlesyriam habitarunt? Vtique. Nam ex aliis in alia loca duxerunt colonias. Cæterum *Bibliander* vna cum paucis statuit apud Ezechielem per Gog & Magog intelligi reges Ægyptios, Syros, & Macedonas, præsertim Antiochum Epiphanem, qui postea Epimanes dictus, & Antiochi cognatos, qui in carminibus Sibyllarum diserte vocantur Gog & Magog, quique Israelitas è Babylone iam reduces afflixerunt multifariam. Plura de Gog & Magog vide apud *Ludouicum Lauaterum* in *Ezech*. 38. Mysticum sensum horum vocabulorum in Apocalypseos 20. *cap*. eruit literatissimorum Regum potentissimus, & Potentissimorum literatissimus Rex magnæ Britanniæ IACOBVS in *Exegesi, c*. 20. *Apoc*. *Bellarminus* in loco de Antichristo existimat, per *Gog* significari Antichristum, & per *Magog* exercitum eius. *Gog* ergo ex illius mente est princeps gentis, quæ dicitur *Magog*. Porro, eodem teste, exercitus Antichristi vocatur Magog, à gente Scythica, non quod constet ex Scythis; sed quia magna pars Antichristi constabit è barbaris à Scythia oriundis, vt Turcis, Tartaris, & cæteris, vel quia erit exercitus immanis & crudelis valde. Quos enim sæuos dicere volumus, Scythas appellamus.

3. MADAI, tertius Iaphethi filius, Medorum pater: quorum fuit, Μῆδος. quemadmodum & Assyriorum, amplum in Asia maiore imperium. Ii enim euerterunt aureum Babyloniorum imperium, non autem Persæ, *Argumento loci Iere. qui 51. v. 11.*

qui tum temporis aut fœderati aut subditi Medorum fuerunt. Persæ autem Medis in Imperio successerunt. Quam sint autem inepti, qui Medorum gentem à Medo filio Medeæ dictam produnt nihil attinet hoc loco commemorare. *Madai* significat modium, siue mensuram. Græcos videas vti hisce vocibus: Μῆδος μήδεις μηδία. Quam clara fuerit gens Medorum, docet Herodotus, plenius Daniel.

Ἰάων. 4. IAVAN. Ἰάων, Aesch. Ἰάωνπολ. Dion *Iauan*, vel *Iaon*, *defraudator*. Ab hoc certissimum est, gentem Ionicam esse ortam. Nam nomine *Iauan*, vt Postellus obseruauit, vniuersos Græcos omnes Orientalium linguæ pariter vt Hebræa nuncupant. Et Daniel euersorem regni Persici nominat regem Iauan, id est, regem Ionum, siue Græcorum. Iauan ergo fuisse authorem Græcorum probatur ex Scripturæ locis. *Dan. 8. 21. & Ioel. 3. 6.* et liberrerum sede *Gen. 10. v. 4.* & veterum consensione, *Iosephi lib. 1. Antiquit. Iudaicarum. Ephiphanii contra Sethianos, & aliorum.* Atque hac eadem ratione ductus Hierosolymitanus exponit Macedonas, penes quos Græciæ principatus fuit. LXXII. Interpretes vocem Hebraicam Iauan varie detorserunt, in Ἰαουαν, Ιωῦναν, Ιαυάν. Ab his Ionibus Athenienses originem ducunt, etsi volunt se esse autochthonas & aborigines: qui postea dicti sint ab Ione Xuthi filio Iones, atque Ionibus in Asia minore nomen dederint. Verum res ita se habet: Cum Athenienses multitudine abundarent, veterem patriam Ioniam bellis attritam repetierunt, missis colonis in Asiam. Ab Ionibus dictum est mare Ionium.

Τιβαρηνοί. 5. THVBAL, *germen.* Thubal interpretatur Iosephus Hispanos, & nominat Iberos: qui Græcis dicuntur Τιβαρηνοί. Legitur & apud

Θαλβυς. Græcos Θαλβὶς: & propter literarum *Thau* & *Cheth* similitudinem, χάλυ-

Χάλυβες. βες dicuntur. Fuere namque initio Iberi & Chalybes in Asia vicini, inter Pontum Euxinum & mare Caspium, metallicis venis clarissimi. Nomen autem *Chalybes* factum est è vetustiore *Alybes*, quod congruit cum nomine

l. 2. Chron. *Iobel*, exigua literarum metathesi. Ac significat (loquor cum Melanch.) *Iobel* res natas in terra, ein Gewächs vnter der Erden. Inde Ialibes, die dasselbige gesucht haben: sicut nos dicimus. Die Bergleute. Hinc nomen vrbis fuit *Alybe*, quam sic nominat Homerus:

Τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθι ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη.

Beroaldus mordicus defendit hanc sententiam, Thubal Asiaticum esse populum, non autem Europæum, videl. Hispanum vel Italum, vt hactenus male creditum esse quiritatur. *Epiphanius*, Thubalem Thessalorum authorem facit; quo argumento fretus me latet. Nos sequimur Iosephum, qui testis est Iberos olim Thobelos esse dictos, Iberiæ puta & Albaniæ incolas, vbi Thabilaca oppidum à Ptolomæo recensetur. Sunt ergo Iberi & Albani à Thubale. Chalybes quoque è Thubal ortos esse opinor. Apollonius scribit Argonautas ad Chalybes in Asia venisse, de quibus inquit:

Hæ

Hæc gens tellurem rigidam non vertit aratro,
Sed ferri venas scindit sub montibus altis,
Mercibus hæc mutat, quæ vitæ alimenta ministrant.

Scribit autem *Iustinus lib. vlt.* Chalybes in Hispaniam venisse. Et credibile est, illius gentis homines quæsiuisse venas metallicas etiam in aliis terris. A Chalybibus dictus est Chalybs, de quo Virgil.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,
At Chalybes nudi ferrum——

6. Meschec, *extendens*: videlicet ab extendendis arcubus seu iaculando videtur nomen factum esse. Aut certe significat longinquos & procul extensos, die da weit ligen. Septuaginta reddiderunt μοσὸχ. Apud historicos inuenias μόσχος, & μάζακα. *Fr. Iunius* à Mescheco deducit Cappadoces, quos olim Meschinos vocatos fuisse *Iosephus* ait, signumque priscæ illius appellationis apud hos extare Mazacam vrbem, quam Tiberius Cæsar, Cappadocia redacta in formam prouinciæ, vocauit Cæsaream, vbi floruit Basilius Magnus. Etsi haud scio, an etiam Mazaces cum his intelligendi sint, populi Sarmatiæ Asiaticæ, quorum meminit *Plinius lib. 6. natural. hist. cap. 7.* Superiores Albanis, iaculandi peritia commendatissimi: sed ea tamen lege, vt à Mazacibus Africanis siue (vt Ammianus vocat) Mazicibus distinguantur. His enim fuit nomen inditum ab adducendo arcu Hebraica origine, id est, à verbo *Maschac*, tetendit: non ab hoc proprio nomine Meschec. Iunguntur autem fere in Scripturis Thubalis & Meschecí nomina, vt *Ezechiel. 27. 13. & 32. 25. & 38. 3. & 39. 1.* Atque hinc Mossyni *Plinio lib. 6 natur. hist. cap. 4. quos Epiphanius Massynecos, & Mela libro 1. Geograph. cap. 21.* & Moschicus mons in Armenia Cappadociam versus. *Melanchthon & Peucerus* existimant cum nomine *Meschec* congruere appellationem, quæ adhuc manet, Moschouiæ, quæ est à veteribus appellationibus, quæ extant, Μοσχικοὶ & Μοσσυνοικοὶ, id est, *Moschici & Mossynæci*, in Argonautico carmine. Et scribit poeta dictos esse à casis ligneis, quarum nomen fuit Μόσσυνοι apud ipsos. Ea gens, vt pleræque aliæ, de sententia Philippi, cum primum in littore Ponti Euxini sedes teneret ad fluuium Thermodontem, vbi postea Cappodoces fuerunt, deinde versus Septẽtrionem progressa est. His refragatur Beroaldus, qui contendit, *Mesech* Syriæ & Arabiæ vicinum esse populum. Nostram sententiam supra explicauimus.

Μόσχος. Μάζακα.

l. 1. Chron.

7. THIRAS, id est, destructor. Græce Θρᾷξ, Τρῶς, Τρῆρες. *Strab.* Hic consensione omnium author est Thracum accolentium Pontum Euxinum atque Propontidem, quem Thraces Odrysum nominantes pro Deo habuerunt. *Hierosolymitanus* Turcos interpretatur. *Rab Salomo Iarchi* exponit Paras, id est, Persam, ridicule. *Vtrum igitur Thiras genuerit Thraces, (ait Beroaldus) sicuti censet Iosephus, affirmare non ausim: & de rebus incer-*

Θρᾷξ. Τρῶς.

incertis suum suspendere iudicium, quam temere quicquam pronunciare, præstiterit. Sed Beroaldus est nimium religiosus. *Melanth.* ait: Cum nomen sit fluuii in Russia, Tiras, quem hodie nominant Nistrum, consentaneum est, ab hac appellatione filii Iapheth & fluuium & gentem nuncupatam esse. Idem annotat, mirum esse, quod fluuiorum appellationes sint durabiliores, quam terrarũ & montium: cum tamen fluuii moueantur, ac sæpenumero alueos suos mutent, contra vero montes stent immoti.

Ἄξενος πόντος. 8. ASCHENAZ, vel Ascenas, siue Axenas. Hinc Ἄξενος πόντος, inhospitus primo, postea dictus Εὔξεινος, Euxinus. Itẽ Ἀσκάνιος πόταμος: & reges Ascanii circa Pontum. Sic *Ierem.* 51. *v.* 37. Hic Aschenaz *Iunio* est Author siue pater incolentium Asiam, Pontum, & Bithyniam, vbi diximus esse lacum & fluuium Ascanium, & frequentatum nomen Ascanii. Hinc Ascaniæ, Ægæi maris insulæ, & Ascania Phrygiæ locus emporio celebris, apud *Plinium lib.* 5. *natur. hist. cap.* 32. Hierosolymitanus exponit Asiam, recte sententia Iunii, ex *Iere.* 51. *Iosephus* Ascenaz dicit esse parentem Aschanazæorum, quos ait à Græcis appellari Rheginos. A Iosepho dissentit Eusebius, qui Aschanazæos, ait esse gentes Gothicas. Communis

Elias in Thisbite. Ebræorum sententia est, ab Ascane hoc oriundos esse Tuisconas, exigua mutatione literarum, præposito articulo die Ascanes; Inde, Tuiscones, Teutones, Teutschen: vt *Melanch. lib.* 1. *Chron. & Mornaiius de verit. relig. Christ. cap.* 8. obseruarunt. Sed *Beroaldus*, quem sequutus *Brougthonus*, vt & *Iunius*, ait, eos omnes in errore versari, qui Aschenazum faciunt parentem Germanorum. Rationem petit è *Ier.* 51. *v.* 27. vbi memoratur *Aschenaz* cum aliis populis ad Medorum regna pertinentibus

Aschenazai sunt populi in Medorum regnis. Melanchthon ait, etymologiam nominis *Ascanes* significare, eum ante celluisse authoritate propter doctrinam & virtutem, cum præesset regioni Quia Ascanes est sacerdos, aut custos ignis, *Esch Cohen.* Fuit autem vetustissima superstitio apud ignẽ ex sacrificiis seruatum dicere preces. Sed *Bodinus* non probat hanc etymologiam. Non enim patitur Hebraica lingua, vt radicalis elidatur, &

Cap. 9. *de meth. hist.* *Thau* quiescat in *Cohen.* Verius est, habitatores dispersos, à *sacan* & *naza* significari. Hinc enim Ascania regio Asiæ minoris & Sicania. Verum enim vero quid tandem statuendum de posteris Aschenaz? Dicam summatim quid mihi videatur. Terram Ascaniam fuisse supra Phrygiam, in Bithynia versus Cimmerium Bosphorum negari non potest. Certum quoque est, eadem in regione fuisse paludem Ascaniam, quæ diu nomen retinuit etiam Romanis temporibus. Denique ex hoc certo est certius, Ascanium fuisse ductorem exercitus inter auxilia Troiar o um, vt liquido liquet ex Homer. Iliados β. Φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε, καὶ Ἀσκάνιος θεοειδής, τῆλ' ἐξ Ἀσκανίης —— hoc est,

Phrygas ducebat Phorcys, & Ascanius Deo similis. procul ex Ascania. His ita positis, probabiliter inferimus, posteros Ascanis fuisse primitus Asiaticos, de

de quibus modo diximus, eosque deinde in alia loca migrasse, vt progressi sunt Cimbri, & ex locis vicinis Bithyniæ Caucones, & Caici & Heneti. Hasce magnarum gentium migrationes vsitatas fuisse nihil dubium est. Sæpe etiam diuersæ gentes coniunctæ sunt, & sedes in vicinis ceperunt, vt manifestum est, Teutonicæ genti permixtam esse Henetam, & inde vsq; à Carpatho ad Albim sedes promiscuas habuisse.

8. Riphath, nomen dedit Riphæis, qui postea Paphlagones sunt dicti. *Mela* dicti sunt Riphaces, siue Riphates. In Iosepho occurrit Ριφαθαῖοι. Notissima quoq; est appellatio montiū Riphæorum, quos Melanchthon in illa Septentrionis parte collocat, in qua fuerunt Sarmatæ, & inter Sarmatas Heneti, sicut *Ptolomæus* inquit: *Sarmatarum gentem maximam Henetos esse*. Illos aūt Henetos nominant, illos, inq̃ omnes, vbicunq; etiam consederint, qui lingua Polonica vtuntur, ēcli dialectis differunt. Riphæi seu Paphlagones alias dicti sunt *Arimphai*, per epenthesin literæ *m* εὐφωνίας ἕνεκα. *Plin. l. 6. nat. hist. c. 7. Solius c. 27.* Itemq; Amazones degenerante vocabulo dictę fuerunt Æorpatæ apud Herodotū in Melpomene, ex Scytharū gentibus. Caspias gentes Epiphanius: Hierosolymitanus Paraphrastes *Barcaos*, siue (vt interpretantur alii) Phrygios, seu Phrygas huic assignauit. Nos philosophabimur cū Melanchthone & Postello hunc in modū. Iosephus scribit à Riphat oriundos esse Paphlagonas. Eo autem in loco, quē tenuerunt Paphlagones, fuisse Henetos, ex Homero & Argonautico carmine apparet. Sic enim canit Apollonius: Παφλαγόνων τοῖσιν δ' Ἐνετήιος ἐμβασίλευσε. Itaque Riphæi sunt Heneti & Sarmatæ, qui alias dicuntur Assarmantæ ab Hebręis, vt refert Postellus. Nam Heneti progressi in littore maris Euxini, compleuerunt magnam partem lateris Arctoi in Europa, & adhuc tenent eas regiones, quę nunc nominantur Russia, Lituania, Polonia. Et lingua & nomen Venetæ ditionis arguunt, Henetos in Illyricum & vicinas regiones progressos esse, siue ab Antenore eo ducti sunt ex Asia, siue, cum iam in Europa essent, paulatim aliis occasionibus ad meridiem processerunt in terras mitiores, minus frigidas, & frugum & vini feraces. Inde effusi sunt in has regiones, inter Vistulam & Albim, & occuparunt Bohemiam, in qua antea fuerunt Hermundari & Boii, & compleuerunt littus Balthicum, vnde nomen est in Prussia sinus Venedici. Cum igitur magnam Europæ partem tenuerint Heneti, & adhuc teneant, & magna regna constituerint, consilio & virtute eos antecelluisse non dubium est.

Heneti Hebræis dicuntur vagabundi, vt Græci dixerunt Νομάδες, id est, subinde alia loca & pascua quęrentes.

Sarmata contractum ex *Sarromata*, q. d. Dux altitudinis. Quod intelligendum est de regione ardua, quia assurgit terra versus septentrionem, q. d. ducem superioris regionis. Ex nomine Sarmata dubio procul fa- שר רום

ctum est nomen Sorabi, paucis literis mutatis, quæ appellatio adhuc est magnæ regionis in Illyrico *Seruia*. Et in historia Caroli Magni legitur ad Salam ab eodem domitos esse Sorabos: vbi adhuc sunt nomina Sorben & Sorbek.

Iosephi sententia.

10. Thogarma, LXX. *Thorgama*. Hunc perhibent Tigranæis, qui postea Phryges sunt dicti, originem dedisse. Alii volunt Togormæos esse Turcas: vnde Iudæi Turcarum Imperatorem nominant Togar. Aliis Togorma dicitur Germania, quod Ezechielis 27.14. Chaldæus paraphrastes pro hac voce dixerit, *Medinath Garmamaiia*, id est, regionem Germaniam. Targum Hierosolymitanum *Gen*.10. pro Togorma dixit Barbariam. Sic in re non explorata sibi quisque indulsit. Iunius hunc Thogarma statuit parentem populorum *Armeniæ* minoris, quorum reges Tygranes corrupta voce, vt & Brougthonus obseruauit, & oppida Tygranokartæ vocata sunt *Ezech*.27.13. & 38.6. His apud Plin. proximi sunt Turcæ: qui Ἰύρκαι in Herod. Τρωγμοὶ Ptol. quamuis alii Turcas deducant à Tharsis. *Beroaldus* ex *Ezech*.27.v.14. probat, Togormæos fuisse populos *Asiaticos*, qui Syriæ & *Asiæ* Regib. paruerint. Nam *Ezech*.38.v.6. domus Togorma recensentur inter eos populos, quos secum trahit ad bellum Israelitis inferendum Gogus, Imperator Syriacarum gentium. Confer *Ezech*.27.v.14. Si quid hic valere possunt coiecturæ, quia *Mancipiis locuples eget æris Cappadocum rex*, dicere possumus, Togormæos esse Cappadoces, qui mancipia bello valida & apta producebant, in Tyrorum mercatu. Huc accedit, quod mulos plurimos Togormæi adducerent ad mercatum. Habet autem Cappadocia mulas, quæ pariunt, vt *Theophrastus* tradit: quoniam ibi est animal sui generis, sicuti annotat *Plin.lib*.8.c.44. Hæc Beroaldus, probabilitate quadam ductus.

Τιγρανες, reges Armeniæ.

Hellas.

11. Elischa, secundum Iunium, est Ælisæorum, id est, Æolum purpura celebratorum autor. *Ezech*.27.7. Hierosolymitanum Targum Hellados, id est, Græciæ parentem putat. *Melanchthon* ab *Elisa* deducit Æoles in minore Asia. *Beroaldus* diuinat, Græcos forsan dixisse campos Elisęos ab Elisa. Campos enim Elisæos intelligi volunt poetæ fortunatorum nemorum insulas & beatorum domicilia, remota à nostro orbe. Hæc autem beatorum domicilia esse finxerunt in nouo orbe; quē quibusdam veterum innotuisse crediderim. Sed hæc vt volet, quisq; accipiat. *Brougthon*. ab *Elisha* deducit Αἰολεῖς, & Ἑλλάδα. Nam Ἕλληνες facillime ab Elisha deduci possunt.

Αἰολεῖς.

12. Tarschisch, nomē dedit Tharsensibus, hoc est, Cilicibus, qui Tharsum Ciliciæ præcipuam vrbem colunt. *Psal*.72.10. Tharsis ergo Ciliciam designat, ad quam Ionas Propheta properabat, de legatū sibi à Deo munus defugiens. *Ionæ* 1.3. Septuaginta pro Tharsis Hebraico vocabulo, interdum dixerunt Carthaginem. Confer *Es*.23.v.1. & *Ezech*.38.v.13. Chaldæus autē *Ier*.10. pro Tharsis dixit Africā. Melanchthon ait, quod à Thar-

Ταρσος: ad mare.

sis

ſit condita Tharſus, quæ fuit metropolis Cilicum. Hic aliquid ſingulare notandum. Iſraelitæ, qui nullum aliud mare ab illo Tharſenſi, ſiue quo petebatur Tharſis, nouerant, omnia maria vocabant Tharſis: more Ponticorum populorum, qui quod nullum præter ſuum mare crederent, aut id exiſtimarent cæteris præſtare, Pontum vocauerunt ſuum mare per ſynecdochen eodem nomine ſuum mare & cætera maria complexi. Poſtellus notat ab Hebræo Tharſis deflexum eſſe Græcum θάλασσα.

13. Cittim, percuſſores. Hac voce plurali non tam tertius filius Iauan, quam ab illo profecti & orti populi deſignantur. Hos LXX. Interpretes interdum Κιτιαίους interdum χετιείμ, retento Ebraico vocabulo nominant. Chaldæus quoque paraphraſtes eoſdem Citiæos nominat. Ioſephus autem vult Cethin eſſe Cyprum, in qua veteris appellationis veſtigium ait eſſe vrbem Κίτιον, *Citium*. Melanchthon ſcribit, Macedones ortos eſſe à Cethim: idque probat cum è libro Maccabæorum tum teſtimonio vetuſtatis, quæ non dixit Macedo, ſed Μακέτης, q.d. *Min Cethim*, h.e. à *Cethim*. *Poſtellus* veriſimiliter tradit à Cittim appellatos eſſe Cyprios, Cypriæos, illicque vrbem Citium, quæ Zenonem Philoſophum peperit, conditam. Ille, ſi Beroſi compendio credimus, contendit in Italiam, quæ inde ab Hebræis omnibus dicitur Cithim. Cittim, authore Iunio, eſt incola Cetidis in Cilicia, & citerioris Ciliciæ. *Num.* 24. 24. *Eſa.* 23. 1. *Ier.* 2. 10. 1. *Maccab.* 1. 1. Idem Iunius annotat, Hieroſolymitanum ex falſa quorundam Scripturæ locorũ intelligentia interpretari Italiam. Cum ergo Ioſephus & Epiphan. contra Ebionæos Cittim interpretantur Cyprios, Iunius putat, eos ab incolis Cetidis nomen duxiſſe, qui poſtea in Cyprum migrauerint, & oppidum extruxerint.

Κήτειοι. Μακετίαι. *Beroaldo & Broughthono Cittim Num. 24. Eſa. 23. Dan. 11. ſunt Macedonia, Roma & Italia.*

14. Dodanim, vel Rhodanim, ſunt Rhodii & Dores: à quibus vi maris Inſulam Rhodum ſeparatam fuiſſe putant nonnulli, deinde vero repente è mari emerſiſſe; vnde Græcis ὀπιοῦσα primum dicebatur, quaſi ὀπὶ ὄυσα, non autem Ophiuſa, vt vulgo apud Plinium legitur *lib.* 5. *nat. hiſt. c.* 31. Sic interpretatur Iunius cum pleriſque ex 1. *Chron.* 1. 7. quanquam Hieroſolymitanus interpretatur Dudaniam, Dodanam forte, aut potius Dudinos populos Illyridos, quorum meminit Plinius *lib.* 3. *nat. hiſt. cap.* 21. Sed Iunio nõ videtur. *Beroaldus* teſtatur, quod vocis Dodanim manifeſta veſtigia apparent in *Dodana Epiri*. Item vocis Rhodanim nõ eſt obſcurũ veſtigium in Galliæ celeberrimo fluuio Rodano: vt Dodanim tenuiſſe Epirum, & Rhodanim in Galliis hæſiſſe ſit veriſimile. *Melanchthon* quoque exiſtimat, Dodanim eſſe Dodonæos in Epiro. Adeoque vetus eſt Dodonæ appellatio, vt ibi Hellum regnaſſe dicant. Ideo Melanchthon non putat reprehendendos eos, qui Dodonæos in Rhodum collocant. Nam & Rhodii fuerunt Dorienſium coloni. Et manifeſtum eſt, Græcos, id eſt, natos ab Ione, multas terras occupaſſe in littore minoris Aſiæ, in vicinis Inſulis,

Δώδων. Δῶρες. Ῥόδιοι. *Sententia Beroaldi.*

ſulis,& in Europa. Pars etiam Italiæ oram occupauit. Et conſentaneu eſt,hunc Ionem eſſe,quem Latini Ianum nominarunt,patrem & Latinæ & Græcæ gentis.

Poſteritas Chami.

Chamitæ meridianum tractum plurimum poſſederunt; nimirum Aſiam & Africam inde à Babylonia. Hinc enim tentoria Chami pro Ægypti habitationibus, *Pſal.* 78.51. & terra Chami pro Ægypto dicitur, *Pſalm.* 105.23. *&* 27 *&* 106.22. & *Chemmis* oppidum magnum Thebaciæ, itemque Inſula apud Herodotum in Euterpe.

1. Chus, ſiue Cuſch, primus filius Cham, notus ex multis ſacræ Scripturæ locis, in quibus perfrequens eſt mentio regionis Chus, & populorum Chuſæorum. Hic Cuſch Æthiopibus & Arabibus nomen dedit, Æthiopibus, inquam, in vltima ora Africæ, vbi Nili fontes ſunt, vt *Geneſ.* 2. ſcriptum eſt: *circuit omnem terram Chus.* Apud Ptolemæum in interiore Libya nomen eſt Chuſitæ. Luſitani Æthiopas vocant *Cuſtios.* Apud Arabem Geogr. eſt Κῦσα πόλ. Item *Cuſch & Cusha*; quæ ſunt nomina oppidorum in Barbaria, prope Ægyptum. Apud Ptolomæum eſt nomen fluuij Churazim. Beroaldus hic plurimum erratum eſſe ſcribit à Ioſepho, LXX. Interpretibus, item Latino interprete, & cæteris fere ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Ille enim Chus regionem, interpretatur Arabiam, & Chuſæos, Arabes, non Æthiopes, Ægypto, puta, vicinos Arabes. Rationem hanc aſfert: Chus & Mizraim ſæpe coniunguntur in ſacris literis: eo quod propinquas & vicinas regiones obtinuerint.

Κῦσα πόλ.

Beroald. Chron. l. 2. cap. 6.

Mitzraim, rebellis. Hic occupauit eam regionem, quæ poſtea appellata eſt Ægyptus: quæ Arabibus & Turcis dicitur Maſra; Turco-Græcis μέϛρα. Poſtellus paulo aliter hac de re ſcribit: *Hodie*, ait, *Arabes atque Turcæ, qui Ægypto potiuntur, totam Ægyptũ vocant Mitzir & Mitzri.* Ægyptus *Eſa.* 18. *v.* 1. dicitur terra vmbræ alarum. Cum enim Ægyptus Nilum in plura brachia diuiſum habeat; nauigiis abundat: vnde apposite vocatur terra vmbræ alarum, hoc eſt, regio, quæ velis abundat, quæ ſunt nauibus pro aliis, quibus vmbra quoque affertur ipſis nauigiis: *Theodorus Bibliander* mouet quæſtionem, eccur Mitzraiim ſit dualis numeri? Reſpondet nomen ab euentu impoſitum eſſe. Nam in Ægypto duplicatæ, imo contot-duplicatæ ſunt calamitates Iſraelitarum. Cæterum Ægypti duæ ſunt partes: vna inferior, dicta Delta, ex forma triquetræ literæ Græcæ Delta maiuſculæ, quam efficit Nilus: altera ſuperior, quæ eſt ſupra Memphim, & dicitur Thebais, à Thebis, vrbe centum portarum, nota Homero, & cæteris veteribus hiſtoricis: quæ eadem Græcis dicta eſt *Dioſpolis*: in Scriptura autem ſacra vocatur *No hamon*, id eſt, No multitudinis, ſiue populoſa, & incolarum frequentia tanta, vt fidem excedat.

Μέϛρα.

3. Put

3. Put, Libyæ, regionumque vlteriorum incola, vbi olim Puthæi incolæ vocabantur; & fluuius est Fut à maiore Atlante ducentis passuum millibus distans, teste *Plinio lib.5. nat. hist. cap.1.* quem fluuium Phthuth appellat Ptolemæus. Put igitur occiduas Africæ partes habuit: quo nomine olim, vt refert Iosephus, tota Africa dicebatur. *Sed* (vt ait Postellus) *apud Ptolomæum, Phutai populi sunt in occidua Mauritaniæ Tingitanæ parte, quæ à Tingi vrbe, hodie Al-tangir appellata, nomen habet, vbi regnum Fessæ est: vnde etiam fluuius Phuth exit versus occasum. Illam plagam Græci vocabant μαυρϐσίαν, à colore habitantium, ficto nomine. Nautæ vocant Barbariam, incolæ Islem. Regio illa cælo soloque lata. vt dictio Put, pinguedinem notans, indicat.* Quidam inepti scribunt, hunc *Phuth* fuisse, qui Græcis dicitur Φαέθων. Latini hanc regionem olim dixere Tingitanam Mauritaniam ad interioris illius, quæ à Cæsare nomen habet, differentiam. Inibi fuit mons, qui ob Basilicam vitium fertilitatem ἀμπελϐσία dicitur. Cæterum Epiphanius huic *Put* attribuit τὴν τῶν Ἀξϐμιτῶν χώραν, regionem Axumitarum, siue (vt Vopiscus in Aureliano vocat,) Axomitarum trans Ægyptum apud Troglodytas, quorum contermini sunt Homeritæ. Apud Ptolomæum flumen appellatur πῦτεα.

Alii Put est cardo: sed Postellus vertit pinguedinem. πῦτεα. *Ptolom.* Φαέθων.

4. Chanaan, nomen retinuit ad multa secula. Hinc Χαναναία, Χνᾶν, ἢ Χνᾶς ὁ πρῶτος μετονομασθεὶς Φοίνιξ; vt Sanchuniathon refert. Terra Chanaan filiis Israel diuino beneficio & priuilegio fuit attributa, ex promissione primum facta Abrahamo, deinde repetita Isaaco & Iacobo, postmodum confirmata sub Iosue. Inde terra promissionis solet dici terra Chanaan. Cuius quidem limites noscendi sunt nobis, ne Palæstinam, aut Iudæam, aut Samariam, aut Galilæam, putemus regiones alias esse à Chananæa, sicuti quibusdam imperitis videri solet. Termini autem & limites terræ promissæ definiuntur *Exod.23.v.31 Psal.72. Num.34. Deut.11.v.12. Ios.1.* Mari rubro Meridionalis terminus notatur: mare Palæstinorum, i.e. Mediterraneum, quod & Syriacum & Phœnicium dicunt Geographi, latus occiduum definit terræ promissionis. Fluuius Euphrates terminum Orientis designat. Libanus deniq; & Antilibanus claudunt latus septentrionale, quod desertum vocatur *Exod.23.v.31.* quia syluis plenus est vterq; mons & feris, locisq; desertis, qui sunt incolis vacui. Hoc loco operæ pretiũ est annotare, quod Oecolampadius in *Ezech.25.* caput obseruat de topographia Iudææ finitimarũ regionum. Iudæam igitur ad ortum habere Ammon, ait, cui ad latus dextrum sit Moab, ad sinistrum Edom; ab Occidente Palæstinam, & quinq; maritimas vrbes: ad Aquilonẽ Tyrum, Sidonem, & Damascum: ad Meridiem, Ægyptum & Æthiopiam.

Epiphanius contra Sethianos. Χαναναία *Sanchuniathon Chananæus.*

5. Seba, vel Saba. Arabiam desertam incolentium author, vt vult Iunius. Postellus & Beroaldus reclamant, qui asserunt hunc *Sebam* nomen dedisse Arabiæ felici: q̃ omnes profani authores Sabæam nominant. Hi

Σαυώ.

Sabæi,

Sabæi, Arabum populi clarissimi, ad vtraque maria porrectis gentibus habitant, vt ait *Plin. lib. 6. c. 28.* Et quidem hic Saba, per *Samech* in prima litera habitauit ad sinum Arabicum. Nam Schaba, per *Schin*, sedes habuit versus sinum Persicum, vt Beroaldus probat ex historia Iobi: in qua Schbæi pecus Iobi abigunt. Sabæi autem filij Chus, qui versus Arabicum sinum habitabant, nequaquam potuissent pecora Iobi inuadere, tam longo interuallo terrarum ab eo disiuncti.

*Αειλα. 6. Chauila, nomen dedit Getulæ, vt placet Iosepho. Beroaldus ei tribuit sedem versus sinum Persicum, vsque ad Ismaelitas incolas deserti Pharan, & aliorum in Arabia Petræa locorum: argumento loci *Gen.* 25. 18. *item* 1. *Reg.* 15. 7. Ex quibus locis apparet error Iosephi, qui Heuilæos esse eos populos Africæ affirmat, qui dicuntur Getuli: itemque eorum, qui regionem istam Heuilam interpretati sunt Indiam. Est vero alter Chauilah, filius Iektan, in filiis Sem: de quo postea.

Σαβαθα 7. Sabbetha, imæ regionis in Arabia felice incola, vbi erat vrbs Sabbatha, sexaginta templa muris includens apud Atramitas, quam vrbem *Plinius* vocat Sotobalem, *lib. 6. nat. hist. c. 28.* Iosephus memorat hunc Sabbetham incoluisse Astabarenorum Æthiopum regionem, quos olim Græci dixerunt Astaboros, siue Sabbathenos. Sunt autem Astabari populi Æthiopiæ ortum Nili versus. Hoc vero in transcursu notandum est è Fran. Iunio, non Astabaros, sed Ascabaros, vel potius Chascaboros nominari populos istos oportere: vtpote à Nili, quem accolunt, appellatione dictos. Dicitur autem Nilus in Æthiopia tribus nominibus: *Chrscapusch*, id est, è tenebris profluens: tum, qua Meroën alluit, læuo alueo, *Chasca-bora*, siue *Chasca-vora*, fons aut riuus è tenebris aquas fundens; dextero autem alueo, Chasca-tzaphes, id est, è tenebris exundans, quia Nilus in tenebris subterraneis ante mersus, in Æthiopia quasi rediuiuus emergit in istis partibus. Quarum vocum proprietas à Geographis, qui eas in linguas exteras transtulerunt, corrupta est, nempe Strabone, *Mela lib. 1. cap. 9. Plinio lib. 5. nat. hist. cap. 9.* Ptolomæo in Geographicis, & Solino *cap. 4.* cum Astapum, Astaboram, Astusapem, & Astosabam appellarunt. Porro illi Ascabari, siue Astabareni Æthiopes (vt Postellus, diligentissimus Orientis perlustrator scribit) sunt Christiani in tota Africa. Audiamus ipsum Postellum: Aiunt ab illa plaga venisse olim reginam Saba ad Salomonem. Dauid dicebat reges venturos à Saba ad Christum. Latini vnicum habent S. Hebræi autem triplex. *Scheba* significat Arabiam Seba, quamuis sæpissimè scribatur per *Samech* pro Arabia. 1. Si per *Schin*, *Scheba* significat Orientalem Arabiæ regionem ad Persidem, vnde Magi venerunt ad colendum Christum. Si per *Samech Seba* est regio illa, quæ ad Æthiopiam pertinet, vnde venit regina Austri. Illic dominatur potentissimus ille princeps Christianorum Nubianorum, quem dicimus Presbyterum

tetum Ioannem, aut Prestanum, prole & fide successorem Candacis reginæ illius, cui felix ille Eunuchus, plantaria ac fidei Christianæ gemmas retulit. Hactenus Postellus; qui asserit Sacerdotes illorum sibi retulisse, quod nunquam hæresibus infestati fuerint. Princeps ille Ioannes imperata facere cogit 17. reges Mahumetanos. Illius regia dicitur illorum lingua Achsum, eo in loco, vbi Ptolomæus olim posuit Auxumam & Axumitas.

Priester Johans land.

Vide Cosmographiam Postelli.

8. Rahema, Ῥέγμα, in Orientali parte Arabiæ felicis egit, vbi vrbem eodem nomine, & alteram *Regamam* nuncupauit: nempe mutato Hebræorum *gnaiim* in g, vt quoque factum est in Gomorra, Gaza, &c.

Ῥέγμα.

9. Sabteca, populorum in Arabia felice pater, qui Sachalitæ dicuntur ad sinum Persicum, διὰ συγκοπῆς apud Ptolomæum, vt coniectare licet.

Σαβοκῆς.

10. Nimrod, *amarus dominator*, vt Melanchthon vertit: sed male, iudicio Bodini, qui reddit, rebellem. Est enim *marad*, rebellauit. Hunc Græci Zoroastrem putauerunt, teste Epiphanio, sed falso. Quibusdam placet Nimrodum fuisse Belum, patrem Nini. Alij putant eum fuisse gigantem decem cubitorum. *Berosus lib. 5. antiquitatum Chald.* Nimrodum facit patrem Beli, auumque Nini. Mercator in sua Chronologia concludit, Nimrodum fuisse ipsum Ninum. Omnes hi sunt falsi. Nimrod enim fuit sextus filius Chus, ædificator Babylonis, vt testatur *Iosephus lib. 1. antiq.* Et ex Genesi probari potest, quod Nimrod inter illos ædificatores turris duxerit agmen, & primas tenuerit. Voluit enim deuitare diluuium, si forsan quoddam ingrueret. Consule Eusebium & Orosium. Omnium Græcorum ferme & Latinorum peruulgata est sententia, Babylonem conditam à Semiramide. *Herod. lib. 1. Diod. l. 3. Strabo l 16. Meta. l. 1. Iustinus l. 5.* Hos *Iosephus l. 1.* mendacii coarguit, tradens Babylonem conditam esse à Nebucadnezare, sicuti ipse iactauit. *Dan. 4.* Verum hæ sententiæ conciliari vt possunt; ita debent. Primus omnium conditor Babylonis extitit Nimrod. Semiramis eam vrbem exiguam, & inundationibus Euphratis pene dirutam, fecit amplissimam, munitissimam, ornatissimam. Sed enim cum post Semiramidem reges Assyriorum, posthabita Babylone, Niniue fecerint regiam, & caput Imperij Assyriorum, vt refert *Diodor. l. 3.* hinc accidit, vt Babylon eluuionibus Euphratis, & hostium incursionibus vastata, diu obscura & ignobilis fuerit. Eam autem euersa Niniue Nebucadnezar instaurauit, eoque sedem imperii transtulit. Postellus seorsum hic à nobis sentit. Dicit enim, quod non Semiramis, sed Nebucadnezar Babylonem à Nimrodo affectam, nondum autem perfectam, è cineribus & ruderibus excitarit. Verum penes eruditos historicophilologos iudicium esto.

Variæ sententiæ de conditore Babylonis conciliantur.

11. Scheba, regionis Australis incola, auro, thure, myrrha & id genus aromatibus abundantis in Æthiopia: vbi reginæ Kandac, siue Candacæ, si-

Σαβαίοι. Ἀσαβῶ.

cæ, si-

cæ, siue Candaces nominabantur. *Actor. 8. Strabo lib.17. Geograph. & Plin. lib.6. nat. hist.c.29.* Beroaldus hanc receptam sententiam refutat è *Iob.1.v.15.* vbi dicuntur Sabæi, id est, Schaba, vt est in Hebraico textu, abegisse asinas & boues Iobi. Hi autem Sabæi nihil habent commune cum Æthiopibus. Qui enim Æthiopes potuerunt spoliare Iobum, qui habitabat in terra Hus. Sabæos ergo hosce ad sinum Persicum sedes habuisse ostendit Beroaldus è Geographia. Itaque de illius sententia, Schaba fuit parens Arabum Sabæorum ad sinum Persicum vergentium: Saba autem autor eorum Sabæorum, qui vergunt ad sinum Arabicum. Ab ea vero Sabæorum gente, quæ est à Schaba, profectam esse ad Solomonem reginam Saba, dicimus: quia in Scriptura vocatur regina Schaba. Ea dicitur *Matth. 12.v.42. & Luc 11.31.* regina Austri: quia Sabæa Iudææ respectu sita est ad Austrum. Hæc sententia Beroaldi pugnat è diametro cum ea, quam diximus esse Postelli, supra ad nomen *Sabbetha*.

Δεδέβαι ἴσως. *Strabo. Pathnyrina regio Ptolom. in qua Al-sadanus, vel Aldadanus mons magnus.* Λαίθων καὶ Λαυδ, πολ.

12. Dedan, superioris tractus in Arabia felice incola, vt apparet tum ex mercibus, quarum meminit *Ezech. 27.15. & 38.13.* tum ex propinquitate Rahemæ. Dedan quoque à *Ierem.c.49. 8.* refertur inter populos Idumææ. Confer *Ezech. 25.15.* quo tamen in loco Propheta dixit *Dedaneh.* Vbi R. Dauid Kimhi doctus Grammaticus, & in scripturarum interpretatione diligens, annotat *he* abundare in fine dictionis: quam ob causam statuitur accentus in penultima dictionis syllaba inquit.

13. Ludim, populi sunt orti à Lud: quos *Ierem. 46. v.9.* Latinus interpres dixit Lydos, sed minus commode. Lydi enim Asiæ minoris sunt populi, orti, vt videtur, ab alterius generis Lud. Est enim alius Lud in liberis Sem. Qui autem dicuntur Lydi à Latino interprete, pro Ludim, qui sunt Ieremiæ iam dicto loco, videntur esse Africani: argumento duorum locorum, *Ierem. 49. & Ezech. 30.6.* Horum & aliquot sequentium sedes sibi ignotas esse Iosephus fatetur: quia, inquit, bello Æthiopico Ægyptus sic fuit afflicta, vt ne ipsa quidem priscorum nominum vestigia superfuerint. Et Beroaldus sicco pede præterit Hanamæos, & quatuor sequentes, vsque ad Philisthiim. Nos tamen, si quid aut ex Scripturæ locis, aut ex vestigiis nominum, aut ex aliorum testimoniis indagare possumus, afferemus. *Ludai* ergo Hierosolymitano teste, sunt Mareoticæ præfecturæ in Ægypto incolæ.

Νουμίδαι. Νοῦβαι. Ἄνουβις. Ὄνουφις.

14. Hanamæi, Paraphrastæ Hierosolymitano sunt Pentapolitæ, siue Cyrenæi. Huic subscribunt Melanchthon & Peucerus; *Enamim*, inquiunt, *simpliciter est fons aquarum. Et concinnum est, quod inde dicunt nomen esse Cyrene, quod significat vrbem fontis.* Magis etiam celebrata est ea regio propter miraculum fontis, qui in merid. e frigidissimus est, nocte calet, qui nominatur fons solis. Inde nomen videtur esse Cyrene. Ac propter nominis

conuenientiam dicimus eam regionem primum occupasse hunc virum Enanum, qui fuit nepos Cham. Nec procul à fonte isto fuit templum Hamonis, quam appellationem fuisse eandem, quæ est Cham, verisimile fit.

15. Lehabim, sunt Libyes, seu Libij, nempe conciso nomine. Est autem duplex Libya, inferior & superior. Vtraque in occidua Ægypti parte. Proprie dicitur Aphrica, q. d. sine horrore. φρίκη enim terrorem significat, qualis solet esse febricitantium. Alias Aphricæ, siue Africæ, originationes subministrabunt Mercator in Atlante maiore, & Hondius in Atlante minore. Λίβυες.

16. Naphthuchim, Æthiopes sub Ægypto, quorum solum eo in tractu oppidum est Napata Ptolomæo, & *Plin. lib. 6, nat. hist. cap. 29.* Postello sunt populi in occidua Numidiæ parte. Hinc quibusdam Neptunus videtur dictus, quem Cicero à nando, Varro à nubendo, id est, ab operiendo terram, alii quod nube tonet, sic putant dictum, cui etiam aræ in Africæ littoribus dicatæ sunt, iuxta *Vticam*, quæ nunc est *Bizarta*. Ναθώ. Ναβώδραι.

17. Petrusim. Phaurusij Ptolomæo, Pharusii Plinio, dicti ab ipsorum authore Pathros: de quo *Esa.* 11. 11. Pelusios exponit Hierosolymitanus. Sed vt assentiar vetat historia Exodi. Postellus sic scribit hac de re: Arabiæ Petrææ, non à Petris, vt vulgo credunt, quum sit fere omnis arenis sterilibus obducta, nomen fuit inditum: sed à Petrusim, sexto filiorum Mizraiim, qui illic vrbem posuit. Idumæa præterea triplex, Arabia nempe felix, Petræa deserta. Dicta est postea ab Edom Esau, quæ Idume profanis authoribus dicitur, θάλασσα ἐρυθρά. Φαρούσιοι.

18. Casluchim, Cassiotidis ad ingressum Ægypti incolæ. Ex Arabibus, Idumæis, atque Chasluchæis aiunt descendisse Palæstinos: de quibus iam dicemus. Κυλικεῖς.

19. Pelischthim, à quibus coloni in tractum propinquum migrarunt, qui vulgo Palæstina dicitur, Septuaginta Interpretibus interdum nominati sunt ἀλλόφυλοι, q. d. externi generis homines, vocantur Latinis Geographis Palæstini. Ii autem oram Cananææ maritimam tenuerunt, quæ vergit in Ægyptum: quorum fines describuntur *Ios. cap. 13. v. 3.* Hi autem Philistim pertinebant ad tribus Iudæ & Simeonis. Παλαιστῖνοι.

20. Caphthorim, Iunio sunt Sethroitidos præfecturæ incolæ, eorumque finitimi. Hierosolymitanus, Hieronymus, & maxima pars Interpretum vertunt Cappadoces. Sed male, vt Iunius, Postellus & Beroaldus putant. Κάφθαρ ἡ Θάλα. Σεθροῖς.

Explicato genere τοῦ Mitzraiim, sequitur prosapia Chanaan, qui vndecim sustulit liberos, quos Scriptura populorum ab iis ortorum nominibus designat: qui quidem maiore ex parte deleti sunt & excisi ab Israelitis, Dei mandato. *Deut.* 7. *v.* 1. *Ios.* 3. *v.* 10. Vnde colligimus quinque ex po-

fteris esse excisos, cum ipso generis principe Chanaan, qui de suo nomine vnum constituerat, ab aliis distinctum & diuersum populum.

21. Tzidon conditor Sidonis in Phœnicia, ex qua postea ducti coloni propter dissensionem ciuium, condiderunt in vicinia Tyrum. Vrbs Sidon olim clara linteis pretiosis, & vitri inuentione.

22. Cheth; à quo dicti fuerunt Citthæi, ab Oriente siti, Euphratem versus. *Iof.* 1. 4. Huius *Cheth* nomen solum occurrit in S. litt. ita funditus illorum Chananæorum monimenta & munimenta euerterūt filij Israel, vt pauca, vel etiam nulla, superfuerint antiquitatis vestigia. Iste Cheth condidit *Hebron*, vbi aliquamdiu habitauit Abraham, & ibi locum sepulturæ coniugi emit, in quo & ipse postea sepultus est.

23. Iebusæus, conditor Iebusi, quæ postea Hierosolyma. *Iof.* 18. 28. Videtur condidisse duas vrbes; Iebam, siue Gabaam ad Carmelum montem; ac *Iebus*, quæ postea Sebus, Solyma, Salem, Ierusalem, deinde Ælia Capitolia, postremo Chus & Chussenbarich dicta est. Nominis Sebus pro Iebus multi meminere. Solymorum meminit Homerus, dum ait:

καὶ Σολύμοις ἐμαχήσατο.

Aduersus Solymos pugnauit.

Hanc Dauid ab idolorum cultu repurgauit, eamque Christus nobilitauit concionibus & morte sua.

24. Emorræus, Basanis & Gileadis incola. *Deut.* 2. Eius monumenta perierunt, si modo quæ fuerunt, vt fuisse crediderim.

25. Girgaschæus, nomen dedit Gergesenis, & mari *Genesar*, id est, Tyberiadis. Quamuis alij putent sic dictum, quasi *Cinnereth*, id est, citharæ forma. Onkelos vocat Ginesser *Num.* 19. Ionathan *Iof.* 13. Ginosser. De Gergesenis ad lacum Tyberiados trans Iordanem vide *Matth.* 8. 21. vbi fuit oppidum Gerasa Ptolomæo, quod Iosephus Gesaram, alii Gelasam vel Galasam vocant in Decapolitana regione. *Plin. lib.* 5. *nat. hist. c.* 18.

26. Chiwæus; in cuius agro Gibeonitæ habitarunt. *Iof.* 9. 19. Hierosolymitanus exponit Tripolitanum Phœniciæ, quo nomine intelligit incolas regionis subiectæ Libano. *Iudic.* 3. 3.

27. Harkæus, dicitur condidisse *Arcen* seu Harkam, (quæ Ptolomæo & Orontio perperam dicta est Area) oppidum, quod est è regione Tripolis in Phœnicia, ad radices montis Libani. Arcam nominant Geographi vrbem præcipuam in aliqua Tetrarchia.

28. Sinæus; quem Hierosolymitanus facit Carparorsæ incolam: quam Ptolomæus in Idumæa, non procul à Iebuso collocat, Meridiem versus. Mihi videtur, Sinæum fuisse incolam deserti Sinai; eo quod similis in vtroque nomine appareat orthographia. Habeo Beroaldum & Postellum ὁμοψήφους: quorum hic ita ait; Sinæus montem Melanum in Arctica Arabia

biæ desertæ parte Sinæum vocauit, siue Sinai: quem Ptolomæus Sina, sicut & Paulus.

29. Aruadæus, à quo sunt Aridi & Antaridi incolæ, nauali peritia nobiles, & virtute bellica. *Ezech.* 27.8. & 11. Is ipse videtur Arado insulæ dedisse nomen, eliso Vau. Ea insula fuit obiecta Palæstinæ, vnde populi in Syriæ continente illi opposito Aradii dicti, & aduerso littore vrbs Antarados nominata est.

30. Tzemataeus, author eorum, qui incolebant Tzemaraiima. *Ios.* 18. 22. & tractum vniuersum vsque ad montem Tzemariimorum: de quo 2. *Chron.* 12. 4. Hierosolymitanus autem Paraphrastes pro Emissanis accipit, siue (vt Plinius vocat) Hemisenis in Cœle Syria. Postelli sententia ita habet: Tzemari vrbem Tzemaram de suo nomine condidit & dixit, illã scilicet, quæ tribui Beniamin cessit, non Samariam illam vulgarem. Nam & orthographia & chorographia vtriusque vrbis differunt admodum. Illa per *Tzade* scribitur: hæc per *Schin*. Illa à Lana; hæc à custodia dicitur. Illa tribui Ben-iamin data est, hæc Samaria fuit alterius. De illa *Ios.* 18. *v.* 22. de hac 2. *Paralip.* 13 14.

31. Chamathæus, incola regionis Chamathæ, quæ protenditur à Libano ad desertam vsque Arabiam, cuius metropolis est Amathus olim dicta, aut etiam Cadytis Herodoto in Euterpe & Thalia. Hæc Hierosolymitano fuit Antiochia. Iosephus testatur suo seculo Hemathæos patrio vocabulo ita appellatos esse, circa Epiphaniam, quæ antea Hemath dicebatur, item Antiochia. Eiusdem sententiæ patrocinium suscepit Hieronymus. Sed manifesto errore. Nam Antiochia Epiphania posita est inter Orontem & Marsyam amnes: qui nihil pertinent ad terram promissionis, à qua longe sunt remoti. Zieglerus, vir de Geographia bene meritus, in sua Palæstina, interpretatus est Emath, Ituræam, idque ratione nõ mala: quandoquidem intelligimus ex Sacris Scriptis, Emath sitam esse post Libanum Scripturæ, qui est Antilibanus septuaginta Interpretibus, Damascum versus, ad Trachonos montes, qui pertinent ad montana Galaad, in quam partem inclinat Ituræa, Atque id ex limitibus terræ promissæ, quæ proponuntur *Num.* 34. põt intelligi, Plura de nomine *Emath*, eius orthographia & topographia suppeditabit diligentissimus *Beroaldus* l. 4. *Chron.* c. 6.

Hactenus de Chamo, eiusque posteris.

Veniant nunc Geographi imperiti linguæ sanctæ, & videant, quomodo origines Gentium tradant.

SEMITÆ.

SEM est generis Hebræi parens, & gentis Hebraicæ autor, quæ postea dicta est Israelitica. In qua gente Deus promissiones suas de salute generis

neris humani per Christum suum, tanquam depositas & conseruatas, agnosci voluit. Sem postremo loco constituitur, non quod fuerit postremus in filiis Noe (nam Cham fuit natu minimus, Sem secundo genitus) sed quia deinceps historia familiæ Sem est recitanda. Hic consideres velim, posteros Sem versus Orientem in maiore Asia sedes magna ex parte tenuisse. Nam Heuila Indiam esse constat. Posteros autem Cham diximus tenuisse aliquamdiu terram Chanaan, Ægyptum, Æthiopiam & Lybiem: & posteros Iapheth sparsos esse in minorem Asiam, & progressos versus Septentrionem, & multas Europæ partes occupasse.

Ελαμῖται Ἐλυμαῖοι. 1. Helam primus in filiis Sem ponitur, nomen dedit Elamitis, quos Iosephus nominat Elymæos, in superiori parte Persidis; à quibus oriundi sunt Persæ, qui nomen Elamitarum posterioribus temporibus obscurarunt, constituto Persico Imperio. Susa autem Persarum fuit regia. *Dan.8.vers.2.* dicitur Sosan. LXX. pro *Gnelam* dixerunt Αἰλάμ, detracto *gnaiin*: quos secutus est Latinus interpres, qui reddidit Ælam. Elamitarum fit mentio *Actor.2.vers.9.* Geographi profani vocant Elymæos, & eorum terram Elymaidem, eam pro sua ignoratione distinguentes à Perside.

Ἀσσύρ. 2. Aschur, Assyriæ nomen dedit. Assyriorum florentes opes, & diuturnum imperium in profana memorantur historia. Vt autem fuerint florentes Assyriorum opes, non tamen tantæ ac tales fuerunt, quantas illas fuisse prædicant profani historici, Herodotus, Ctesias, Diodorus Siculus, & alii: quos S. literarum testimonio, & aliorum profanorum, id est, sui ordinis historicorum autoritate coarguere possumus. Dionysius Halicarnasseus magis consentanea dixit de imperio Assyriorum: *Antiquum*, ait, *illud Assyriorum imperium, retro ad fabulosa vsque pertingens tempora, modicam quandam Assyriæ partem obtinuit: hoc in Medos translatum, & auctum etiam opibus non longo durauit tempore, in quartam ætatem desinens. Persæ porro Medis deyictis, Asia quidem tota penitus potiti sunt.*

Καλδαῖος *ex parte posteriori nominis Ebræi.* 3. Arphaxad; à quo κατ' ἀφαίρεσιν *Chasdim*, id est, Chaldæos dictos volunt, qui olim Arphaxadæi, teste Iosepho. Nam abiectis tribus prioribus literis *Aleph, resch, pe*: manent *Caph, Schin, Daleth*, quæ faciunt Chasad: hinc plurale *Chasdim*. Beroaldus huic sententiæ refragatur; eo quod nihil tale Scriptura tradat. Sed heus Beroalde: *A* non scripto ad non esse non valet illatio. Cur igitur ab authoritate argumentaris negatiue? Iccirco aut in nostram sententiam, quæ coniectura nititur, descende, aut meliorem in medium affer.

Λυδός. 4. Lud, à quo Lydi *Asiæ* minoris populi. Caue hunc Lud confundas cum Lud, filio Mitzraiim in prosapia Cham, qui quidem fuit *Africæ* incola. Itaque *Esa.66.19.* Tharsis, Phut, & Lud iunguntur; qui sunt *Asiæ* in-

colæ

colæ; latinus autem Interpres pro Phut, dixit eo loco Africam: falsus vocis affinitate; quæ est Phuth. Quam vocem *Nahum*.3.*v* 9 reddidit Latinus Africam: quemadmodum antea diximus Phutæos esse Africanos. Cæterum Lydi, ante Cyri de Crœso victoriam, bellicæ virtutis gloria fuerunt illustres.

5. Aram, *Aramæis*, id est, Syris nomen dedit. Atque hinc factum est, vt Scythæ ex *Asia* Syriaque reuersi in suas sedes, ab antiquis dicti sint *Aramæi*, teste *Plin.lib.6.natur.hist.c*.18. Ab *Aramæis* deducti sunt *Armenii*, siue gentem, siue nomen spectes, si Postello credimus. Scriptura autem sacra varie partitur Aram. Nam 1. est *Aram* Nahariam. 2 Aram Padan. 3. Aram Damasci. 4. Aram Naacat. 5. Aram Soba. 6. Aram Rohob. Quæ omnes regiones videntur ad Mesopotamiam, & Cœlesyriam, atque superiorem Syriam pertinere. Vide *Beroaldum l.4. Chron. c.6. Bonauenturam Cornelium Bertramum in Gram. Aramæo Hebrææ præfat. & Selneccerum in Genesin*. Fit autem mentio Aram Neharaim, id est, Aram fluuiorum, siue *Aram* Interamnis, vt dixit Marcellinus, quam Mesopotamiam Græci dicunt, quod media sit inter Euphratem & Tigrim *Deuter*. 23.*vers*.4. Latinus τὸ *Aram Naharaim* conuertit, Mesopotamiam Syriæ. Confer *Iudic*.3.*vers* 4. *Padan* autem videtur nomen certæ regionis in Mesopotamia, argumento loci *Gen*.28. *vers*.2. vbi Iacob missus dicitur à patre suo Isaac in *Padan Aram*, id est, Mesopotamiam Syriæ, seu partem Mesopotamiæ. Aram Damasci fit mentio 2.*Reg*. 8.6. Item Aram Naacat. 1.*Paral*. 19.6. Aram Soba, & *Aram* Rohob 2.*Reg*. quæ regiones videntur esse Syriæ, longius paulo remotæ à Petræa.

[Margin: Ἀραμαῖος. Ἄραμος. Ἄριμος. Ῥαμβαῖοι *Strabo l.16. Vide supra cap.113.*]

6. Hutz, populorum autor in Thrachonitide, quam etiam Bathanæam Ptolomæus vocat. Hinc Ausanitis regio sub Palmyrene sita dicitur à LXX. nimirum inter Palæstinam, & Cœlen Syriam ad latus Chamathæ. Terram Hus inhabitauit Iob. *Iob*.1.*v*.1. *Ierem*, 4.*v*.21. quibus in locis LXX. Interpretes & Latinus vocem Hebræam *Hutz* retinuerunt. Sed *Ierem*. 25. 20. pro regibus terræ Hus, Latinus dixit reges terræ *Ausitidis*. Est igitur Hus regio Syriæ vel *Arabiæ*, quæ dicitur Scenitis, cuius pars est Idumæa, vergens ad Chaldæam & Sabæam, vt ex ipsa Iobi historia apparet, quum Chaldæi & Sabæi bona Iobi deprædentur.

[Margin: Αὐσῖτις. Αὐσῖται.]

7. Chul. Palmyrenas solitudines ad Euphratem vsque obtinuit, vbi oppidum Cholle à Ptolemæo ponitur. Huic Iosephus tribuit *Armeniam*: quod mihi quidem non videtur probabile.

[Margin: Χόλλη.]

8. Gether, incolens medium Syriæ tractum supra Palmyrenas solitudines; nimirum Casiotida & Seleucidem, vbi oppidum *Gintharus* à Ptolemæo nominatur, per epenthesin literæ n. & incolæ Gindareni *Plinio lib.5.natur.histor.cap*.23. Huic Iosephus assignat Bactrianam, quo iure nullus scio: nisi forte Bactra pro Begarta, id est, loco vel sede Gether

[Margin: Ἀτεργατή. Ἀθάρα. Δερκετώ.]

q.d.

q.d.*beth gether* accipiendum esse putauerit. Melanchthoni & Peucero cōsentaneum videtur, Getas ortos esse à Gether: Getas autem postea nominatos esse Gothos. Ii enim progressi tenuerunt eam regionem, quæ nūc Wallachia dicitur, & occupauerunt ripam Vistulæ, & Sueciam & vicinas regiones, vbi nomen hæsit Gothiæ. Significat autem *Geth*, molam, *Gether*, dominum molæ: fortassis quia posteritas vberrima loca tenuit. Getas autem loquutos esse lingua Teutonica existimat Philippus: eo quod fuerint mixti genti Teutonicæ, quæ nomen habet Tuscones ab Ascane, vt supra dictum est.

Μάσιον. Μυζός. 9. Mesch incoluit summum tractum Syriæ inter Ciliciam & Mesopotamiam, ad illam vsque partem Amani montis, quam vocant Masium. Nam quod huic maritimum Susianes tractum vallemque Pasinis Iosephus tribuit, id nimis procul est Aramo dissitum.

10. Schelach: Eius genealogia describitur. *Gen.* 11.

11. Heber, ab hoc dicti sunt Hebræi.

12 Peleg, diuisionem significat.

12. Ioktan. Huius posterorum sedes à nobis distincte peruestigari non potuerunt, aut ex scriptis aliorum erui. Obserua interim, quod Ioktan in sua familia duos habuerit, eiusdem nominis, cum filiis Chus, qui sunt:

13. Scheba Saba & Heuila. Sed hi distinctas & diuersas à superioribus familias constituerunt: quemadmodum id Scriptura innuit, quæ liberos Ioktan ait regiones obtinuisse, quæ sunt à Messa, pergentibus ad Sephar montem Orientalem, id est, montana Sephar petentibus, quæ sunt in oriente. Cæterum vt posteri Chus, Saba, & Scheba Sabæos de se progenuerunt porrectos ad vtraque maria; quibus Arabiæ cinguntur latera, ita Saba filius Ioktan, præterea Saba is, qui in filiis Abraham numeratur, ex Cetura natus, idem etiam sortitus est nomen, Sabæos de se ortos reliquerunt. Et Saba quidem Abrahamides, videtur Sabæos Persis proximos constituisse, quos Dionysius libello de situ orbis, hoc versu commemorat:

Πρῶτα Σάβαι, μετὰ τούσδε Πασαργάδαι, ἄγχι δὲ Τάοχοι.

Primum Sabai, post hos sunt Pasagarda, prope vero hos sunt Tasci.

Qui Persidis sunt populi, ad quos concessisse videtur Saba Abramides: quod is cum cæteris fratribus dicitur emissus ab Abrahamo ad plagam orientalem. At vero Saba Ioktanides videtur longius progressus, Sabæos Indicos progenuisse. Sunt enim & in India Sabæi, quorum meminit Dionysius in descriptione Indiæ, libello de situ orbis, eo versu:

Τῶν δὲ μέσοι ναίουσι Σάβαι, καὶ Τάξιλοι ἄνδρες.

Horum medii habitant Sabai & Taxili viri.

Porro Iosephus censet omnes posteros Ioktan, occupasse regiones, quæ sunt

sum à Cophene flumine Indiæ, vsque ad Assyriam. Huius fluuii Cophenes meminit Eustathius, interpres Dionysii Geographi, qui libellum de situ orbis conscripsit: qui fluuium Cophen à Dionysio, in descriptione Indiæ positum, ait vocari Cophonem ab Aristotele libro de rebus gestis Alexandri quinto. Strabo vero lib. 15. Cophen eum nominat fluuium, qui Choaspen recipit: & paulo post ait, post Cophen fluere Indum.

15. Cauilah Postello parens fuit Indorum Orientalium, quos Gihon seu Ganges alluit: sicut supra Chauila Indos Africanos seu Æthiopas. *Indi duū generum.*

16. Chatzar-Mauet, fuit parens Arabum, vt scribit Epiphanius contra Sethianos. Postellus ait: *Assarmauet fuisse Sarmatarum, seu Sauromatarum Scytharum authorem, vocis affinitas declarat.*

Filios Ioctanis πολυΐςωρ ille Brougthonus, pro sua industria hoc pacto contulit cum gentibus, quarum meminere profani historici:

1. Elmodad. Ἐλδιμαῖος, Ἡμωδός.
2. Shalaph. Σαλαφοὶ, Σελήβιοι.
3. Hatzar-maueth. Σαρμάτης.
4. Iarach. Ἀραχώσιος. Pomponio Arachosia.
5. Hadoram. Ινδὸς, Ωρεῖται, Ῥύμμιος. Arias Montanus huic tribuit Hircaniam.
6. Vzal, siue Auxal. Αὐζακία Ωξος, Ωζος. Oxia Bactriana, cuius incolæ Ptolomæo dicuntur Oxii.
7. D'klah. Δικελλεῖον, Herod. Θάκες Ptol.
8. Obal, Ghobal Οἰβαρεῖς, Καβολῖται. Ptol. Bolitæ siue Obolitæ.
9. Abimael. Ἄβος καὶ Ιμαιοὶ: Imaenses siue Imai; vbi mons Imaus.
10. Scheba. Συηβοὶ, Σάβαι. Ptolomæo & Pomponio sunt sacræ.
11. Ophir. Ὤφαρος ποτ. Ωφαρῖται Plin.
12. Chauila. *Græcum non inueni.* India omnis & Gangeticæ regiones.
13. Iobab. Ἰβοὶ, Ιωμαν, τὸ μ, ἀντὶ τοῦ β, καὶ Ἰωβάρης. Noui orbis pars, regio Parias, auro & margaritis abundans: vbi visitur vrbs antiquissima Iuctan, quæ nomen authoris illius Gentis retinet.

Omnes hos, Chauilah excepto, inueni apud celebres ethnicorum Scriptores. Ex hisce & consimilibus disces συμβολισμὸν elementorum.

24. Ophir nominatur pluribus locis in Scriptura, propter auri, quod eius regio habet, præstantiam. Ab Ophir autem aurum, quod defæcatissimum & purissimum est, dictum volunt obrizum. q. d. ophirizum, tanquam ab Ophir insula petitum. Quid vero sit aurum obrizum docet *Plinius lib. 33. cap. 3.* his verbis: Auri experimento ignis est, vt simile colore rubeat quo ignis, atque ipsum obrizum vocant. De Ophir legere est *3. Reg. 9. 26. Iob. 22. 24. Psalm. 45. 10. 1. Paralip. 29.* Hic operæ pretium est co-

 gnoscere,

gnoscere, vbi sit Ophir, & quodnam eius nomen nostro tempore. Ophir *Iosepho lib. 8. antiquit. Iud. cap. 6.* perhibetur fuisse Aurea Chersonesus, in India sita, supra Gangem, ortum versus, iuxta sinum, quem *Magnum* appellat Ptolomæus: quæ regio quia à Iudæa remotissima fuit, vt ex nauigatione Salomonica, integrum triennium durante, constat; ideo synecdochice postea quæuis longa remota regio, eaque diues admodum & aurifera, aque moribus Iudæorum aliena, Ophir fuit appellata: plane vt nostri homines à proprie dicta India generatim quamlibet regionem valde diuitem, aque nobis & nostris moribus dissitam intelligunt. Vnde Americæ etiam & Mexiconis, & Malakæ, & Brasiliæ regionibus, remotissimis inuicem, sibique contrariis, Hispani *Indiarum* nomen indiderunt.

Ophir regio Indica Orientalis aurifera.

Alii tamen, in quibus est *Henricus Mollerus Psalm. 45.* Ophir eam regionem putant fuisse, quæ transpositis literis *Peru* hodie dicta est, & in quinta orbis parte, *Peruana* nimirum, sita est: cuius partis, præter *Peru*, regiones præcipuæ sunt, *Brasilia, Tisnada, Caribana, Charca, Chili, Chica & Patagonum* regio: insulæ vero nobiliores, *Hispaniola*, à Christophoro Columbo inuenta (quæ & *S. Dominici*) *Boriqua & Margarita*, sic dicta ob margaritarum, quæ hic fit, piscatum. E quibus partim regionibus, partim insulis, præter aurum & argentum, etiam smaragdi, margaritæ, lapis Medicus Bezoar, balsamum, gingiber, saccarum, lignum guaiacum, piper longum & Brasilianum, cassia solutiua, pellesque animantium in Europam transuehuntur. Sed hanc sententiam erudite & copiose refutat Cl. *Caspar Waserus* amicus honorandus, *libr. 1. de antiquis numis Hebræorum cap. 9.* duabus rationibus. 1. Non fit verisimile, Salomonem naues suas misisse in extremas illas oras Occidentales, præteritis Indiis Orientalibus auriferacissimis iisque viciniotibus. 2. Elementorum metathesis nimis infirma est: præsertim quum constet, neque ipsum vocabulum *Peru* illis regionibus commune admodum esse. Cæterum supra diximus aurum ὄβρυζον contracte, vel ὀφίρυζον, sic dictum q. *Ophiryzum*, *Hieronymo teste in comment. in Ier.* Vbi tamen notabis, aliis ὄβρυζον dici, quasi ἄβρυζον, Græca origine ab ἁβρὸς, *pulchrum*, siue *venustum* significante. Siquidem aurum est metallorum pulcherrimum: vnde à Luciano τὸ προσοφιν ὑπερήδιστον, *aspectu iucundissimum*: & ab Euripide, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς, *faustitas pulcherrima mortalibus* vocatur. Sic quæ pulchra sunt, *aurea* dicuntur: vt, *aurea Phœbe, aurea Venus, &c.* apud Virgilium, id est, venusta. Ad extremum audiendus est Beroaldus, qui coniectat Ophir esse insulam *Zaffalam*, vel *Taprobanam*, aut aliam Oceani Æthiopici, vel Indici insulam. *Zaffala* est insula in Oceano noui orbis, ex qua infinita auri vis petitur, quod ibi sint aurifodinæ fertiles, & faciles effossu. Ea autem insula non sine periculo petitur, ob piratas qui auro, & iis, qui aurum exportant, insidiantur.

Alii Ophir est Peru, regio Indica Occidentalis.

Aurum obryzum vnde sic dictũ.

Beroaldi sententia de Ophir.

De

De reliquorum filiorum Iektan ſedibus nihil ad nos certi præter nuda nomina ex Scriptura peruenit. Quamobrem illas prætermittimus, vt nobis incognitas. Ex hactenus traditis diſcamus, πῶς ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς. Circa has familias verſatur omnis hiſtoria ſacra. Præterea, omnis Ethnicorum doctrina ab his ſuam habet originem. De diis ipſorũ res loquitur: quales ſunt *Iapetus*, Heſiodi *Decerto*, Strabonis, *Ammon*, Ouidii, *Cœum*, Virgilii *Anubis*, Straboni *Alilat*, Herodoti, & alii plerique. Denique omnis regnorũ fama, quæ eſt apud illos; omnes ipſorum inuentiones, artes, fabulæ, hinc fluxerunt: quæ ſingula hanc narrationis Moſaicæ partem celebrant.

Coronidis loco hic duo notanda. 1 quomodo Scriptores ſacri doceant locare gentes. 2. quomodo coloniæ ductæ ſint:

De primo.

Gentium ſedes collocantur tribus modis potiſſimum. Ratione mercaturæ, bellorum, & vocationis ipſarum ad Euangelium. *Ratione mercaturæ: Ezech.* 37. hæ cum Tyro mercaturas fecerunt: *Meshech, Tubal, Togarma, Iauan, Elisha, Tarshis, Cittim, Aram, Cedan, Scheba, Regma, Put & Lud. Ratione bellorum: Ezech.* 38. vbi ad Seleucidarum bella hæ veniunt: *Gomer, Magog, Paras, Elam, Madai, Meſchech, Tubal & Togarma.* Etiam *Aſcanas*, Ἄξενος: quod, vt oſtendit Euſtathius, antiquum erat Ponti nomen: quod poſtea Græci & Ouidius Græcum exiſtimarunt, & propter εὐφημίαν *Euxinum* dixerunt. *Cuſch* & *Lubim* apud Danielem ad idem bellum accedunt. Sub Babylonio iugo hæc premuntur: *Mitzraim, Philiſtim, Dedan, Elam, & Madai.* *Brougth. in præfat. concentus S. Script. Ier.* 51.

Ratione vocationis ad Euangelium, hæ nominantur nationes *Eſa.* 66. *Tharſchiſch, Lud, Pul, Tubal, Iauan, Ararat, Meni* (vnde Armeniæ vox eſt compoſita) *Cub, Aſcan.* A *Pul* reges circa Cyrenem dicti ſunt *Ophella* teſte *Iuſtino lib.* 22. aliis *Aphulla*: & lacus *Pal-antias* Plinio: atque ibidem ficta *Pallas*. A *Cub* vero, Κύφη, & Κώβιον ſunt apud Ptolomæum. Ab *Aſcan Aſcana* ſedes celebris eſt.

De ſecundo.

Probe notandum, quod coloniæ perpetuo ab ortu in occaſum ſub ipſam rerum originem ductæ ſint, non contra. Hic latet myſterium, teſte Poſtello. Cur enim gens humana non quæreret occaſum, quum ipſa indies magis ac magis occidat? Colligamus aliquot huius farinæ colonias. Salluſtius (quem Poſtellus inter hiſtoriographos Latinos primum, elegantiſſimum & fideliſſimum nominat) in Iugurthini belli hiſtoria teſtatur in totam Africam traductas olim à Perſis, Medis, Phœnicibus, Armenis, &c. coloniam. *Confer Guil. Poſtel. Salluſtii encomiũ.*

Iberi ab Aſiaticis deducti: Galli à Germanis deſcenderunt: Scythæ à Chaldæis orti, &c. Sicut autem coloniæ ſunt deductæ: ſic & leges, di-

ſciplinæ, literæ, proinde & linguæ. Annon enim Græci eas à Phœnicibus Chaldæiſve habuere? Draco, quem primum legislatorem, αὐτόχθονες, *terrigena* Athenienſes agnoſcunt, quique ob magnam ſeueritatem leges humano ſanguine ſcripſiſſe dicitur, non aliunde ſuarum legum præſcripta habuit, quam à ſapiẽtibus Chaldæorum & Ægyptiorum ac Hebræorum. Olim enim ob viciniam vnum genus erant, quod ad linguam & diſciplinas attinet. Solon, Draconiticæ ſeueritatis moderator, Orpheus, Homerus, Pythagoras, Plato (quem Cicero vbique expreſſit) Ariſtoteles, cæterique Mathematici omnia (facile probauerim) ſua ſecreta hauſerunt ab Ægyptiis, Chaldæis, Hebræis. Certum eſt, Græcos tum demum incepiſſe ſcribere, inclareſcere, & egregie philoſophari, quando res Ægyptiorum, Chaldæorum, & Hebræorum inclinari cœperunt. Hodie videas Athenas ipſas delatas ad Germanos, Gallos, Britannos, Hiſpanos, nomine Barbariæ aliquando infames populos.

Atque hæc quidem habuimus, quę de poſteris Noe diceremus: quorum vſus multiplex, iſque inſignis non poteſt fugere eos, qui S. hiſtoriæ ſunt lectores attenti.

Topographia Chananææ.

TErra Chanaan nobis deſcribenda eſt generaliter, & particulariter.

Generaliter de illa notandi ſunt aphoriſmi.

1. Terra Chanaan à nepote Noe Chanaan, qui fuit filius Cham, ſic dicta eſt, Εὔδηλον ex ſuperioribus, quæ diximus ad *cap.* 10. *Gen.*

2. Hanc regionem cultiſſimam Abraham inſedit. Nam ille, Thare parente ſuo vita functo, monitus à Deo, ex Meſopotamia, quo antea vna cum parente conceſſerat, derelicta Chaldæa, in terram Chanaan venit, traiecto Euphrate & Iordane, vna cum Loth fratris filio. In ea primum tenuit oppidum Sichem, in ea parte, quæ poſtea Samaria appellata eſt. Atque hæc eſt illa terra promiſſa Abrahamo, cui Deus tria promiſſa fecerat; nimirum terram Chanaan, gentem Iſraelitarum ſecundum carnem, & omnes gentes ſecundum fidem.

3. Hæc regio fuit magna pars Syriæ, cuius longitudo à Syria Antiochena ad Ægyptum & Arabiam, latitudo à mari Syriaco ad Cœlen-Syriam, Arabiamque alteram prodiit. Hanc mediam ferme Iordan fluuius ſecuit, qui in lacum Geneſareth ſe fundit, hoc eſt in mare Tiberiadis, & in lacum Aſphaltitem, ſeu mare mortuum ſe exonerat.

De terra Chanaan. 4. Poſt Abrahami tempora à ſeptem populis habitata fuit hæc terra, Amorrhæis, Chananæis, Gergeſæis, Hettæis, Heuæis, Iebuſæis & Pherezæis, quibus etiam Philiſtæi, ſeu Palæſtini adiungi debent: à quibus tota regio nuncupata eſt *Palæſtina.*

5. Inde

5. Inde posteri Israel, cum hanc armis occupauissent, *terram Israel* appellarunt, atque in duodecim partes diuiserunt, quas tribus vocarunt, hoc modo. Trans Iordanem, Ruben, Gad, Manasse: cis Iordanem, Iuda, Beniamin, Simeon, Ephraim, Dan Aser, Isaschar, Zabulon & Naphthali: è quibus Manasse & Ephraim, duæ tribus, in vnius Iosephi locum substitutæ sunt, Leuitis interea sparsim per alias tribus oppida quædam sua & agros colentibus.

6. Mansit hæc Israelis appellatio, vsque ad obitum Salomonis, toti huic terræ communis. Sub Roboamo autem diuiso per seditionem regno, tribus duæ, Iuda & Beniamin διαχειλικῶς dictæ sunt *regnum Iuda*: decem reliquæ *regnum Israel*.

7. Ista nominum ratio vulgata fuit vsque ad solutam captiuitatem, quo tempore terra omnis Israel in Samariam & Galilæam distincta est, Iudæa vetus suum nomen perpetuo retinente. Tres igitur huius regionis partes cis Iordanem celebrari cœperunt, Iudæa, Samaria, & Galilæa interiores: Palæstina vero maritima, Isuræa, Trachonitis, & Chalcidica trans Iordanem.

8. Iudææ vrbes fuerunt, Ierusalem, Bethel, Hiericho, Arimathia, Emmaus, siue Nicopolis, Bethleem, Hebron, Cariathiarim, & Eleutheropolis.

9. Samaria ab vrbe eius nominis appellata, hæc oppida habuit, Silo, Sichem, siue Sichar, & Samariam, quæ fuit metropolis, Hebraice Schomron, Græce Sebaste, quam in monte Somer tribus Ephraim, rex Amri condidit.

10. Galilæa iam tum, cum Israelitæ traiecerunt, hoc nomine nuncupata est. Eam gentes magna ex parte tenuere; ideoque Galilæi Iudæis & Samaritanis inuisi fuerunt.

11. *Galilæa* duplex fuit; *superior*, ad mare Syriacum pertinens, vicina Phœnicibus, quæ & Galilæa gentium dicta est: & *inferior* ad mare Tiberiadis, in qua Nazareth & tota tribus Zabulon. Atque hinc liquet, cur Nathanael ita contemtim locutus sit. *Iohan.* 1. Cur item Pilatus *Luc.* 23. qui Iudææ præfectus erat, audiens Iesum esse Galilæum (tametsi nō fuerit) eum ad Herodem Antipam, qui per eos dies Hierosolymis erat, miserit, nolens scilicet inquirere in eum, qui ad alterius præfecturam pertinebat. Cæterum Galilæa præter Nazareth amplexa fuit hæc oppida, Naim, Capernaum, Bethsaidam, quæ post Iulias, & Paneadem, quæ post Tiberias appellata est.

12. Palæstinæ vrbes celebratæ Geth, Gaza, Azotus, Accaron, & Ascalon, ex qua ciuitate oriundus fuit Herodes, cognomento Ascalonita: vbi nota carmen de tribus istis regibus, qui nomine hoc *Herodes* appellati fuerunt.

Ascalonita necat pueros, Antipa Iohannem,
Iacobum Agrippa, claudens in carcere Petrum.

13. Phœnicia complexa fuit Sidonem, Tyrum, & Sareptam. Occuparunt autem Philistæi & Phœnices magnam partem oræ maritimæ: neque ex ea (Deo ita volente) pulsi sunt.

14. Hodie hæc terra dicitur Palæstina, item Sancta; quia Christus eam nobilitauit doctrina, miraculis, morte.

Terra Chanaan nunc particulariter consideranda: vbi primo indicem vrbium Chananæarum, in quas regio illa tempore Christi, & Apostolorum diuisa fuit, adferemus in medium.

1. *Phœnicia.*

Sidon, in littore maris Syriaci, in finibus Palæstinæ; sic dicta à Sidone conditore, qui fuit filius Chanaan, quamuis *Iustin. lib.* 18. à piscium vbertate sic dictam velit. Nam pisces, inquit, Phœnices Sidon vocant. Hinc à Poetis dicitur piscosa Sidon. Murex Sidonius, seu purpura Sidonia sic dicitur, quod mare Syriacum, Tyrum & Sidonem alluens, purpuræ admodum ferax & fœcundum esset. Murex autem est nomen piscis marini, ex genere concharum, ex quo color purpureus conficiebatur. Distabat ab vrbe sancta milliaribus Germ. 30.

Tyrus, primo colonia Sidonis, deinde metropolis Phœniciæ. Talis fere olim situ, opibus, & potentia in mari Syriaco, qualis nostro tempore est vrbs Veneta in æstuariis sinus Adriatici. Quam autem splendida & opulenta fuerit hæc vrbs patet ex *Ezech.* 27. & 28. *cap.* Distabat à Sidone 3. mill. Germ.

Sarepta, sita erat inter Tyrum & Sidonem: distans à Sidone mill. dimidio cum quadrante.

2. *Galilæa superior, seu Gentium.*

Bethsaida, Capernaum & *Chorazim*, sitæ erant ad mare Galilææ Genezareth, quod & Tiberiadis. Capernaum & Bethsaida distabat 1. mill. Chorazim à Capernaum itidem 1. mill. Bethsaida à Bethlehem 3. milliaribus distabat.

3 *Galilæa inferior.*

Zabulon à Cana distabat 1. milliari.
Cana minor à Nazareth 3. milliaribus.
Nazareth & *Thabor* mons distab. 1. milliari.

4. *Samaria.*

Tiberias & *Naim* distabant tribus milliaribus.

Naim & *Samaria* distabant $6\frac{1}{2}$. mill. Hæc quoque complexa est oppida Silo, Sichem & Sichar.

5. In-

5. *Iudæa.*

Metropolis erat *Ierusalem*.

Emmaus distabat à Ierusalem 2. milliaribus. Alias *Nicopolis*.

Bethania à Ierusalem distabat quadrante milliaris.

Betphage à Ierusalem tribus quadrantibus.

Bethlehem à Ierusalem $1\frac{1}{2}$. milliaribus.

Hebron torrens distabat a Ierusalem 2. milliarib.

Hiericho 5. milliaribus distabat à Ierusalem. His adde Ciriathiarim & Eleutheropolin.

Secundo loco in particulari descriptione terræ Chanaan occurrunt constitutio cœli, montes, flumina, deserta, syluæ, arbores, animalia.

Constitutio cœli.

Aer fuit in Palæstina valde calidus, aut potius feruens. Cum enim fuerit regio meridionalior, omnia feruidiora & aridiora fuisse necessum est. Hunc calorem auxit, quod multæ arenæ, multa saxa ibidem fuerunt. Nam constat lapides ad vehementem radiorum solarium repercussionem feruere, adeo vt concipiant summũ calorem, & veluti ardentes carbones amburant manum contrectantis. Accessit ventorum Orientalium ac meridionalium siccorum & omnia adurentium vehementia. Hinc fit, *Constitutio cœli in terra Chanaan.*

1. Vt in S. literis æstus ponatur in rebus molestis, & pro calamitatibus: vt, per diem consumsit me æstus: Gestauimus pondus & æstum diei: Messias erit munimentum contra æstum: Exarui sicut ariditates æstiuæ.

2. Vt commendentur vmbræ & refrigerationes. Quia enim tantus eo loci fuit æstus, maxima fuit ibi vtilitas & necessitas refrigerij, siue ex vmbra, siue ex nube, siue ex ventorum respiratione, siue ex aquis, pluuiis, rupibus prominentibus, & rore. Hoc si probe obseruetur, facillime intelligemus, quid sibi velint metaphoræ & phrases variæ ab vmbra, aqua, nube, vel petra refrigerante.

3. Vt turbines ventorum & tonitrua magnifice celebrentur; quæ in locis calidis sunt vehementoria.

4. Vt pluuiæ magnus interdum ibi sit defectus. Nam æstate per integros ferme tres menses nulla ibi est pluuia, teste Hieron. sed tantum ibi sunt pluuiæ, vt vocant, matutina & serotina, id est, cadens tempore sementis, & in autumno, & cum iam germinant spicæ, tempore verno, sicut & in Cypro accidit. Ideo Samuel c. 12. l. 1. tanquam singulare miraculum in testimonium suæ innocentiæ & peccati populi facturus, impetrat vt media æstate tonet, & pluat. Ratio autem ꝙ pluuia æstate media in Palæstina, vt & in India, sit rarior, hæc est: Ingens æstus absumit vapores, vnde nubes creari possunt. Hinc è defectu pluuiæ tam longi temporis, & ex illis immensis ardoribus, sequi solitæ sunt illæ ariditates herbarum,

rum, frugum & arborum. Vnde celebrantur arbores & herbæ sitæ ad decursus aquarum, & cum iis conferuntur pij: sicut contra impij, cum arboribus contrario modo se habentibus: sicut enim arbores in locis aridis destituuntur humore: ita impij fauore Dei.

Montes.

Montes terræ sanctæ.

Montosa valde fuit regio hæc. Fuerunt autem alii montes præalti, vt Thabor, Carmelus, Hermon, Libanus, & alii quidam: alij fuerunt minores, quos vocant colles: alij fuerunt valde acuminati & prærupti, vt Garizin & Ebal, monticuli duo præacuti, sibi admodum vicini. Vide *Deut.* 27. v. 8. *Iudic.* 9. Præterea alij montes fuerunt syluosi, & pascui, vt Basan: vnde celebrantur arietes, tauri, & quercus Basan: alij vinetis, ficubus, & oliuetis fuere consiti, & plerique vtiles, non steriles & calui, vti sunt multis in locis. Fuit item multis vallibus referta, quarum aliæ fuerunt mediocres, cultæ & amœnæ, cuiusmodi fuit illa pulcherrima vallis Hinnon prope vrbem sanctam, quæ postea propter idololatriam Tophet dicta. Talis fuit vallis Sodomæ. Aliæ fuerunt admodum profundæ ac vastæ, syluis & dumis refertæ, eoque intus tetræ & horrendæ: vnde illud *Psal.* 23. Etiamsi ambulauero per vallem vmbræ mortis, non timebo malum, quia tu mecum es. Cæterum nominatissimi montes sunt:

1. *Thabor* est mons Galilææ, inter mare Tiberiadis & oppidum Nazareth, in finibus tribus Zabulon, in quo torrens Cison suam habet originem. Videtur esse mons ille, cuius mentionem facit *Egesippus lib.* 4. *c.* 4. de excidio Hierosolymitano. Dicit montem Galilææ Thabirium tam altum esse, vt eius altitudo triginta sit stadiorum, vertex autem ipse campestris stadiorum viginti trium, & qui ipse quoque cum tota Galilæa in potestatem Romanorum tum venerit. Ortelius existimat, quod mons Thabor sit Mastois Polybij; qui habet ascensum quindecim stadiorum, & in vertice oppidum Ἀταβύριον, quod à monte suum nomen accepisse putat.

2. *Libanus*, cedris & aliis arboribus altissimis olim nobilis. Nomen habet à candore niuium, quibus vertices altorum montium perpetuo teguntur. *Laban* enim Hebræis est candidus: vnde & alpes ab albedine dictas volunt. Tota autem illa regio montosa, quæ est inter mare Syriacum, & vrbem Damascum, Palæstinæ finitima, versus Orientem & Septentrionem appellatur Libanus; pars illi opposita, Antilibanus.

3. *Hermon*, est pars montis Libani, quæ versus Orientem porrigitur, & regnum Basanitides à CœleSyria dirimit, stringens Galilæam à Septentrione & ortu. Basanitis autem est regio inter Iordanem & montem Libanum, vallem Hermon & Ityream, feracissima. Olim assignata fuit dimidiæ tribui Manasse.

4 *Sion*, mons vrbis Hierosolymæ, arduus & præruptus, arce Dauidis, & sepultura regum nobilitatus.

5. Carmel

5. *Carmel*, mons in Gilead. *Iof.* 25. 1. *Sam.* 25. Sæpe tamen eſt nomen appellatiuum, & ſignificat quemuis locum fertilem, quaſi dicas Cheremale vinetis plenum, vbi omnia hortis & vineis exculta ſunt. Sic & Libanus aliquando ſignificat loca ſelectiora, *Nahum* 1. item ipſum templum & vrbem ſanctam, ſiue ob elegantiam, ſiue ob eminentiam, ſiue potius quia templum & ciuitas multum ex cedris Libani erant extructa. Vide *Zachar.* 11. Fuit autem Carmel, non procerarum arborum nomine celebris, vti Libanus, ſed paſcuorum, ſegetum, ac vinetorum, vnde & nomen ſuum traxiſſe videtur. Ideo *Eſa.* 29. dicitur, quod Libanus conuertetur in Carmelum, & contra Carmelus exaltabitur, id eſt, quod Deus ſuperba ac potentia humiliabit, & contra humilia & afflicta exaltabit.

6. *Silo*, fuit montis & oppidi nomen, in finibus tribus Iudæ, Beniamin & Ephraim: vbi primitus ſedes tabernaculi & arcæ fuit vſque ad tempora Samuelis. Diſtabat ab vrbe ſancta verſus occaſum ſolſtitialem vnico mill. Germ.

Flumina.

Flumina ibi fuere perparua, ſeu riui potius, præter vnum Iordanem, cuius magnitudo celebratur. Nobilis eſt ille fluuius baptiſmo Chriſti, & aliis miraculis Nomen habet à duobus fontibus, Ior & Dan è quibus ad radices Libani erumpentibus, & poſtea coeuntibus ipſe Iordan profluit, ſicut ex alpibus Rhenus. Quidam dictum ſic volunt, quaſi ואור דן, *lumen iudicii.* Sed hoc eſt ineptum. Appellatur quibuſdam עין היונה, *fons columba*; quia ſcil. ibi Spiritus ſanctus ſub ſpeciæ columbæ ſingularem ſuam præſentiam teſtatam fecit, vt eſt *Matth.* 3. Torrentes celebriores, quorum fit mentio in ſacris, ſunt *Siloah*, ſiue Siloam, & *Kidron*, ſiue Kedron, *Flumina terra ſancta.*

Deſerta.

Deſerta hic fuerunt maxima; eaque partim culta, partim inculta, Cultum deſertum fuit illud, in quo prædicauit Iohannes *Matth.* 3. vbi habitauit Zacharias, *Luc.* 1. vbi quoque domum Ioab fuiſſe legimus. 2. *Sam.* 2. cuius deſerti ſex oppida numerantur *Ioſ.* 15. Reliqua deſerta maximam partem fuerunt inculta, ob inopiam aquarum, & arenas multas: vbi nihil creuit herbarum, vel arborum: ſicuti contra in Septentrionalibus locis, vt Polonia, Lituania, Liuonia, & Moſcouia, ob nimias paludes & ſtagna, multa loca non coluntur. Poſſis igitur dicere, deſerta meridionalia oriri ex defectu humiditatis, & abundantia caloris: contra Septentrionalia ex defectu caloris, & abundantia humiditatis. Hinc intelligimus, quare Spiritus ſanctus hinc inde prædicet fore vt tempore Meſſiæ in deſertis ſint ſcaturigines aquarum, ſtagna, pinus, ac abietes. Talium enim rerum maxima inopia erat iſtis in locis, contra quam in hiſce locis videmus. Talium arenoſarum & ſiccarum ſolitudinum Aſiæ & Africæ faciunt etiam *Deſerta terra ſancta.*

Nnn mentio-

mentionem crebro Romani historici, & annotant, exercitum illis in locis sæpe siti ac æstu prope exanimatum fuisse.

Sylua.

Syluæ & arbores terræ sanctæ.

Raræ ibi fuerunt pulchræ & magnæ Syluæ, eoque etiam charæ & celebres. Hinc crebræ ab iis metaphoræ & similitudines.

Arbores.

Variæ ibi fuerunt arbores & arbusta, in quibus Palmæ & Balsami fuerunt nobilissimæ, quæ etiam cum suis fructibus in Scriptura celebrantur. Satyricus etiam prædicat illud Iudaicum balsametum. Habuerunt malogranata, ficus, ac oleas, nobiles fructus ferentes. Vina ibi creuerunt optima; ideoque vinetorum fuerunt studiosissimi, summoq; studio optima genera vitium quæsierunt, & vel ex longinquo petierunt, plantarunt ac propagarunt, & vineas earum excoluerunt. Hinc illæ similitudines à vineis; quibus Spiritus S. voluit partim ostendere singularem Dei curam erga Ecclesiam vineam suam, tum docere nos, quanta beneficia expectanda sint à Christo, vite nostra, tum denique, quomodo nos erga vinitorem & vitem gerere debeamus, vt palmites nimirum; quo ipso etiam conuincimur miseriæ. Sicut enim palmes tum nascitur ac crescit ex vite penitus, tum omnem vitam ac succum inde trahit, tum denique omnes fructus eius vigore producit; ita & nos sumus, si ad Christum referamur.

Animalia.

Feræ non paucæ fuerunt illis in locis, nobis minus notæ, leones, vrsi, lynces, & similes. Illæ solitæ sunt grassari in homines, Deo illas excitante: vnde quatuor plagis principalibus annumerantur, vt ex illo versu videre est:

Bella, fames, pestis, bellua, plaga Dei.

Fuerunt ibi viperæ venenatissimæ, vnde Diabolus, & homines desperati cum serpentibus comparantur. Fuerunt etiam ibi scorpiones nocentissimi. Videntur quoq; asinos candidos habuisse, quibus magnates quoque insidere sunt soliti. *Iud.* 10. & 12. Sicut & hodie in Italia moris est.

Terræ aliorum populorum qui vicini fuerunt terræ Chanaan, præcipuæ fuerunt hæ.

1. *Ægyptus*, quæ à poetis regio Pharia nuncupatur, forte ideo, quia rex Ægypti dictus fuit Pharao; quod fuit commune cognomen omnium illorum veterum regum Ægypti, sicut reginæ Æthiopię cognominabantur Candaces, & posterioribus seculis reges Ægypti, Ptolemæi, & hodie Imperatores Romani vocantur Cæsares & Augusti, quod posterius nomen si malis ab augendo, quã ab Augusto Imperatore deriuare, non repugnabo. Vel etiam sic dicta est à Pharo, quæ est insula maris Ægyptii, in qua fuisse celebratur à Plinio *l.* 36 *c.* 12. magnifica & altissima turris, cuius vsus fuerit nocturno nauium cursui ignes ostendere ad prænuncianda vada, portu-

portusque introitum: vnde huiusmodi turres maritimæ in aliis quoq; locis extructæ vocantur *Phari*: quales ad ostia quoq; Traui & Varni visuntur. Huius terræ portio constitui potest *marubrum*, quod à Ptolomæo vocatur sinus Arabicus, ab aliis mare Erythæum, ab Erythra rege iuxta habitante, vel in eo submerso. Dicitur mare rubrum, non quod tale sit (colore siquidem à cæteris non differt) sed quod in littore eius multæ crescerent carices, quæ illud colore rubro imbuebant. Hinc quidam vocant *mare caricosum*; alii, *algosum*. Nam סוף est iuncus, iuncetum alga, carectum, i.e. locus caricibus plenus. Hebræis dicitur ים סוף. Hic obiter obserua Israelitas non transiuisse diametraliter per hoc mare, sed semicirculariter, vt ita dicamus.

2. *Arabia*; cuius partem incoluerunt Ismaelitæ, dicti alias Agareni ab Agar ancilla. Hi post Christum natum maluerunt dici Saraceni à Sara libera. Partem etiam occuparunt Miridianitæ, Moabitis vicini.

3. *Gabala*; regiuncula Arabiæ, finitima Iudææ, sedes Gebalitarum.

4. *Idumaa*; in qua habitarunt Amalekitæ, vicini Iudææ versus meridiem. Idumæi alias dicuntur Edomitæ, & Idomitæ.

5. *Chaldaa*; cuius metropolis fuit Babel, seu Babylon, de cuius amplitudine *Arist.* 3. *polit.* scribit, quod illa ab hostibus capta, fuerit pars illius, quæ post tertium diem id factum esse nondum senserit.

CAP. CXV.

Politia populi Dei, seu Respublica Hebraorum.

Character politicus, est quo considerantur ea, qua in sacris literis pertinent ad Rempublicam populi Dei, seu politiam illam.

Hoc loco late accipimus vocabulum Reip. & Politiæ, ita vt complectamur sub eo œconomicum statum, politicum in specie sic dictum, & Ecclesiasticum.

Respublica populi Dei consideratur quoad statum œconomicum, politicum & Ecclesiasticum.

De statu œconomico sunt ha monitiones.

Status œconomicus populi Iudaici qualis fuerit?

1. Chananæi vixerunt plerumque ex agricultura, ex re pecuaria, ex vinetis, oliuetis, palmetis, & ficetis. Artifices, mercatores, nautæ, metallici, & consimiles ibi fuerunt rari. Piscatio quoque non ita magna fuit, maior tamen quam venatio. Non fuerunt ibi multa stagna præter Generasiticum & Capernaiticum. Nec omnes piscosi præter Iordanem fuerunt. Tum porro piscinas multas ob inopiam aquæ non potuerunt habere.

2. Multis operis in re rustica, messe & vinetis indiguerunt. Hinc multa mentio mercenariorum in sacris.

3. Triturarunt bobus, quibus interdum ora obstruxerunt, vt ne subinde aliquid frumenti arriperent: sicut hodie in Alpibus solent ora ob-

struere equis onerariis, ne pabuli causa de via decedant, sed sese inuicem sequendo pergant. Interdum etiam triturarunt plaustris & retis, quibus ferrei dentes erant impacti. Triturarunt & baculis. Nimirum pro diuersitate frumentorum & leguminum, diuersis rationibus & instrumentis sunt vsi.

4. Non fuerunt quidem multum versati in mari, & rebus marinis: nec tamen adeo fuerunt ab illis alieni. Hinc in sacris fit mentio insularum, littoris, naufragiorum, negotiationum maritimarum, fluctuum marinorum, & similium.

5. Coctis cibis & ferculis variis non tam frequenter vsi sunt, vt septentrionales: sed vt plurimum terra nascentibus & frigidis: vt pane, leguminibus, ficubus, nucibus, vuis recentibus & siccatis, caseo, lacte, butyro, oleo, melle, & similibus. Sæpe solo pane & aqua epulati sunt.

6. Æstiuo & pacato tempore multum in vinetis habitabant, captandi frigoris ergo. Hinc illæ phrases, habitare sub vite, sub ficu sua. Fit idem in Italia, & aliis locis hodie.

7. Soliti sunt tabernacula sua in locis amœnis tendere. Interdum etiam vestimentis suis noctu se texerunt. Habuerunt enim superiorem seu exteriorem vestitum longiorem, & forme talarem, vt loquimur; sicut etiam nunc Turcæ, Hungari, Persæ, & olim Germani. Tabernaculorum forma quæ fuerit, non facile aliquis explicauerit.

8. Præcipuæ familiæ habuerunt sua propria sepulchra: qui mos etiam hodie in Italia seruatur, & olim in Græcia. Hinc ditiores familiæ solitæ sunt sibi ac suis splendida monumenta erigere, quæ intus lapidibus constructa fuerunt, vt ne terra mortuos attingeret. Hinc illa phrasis: *Sepulchra dealbata.*

9. Non soliti sunt extra tribum suam matrimonia contrahere, vt colligitur ex fine Numerorum. Hinc redditur ratio, cur Matthæus & Lucas progenitores Christi alio modo recensuerint.

10. Multum coacti sunt molere, vel equis, vel etiam manibus, ob inopiam fluminum perennium.

11. Soliti sunt osculo se inuicem salutare. Osculo etiam soliti sunt serui se obstringere dominis. Hinc illa locutio *Psal.* 2. Osculamini filium, id est, subiicite vos ei. Hinc in veteri Ecclesia fuit mos osculandi se inuicem in templo.

12. Laxos sinus habuerunt. Inde, mensuram alicui in sinum effundere, abscondere manum in sinu.

13. Cingula habuerunt ex peplis, vt hodie Turcæ & Pannones. Vnde est locutio Christi, æs portare in cingulis: & *Prouerb.* 31. vxor strenua dicitur sidonem & cingula texere.

14. Vinum, aquam, aliosque liquores in vtribus portabant. Mustum posue-

posuerunt in vtres nouos; quia ob flatus oportuit illud contineri vasis validis. Vinum vetus in vtres veteres reposuerunt.

15. Helluationes & potationes illis non fuerunt inusitatæ. Hinc multa mentio lautorum & intempestiuorum Symposiorum. Soliti etiam sunt, id quod etiam Romani fecerunt, singulis ex tota familia dare certam quantitatem cibi & potus. Hinc locutiones, demensum, & portio calicis.

16. Terram soliti sunt herciscere & metiri funibus, & proiecerunt sortes.

17. Omnes meridionaliores & Orientaliores magis affectibus ardent, magis etiam eos foris produnt, quam Septentrionales. Magis amant, magis irascuntur, magis oderunt, magis concupiscunt, magis dolent. Hinc dolorem suum testati sunt inedia, sordido vestitu, laceratione capillorum & vestimentorum, percussione & pectoris & corporis, iacendo in cinere & cilicio: vt quando luxerunt obitum parentum, liberorum, coniugum. Quanta & quam indomita sit illorum ira, vel ardor libidinis, facile in Græcis, Hispanis, & Italis videre est. Talis omnino fuit ratio Iudæorum, quibus hanc ob causam proculdubio polygamia fuit concessa, tametsi pii eam potius ob sobolis studium adhibuisse videntur.

18. In sumendo cibo protensi recumbebant humi, seu in pauimento lectis instrato, ita vt quasi circulum quendam facerent, capitibus quidem semper introrsum ad epulas, pedibus vero extrorsum porrectis. Quare semper sequens in prioris sinu recumbere videbatur, dum caput eius quasi incumbebat pectori superius accumbentis. Hinc *Ioan.* 13. dicitur Iohannes Apostolus in vltima cœna recubuisse in sinu Iesu, & mox, incubuisse pectori Iesu.

Status politicus populi Dei plenius nobis erit describendus. Diuidemus autem hanc tractationem in tres titulos; dicturi, de forma Reip. de consiliis & iudiciis, & de magistratibus.

Forma Reip. Hebræorum.

1. Quatuor à principio hominum quasi stirpes, aut propagines extiterunt, quas Scriptura γενέσεις, id est, generationes appellat. Vna à primo homine Adam vsque ad Noe: altera à Noe ad Abraham: tertia ab Abraham ad Dauidem regem: quarta à Dauide ad Christum. Secunda ætate Hebræi, tertia Israelitæ, quarta Iudæi emerserunt. Vnus scilicet idemque populus tria diuersa sortitus est nomina. *Respublica Hebræorũ qualis fuerit?*

2. Hebræorum ortus & progressus sic habet. Noe genuit tres filios, Sem, Cham & Iaphet. Progenies Sem maximam partem in vero Dei cultu perseuerauit, & soboles Chami & Iapheti prorsus ab eo defecerunt.

Quare Scriptura posteritatis Sem tantum meminit. Hæc vero progenies prima Hebræorum nomen gesserunt, sic dicti ab Heber, qui quod expers consilii de ædificanda turre esset, veterem sermonem retinuit, quo deinceps vsi sunt ipsius posteri. Diuisa autem terra, Heber in Chaldæa & in Oriente permansit: Iaphetis autem posteritas Occidentem occupauit: Chami vero, quæ intermedia sita sunt.

3. Abraham ex Vr Chaldæorum, vbi pater ipsius deos colebat, vna cum Patre, & Loth nepote Patris sui, venit in Mesopotamiam, regionem inter Tygrim & Euphratem, & sedes in vrbe Charris posuit. Idem post mortem patris à Deo monitus, vna cum Loth, fratris filio, inde Euphratem & Iordanem traiecit, & in terram Chanaan venit, quæ postea Iudææ nomen obtinuit, & oppidum Sichem tenuit in ea parte, quæ postea Samaria appellata est. Idem suscepit ex Agar ancilla filium Ismael, ex Sara vero coniuge Isaac: ex quibus duo populi prodierunt, Ismaelitæ, qui à Deo defecerunt, & Israelitæ, qui postea sic dicti sunt à Iacobo. Isaac inde duos filios genuit, Esau, qui & Edom, & Iacob, qui à Deo Israel appellatus est. Ab Edom Idumæi populi, à Deo auersi, descenderunt: ab Israele Israelitæ, qui veterem Dei cultum retinuerunt.

Duodecim filii Iacobi patriarchæ

4. Iacob genuit duodecim filios: *ex Lea* vxore sex, Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Isaschar & Zabulon: *ex ancilla Bala* duos, Dan & Naphthalim; tum ex altera incilla *Zelpha* totidem, Gad & Aser: postremo ex *Rachele* secunda coniuge, Ioseph & Beniamin. Fratres inde decem Iosephum, quod patri charus esset, & sapientiæ laude præstaret, patre inscio vendiderant mercatoribus Ægyptiis. Iosephus autem ob egregiam somniorum interpretationem ad summos honores euectus fuit à rege, & rei frumentariæ inopia cum laboraret terra per septem annos, ab eodem curandæ annonæ cum summa authoritate præfectus fuit. Iacob compulsus illa annonæ caritate, filios suos in Ægyptum misit, vbi frumentum in multos annos congestum audierat. Tandem & ipse eo venit, vbi cognouit filium suum ibi degere in summa authoritate constitutum. Hac igitur occasione Iacob terram Chanaan, in qua vixerat peregrinus, reliquit, & cum septuaginta capitibus in Ægyptũ se contulit: vbi aliquot annos egit, ac demum moriens, duos filios Iosephi, Manassem & Ephraim adoptauit, & duodecim illis suis filiis adiunxit, vel potius in locum Iosephi substituit. Iacobo rebus humanis exemto, Ioseph principatum familiæ gessit, ac post aliquot annos & ipse mortuus est, relictis in Ægypto vndecim fratribus & duobus filiis, qui ingentem & numerosam nepotum sobolem procrearunt. Hic populus vbi succreuit, diuisus est in tredecim partes, quas tribus vocarunt, nimirum tribu Iosephi in duas diuisa, in tribum Manasses & Ephraim, reliquis vndecim denominatis à principib. suis, videlicet Ruben, Simeon, &c. quæ nomina paulo ante commemorauimus. Cum autẽ

Israelitæ in Ægypto indigna premerentur seruitute, Deus illorum misertus misit Mosen, Leui pronepotem. Hic, adiuuante fratre Aharone, sexcenta hominum millia ex Ægypto eduxit, variis prius plagis affecta tota Ægypto. Inde mari rubro traiecto, non secundum lineam rectam, sed semicircularem, (vt ita dicam) cum persequentium Ægyptiorum manus euasisset, per deserta Arabiæ longo instituto itinere transiit, atque ibi, Deo ita volente, populum licet inuitum atque reluctantem; annos quadraginta retinuit. Iter ex Ægypto in terram Chanaan erat expeditum, & paucorum dierum, per Isthmum, montem Casium, & regionem Cedar, qua via ipsorum maiores, Iacob nimirum cum suis ingressi in Ægyptum fuerant: sed vt est *Exod.* 13. duxit eos Deus hac via, multis de causis, ita vt fuerint mansiones vsque ad Iordanem XLI. hoc ordine.

Peregrinatio Israelitarum in deserto.

1. Ex Ægypto profecti sunt, nempe ex Rameses. *Exod.* 12. Ventum est Succoth: ex quo loco comitata est ipsos columna ignis & nubes. *Exod.* 33. *Num.* 33. *Itinera deserti.*

2. Ethan in fine deserti.

3. Pihachiroth inter Migdol & mare, ante Baal Sephon. *Exod.* 14. Inde transierunt per mare salui, merso Pharaone cum copiis suis.

4. Desertum, in quo post tridui iter venerunt ad Marah. *Exod.* 15. Vocatur desertum *Ethan Num.* 33.

5. Elim, vbi 12. fontes, palmæ 70. *Exod.* 15.

6. Mare Suph. *Num.* 33.

7. Desertum Sin, inter Elim & Sinai. *Exod.* 16. Hic pasti coturnicibus & manna.

8. Daphcah. *Num.* 33.

9. Alusch.

10. Raphidim. *Exod.* 17.

11. Desertum Sinai, quo ventum mense tertio, & lata lex triplex, moralis, forensis & ceremonialis. *Exod.* 19. Manserunt hic an. 1. dies 4.

12. Desertum Paran, vbi dati coturnices. *Num.* 11. loco, qui dictus est *sepulchra concupiscentiæ.*

13. Chaseroth. *Num.* 11. vbi Maria est punita lepra. *Num.* 12.

14. In deserto Paran ventum ad Kades. *Num.* 12. vbi manserunt annos totos 37. cum dimidio. *Deut.* 2. Hinc missi exploratores. *Num.* 13. Murmur. *Num.* 14. & posita sunt Castra ad Rithmah.

15. In Paran castra ad Rimmon Peretz. 16. Libna. 17. Rissa. 18. Chehlah. 19. Mons Sepher. 20. Charadah. 21. Macheloth. 22. Tachach. 23. Tarach.

rach. 24. Mittah. 25. Chasmonah. 26. Moseroth. 27. Bene Ioachan. 28. Gilgad mons.

29. Iothbathah. 30. Habronah. 31. Hetzion Gaber, ad mare rubrum.

32. Cades in deserto Sin. *Num.* 20. & 33. Hic moritur Maria; & aqua datur è petra. Nuncii mittuntur ad regem Edom.

33. Chor mons, in extremo Edom. *Num.* 20. Hic moritur Aharon, pugnaturque cum rege Chanaan. *Num.* 21.

34. Salmonah. Hic serpens æneus erectus.

35. Punon. *Num.* 33. 36. Oboth. *Num.* 21.

37. Montes Habarim in termino Moab. *Num.* 21.

38. Dibon Gad. *Num.* 33.

39. Halmon Diblathaim. 40. Habarim mons.

41. Campestria Moabitarum: vbi Moses mortuus. *Deut.* 34.

5. Moses moriturus ducatum Israelitarum Iosuæ, oriundo ex tribu Ephraim, tradidit. Is demum, Iordane traiecto, terram Chananæam obtinuit, ac reges eius.

31. Deuicit, atque armis regionem ferme totam subegit. Quo facto, iussu Dei illam duodecim tribubus, partim arbitrio, partim sorte distribuit. Tribus autem Leui, quæ decima tertia erat, non accepit terræ partem certam: sed Leuitæ ei tribui adscripti sunt, in cuius finibus habitarunt. *Num.* 1.

Duæ formæ Reip. Hebræorum.

6. Hæ tribus, postquam sedes firmas in Chananæa locarunt, rempublicam certam constituerunt, quam Deus præscripserat. Huius reipub. formas duas fuisse legimus, Aristocratica, & Regia. Aristocratica fuit sub Mose, Iosua, Senioribus, & Iudicibus; Regnum sub regibus, quorum primus Saul fuit, secundus, Dauid, à quo vsque ad Sedechiam regnum inter Iudæos hæreditarium euasit. Sedechias à Nebucadnezare vna cum populo captiuus est abductus Babylonem: vbi detenti sunt ad annos 70. quibus exactis Iudæi reuersi sunt in patriam, & ipsorum Resp. rursus adducta est ad Aristocratiam, seu formam optimatum. Eo enim tempore Pontifices, & Sacerdotum & Iudicum partes impleuerunt, donec populo ab Antiocho illo Epiphane (quem scite Epimanen dicunt) seruituti oppresso, Leuita Assamonæorum familia insurrexit, qui primum sub titulo principis, deinde sub nomine Regis, manentibus veteribus institutis, rem Iudæorum vniuersam administrarunt. Quibus extinctis reges proselyti Ascalonitæ successere, qui tyranni potius, quam reges appellari debent. In iis fuerunt Herodes Magnus, Antipatri filius, & Archelaus, Magni filius, & Agrippa nepos in Iudæa, Herodes Antipa tetrarcha in Galilæa, & duo Herodes Agrippæ in Chalcidica. Hi potestatem creandorum Pontificum à Romanis, Iudæam tunc obtinentibus, acceperunt. In-

de

de pulsis Ascalonitis, Romani magistratum & tributum imposuerunt, legibus eorum ferme relictis. Sed rebellantibus Iudæis, vrbem cum templo incenderunt, & illos tanquam mancipia in omnes mundi angulos disperserunt.

7. Resp. Hebræorum tripertita fuit. *Summa* fuit, quæ 12. tribus complexa est; cuius sedes erat Ierusalem. *Secunda & media Resp.* habuit præfectũ, qui princeps tribus dictus est: itemque alios, qui familiares principum fuerunt. *Tertia & infima* fuit cuiusque ciuitatis. Singulæ enim ciuitates habebant suum senatum. *Resp. Hebræorum tripertita.*

Consilia & Iudicia Hebræorum.

Ciuilis administratio Reip. Hebræorum plene cognosci potest, si attendamus ad *Consilia, Iudicia, & Magistratus.*

Consilia fuerunt cœtus illi, qui ea præcipue statuerunt, quæ statum vniuersæ Reip. continuerunt: vt bellum, pacem, annonam, legum institutionem, magistratuum creationem, &c.

Consilia fuerunt duo, Concio & Senatus.

Concio erat populi congregatio. Hæc dicitur nunc Ecclesia, nunc Synagoga. Nam tum non erat discrimen inter Ecclesiam & Synagogam; quod post Christum natum demum cœpit. *Concio quid fuerit apud Iudæos?*

Concio triplex fuit, popularis, familiaris & vrbica. Illa etiam vniuersalis, ista tribulis seu communis, hæc vrbana seu particularis dici potest.

Concio popularis, fuit collectio omnium tribuum: de qua *Exod.* 35. & *Numer.* 37. item *Deuter.* 9. Hanc vniuersi populi concionem duntaxat duces, iudices, reges & principes conuocare poterant, vt est *Ios.* 23. & 24. 1. *Reg.* 7. 2. *Reg.* 13. 2. *Paralip.* 15. 3. *Reg.* 11. De ratione conuocandi populum est *Num.* 10.

Concio ista vocabatur tres ob causas. Conueniebat enim populus.

1. *Ad audiendum*; videlicet mandata Dei. *Deut.* 4. 1. *Paral.* 29.

2. *Ad orandum*; cui rei ferme deputatum fuit oppidum Maspha. *Iudic.* 11. 1. *Reg.* 7.

3. *Ad agendum.* Agebant autem vel de creando Iudice, Rege, & Principe. *Iudic.* 8. 1. *Reg.* 10. 1. *Maccab.* 2. vel de bello iubendo aut gerendo. *Iudic.* 10. & 20.

Concio familiaris erat singularum tribuum collectio.

Cum enim singulæ tribus habuerint singulos principes, singulas quoque conuenisse dicendum est in causa propria. Sic tribus Dan proprium bellum gessit. *Ios.* 19. Ephraemitæ quoque contra Iephte iudicem egerunt. *Iud.* 12.

Concio vrbica erat populi in singulis ciuitatibus congregatio. 1. *Paralip.* 30. 3. *Reg.* 8.

Porro concio fuit vel legitima: vel confusa. Hoc discrimen cum ex aliis authoribus multis, tũ ex Actis Apostolicis colligitur manifestissime. Nã Act. 19. mentio fit Ecclesiæ confusæ, & legitimæ. *Legitima concio* erat, quæ ex lege, certis diebus cogebatur. *Confusa*, quæ temere & extra ordinem vocabatur. Concionis istius aliqua fuit authoritas non solum dum Iudæa legibus suis paruit, sed etiam cum Romanis subiecta fuit. Nam perinde atque in cæteris Asiæ ciuitatibus Procos. Romanus & iurisdictionem & rei capitalis cognitionem exercuit: alia vero populus aduocata legitima concione cognouit.

Senatus triplex fuit apud Iudæos.

Senatus quoque triplex fuit, vti concio; popularis, familiaris, & vrbicus.

Senatus popularis erat, in quem conueniebant Seniores populi vniuersi. Hic constitutus fuit à Deo ex LXX. hominibus. *Num.* 15. Hic Græcis dicitur βουλὴ & presbyterium populi. Assedere autem hi in metropoli, summo Reip. principi, vna cum principibus populi. *Deut.* 5. & 27. *Ios.* 27. *Iud.* 21. 3. *Reg.* 7. 2. *Paral.* 1.

Senatus familiaris erat, in quem conueniebant senatores singularum tribuum. 4. *Reg.* 20. Congregati sunt ad regem Iosiam omnes seniores Iudæ & Ierusalem. Sic 1. *Reg.* 30. & *Ierem.* 10. fit mentio seniorum Iudæ.

Senatus vrbicus erat, in quem conueniebant seniores singularum vrbium. *Iudic.* 11. & 8. *Ruth.* 4. vbi mentio fit seniorum Galaad, Succoth, & Bethlehem.

Iudicia fuerunt cœtus illi, in quibus definita est singularis æquitas, quæ lege aut prouideri, aut præscribi non potuit. Græci Bibliorum interpretes vocant κρίσιν & δίκην promiscue.

Iudicia Hebræorũ qualia fuerint?

Iudicia fuerunt vel ciuitatum, vel Concilii Hierosolymitani. Hinc Christus dicit *Matth.* 5. Omnis qui irascitur fratri suo, reus eris iudicio; qui autem dixerit Racha, reus erit Concilio.

Iudicia ciuitatum habebant iudices è senatorum cuiusque ciuitatis corpore lectos; quos Moses primus delegit, suasu soceri sui Iethro. *Exod.* 18. *Deut.* 1. Illos Iosaphat rex in regno Iudæ confirmat. 2. *Paral.* 19. Exercebantur autem hæc iudicia in porta cuiusque ciuitatis, quæ dicebatur *porta iudicii*. *Deut.* 25. *Ios.* 8. *Ruth.* 3 *Prov.* 22. Nam iudicia ciuitatum vocantur iudicia sine vllo nomine adiecto.

Synedriũ Iudæorum.

Concilium Hierosolymitanum, fuit tribunal omnium & numero, & dignitate iudicum amplissimum; quod primo fuit in Silo, vrbe tribus Ephraim, deinde Hierosolymis, in tribu Iuda. Hoc alias dicitur Gazith, Græcis συνέδριον & Cathedra, Thalmudistis corrupta voce Græca Sanhedrin, Latinis Consistorium. Hoc concilium à Deo fuit institutum, vt à iudicio iudicum ad concilium seniorum & sacerdotum veniretur. *Deut.* 17. & 19. *Leuit.* 15. Iosaphath postea hoc concilium sanciuit, sicut etiam iudicia in ciuitatibus confirmarat, 2. *Paral.* 19.

Conc

Concilium illud magnum ante captiuitatem Babylonicam iniuere rex, principes populi (hoc est duodecim tribuum principes, qui regi assistebant.) LXX. Seniores populi, qualis fuit Ioseph ab Arimathia, Pontifex item, principes sacerdotum (illi scilicet qui vicenis quaternis sacerdotum classibus singuli singulis præerant) & Scribæ, hoc est, legis doctores. Post captiuitatem etiam sacerdotes in illud concilium cooptati fuere. Conuocabatur à Rege, vel Pontifice, prout crimen delatum aut ciuitatem, aut religionem attigit. Ordo seu modus talis erat. Actor nomen rei deferebat ad regem, aut Pontificem, aut ad principes populi. Illi ministros ad hominem capiendum mittebant, & si res tulisset, cohortem etiam à præfecto templi acceptam adiiciebant: eumque ad se adductum in carcere, aut custodia militari habebant, donec de illo iudicaretur. Vbi vero perorata vtrinque causa erat, reus pro numero sententiarum aut condemnabatur, aut absoluebatur. Vbi vero summa rerum ad Romanos deuenit, consilio relicta tantum est condemnatio, animaduersio vero erepta, sed procuratori Romano permissa. Sic in Euangelio legimus, cōcilium damnasse Christum, Pilatum vero vt crucifigeretur iudicasse. Fit autem mentio quinque conciliorum in sacris literis.

1. Fuit illud, in quo Christus condemnatus est.

2. Describitur *Act.* 3. *&* 4. vbi fit mentio Caiaphæ summi Pontificis, Annæ, qui potestatem Pontificis generi sui gerebat, & Iohannis & Alexandri, qui erant principes sacerdotum.

3. Describitur *Act.* 5. 4. Est *Act.* 6. vbi Stephanus iudicatur.

5. Est *Act.* 23. quo Paulus iudicatus.

Iosephus plurimum meminit conciliorum, de quibus vide *Carolum Sigonium lib. 6. de Rep. Hebræorum. cap.* 7. cuius vitula nos arauimus, & arauisse gloriamur.

Hic oportet *pœnarum* siue *suppliciorum genera*, quorum fit mentio in sacris, percensere. Fuerunt autem hæc. 1. Restitutio. *Exod.* 22. 2. Mulcta. *Exod.* 21. 3. Talio. *ibid.* 4. Verberatio. *Deut.* 25. 5. Venditio. *Exod.* 22.

6. Exilium. *Exod* 21. Constituam tibi locum, in quem effugere debeat.

7. Mors, cuius tria genera in lege exprimuntur; Combustio. *Leuit.* 20. Crucifixio. *Deuter.* 21. Vide hac de re *Lipsium de cruce* accurate disserentem. Lapidatio. *Leuitic.* 24. *Deuter.* 13. 17. *&* 22. *Numer.* 15. 3. *Reg.* 21. *Actor.* 6. Reliqua occisionis genera minus celebria fuerunt: vt decollatio. *Matth.* 14. Suspendii nulla fit mentio, nisi Iudæ proditoris, qui seipsum mulctauit suspendio.

Magistratus Hebræorum.

Magistratus Hebræorum sequuntur, qui consiliis & iudiciis præerant. Hi dicuntur *duces* & *iudices* promiscue. Sic Saul, Dauid & Salomon du-

ces dicuntur. 1.*Reg.*9. 2.*Reg*.5.3.*Reg*.1. De iudicio est 1.*Reg*.8. Ducatum vero exercuerunt in bello gerendo, & de Rep. consultando, iudicium in iure reddendo. Vtraque illa potestas, ducendi & iudicandi primo data est Mosi.

Magistratus erant togati, vel sagati seu bellici.

Magistratus togati præerant tempore pacis.

Erant autem vel vniuersi populi, vel singularum tribuum, vel singularum vrbium. Sicut Resp. triplex fuit, ita & magistratus in tria genera diuidi debent.

Magistratus vniuersi populi erant.

Magistratus vniuersi populi.

1. *Iudices*; qui ipsi fuerunt etiam duces. Horum authoritas fuit, vt iudiciorum, consiliorum, & bellorum principatum tenerent. *Iud.* 4. 1.*Reg.*7. *Iud.* 11. Fuit autem hic principatus arbitrio populi delatus, prout vir fortis à Deo fuit iudicatus, non hæreditarius.

2. *Reges*; qui iudicibus successerunt, & Aristocratiam in regiam dominationem commutarunt. Rex primus fuit Saul, qui suffragiis populi electus, deinde oleo sanctus vnctus, & in regali solio, magna pompa locatus est. Secundus rex Dauid, itidem electus est. Huic successit Salomon, & ita successio introducta, quæ & in regno Iuda (hoc complectebatur tribum Iuda & Beniamin) & in regno Israel, seu decem tribuum, locum habuit: quæ tamen successio non fuit pura, sed mixta, ita vt suffragia populi non omnino fuerint exclusa. Vide 3.*Reg.*12. *In Sichem erat congregatus omnis Israel ad constituendum regem Roboam.* Confer 3.*Regum* 23. 2.*Paralipom.* 23. & 26. Porro rex iudicauit populum tripliciter. *Vno modo* solus. 2.*Regum* 15. *Altero modo* iudicauit vna cum senioribus & sacerdotibus in concilio. *Tertio modo*, cum senioribus & magistratibus aduocatis.

3. *Principes*; qui fuerunt etiam Pontifices, primo quidem, statim post solutam captiuitatem. Postea fuit exorta inter domesticos de Pontificatu ipso seditio; qua factum vt Antiocho Epiphani Syriæ regi per paucorum mensium spatium seruirent. Hac indignitate permoti Asſamonæi, ex tribu Leui, rem Iudæorum armis recuperarunt, ac primum nomen *Principis*, dehinc *Regis* sibi adsciuerūt. De his plura dicemus in Chronologia, quam vide cap. seq.

Magistratus singularum tribuum.

Magistratus singularum tribuum, erant tum Phylarchi, cum Patriarchæ.

Phylarchi, erant 12. principes tribuum, qui singulas tribus duxerunt, eorumque rationem administrarunt. *Numer.* 1. & 4. & 13. *Ios.*12. Hi à LXX. Interpretibus vocantur φύλαρχοι, ἀρχέφυλοι, ἄρχοντες & ἀρχηγοὶ τῶν φυλῶν. Appellati etiam sunt *principes Israel. Numer.* 6. Hi astitere lateri regis, & cum sedentes partim consilia inierunt, partim ius singulis tribubus reddiderunt. *Num.* 30. *Deut.* 5. 29. 31. 1.*Paral.* 28. 2.*Paral.* 5. *Reg.*8.

Patriarchæ, erant principes familiarum. Fuerunt enim singulæ tribus diuisæ in plures familias, videlicet sexaginta, vti commemorantur *Num.* 26. Hæ familiæ LXX. Interpretibus dicuntur γενέσεις, πατριαὶ, οἶκοι, δῆμοι, συγγένειαι, *generationes, familiæ, domus, gentes cognationes.* Principes istarum familiarum dicuntur δήμαρχοι, ἄρχοντες τῶν γενέσεων & συγγενειῶν, item πατριάρχαι, ἀρχιπατριῶται, ἄρχοντες τῶν πατριῶν & τῶν οἴκων. *principes populorum, generationum, cognationum, familiarum, & domorum. Num.* 1. *&* 7. *&* 36. *Iof.* 14. 19. 21. 1. *Paral.* 24. *& cap.* 8. Officium horum principum, erat familias, quibus præerant, conuocare, ad easque referre, quæ ad Remp. pertinerent, & duces earum in bello essent. Præterea à regibus ad consilia & iudicia peragenda fuerunt adhibiti. 2. *Paral* 5. *&* 19.

Magistratus singularum ciuitatum, vocati sunt *principes ciuitatum. Iudic.* 9. *&* 24. Hi principes fuerunt, *Magistratus singularum ciuitatum.*

1. Chiliarchi, præfecti mille hominibus, quos Latinus interpres vertit *tribunos.*

2. Hecatontarchi, præfecti centum hominibus; vulgato interpreti *centuriones* dicti.

3. Pentecontarchi, præfecti quinquaginta hominibus: Latinus interpres *quinquagenarios* vertit.

4. *Decadarchi*, præfecti decem hominibus; Latino interpreti *Decani* dicti.

Hos Moses primum instituit in deserto. *Exod.* 18. *Deuter.* 1. Horum munus erat, causas quæ ad ipsos deferebantur, vel reiicere, vel recipere: receptas ad iudices deferre; & cum rege cæterisque principibus consultare, si quando conuocarentur ab illo. *Exod.* 18. 1. *Paral.* 28. *Deut.* 1. 29. *&* 30. *Iof.* 23. *&* 24. Hæc faciunt ad explicationem loci, qui est *Matth.* 2. Et tu Bethlehem nequaquam es minima in millibus Iuda, hoc est, licet tu Bethlehem sis parua vrbs, adeo vt mille homines non habeas, & Chiliarchum, præfectum mille hominum creare possis: tamen ex te prodibit princeps principum Christus.

Hic illud non est prætereundum, magistratibus hisce fuisse Scribas, seu notarios, qui alij sunt ab illis scribis, qui legem populo interpretarentur, de quibus mox dicetur. Dicamus hos *scribas politicos*, quorum hæ classes: *Scribæ quales fuerint apud Iudæos.*

1. Rex habuit suos scribas. 4. *Reg.* 12. Sæpe fit mentio scribæ regis.
2. Principes populi habuisse scribas, testatur *Ioseph. l.* 7. *antiquitatum.*
3. Principes ciuitatis habuisse suos scribas testis est idem.
4. Populus habuit suos scribas, colligitur ex *Iof.* 1 *&* 3.

Hos ministrasse populo & senatui docetur 1. *Paral.* 27. Scribæ, qui ministrant populo. Hi fuerunt vocati *scribæ populi.*

Magistratus sagati erant, qui rem bellicam administrabant.

Erant illi vel exercitus politici, vt ita dicam, vel exercitus templi præfecti.

Præfecti exercitus politici, erant princeps militiæ, & duces inferiores.

Præfecti belli politici. *Princeps militiæ*, erat imperator, seu dux belli, qui post regem summam in castris potestatem nactus est. Hic Græco interpreti dicitur ἀρχιστρατηγὸς τῆς δυνάμεως, & ἄρχων πάντων ἀρχόντων τῆς δυνάμεως, *primarius dux exercitus*. Talis fuit Abner sub Saule. 2.*Reg*.11. Sub Dauide Ioab & Amasia. 2.*Reg*.24.& 19. Hunc multum valuisse apud regem colligitur ex verbis Elisæi 4.*Reg*.4. *Habes negotium?* (ait ad viduam) *vis vt loquar regi, aut principi militiæ?*

Duces inferiores erant Chiliarchi, hecatontarchi, pentecontarchi, & decadarchi: de quibus vide 1.*Paral*.12 & 24.2.*Paral*.28.4.*Reg*.11.4.*Reg*.1.

Præfecti templi. *Magistratus seu præfectus exercitus templi*, præsidio templi præfuerunt, quod olim Iudas Maccabæus imposuit. 1.*Maccab*.4.*v.vlt*. Habuisse autem Iudæos eiusmodi milites custodiæ causa, colligi potest ex *Matth*.27. vbi Pilatus ad Iudæos ait: *Habetis custodiā, ite custodite, sicut scitis*. Huic vero præsidio præerat tribunus militū vnus, aut fortasse etiam plures cum cohortibus suis. Præter milites vero, qui templum custodiebant, erant quoq; *ministri*, i.e. lictores, quos ad comprehendendos reos iussu principum sacerdotum & populi adhibebant. Quod si qui rei aut templi violati, aut contemptæ religionis, aut grauioris alicuius flagitij essent, aut eis opibus præditi vt timerent, tum lictoribus adiungebant milites custodes templi: lictores quidem adhibebant, vt manum iniicerent, atque vincerent; milites vero, vt vim, sic vnde forte ingrueret, propulsarent. Hæc probantur ex historia Christi. *Primum* enim Iudas adiit principes sacerdotum, & se, si sibi pretium darent, Christum illis proditurum esse pollicitus est. *Deinde* cum aliquot eorum adiit tribunum militum, & cohortem accepit. *Tum* ministros sumsit. *Demum* cum his omnibus contendit ad Christum capiendum. *Matth*.26.*Marc*.14.*Luc*.22. Confer *Actor*.4.

Hic quædam de bellis Hebræorum adiicere placet.

1. Belli gerendi præcepta Deus ipse dedit Iudæis. *Deut*.20.

2. Militarunt omnes initio promiscue, qui ad bellum idonei fuerunt, idque maxima ex parte, propriis sumtibus. Serius sub regibus data sunt stipendia militibus, & cœpti sunt quasi mercenarij milites ali.

3. Arma illorum fuerunt arcus, funda, gladius, lancea, scuta varij generis, arma munientia corpus, currus falcati, quos ferreos vocant, & non falcati. His curribus exercitum circumcirca munierunt, & impetum in hostes fecerunt, & mœnia diruerunt, impositis arietibus.

4. Habuerunt peditatum leuis & grauis armaturæ, & equitatum solum leuis. Grauis armaturæ miles habuit ferrea membrorum munimenta, vt thoraces, galeas, & similia.

5. Locis munitis, tum opere, tum ipsa locorum natura multum vsi

sunt; cuiusmodi potissimum fuerunt arces, & castella in editis & præruptis locis sita.

6. In capiendis ciuitatibus, aut scalis, aut aggere, aut longæ obsidionis fame sitique sunt vsi.

7. Victores duriter, vel morte, vel seruitute, victos plerumque mulctarunt, aut alioquin eos ad durissima onera adegerunt: plerumque arma eis omnino ademerunt.

8. Victi, aut metuentes soliti sunt se abdere in rupes, cauernas, foueas, loca deuia, & recessus abditos; quorum ibi magna fuit copia. In bellis sæpe fuerunt plagiarij.

10. Sæpe integræ gentes sunt abductæ, & in seruitutem redactæ, vel alibi contra hostes collocatæ.

10. Diuisio bellorum populi Dei hæc est.

Bella Iudæorum sub
- *Iudicibus*
  - *Mose*
    - *In deserto, cum Arabia incolis.*
    - *Antequam ad Iordanem venirent, cum*
      - *Amalekitis.*
      - *Arad rege Chananaeorum.*
      - *Seon rege Amorrhaeorum.*
      - *Og rege Basan.*
      - *Moabitis & Midianitis.*
  - *Iosua, cum* *Amorrhæis, Chananæis, Gergesæis, Hettæis, Iebusæis, Pherezæis, & alijs terram ipsis promissam habitantibus.*
  - *Alijs, diuisa iam terra, cum vicinis, vt cum*
    - *Rege*
      - *Mesopotamiæ.*
      - *Chananaeorum.*
      - *Midianitarum.*
      - *Moabitarum & Ammonitarum.*
    - *Philistæis, qui fuerunt perpetui hostes populi Dei.*
- *Regibus.*
  - *Ante regni diuisionem, sub*
    - *Saule, qui*
      - *Deiicit Naas regem Ammonitarum.*
      - *Fatigauit Philistæos.*
      - *Oppreßit Agag regem Amalekitarum.*
    - *Dauide, qui*
      - *Isboseth, filium Saulis regem à suis contra se acclamatum vicit.*
      - *Iebusæos vrbe Ierusalem pepulit.*
      - *Pugnauit cum*
        - *Moabitis & Ammonitis.*
        - *Filio Absolon, & Siba.*
        - *Philistæis quater.*
      - *Adiunxit ad regnum suum*
        - *Syriam Damasci.*
        - *Idumæam.*

Post

* Post diuisionem regni; vbi bella
- Ciuilia inter reges Iuda & Israel.
- Externa; Oppreßi sunt à rege
  - Æpyptiorum.
  - Syriæ.
  - Aßyriorum, qui decem tribus transtulerunt Nineuen.
  - Babylonia; vbi
    - Captiuitas.
    - Solutio captiuitatis: vbi Iudæi
      - Paruerunt tributarii
        - Persis.
        - Macedonibus.
        - Alexandri Magni successoribus, videlicet regibus Ægypti & Syriæ.
      - Oppreßi sunt ab Epiphane, qui illos religione & libertate mulctauit.
      - Fatigarunt reges Syriæ, & libertatem recuperarunt, subactis Moabitis, Idumæis, Samaritis, Ituræis, Galaaditis.
      - Bella varia à Romanis perpeßi sunt; è quibus præcipua.
        1. Cn. Pompeii, qui vrbem euertit.
        2. C. Sosii, qui Aristobulo rege pulso vrbe Herodem intulit.
        3. Titi Cæsaris, qui vrbem cæpit.

Status Ecclesiasticus Reip. Hebræorum qualis fuerit?

Status Ecclesiasticus Reip. Hebræorum consideratur quoad loca, tempora, ritus, & personas sacras.

Loca sacra fuerunt continentia, & contenta.

Silo qualis locus fuerit?

Loca sacra continentia, fuerunt duo, Silo in Samaria, & in finibus tribus Ephraim, & Ierusalem in Iudæa, & tribu Iuda. In Silo primitus fuit tabernaculum. *Ios.* 22. *Iud.* 21. Hunc locum Deus postea deleuit. *Ierem.* 7. & arcam transferri voluit Hierosolymam, posteaquam Dauid Iebusæos inde profligasset, quos Iudas & Beniamin olim inde eiicere non potuerunt. Hic ibi primus sedem posuit, iubente Deo, arca in montem Sion translata. 1. *Paral.* 6. 4. *Reg.* 21. *Psal.* 97. Hinc lucem accipit locus, qui est *Iohan.* 4. vbi mulier Samaritana sic Christum alloquitur: *Patres nostri in monte hoc adorarunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet.* Patres suos vocat Ephraimitas, à quibus se ortum ducere Samaritani iactabant, eosque adorasse dicit in monte Ephraim, vti vocatur *Ios.* 20. nempe per eos annos, quibus domus Dei fuit in Siloh. Sed de Ierusalem dicamus pluribus.

1. Ierusalem primis temporibus dicta fuit Salem, & regi Melchizedeck paruit; qui dicitur rex Salem. *Genes.* 14. Friuolum ergo est quod dicunt, Ἱεροσόλυμα sic dicta, quod ibi esset ἱερὸν Σολομῶνος.

2. Incolæ ipsius primitus dicebantur Iebusæi, nempe ab ipsa vrbe, quæ etiam Iebus vocata. Vocata fuit posterioribus temporibus Luza, Bethel, Sabæa, & variis titulis insignita, è quibus præcipuos attingam. Ciuitas Dei, regisque eximij *Matth.* 5. Vallis visionis, quod sita in valle & ad montes Sion & Moria, ferax fuerit visionum propheticarum. 1. *Sam.* 9. *Psalm.* 48 Latus Aquilonis. *Psalm.* 48. In Aquilonari enim vrbis parte Sion erat. *Esa.* 41. Medium terræ. *Psalm.* 74. Situs enim terræ Chanaan, est in meditullio orbis veteribus noti, siue longitudinem, siue latitudinem illius spectes. Et certe verisimile est ad cultum Dei peculiariter delectum esse medium terræ, vt nomen Dei, quod notum erat in Iudæa, in omnibus terræ partibus innotesceret. Vocabatur etiam *Libanus*, quod è cedris Libani esset ædificata, vt ideo Sylua Libani quasi migrasse in Ierusalem videretur. Eandem ob causam appellata fuit, campi Syluæ. *Psalm.* 132. Et Ephrata *ibidem* dicitur. Et contrario appellatur ob peccata ciuitas sanguinum. *Ezech.* 22. Spelunca latronum, Sodoma, Ægyptus, lupanar. *Esa.* 1. & 11. Fuit metropolis Iudææ, & ῥίζα ἀςέων, vt Pindarus loquitur.

Descriptio Hierosolymorum.

3. Vrbs fuit sita in vtraque tribu, Iuda & Ephraim. Nam *Ios.* 15. legimus, Iudam non potuisse exigere Iebusæos incolas & *Iud.* 18. idem legimus de Beniamin, quod non potuerit eiicere Iebusæum habitatorem Ierusalem, sed inter eos sedes posuerit. Hinc intelligere est, vrbem Ierusalem sua magnitudine vtrique tribui communicatam. Quocirca sunt etiam, qui censeant, partem ipsius templi in tribu Beniamin fuisse, id quod colligi potest ex vaticinio Mosis. *Deut.* 33. de hac tribu. Et vero hæ duæ tribus propter vicinitatem, & postea diuiso regno propter coniunctionem (ambæ enim Roboamum secutæ sunt) pro vna tantum sunt habitæ, & vnum Iudæ nomen sortitæ sunt.

4. Dauid diuino Spiritu Iebusæos vrbe exterminauit, muros ipsius prolatauit, atque arcem in vno colle montis Sion extruxit, quæ vrbem despectaret, & vocauit munitam ciuitatem Dauid, atque eo domicilium suum cum arca fœderis transtulit. Post autem, cum in altero eiusdem Sionis colle, Moria vocato, condere templum vellet, non probante Deo, eam gloriam filio Salomoni reliquit.

5. Salomon regnum adeptus, templum condidit, atque in eius præsidium arcem in tertio eiusdem montis colle construxit. *Ioseph.* 6. *de bello Iud.* & 7. *antiq.* Hic mons vocabatur Acra.

6 Roboamo, filio Salomonis regnante, Sisac rex Ægyptiorum, vrbem cepit, & thesauros regios asportauit.

7. Ezechia regnante Sennacherib vrbem acri obsidione, sed frustra, fatigauit.

8. Rex Babyloniorum Nebucadnezar semel sub rege Ioacim, iterum

ſub rege Ioachim cepit, ac tertio ſub Tzedekia receptam euertit, atque vna cum templo ſuccendit, populo in Babyloniam abducto.

9. Populo poſt LXX. annos in Iudæam permiſſu Cyri regis Perſarum reuerſo, templum per Zorobabelem, vrbs per Nehemiam, lex per Ezram eſt reſtituta, arx quoque in tertio colle, non longe à templo refecta.

10. Mox ab Antiocho Epiphane, Syriæ rege, vrbs direpta, lex cremata, templum profanatum eſt.

11. Paulo poſt per Iudam Aſſamonæorum pleraque hæc reſtituta ſunt nouo opere, & florere cœpit ciuitas, donec prauo duorum fratrum Hircani & Ariſtobuli diſſidio, Cn. Pompeius, dux Romanus, bellum in Syria gerens, adductus, ipſam occupauit, templo pepercit.

12. Paulo poſt Antigonus Ariſtobuli filius ope Parthorum illam recepit. Sed Antigono illam ademit Herodes Aſcalonita, rex à Romanis declaratus, C. Soſio, Syriæ Proconſule, opem ipſi ferente. Ac tamdiu poſteritas eius tenuit, quoad in poteſtatem Iudæorum, beneficio Romanorum reuerſa, defecit. Quo tempore à Tito Cæſare Veſpaſiani filio rurſus in ditionem adducta, & vna cum templo combuſta eſt.

13. Per Adrianum Imp. refecta eſt, ſed ſine templo, & ab eo Ælia eſt nominata. Hodierno die quæ viſitur, vix eſt vmbra veteris illius.

14. Ciues ſeu incolæ huius vrbis olim fuerunt vel *αὐτόχθονες, indigenæ*, vel *προσήλυτοι, aduenæ*. *Indigenæ* fuerunt omnes, qui ab Iſraele genus trahentes circumciſionem cum lege ſumſerunt. *Proſelyti* fuerunt alienigenæ, qui è gentibus procreati, idolorum cultum deteſtati, & pro indigenis habiti ſunt. *Exod.* 12. *Leuit.* 17. *Iudith.* 13. Magnum autem à Iudæis ſtudium in eo ponebatur, vt facerent proſelytos *Matth.* 23. 2. *Paral.* 20. *Eſth.* 24. *Actor.* 11. Hic & illud obſerua. Iohannes Hircanus rex Idumæos ſubactos ad circumciſionem accipiendam adegit. Quare Herodes Idumæus fuit proſelytus non antiqua ſtirpe Iudæus. Itaque vt ipſe regnum Iudæorum proſelytus cepit, ſic Pontificatum etiam proſelytis tradidit.

In gratiam lectoris adſcribam è regio opere ſummatim, quæ habet Benedictus Arias Montanus, in libello, qui inſcribitur Nehemias, id eſt, De antiquæ Hieruſalem ſitu.

Conſideranda veniunt. 1. Quæ intra vrbis mœnia. 2. Quæ extra fuerint. In vrbe duo præcipue notanda; montes & portæ.

Montes fuere numero tres. 1. Mons Sion, qui longior eſt cæteris ab Auſtro ad Aquilonem: idem etiam ab Ortu ad Occaſum cæteris latior. In eo colles conſurgunt tres, ſeſe mutuo proſpicientes. 2. Sioni monti aliquanto depreſſior adiacet ab Occaſu ad Ortũ, dictus Moriah, Abrahami fide atque obedientia illuſtris. 3. Creſcente vero populo, atque religionis cauſa eam in vrbem conueniente, magnum aliud ſpatium tertii montis

Ciuitas Dauid fuit in mõte Sion. Sion mons

montis occupatum est, quod suburbium dicebatur, inde ab occasu incipiens, vbi ab Aquilone ciuitas Dauid desinebat. Nomen monti fuit ACRA superior, ab illo altero, vbi Moria est, Acra inferior appellato. Totus ambitus passuum millia quinque fuit, sed propter montium, vallium ac descensuum varium situm plurimarum domuum capax locus erat.

diuidebatur in ciuitatem Dauid, MELLO & arcem Iebusæorũ; collis sic dictus: quod Dauid Iebusæos oppugnaturus eum occuparit.

Interius vero triplici muro vrbs tota diuidebatur, eo qui Sionem siue ciuitatem Dauidis à Moriah in Acra superiori, & eo qui superiorem ab inferiori Acra diuidebat.

Portas in toto muri ambitu nouem tantum fuisse legimus antiquas.

1. *Num.* 3. שער הצאן porta Gregis, Προβατική, templo proxima inter meridiem & ortum: vbi fuit vallis Iosaphat, Kedron torrens & mons oliuarum. 2. Porta vallis, quod in vallem deduceret: postea dicta Aurea. 3. Porta Fontis seu Siloe: sic dicta, quod non longe à Siloe fonte distaret. Ad hanc fuit vallis Hinnon & Siloe fons. Hebr. שער העין. 4. Quarta ad Occasum fuit porta Dauid, ad montem Sion, versus mare magnum, vnde etiam piscium porta à Nehemia dicta est. 5. Quinta fuit porta vetus sic dicta, quod non, vt cæteræ, ab Assyriis, diruta fuerit. Hanc posteriora secula Portam iudicii dixerunt, quod proxima esset caluariæ loco, ad quem homines scelerati producebantur. Hebr. שער ישנה. סוסים שער. 6. Sexta vero porta contra Aquilonem. Porta Equorum à Nehemia dicta, 4. *Reg.* 14. dicta שער אפרים, porta Ephraim. 7. Septima porta erat in ipso montis acuto angulo, porta Anguli dicta, alias porta Beniamin, cuius non meminit Nehemias, quod fortassis suo tempore conclusa fuerit, propter difficilem defensum. 8. Octaua porta Aquarum dicta, ad Orientem. Interiacentis vallis exitum excipiebat, qua torrens in valle conceptus, ad Ortum effluens educebatur. 9. Porta in ipsius muri ab ortu ad Meridiem flexu, porta ruderum seu sterquilinij dicta: eo quod fimus & rudera in torrentem deiicienda, vel in hortorum, qui secundum torrentem consiti arant, vsus efferebantur. Ex his portis in omnes terræ Israelis partes exitus patebat hoc modo. Ex portis Gregis, vallis ac fontis in totam Australem regionem, vsque in desertum Sinai. Ex porta piscium seu Dauid in Emaunta castellum, in Bethlehem, Ioppen, in omnem Palæstinam, ad magnum vsque mare. Ex porta veteri ad Tyrum & Sidonem, atque posterioribus seculis ad Cæsaream. Ex porta vero Equorum ad Dan, Emath atque Damascum, è Beniamin porta in siluas Beniaminitidis tribus, vnde lignorum ingens copia in vrbem asportabatur. Ex aquarum & sterquilinii portis in Oliuarum montem vrbi proximum inter Ort. & Mer. atque in Iordanem, & mare Salis adeoque in omnes orientis tractus viæ patebant.

Christus in ciuitate Dauidis Pascha celebrasse fertur; ibidemq; Dauidis

uidis & regum Iudæ ſepulcra viſuntur. Atque in eodem montis ambitu fuerunt duæ piſcinæ non longe inter ſe diſſitæ: altera ad Ortum maior, quæ inferior piſcina dicta eſt: altera vero ad portam gregis, cui ob ſingulare ſingulis annis ſanitatis beneficium grauiſſima infirmitudine oppreſſis hominibus diuinitus exhibitum, ביתחסדה nomen inditum erat. Hæc eadem illo illuſtri miraculo à Ieſu edito celeberrima ſemper manſit. Fuit & tertia piſcina, quam Nehemias *factam* appellat, videlicet in ciuitate Dauid, *altam pedibus 40. latam vero ducentis & quinquaginta deſcribunt.*

Lithoſtrotos, Hebraice Gabatha, erat in monte MORIAH, prope palatium Antonij, vnde præſides populum alloquebantur. Atque in proximo colle, non longe à muro montis Domus ad Occaſum ad portam *Haſmonaeorum* ſeu Machabæorum, erat regia, in qua poſtea rex Agrippa palatium conſtruxit inſigne. Huic adiacebat Ananiæ Pontificis domus, quam Annas Caiaphæ ſocer olim tenuiſſe dicitur. In ciuitatis Dauid Aquilonari extremo verſus ortum, Herodis regis magnificentiſſimum palatium fuit. Ad orientem vero in ſuperiori *Acra* ſiue ſuburbio, caſtrum Aſſyriorum fuit, cuius ruinæ hactenus manent, primum Titi vrbem expugnantis præſidium. Extra vrbem memoratu digniſſima obſeruantur. 1. Oliuarum mons, ab eius arboris copia ſic dictus, ad Ortum ſitus, tantum intercedente valle parua. 2. Ad meridiem eſt Kedron torrens, cui perpetuum fluxum ſuppeditat fons Gihon ad occaſum, qui & in Siloe influit per vallem nominis ſui Gihon. 3. Inter Occaſum & Auſtrum fuit vallis filiorum Hinnom, alias Gehenna, Saturni quondam nefariis ſacris infamis locus, & poſtea equorum multorum, &c. immundis cadaueribus proiiciendis damnatus.

Ioſeph. lib. 20. Antiq. c. 13. Ioſ. l. 6. de bello Iudaico.

Atque hæc de veteris Ieruſalem ſitu dicta ſunto: quæ ad Apocalypſeos cognitionem faciunt, &c.

Loca ſacra contenta fuerunt inſtituta alia iubente, & probante, alia non iubente quidem, ſed tamen permittente & probante, alia nec iubente Deo, nec probante.

Loca ſacra iubente Deo inſtituta, fuerunt Tabernaculum, & Templum Hieroſolymitanum.

De tabernaculo ſequentia tenenda.

Deſcriptio tabernaculi.

1. Tabernaculum erat ædificium inſtar templi, ex lignis confectum, quod per partes compingi, ac diſſolui, ac quocunque deferri potuit. Dicitur alias *Sanctuarium.*

2. Taber-

2. Tabernaculi partes
- Interiores; eaque
  - Intra velum; *locus Sanctior, Sanctuarium Sanctuarii, & Sancta Sanctorum appellatus: vbi seruabatur* arca fœderis.
  - *Extra velum*
    - Mensa *cum 12. panibus propositionis, siue sacris.*
    - Candelabrum *cum lucernis septem.*
    - Labrum *aureum.*
- *Exteriores*
  - Cum labro *aneo altare aneum holocausti.*
  - Atrium.
  - Tentorium.

3 Hæc omnia Deus Mosi facienda præscripsit in monte Sinai. *Exod.* 25. *vsque ad* 30. *cap.* Et Moses perfecit. *Exod.* 27. 28. & 40.

4. Tabernaculum dictum est testimonii, & arca fœderis, siue testimonii, siue testamenti; quod in iis tabulæ legis asseruarentur, in quibus continebatur testimonium, fœdus, testamentum, & pactum Dei, ex quo fœdere populus Deo cultum exhibere tenebatur. & Deus populum in tutelam acceptum tueri præcipua cura promiserat. *Exod.* 19. *Leuit.* 26.

5. Arca fœderis habebat operculum, quod appellabatur oraculum & propitiatorium, duobus Cherubim alas superextendentibus insignitum.

6. Præter hæc etiam ignis cœlitus ad holocausta incendenda demissus, & is quidem perpetuus. *Leuit.* 6.

7. Quomodo hoc tabernaculum manufactum fuerit typus tabernaculi cœlestis, quod Christus mediator Noui Testamenti introiuit, declarat Paulus. *Hebr.* 9. Hic obserua, Christum vocari mediatorem Noui Testamenti, ratione fœderis Euangelici, in quo ipse testatus est, se bona cœlestia daturum credentibus.

8. Arca & tabernaculum delata sunt in Chananæam, cum populus duce Iosua Iordanem exiccatum traiecit, & posita in castris, quæ erant in Galgal. Postea arca circũ muros Hierichuntis fuit portata. *Ios.* 4. & 5. Inde victoria parta vtraque perlata sunt in Silo, oppidum tribus Ephraim, vnde erat dux Iosua. *Ios.* 18. Atque ita in Silo sedes religionis collocata est; quo postea ter in anno soliti sunt conuenire. *Exod.* 24. Cum autem Heli sacerdos iudicem ageret, & bellum cum Philistæis parum prospere gereretur, placuit ad perterrefaciendos hostes arcam ipsam ex Silo in castra adducere. Sed arca ab hostibus erepta. 1. *Reg.* 4. & in oppidum Philistinum Azoth delata, & in templo Dagon constituta; ex Azoth ad Gethæos; inde ad Accaronenses translata est, Deo illos puniente, qui arcam penes se habebant. Hinc remissa est ad Israelitas. Primo peruenit ad Iudæos

Bethsamitas, qui puniti sunt, quod arcem conspexissent, ideoque rogarunt ciues vrbis Cariathiarim, vt arcam reciperent, qui profecti eam ad se abduxerunt, & in domum Aminadab in Gaba oppidum Beniamin intulerunt. *1. Reg. 5. 6. & 7.* Inde tabernaculum sine arca, regnante Saule, delatum fuit in oppidum Nobe, tribus Beniamin, vbi erat Abimelech Pontifex. 1. *Reg.* 21. Post ætate Dauidis delatum fuit in Gabaon oppidum quoque Beniamin. 2. *Paralip.* 1. & 1. *Paralip.* 16. & 21. Dauid inde rex arcam è domo Animadab in Ierusalem, siue in Sion ciuitatem suam abduxit. Verum vbi vidit Ozan, qui illam inter vehendum inclinantem sustinere conatus fuerat, repentina morte correptum: ea re perculsus reposuit eam in ædibus Obed Edom. Postquam autem audiuit, Deum benedixisse Edom & omnia eius bona, post tres menses nouo tabernaculo facto abduxit eam ex ædibus eius in ciuitatem suam, & posuit eam in medio tabernaculi, quod ipse ei tetendit. Atque ita tabernaculum, quod fecerat Moses, mansit in Gabaon tempore Salomonis. 1. *Paralip.* 2. Neque huius tabernaculi veteris post vlla mentio in sacris literis. Salomon inde perfecto templo, & sanctuario constituto, arcam cum tabernaculo Dauidis ex ciuitate Dauid eo transtulit & omnia vasa sanctuarii: quæ erant in tabernaculo illo. 3. *Reg.* 8. Hic fuit arca cum tabernaculo Dauidis, quoad templum à Babyloniis est incensum: in qua rerum confusione ignis perpetuus holocaustorum vna cum tabernaculo, & arca, & altari incensi abscondita sunt, vt narratur in libris Maccabæorum. Reuersi inde in patriam Iudæi, templum quidem secundum ædificarunt, sed neque ignem, neque arcam, neque tabernaculum inuenerunt, vt est d.l.

Tabernaculum duplex Mosis, & Dauidis.

De templo Hierosolymitano hæc notanda.

Descriptio templi Hierosolymitani.

1. Salomon templum hoc extruxit (vnde & *Salomonicum* dicitur) in monte Moria, qui erat alter collis montis Sion, quique demonstratus fuerat Patri eius. Is enim, cum populus peste affligeretur, emit aream in monte Sion, nomine Moria, ab Areuna Iebusæo ex monitu Prophetæ Gad, atque ibi altare extruxit, & holocaustis oblatis Deum propitiauit. 3. *Reg.* 6. & 7. 2. *Paral.* 3. & 4. De structura paulo post dicetur.

2. Mortuo Salomone Ieroboam ex tribu Ephraim decem tribubus ad se traductis regnum contra Roboam filium Salomonis inuasit, & illud vocauit Israel. Hic ne populus suus desiderio templi Hierosolymitani captus, à se aliquando deficeret, ipse à Deo defecit & populo suo duos aureos vitulos, vnum in Bethel, alterum in Dan, atque altare ibi erexit. 3. *Reg.* 12. Hunc secuti sunt reliqui deinceps reges Israel certatim in eadem impietate, qua Deus offensus permisit Hoseam regem captiuum cum omni populo à Salmanassare rege Assyriorum abduci.


3. Reges Iudæ plerique templum non ea, qua decuit, sanctitate habuerunt: in quibus Athalia regina, & Achaz familiam duxerunt.

4. Nebucadnezar templum tandem incendit.

5. Iudæi ex Babylonia reuersi secundum templum ædificarunt, quod multis verbis descripsit Ezechiel. Multis tamen rebus fuit inferius primo.


6. Antiochus Epiphanes templum profanauit, ipsumque Ioui Olympio dicauit. Verum biennio post Iudas vrbe recepta templum mundauit.

7. Herodes hoc templum secundum disturbauit, & in iisdem fundamentis nouum imposuit, & super ea templum excitauit, longitudine centum cubitorum, altitudine centum & viginti; ita vt Salomonico illi templum illud Herodis altitudine fuerit æquale, vt ex hoc typo templi Salomonici colligere est.



Sciagra-

Sciagraphia templi Salomonis.



8. Dicit Spiritus sanctus 1. *Reg.* 6. quod

ædificii { *Altitudo fuerit* 20. / *Longitudo* 60. / *Latitudo* 20. } *cubitorum*

Sed

Sed idem dicit 2. *Chron.* 3. *v.* 4. sublimitatem vniuersam constitisse cubitis 120. Quid ergo? Num hi loci aduersis currunt frontibus? Minime. In Scriptura enim sacra vt multa sint ἐναντιοφανῆ, nulla tamen sunt ἐναντία. Loca autem ista in speciem ἀσύμφωνα sic conciliari possunt. In libro Regum dicitur altitudo fuisse cubitorum 20. scilicet in prima contignatione. Sed parietes adhuc sublati fuerunt ad altitudinem 90. cubitorum. Additis his fiunt 120. quanta in Paralipomenis dicitur fuisse altitudo frontispicii, quod erat super porticum ad orientem, ita vt vna eademque fuerit altitudo vniuersæ domus, quasi fuerit quadra, plus tamen habens in longitudine, quam in latitudine, fueritque altitudo ad longitudinem dupla. Nam ea fuit 60. cubitorum, altitudo vero 120. Cæterum in Ezra scribitur, altitudinem fuisse 60. cubitorum. Et Herodes, docente Iosepho, dixit, cum templum instauraret, cubitos ædificio Ezræ defuisse 60. quoad altitudinem à templo Solomonico. Conficitur igitur templum Solomonis fuisse altum 120. cubitos. Et ex illis contignationibus superioribus magna fuit commoditas & vsus pro ministerio. Simile laterum seu costarum exemplum, nostro iudicio, cernitur in aliquibus hodiernis templis, quæ à dextra & sinistra capellas, quas vocant, in crassitie parietis excauatas habent, vel, si paries gracilior sit, extra proiectas. Habebant in istis alis Sacerdotes & Leuitæ vbi manerent, quiescerent, carnes comederent. Erant quoque gazophylacia, & instrumentorum templi commodissimæ thecæ.

Hic subiungam quædam de Arca Noe. Hæc describitur *Genes.* 6. *vers.* 14. 15. 16 *vers.* 14. *Fac tibi arcam è lignis Gopher; mansiunculas facies in arca, & bituminabis eã intrinsecus & extrinsecus bitumine.* 15. *Et hac mensura, qua facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo eius: & triginta cubitorum altitudo eius.* 16. *Fenestram facies arcæ, & in cubito consummabis eam superne: ostium vero arcæ in latere eius pones: inferiora, & secunda, & tertia facies in ea.*

Explicatio.

De structura arcæ paucis sic est habendum. Considerãda est arcæ cum materia, tum forma. Materia fuit lignum Gopher. De huius ligni specie non conuenit, etiam inter Iudæos. Gopher enim Chaldæus cedrũ, alii abietem, alii pinum interpretãtur. Septuaginta habent ἐκ ξύλων τετραγώνων, *è lignis quadrangularibus.* Quod illi vnde sumpserint, prorsus ignoratur. Translatio, quæ Hieronymo perperam adscribitur, habet, *leuigatis*: quod cum omni ligno possit esse commune, non potest consistere. Difficile igitur est hoc vocabulum interpretari, quum sit לית, vt Hebræi loquuntur, &, vt Græci, ἅπαξ λεγόμενον. Quidquid huius sit, certum est, hoc ligni genus fuisse & leuis naturæ, & quod non facile putrescat. Sed quam *Lignum Gopher quale fuerit?*

 ob

ob causam additū est bitumē? Vt sci. contignationes eo melius combinarentur & coassarētur. Quidam volunt fuisse sulphur, non picem: id quod non est vsq; adeo absurdum. Nam *Plin. lib. 33. c. 15.* narrat bituminis naturam ad sulphuream accedere & declinare. Septuaginta habent τῷ ἀσφάλτῳ, ab Asphaltite palude, quæ est prope Iudæam, in qua ebullit huiusmodi bitumen, quod quum retinet naturam picis, à Græcis appellatur pissasphalton. Hancque fuisse morem illinendi naues pice aut bitumine, testatur Mosis fiscella, qua is seruatus est in aquis. *Exod. 2.*

Figura arcæ Noe.

De forma, seu figura arcę hęc habe. Autores variant in tabulatis. Multi putant, sentinam fuisse quarto loco, quæ excrementa & alias immunditias reciperet. Alii in triplici contignatione quinque mansiones faciunt, quarum summam auibus destinant. Sunt qui putent non vltra tres ordines fuisse in altitudinem, sed qui mediis tabulatis inter se distincti fuerint. Præterea de fenestra non consentiunt. Quibusdam enim videtur, non vnam tantum, sed plures fuisse. Sunt etiam qui dicant, fuisse apertas ad recipiendum aerem. Alii autem contendunt tantum lucis causa fuisse compositas, ideoque obductas crystallo & bitumine illitas. Quidam Hebræi ineptiunt, dum nomen Hebraicum deducunt à יצהר, quod est oleum, quasi Noacho præcipiatur, vt lampadem & oleum paret, vt videre posset in arca: quandoquidem sol ea pluuiarum inundatione suo non esset functurus officio. Milesias puto. Nomen Hebraicum deductum est à צהר, quod est meridies, quod scilicet ea pars fulgidior fit, ac eo aptior, vt fenestris lux inde petatur.

Mihi videtur magis probabile, vnam fuisse fenestram duntaxat, quæ non fuerit lucis causa excisa, sed clausa maneret, nisi quum poscebat vsus eam aperiri; confer *Genes. 8. v. 6.* Deinde triplicem fuisse contignationem, & separatas domunculas, ita quidem vt in cubitum arca fuerit contracta. Siquidem fuit pyramidalis figuræ, verticis acutissimi, quo pluuiæ non residerent in superiori parte, sed vndique facile deriuari possent. Dicitur arca, non nauis, quia eius figuram non habuit. Nō legis hic malum, non velum, non temonem, non remos, & demum nil prorsus, quod ad nauis rationem faciat. Difficilior hic oboritur quæstio de magnitudine.

Magnitudo arcæ Noe.

Nam olim profani quidam homines suis sannis Mosen vexarunt, quod tam angusto spatio ingentem animalium turbam inclusam finxisset: cuius pars tertia vix quatuor elephantos caperet. Figura, vt etiam Porphyrius, aliique impii canes fateri coguntur nolentes volentes, fuit omnium aptissima, vt ventis & pluuiis resisteretur. Non debuit esse altitudo nimia, ne in præceps deturbaretur. At longitudinem & latitudinem oportuit esse amplam, vt firmior esset basis. Obiectionem quod attinet, duobus modis potest responderi. Primo quidem cum Origene, qui author est, cubitum geometricum à Mose notari, qui sextuplo maior est, quam

quam vulgaris. Hancin sententiam descendit Augustinus lib. 15. de ciuitate Dei, & lib. 1. quæstionum in Genesin. Afferunt hanc rationem ambo illi patres; quod Moses non fuerit Geometriæ expers, quippe qui edoctus fuerat in omni scientia Ægyptiorum. Deinde etiam dici potest, an debet; totam hanc Mosis narrationem miraculis esse refertam. Qui igitur immensam diuinæ omnipotentiæ abyssum in hac historia reputabit, vt par est, reuerenter potius stupebit, quam proterue rideat. Cæterum quod allegorice ad Christi corpus Augustinus figuram arcæ trahit *lib.* 15. de ciuitate Dei, & *lib.* 12. aduersus Faustum, id vero nil habet solidi. Origenes etiam, more suo, audacius allegoriis ludit. Sed nihil vtilius est, quam retinere allegoriam *1. Pet.* 4. *vers.* 21. arcam fuisse Ecclesiæ imaginem. Verum singulas eius partes ad Ecclesiam aptare, minime consentaneum est.

Redeamus nunc ad templum Herodis. Tradit Iosephus, Herodem ideo templum secundum non probasse, quod ei ad altitudinem, qualis nempe fuerat templi primi, deessent cubiti sexaginta. Sed alii existimant, templum ab Herode non refectum, sed auctum, vetere conseruato. Hanc sententiam probant ex Euangelica historia. Cum enim Iudæi post excessum Herodis audissent Iesum dicentem: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus ego suscitabo illud*: responderunt: *Quadraginta sex annis ædificatum est templum.* Hoc autem de secundo dictum est. Putant igitur Iosephum lapsum esse. Verum hæc opinio est erronea. Cum enim Iosephus non longe abfuerit ab Augusti Imperatoris tempore, sub quo Herodes templum ædificauit, aut Tiberii, quo Iudæi hæc dixerunt, non fit verisimile illum hic aberrasse, præsertim cum opus tam magnificum descripserit. Verba autem Iudæorum accipienda sunt de templo secundo, quod Zorobabel sub Cyro inchoauerat, & sexto anno Darii post annos sex & quadraginta absoluerat. Hoc, inquam, templum intelligi debet in illis Iudæorum verbis. Nam neque primum, Salomonis, neque tertium Herodis, nominarunt; quippe qui viderent hæc parum fauere causæ suæ. Volebant siquidem Christum redarguere. Itaque 46. annos opponunt tribus diebus; non septem annos, quibus primum fuit extructum, neque biennium, quo tertium fuit ædificatum. Hoc templum Titus Cæsar, vrbe expugnata, siue volens, siue inuitus, templum incendit eodem die, quo à Babyloniis fuerat olim incensum. Hadrianus Imperator paulo post Iudæos rursus rebellantes subegit, vrbem captam solo æquauit, ac reliquias templi igne deleuit, locum illius terra obruit, ac templum aliud Veneri dedicauit, vt Eusebius scripsit. Et tum demum completam esse vocem Christi volunt, qua prædixit fore, vt Hierosolymis lapis super lapidem non remaneret: & vaticinium Danielis *cap.* 9. de abominatione desolationis. Sed quid hac de re statuendum sit, vide *cap. seq.*

Sequuntur loca sacra instituta, Deo non quidem iubente, sed tamen permittente: qualia fuerunt duo, excelsa, vero Deo erecta & Synagoga.

Excelsa vero Deo erecta. *Excelsa*, fuerunt colles alti, in quibus permittente Deo, sub frondosis arboribus sacrificarunt. Prohibuit Deus excelsa *Deut.* 12. Iudicum vero tempore in iis sacrificare permisit. Fecit hoc primus Gedeon *Iud.* 6. Hic tenenda est distinctio, quod excelsa fuerint consecrata vel vero Deo, vel fictitiis diis Illa Deus permisit & probauit, hæc non probauit.

Synagogæ Iudæorum quales fuerint? *Synagogæ* erant loca templo similia; instituta, vt probabile est, tempore captiuitatis Babylonicæ, vt essent loco templi. Neque solum synagogas à Iudæis dispersionis in Chaldæa, sed etiam in aliis prouinciis, vt in Asia, & Ægypto institutas esse, verisimile est. Itaque in prouinciis, vbi templum non fuit, frequentissima fuit Synagogarum mentio. Iudæi ex Babylonia reuersi & templo restituto nihilominus vsum synagogarum retinuerunt. Testantur enim scripta Hebræorum, vltimis temporibus in vrbe Hierosolyma quadringentas octoginta synagogas institutas fuisse, quod Iudæi eo ex regionibus omnibus conuenirent. Erant ergo Hierosolymis synagogæ, erat & Templum. Illæ erant Iudæorum prouincialium seu peregrinorum, vt ibi legem audirent, istud ciuium, seu Iudæorum Hierosolymitanorum. In reliqua vero Iudæa, Galilæa, & reliquis prouinciis, in quibus Iudæi dispersionis versabantur, erant synagogæ ipsorum incolarum, quibus Hierosolymam adire non erat commodum. De synagoga Hierosolymitana accipe locum *Actor.* 6. vbi fit mentio synagogæ Libertinorum & Cyrenensium, &c. qui erant Iudæi prouinciales, cumque Hierosolymam negotiorum suorum causa adirent, non in templum, sed in synagogam, quam ipsi sibi parauerant, se recipiebant. Vide *Ioan.* 18. *Actor.* 9. & 15. De synagogis Galilææ quas Christus adiuit, & Asiæ quas Paulus perlustrauit, multa sunt in Euangeliis & Actis. Porro hæ synagogæ constituebantur aliquando à priuatis hominibus, & quidem etiam ethnicis, vt *Luc.* 7. de centurione legimus: Vt autem in templo Pontifex & sacerdotes principatum tenebant: sic in synagogis Scribæ, quorum princeps Archisynagogus dicebatur. Hi in synagogis primas cathedras occupabant elati ambitione, vt & illis Christus obiicit. Denique probri loco ducebatur, si quis è synagoga eiiceretur, & quasi excommunicaretur. *Iohan.* 9. & 12.

Loca sacra instituta Deo nec iubente nec probante fuerunt, excelsa falsis diis erecta, Templum Samariæ, & Templum Aegypti.

Excelsa falsis diis erecta. *Excelsa* falsis diis erecta, cumprimis sub Ieroboam, Hosea, Amasia, Azaria, Achazo & Manasse fuerunt instituta, à Iosia sublata. 2. *Paralip.* 14. & 4. *Reg.* 23.

Templum Samariæ. *Templum Samariæ*, fuit extructum hac occasione. Manasses frater Iaddi Pontificis duxerat vxorem alienigenam, filiam Sanabalath Darii Persarum

ſarum regis præfecti. Hanc dimittere iubebatur lege Dei ſic præcipiente. Sed ille confugit ad ſocerum, illiuſque auxilium implorauit. Sanabalath, ne genero ſummæ nobilitatis viro ſpoliaretur, ſuaſit vt à Iudæis deficeret, & mox permiſſu Alexandri Magni, qui Darium vicerat, templum in Samaria in monte altiſſimo Garizin condidit, atque ibi Manaſſen Pontificem collocauit inter Samaritas, qui erant homines ex Aſſyria profecti, & legem Dei ita receperant, vt tamen veterem idolorum cultum non deſtruerent, ac propterea Iudæis infenſi eſſent. Hoc appellatum eſt templum transgreſſorum à Iudæis. Hinc exarſit capitale odium inter eos. Cum enim in lege traditum eſſet, vt vno tantum in loco Deus coleretur, quem ipſe elegiſſet, Samaritani hanc laudem ſibi tribuebant, qui montem Ephraim obtinebant, quodque in Silo primum fuiſſet inuocatum nomen Dei gloriabantur. Erat autem Siloh in tribu & monte Ephraim. Iudæi contra diſputabant, decus illud ad ſe pertinere, eo quod Deus poſtea Sionem prætulerit Siloh. Qua de re cum aliquando diſceptaretur coram Prolomæo Philometore rege, ille pro Iudæis pronunciauit. *Ioſeph. lib.* 13. Hoc vero templum Antiochus Epiphanes Ioui Hoſpitali conſecrauit, ipſis Samaritis non repugnantibus. Euerſum fuit à Iohanne Hircano Rege Iudæorum, cum Samariam Iudæorum imperio ſubieciſſet. Veterem inde hiſtoriam recitauit mulier illa Samaritana, *Ioh.* 4. *Patres noſtri in hoc monte adorarunt, &c.*

Templum Ægypti hac occaſione fuit conditum. Tempore Antiochi Epiphanis, ſeditione Hieroſolymis orta, Onias Oniæ Pontificis filius, illius quem Epiphanes interfecerat, vrbe profugus, ad Epiphanis hoſtem Ptolomæum Ægypti regem ſe contulit, & accepto ab eo in Heliopolitana præfectura ſolo, ibi oppidum Hieroſolymis ſimile & templum ædificauit: ibique Pontifex inter eos Iudæos, qui ob ſeditionem vrbe pulſi in Ægyptum conceſſerant, præfuit. Quo vero tempore Titus templum Hieroſolymis incendit, eodem hoc Paulinus Proconſul Ægypti templum iſtud claudi iuſſit, ita vt veſtigium diuini cultus nullum in eo remaneret, poſt 330. annos, quam fuerat conſtitutum. *Ioſeph. lib.* 7. *belli*. Videri tamen alicui poſſit, Deum probaſſe hoc templum, ex 2. *Maccab.* 1. vbi extat epiſtola Iudæorum Hieroſolymitanorum ad Iudæos Ægyptios. *Templum Ægypti.*

Tempora ſacra erant religionis ergo inſtituta. *Tempora ſacra apud Iudæos.*

Erant autem inſtituta, vel à Deo, vel ab hominibus.

Tempora ſacra à Deo inſtituta, erant vel dies, vel anni.

Dies ſacri erant vel profeſti, vel feſti. Illi partialiter, hi totaliter ſacri erant.

Dies ſacri profeſti erant, quibus opus exercere fas erat, holocauſto matutino & veſpertino confecto.

Erant illi vel primi menſium, vel inter ſeptimanas interiecti.

Neomenia Iudæorũ. *Dies profesti primi mensium dicebantur Neomeniæ.* Singula enim mensium initia Deus sacra esse voluit: ita vt proprium holocaustum haberent, cessationem tamen ab opere nō haberent. *Num.* 28.2. *Paral.* 2. & 8. *Ezr.* 2. *Es.* 1.

Dies inter septimanas interiecti, seu intermedii, licet operibus seruilibus impenderentur: tamen matutinum & vespertinum tempus holocausto iugi faciundo tribuebatur ex præcepto Dei. *Exod.* 29. *Num.* 28. *Leuit.* 23. 2. *Paral.* 2.

Dies sacrifesti, erant Sabbatum, Pascha cum Azymis, primitiæ cum pentecoste, Tubæ, Expiationes, Tabernacula cum collectis.

Sabbatum *Sabbatum*, erat dies septimus, quem summo honore colendum Deus præcepit. *Exod.* 20. & 35. *Leuit.* 33. Eo die sacrificari & panes propositionis refici iussit. *Num.* 28. *Leuit.* 24. Hoc Sabbatum fuit signum μνημονικὸν, & τυπικὸν. Nam primo recolebant memoriam creationis factæ, qua absoluta Deus quieuit die septimo. Deinde hoc Sabbathum erat typus illius sabbathi, quo verus Messias debebat requiescere in sepulchro. Cæterum σάββατον est ipse septenarius dierum, siue ipsa septimana, vt in illo publicani *Luc.* 18. videre est: νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, *ieiuno bis in sabbatho*, hoc est in septimana. Hinc dixere primam, & vnam, & alteram Sabbati, pro prima & secunda die septimanæ. *Matth.* 16. *Act.* 20. Est autem prima, siue vna sabbati, dies, quam nos vocamus Dominicam. Vide 2. *Cor.* 6.

Pascha erat omniũ solennium princeps καὶ τάξει καὶ τιμῇ. *Pascha*, celebratur die quartadecima mensis Nisan, seu quartadecima Luna istius mensis. Dies enim Iudæi vocabant Lunas, ita vt primam, secundam, &c. Lunam, & primum, secundum, &c. diem, ponerent pro eodem. Erat autem mensis Nisan ille, quo ex Ægypto egressi erant filii Israel, respondens Martio Romano, adeoque æquinoctium vernum continens. Appellatus etiam fuit *mensis nouarum frugum*. *Exod.* 13. *Deut.* 12. quoniam in Ægypto & Syria mense Martio segetes maturescere solent. *Philo l.* 3. *de vita Mosis*. De huius festi institutione lege *Exod.* 12. & *Leuit.* 23. celebrabant hoc festum solennitate maxima. Singulæ familiæ ad vesperam occidebant sibi agnum, & assatum, cum azymis comedebant. Sequens autem dies, nempe decimaquinta, & Pascha, & prima Azymorum vocabatur: inde septima ab illa, nempe prima & vigesima, erat septima Azymorum, quam Collectam dicebant; quia tum fruges terræ metebant & colligebant. Sic ergo duæ erant partes Paschæ. 1. Mactatio agni, quæ fiebat circa vesperam diei 14. 2. Festum siue solennitas, qua immolabantur victimæ Paschales. *Deut.* 16. 2. *Chron.* 35. Hoc festum fuit septem dierum, qui dicti sunt dies azymorum. Vltimus festi dies fuit æque solennis ac primus; & pro ratione ordinis dictus est σάββατον δευτερόπρωτον. *Luc.* 6. v. 1. vt quibusdam placuit. Sed hac de re vide infra. Quoniam autem dies festus apud ipsos incipiebat à vespere, propterea quartadecima die Pascha celebrari incipiebat, & in decimaquinta desinebat, quam & Pascha &

primam Azymorum diximus. Præter hoc Pascha, quod *legitimum* (hoc est lege institutum) & vetus vocabant, erat etiam aliud, quod dicebatur iudiciale & nouum. Illud erat Pascha agni, hoc bouis & arietis. Hac de re vide plura *cap. seq.*

Fit autem in V. T. mentio quatuor Paschatum celebriorum. Primum est celebratum à Iosua, in terra Chanaan. *Ios.* 5. Alterum tempore Ezechiæ regis Iudæ. 2. *Paral.* 30. Tertium à Iosia rege. 4 *Reg.* 23. 2. *Paral.* 35. Quartum, post quam Babylone reuersi fuerunt. 1. *Ezr.* 1.

Dies primitiarum fuit decimasexta dies Martij, quam secundam Azymorum diximus, qua falcem in segetem primum mittebant, lectumque nouatum frugum manipulum Deo offerebant, vt sanctificaretur futura messis. *Leuit.* 23. & *c.* 2. *Dies primitiarum.*

Dies Pentecostes, fuit quinquagesimus à Paschate. Messe namque post quadraginta nouem dies perfecta, ipso die quinquagesimo festum Pentecostes, siue Quinquagesimæ celebratum fuit, sexto die mensis Siuan, qui respondet nostro Maio, atque eo die panes à nouis frugibus Deo oblati sunt. Alio nomine dicitur *festum hebdomadum*, quod in fine hebdomadum ageretur. Intellige septem illas hebdomadas, quas iubebat Deus computare à decimo sexto Nisan. Rationem huius festi vide *Leuit.* 23. *Num.* 18. *Deut.* 16. *Pentecoste.*

Dies, siue festum tubarum, celebrabatur die prima mensis septimi, quem illi Tisri, nos Septembrem vocamus. *Leuit.* 23. Celebratus est hic dies in memoriam, vt quidam interpretes volunt, eius diei, quo tubis clangentibus Deus legem Mosi in monte Sinai dedit, aut eius, cum liberatus est Isaac inuento ariete. *Festum tubarum.*

Festum expiationum, celebrabatur die decimo mensis septimi, quo expiatio peccatorum & tabernaculi fiebat, capro emissario in deserta emisso. *Leuit.* 16. & 23. Appellabatur etiam *dies ieiunii*, & *Ier.* 23. ieiunium; quia eo die ieiunare iussi sunt. *Festū expiationū.*

Festum tabernaculorum, per octo dies celebrabatur; ex quibus primus, qui Septembris decimus quintus fuit, & octauus, qui fuit vigesimus secundus, collecta fructuum est dictus, vt distingueretur à collecta frugum. *Leuit.* 23. *Num* 29. *Deut.* 16. Tabernacula igitur, quæ erant monumentum illius temporis, quo Israelitæ in deserto sub tabernaculis fuerunt, in collectas fructuum inciderunt in autumno, in exitu anni veteris seu ciuilis. *Exod.* 23. Magna lætitia hoc festum fuit celebratum. *Nehem.* 8. Dicitur alias *Scenopegia*, & *festum Scenopegia*: item festum palmarum, de quo vide *Lexic.* nostrum *Theologicum. pag.* 287. Ex his festis diebus fuerunt tres præcipui, *Pascha, Pentecoste, & Tabernacula*: ad quos quotannis solenniter celebrandos viros singulos adire oportuit Hierosolymam ex omnibus finibus Iudææ. *Exod.* 23. 2. *Paral.* 8. *Festum tabernaculorum.*

Anni sacri, erant septimus, & quinquagesimus.

Annus Sabbatarius. *Annus septimus* erat, quo remissio terræ à cultura concedebatur. *Exod.* 23. *Leuit.* 25. *Deut.* 15. Dicitur *annus Sabbatarius.*

Annus Iubilaus. *Annus quinquagesimus* erat, quo remissio dabatur seruis à ministerio ciuili, atque ager alienatus redibat ad veterem possessorem. *Leuit.* 25. *Num.* 36. Dicitur *annus Sabbatarius magnus, & Iubilaus.*

Tempora sacra ab hominibus instituta, fuerunt

Encania. 1. *Encania*, quæ quotannis in dedicatione templi adhibita sunt. Nam ἐγκαινίζειν, est dedicare, consecrare. Quatuor autem dedicationes templi Hierosolymitani diuersis anni temporibus celebratæ sunt. *Prima* fuit Salomonis mense septimo. 2. *Paral.* 7. *Secunda* fuit templi secundi, nempe Zorobabelis, instituta à Iudæis in solum patrium restitutis, mense Adar, qui respondet Februario. *Ezech.* 6. *Tertia* fuit altaris dedicatio, cum Iudas Maccabæus altare holocausti instaurauit, quod Antiochus rex profanauerat, idque dedicauit mense nono, scilicet Nouembri, vt in libro Maccabæorum legimus. De his Encæniis per hyemem factis videtur loqui Iohannes; Et facta sunt Encænia in Hierosolymis, & hyems erat. *Quarta* fuit dedicatio templi Herodis, quæ incidit in ipsius natalem, & magna pompa celebrata est. *Iosephus lib. decimoquinto.*

2. *Festum Iephte, seu planctus filia Iephte*; quam existimabant Iudæi à patre immolatam. *Iud.* 11.

3. *Festum luminum*, vt vocat Iosephus. Habebant enim in honore diem, quo ignis cœlestis, quem extinctum post exilium Babylonicum repererunt, suscitatus est. Vide libros Maccabæorum. Celebrabant hunc diem, 20. mensis Casleu, id est, Nouembris.

4. *Festum Iudith*, quo celebrabant victoriam de Holopherne regis Assyriorum præfecto per Iudith viduam Hebræam relata. *Iudith.* 16.

5. *Festum Esther*, quo recolebant memoriam victoriæ Esther aduersus Haman. Hunc diem à Mardochæo institutum tradunt: vnde & *festum Mardochæi* dictum est. 2. *Maccab. vlt.*

6. *Festum victoria de Nicanore*; quo honorabant diem quo victoriam de Nicanore duce Demetrij regis Syriæ pepererunt. *Ioseph. lib.* 12.

7. *Ieiunium Godolia*, quo ieiunabant 3. die mensis Tisri, ob mortem Godoliæ, de qua 4. *Reg.* 26.

Habuerunt & alios dies, quibus ieiunarunt, quos etiam hodie obseruant. De his agere non est nostri instituti, qui hoc agimus, vt sacram historiam illustremus.

Sequuntur iam ritus sacri, quorum quatuor summa capita constituimus, sacrificium; vt sunt confeßio, & Munus sacrum, & Ieiunium. Hæc veniunt generali nomine oblationis; & tribus potissimum de causis videntur oblata; Dei honorandi, salutis & pacis ab eo impetrandæ, & peccati expiandi.

Sacrifi-

Sacrificium erat ritus, quo ſacerdos rem Deo offerebat, eam faciendo ſacram.

Sacrificium erat vel commune, vel proprium.

Commune ad omnes attinebat; & hoc ſacrificium erat vel ἱλαστικὸν, *vel* εὐχαριστικόν. In Leuitico deſcribuntur ſex genera ſacrificiorum, quorum duas ſpecies ſupremas hic conſtituimus.

Sacrificium ἱλαστικὸν, *erat vel* διαμακτικὸν, *placatorium, vel* ἀπολυτρωτικὸν, *redemtionis ſacrificium.* Sacrificiorum varia genera.

Sacrificium διαμακτικὸν *erat holocauſtum*; ὁλόκαυστον *&* ὁλοκαύτωμα, *q. d. totum combuſtum*, quo ſenſu *Pſal.* 51. dicitur בליל à בליל quod ſignificat *conſumtum eſt.* Oportebat enim totam victimam cremare; quo ſignificabatur totam hanc corruptam naturam deſtruendam & renouandam eſſe. Dicitur etiam vſitatius עולה à עלה. *Aſcendit*; quia tota aſcendebat in altare, & tota aſcendebat verſus cœlum in fumum verſa; vt ſignificaretur, nos ad cœleſtia tendere debere, ſepoſitis impuritatibus animæ. Modus holocauſti traditus eſt *Leuit.* 1. *&* 6. vbi per ignem intelliges perpetuum illum, quo Sacerdotes vſque ad Babylonicum exilium hoſtias incenderunt. Lutherus vertit Brandtopffer.

Sacrificium ἀπολυτρωτικὸν *erat quo redimebant pœnas certorum delictorum.*

Erat autem duplex, ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro delicto.

Sacrificium pro peccato erat, quo expiabantur peccata ἀκουσίως, *inuoluntarie*, & ex errore, aut ignorantia commiſſa. Hebraice חטאה à חטא peccauit, & oblationem fecit pro peccato.

Septuaginta verterunt θυσίαν περὶ ἁμαρτίας, Lutherus Sündopffer. Modus illius deſcribitur *Leuit.* 6. Offerebatur autem hoc ſacrificium pro expiandis peccatis populi, principis, priuati, vel ipſius ſacerdotis, *Leuit.* 4.

Sacrificium pro delicto erat, quo expiabantur peccata ἑκουσίως, quæ libera voluntate, ἐκ προαιρέσεως, re deliberata, ſine coactione & metu committebantur. Hebraice אשם à radice אשם, *delinquere.* LXX. verterunt θυσίαν περὶ πλημμελείας καὶ πλημμελήματος. Lutherus vertit Schuldopffer. Sic *Eſa.* 53. dicitur de Chriſto: *ponet animam ſuam Aſchom, peccatum*, h. e. victimam pro peccato. Et ſequitur Eſaiam Paulus. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, id eſt, rem ream. Modus illius eſt *Leuit.* 6. *&* 7. *&* 9.

Sacrificium εὐχαριστικὸν *erat vel oblatio, vel* ἀποτελεστικὸν, *ſeu* τελειώσεως, *initiatorium, ſeu conſecrationis.*

Oblatio erat ſacrificium, ſeu munus honorarium, quod de terra naſcentibus exhibebatur Deo, eoque teſtatum fiebat, à Deo eſſe vitam, & res vitæ neceſſarias, terræ fœcunditatem, ſalubritatem aeris, & pacem, & gratias de tantis beneficiis deberi Deo. Pertinebat etiam ad miniſterij conſeruationem, & ſuſtentationem ſacerdotum. Patrem ſiquidem re-

rum oblatarum capiebat Sacerdos, reliquum, vniuerso cum thure incensum adolebat. Hebræis dicitur מנחה à נחה *ducere*. LXX. verterunt δῶρον θυσίαν; vulgata versio, proprio nomine *sacrificium* vertit: alii libamen. Lutherus Speißopffer. Modus illius est *Leuit*. 2. & 6.

Sacrificium ἀποτελεστικὸν *erat hostia pacificorum*, & *sacrificium laudis*.

Hostia pacificorum celebrabatur ab iis, qui Deo pro acceptis beneficiis gratias agebant. Hebraice dicitur זבח השלומים, *sacrificium pacis*. Beneficia enim pacis nomine Hebræi offerunt κατὰ συνεκδοχὴν. LXX. reddiderunt θυσίαν σωτήριον, Latinus *Pacifica*, *Victimas pacificas*, *Hostiam pacificorum*: *Hostias salutares*. Lutherus Danckopffer. Origenes autem statuit, duplex fuisse hoc sacrificium, vnum voti, alterum laudis, ita vt Deum hoc sacrificio oblato orarint pro pace aut salute, aut ea impetrata laudarint. Modus illius circumscribitur *Leuit*. 13. & 7. Sed sacrificium laudis est distincta species, vt iam dicetur.

Sacrificium laudis erat, quod illi qui offerebant, testabantur, se agnoscere & profiteri illum Deum esse vnum, verum, & æternum, distinctum ab omnibus commentitiis numinibus, conditorem cœli & terræ, Dominum & huius populi, & Ecclesiæ suæ ex hoc populo propter Messiam collectæ, authorem beneficiorum, quæ hic populus accepisset, & debere se ei obedientiam, gratitudinem, & celebrationem beneficiorum perpetuam.

Confessio qualis fuerit apud Iudæos.

Confessio erat formula, qua in sacrificiis Dei bonitatem & misericordiam extulerunt. Videtur autem hæc formula fuisse solennis, quæ *Psal*. 136. repetitur vicies sexies: *quoniam in seculum misericordia eius*. Verba antecedentia fuerunt varia pro affectu vario: vt, *Confitemini Domino*, *Exaltate Deum*, &c. Quibus vocibus etiam adiecerunt modos instrumentorum Musicorum, vt Psalteriorum, tubarum, cithararum, cymbalorum, & organorum. Hæc vero maxime instituto Dauidis. Testimonia istarum confessionum, vide 1. *Paral*. 23. 2. *Paral*. 5. & 29. & 31. *Ezech* 3. & 11. Hic nota, Musicorum tria fuisse genera.

Musicorũ apud Hebræos tria genera.

Nam alii fuerunt ψαλτωδοὶ qui musica pulsabant instrumenta; alii ἀοιδοὶ, siue μελωδοὶ, *melodæ*, alias cantores siue Symphoniaci, qui cantabant assa voce, vt Latini loquuntur: alii denique ψαλτῳδοὶ, *Psaltepistæ*, qui melos organicum vocali coniunxerunt. Quorum omnium præfecti & magistri seu modiperatores, Hebræis vocabantur *Menatzechim*. Instrumentorum autem musicorum duo erant genera. Nam alia erant ἔντατα siue ἔγχορδα, siue ψηλαφατά, quæ Latini vocant fides siue neruos per Synecdochen: alia vero erant κρουστά, quæ ex pura pulsatione constant, quibus adde ea quæ dicuntur πνευματικὰ seu ἔμπνευστα, quorum illa digitis, hæc vento mouentur. Moses *Gen*. 4. *v*. 21. duobus nominibus synecdochice comprehendit omnia illa instrumenta, dum ait: *Nomenque fratris eius fuit Iubal: hic fuit author omnium tractantium citharam & organum.*

Ex

Ex his perspicitur quodnam discrimen sit in Psalmis inter hæc duo vocabula שיר & מזמור. Illud significat odam, hoc Psalmum, qui instrumento aliquo musico decantatur.

Sacrificium proprium, erat certarum personarum.

Erat autem duplex. 1. *Mundationis*; relatum ad labem puerperæ, leprosi, viri seminiflui, & mulieris menstruosæ. *Leuit.* 12. & 13. & 14. & 15. 2 *Expiationis*; relatum ad sanctuarium, & populum labe pollutum. *Leuit.* 16. Alij vocant *sacrificium Propitiationis*. *Leuit.* 16. His addunt quidam tertium Sacrificium proprium, quod vocant *consecrationis*, quod ad solos pertinebat Sacerdotes. Verum hoc est sacrificium ex illis senis ante à nobis propositis: vt disces ex *Leuit.* 6.

Præter hæc sacrificia erat etiam *quotidiana oblatio incensi in altari thymiamatis*. *Exod.* 40. & 30. Confer 1. *Reg.* 2. & 3. *Reg.* 9. & 22. 1. *Paralip.* 6. & 26. & 29. *Esa.* 1. & *Luc.* 1.

Munus siue donum sacrum erat, quod Domino oblatum sacrabatur integrum: contra quam in sacrificiis fiebat, quæ vel tota, vel ex parte absumta fuerunt. *Munus sacrum.*

Munus sacrum aut ex lege, aut ex voto, aut ex pura voluntate dabatur. Num. 29.

Munera ex lege oblata, fuerunt primitiæ, decimæ, & pecunia sacra. Deuter. 12. Vocantur quibusdam *munera legitima*, hoc est, ex lege oblata.

Primitiæ, erant quæ cuique primo, siue ex animalibus, siue ex hominibus, siue ex semine terræ, orta, Deo offerebantur. *Exod.* 22. *Num.* 6. Fuerunt tamen etiam primitiæ votiuæ. *Leuit.* 18. Voluit autem Deus, vt primogenita hominum, & animalium immundorum redimerentur. Siue autem ex lege, siue ex voto offerrentur, vsui Sacerdotum cedebant. *Primitiæ.*

Decimæ, erant pars decima omnium fructuum, quos singul s annis è terra & pecudibus eliciebant, Deo offerenda, & ad vsum Sacerdotum traducenda. *Exod.* 22. *Leuit.* 27. Colligit autem *Hieronymus super Ezechielem* quatuor genera decimarum è verbis S. literarum, hoc modo. *Decimæ.*

1. Populus dabat decimam Leuitis.

2. Leuitæ è suis decimis dabant Sacerdotibus. De vtroque hoc genere est locus. *Num.* 18.

3. Fuit decima, quam vnusquisque in suis hortis separabat, vt comederet eam, proficiscens ad templum, in vestibulo eius, & Sacerdotes ac Leuitas inuitaret ad conuiuium. *Deut.* 12. & 14. *Tob.* 1. Sunt tamen, quia ab Hieronymo hic dissentiunt, & tertiam hanc decimam eandem esse cum prima contendunt: licitum autem fuisse ex prima decima aliquid sumere, & cum Leuitis in templo epulari.

4. Quarta decima fuit, quæ non singulis annis, sed tertio quoque recondebatur ad pauperes sustentandos. *Deut.* 14. & 26.

Post reditum inde è Babylonia primitiæ & decimæ ad Gazophylacium deferri cœptæ, *Nehem.* 10. Pharisæi denique adeo exactam decima-

rum rationem habebant, vt etiam decimas minutorum olerum exigerent, *Matth.* 11.

Pecunia sacra.

Pecunia sacra, erat quam dabant Domino pretium pro animabus suis in vsus Tabernaculi. *Exod.* 30. Hæc pecunia dicebatur *Siclus*. Hanc pecuniam per annos multos constituto iam templo exegerunt, deinde exigere desierunt. Post autem cum ad sarciendum templum pecunia opus esset, neque vllam Sacerdotes haberent, quod exigere destitissent, Ioas eam iterum solui voluit, ac propterea arcam instituit, in quam omnes in templum ingredientes pecuniam illam conferrent. Arcam illam Persico & Græco vocabulo *Gazophylacium*, & Syriaco, *Corbonam*, appellarunt. Vide 4. *Reg.* 12. & 2. *Paralip.* 23. 4. *Reg.* 22. Euerso inde templo, Gazophylacium quoque euersum fuit, & restituto restitutum. Verum id non arca tantum fuit, in quam pecunia iaceretur, sed locus amplus, in quo etiam primitiæ decimæ Leuitarum sunt repositæ. *Nehem.* 10. & 3. & 13. Huic porro Gazophylacio custos fuit præpositus, qui *Esa.* 22. vocatur ταμίας τοῦ ἱεροῦ *quæstor templi*, vel præpositus templi, vt Latinus habet, quem *Ioseph. lib.* 18. Gazophylacem nominat.

Munera votina.

Munera ex voto oblata alias dicuntur votiua. Vouebant autem Iudæi Deo vel animam suam, vel res suas. Si animam, pretio redimere oportebat. Si animal, mutari votum non potuit, & consecratum Deo mansit. Si domum, pretio aucto redimere potuerunt. Omnis vero æstimatio siclo sanctuarij ponderata est. Hæc munera dicuntur etiam *vota*. *Deut.* 23. Formulas voti concipiendi vide *Iudic.* 11. 1. *Sam.* 1. 2. *Reg.* 7. Hinc illæ Phrases in sacris, *vouere & reddere vota*. Vide *Leuit. vlt.* De voto Nazaræorum vide paulo post. Deferebantur autem vota in templum perinde ac cætera munera sacra. *Num.* 33.

Munera sponte oblata, fuerunt quæ omnino à libertate voluntatis manarunt. *Iudic.* 12. *Ezr.* 1.

Ieiunium erat, quo orandi causa ieiunarunt, fleuerunt, saccum induerunt, sese cinere consperserunt, atque omnino omnes affligendi & humiliandi corporis rationes exquisiuerunt.

Ieiuniorũ ratio apud Hebræos.

Ieiunium erat, vel à Deo, vel ab hominibus indictum. Illud ordinarium, hoc extraordinarium dices.

Ieiunium à Deo indictum appellatur *legitimum & ordinarium*, quod die decima Septembris, in die expiationum fuit peractum: qui dies ieiuniorum, & dies ieiunij appellatus fuit.

Ieiunium indictum ab hominibus erat vel publicum, vel priuatum.

Publicum, extra ordinem indicebatur, cum arbitrium, vel necessitas tulit: idque vel dies septem, vel tres, vel vsque ad vesperam. 2. *Paral.* 20. 1. *Ezr.* 8. *Iudith.* 4. *Iudic.* 20. 1. *Reg.* 7. 1. *Maccab.* 3. 2. *Maccab.* 13.

Priuatum ieiunium erat, quod pro suo quisque arbitratu in eodem manens

nens instituto peregit. *Numer.* 30. 2.*Reg.* 12. 3.*Reg.* 21. 2.*Ezr.*5. *Iudith.* 8. De Pharisæis in Euangelio legimus, quod bis in Sabbato ieiunauerint. *Luc.*18.

Iam vero quoniam Iudæi plus tribuebant sacrificio & ieiunio externo, quam interno, adeo vt opera charitatis erga proximum, & pietatis erga Deum omitterent; quorum illud dicitur iustitiæ, hoc laudis: Deus sæpe repudiare se dicit illorum sacrificia & ieiunia. Testatur hinc inde se nolle sacrificia victimarum, sed iustitiæ & laudis, id est, vt charitas erga proximum, & pietas erga ipsum adhibeatur. *Prov.*3. *Psalm.*4.51.39. *Marc.*12. *Hebr.* 13. *Psalm.*49.115.116. *Hos.* 14. Sic cordis afflictionem se potiorem habere quam corporis, & iustitiam atque charitatem quam ieiunium testatur. *Es.* 58. Et *Ioel* sic monet: *Scindite corda vestra, & non vestimenta.*

Personæ sacræ sequuntur, quæ locorum, temporum & rituum sacrorum, adeoque omnium ceremoniarum curam habuerunt. *Personæ sacræ.*

Personæ sacræ, vel suum ministerium sacris præbuerunt, vel Deo operam suam dicarunt, licet sacra non attigerint.

Personæ, quæ suum ministerium sacris præbuerunt, fuerunt vel primariæ, vel secundariæ.

Personæ primariæ fuerunt Pontifex, & Sacerdotes.

Ille Sacerdos primus, *Sacerdos magnus*, & *Sacerdotum Princeps* nuncupatur: isti *Sacerdotes secundi, & secundi ordinis* appellati sunt. 4. *Reg.* 23. *Nehem.* 3. 1. *Reg.* 25. *Iudith.* 4.

Pontificis considerabimus vestimenta, consecrationem, conditiones seu requisita, officium, & electionem. *Summus Pontifex.*

Vestimenta Pontificis (alias vestes Pontificiæ) fuerunt octo:

1. Superhumerale. *Exod.* 28.
2. Rationale. *ibid.*
3. Tunica hyacinthina. *ibid.*
4. Tunica linea stricta. *ibid.*
5. Feminalia linea.
6. Baltheus 7. Tiara 8. Lamina aurea: de quibus omnibus *Exod.* 28. vbi quidem præcipiuntur hæc talia. Facta vero narrantur *Leuit* 8. Vide epistolam 129. *Hieronymi*, qui qualia fuerint ista vestimenta refert ex Iosepho, qui stante templo floruit, & hæc prolixe exposuit.

Consecratio Pontificis, per septem dies facta est, hoc modo. Qui futurus erat summus Sacerdos, primum ad altare offerebatur, deinde aqua lauabatur, tum vestibus, quas diximus, induebatur; inde capiti oleum sanctum infundebatur; demum sacrificio præcipuo facto consecrabatur, atque eius sanguine altare & vestes aspergebantur. *Exod.*29. Hæc sunt mandata; quæ perfecta memorantur in Leuitico. *cap.* 7. Vide *Philon. lib.* 3. *de vita Mosis.*

Conditiones Pontificis requirebantur aliæ ante creationem. *Leuit.* 21. aliæ post creationem. *ibid.* Hinc Aristobulus rex tradente Iosepho, cum Hircano fratri suo Pontificatum abrogasset, nasum præsecuit, vt mutilato corpore illi spem recuperandi honoris, atque etiam facultatem adimeret.

Officium Pontificis, erat:

1. Quotidie ingredi tabernaculum, & lucernas concinnare. *Leuit.* 24. 2. *Paral.* 12. 2. *Maccab.* 1.

2. In sanctuario adolere incensum ad altare thymiamatis. 1. *Reg.* 2. 1. *Paral.* 6. & 26.

3. Singulis septimanis panes propositionis conficere ac sibi habere. *Leuit.* 24. 1. *Reg.* 21. *Matth.* 12. 1. *Paral.* 9. 2. *Maccab.* 1.

4. Diebus festis sacrificia populi vna cum sacerdotibus facere. Vide quæ supra de sacrificiis & diebus festis diximus.

5. Semel in anno, in die Expiationum, sacris vestibus indutum, ingredi ipsum sanctuarium cum altari Thymiamatis, vt populum à peccatis expiaret, & simul pro se, ac domo sua, & toto populo preces funderet. *Leuit.* 16. *Exod.* 30. *Heb.* 9.

Et hæc quidem fuerunt præcipuæ illius muneris partes, sacrificare & orare. Hic quæstio oritur, quomodo accipiendum sit illud, quod summus Pontifex semel in anno fuerit ingressus sanctuarium? Augustinus existimat, eum quotidie quidem ingressum esse propter incensum, & semel in anno propter expiationem cum sanguine purificationis. Alii dicunt, eum quotidie quidem ingressum esse in sanctum sanctorum; sed sacerdotum comitatu stipatum, semel autem in anno solum, vt colligunt ex *Leuit.* 16. *Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex, &c.*

De electione Pontificis hæc tenenda. Hæc dignitas primo data est Aharoni, & posteris eius. *Exod.* 28. 1. *Paral.* 23. Mortuo Aharone peruenit ad Eleazarum filium eius. Inde post Eleazarum filii eius illum honorem cœperunt. Tertio loco transiit ad posteros Ithamari, qui fuit frater Eleazari. Inde post aliquot annos rursus rediit ad stirpem Eleazari, atque inea mansit vsq; ad tempora regum Syriæ post reuersionem ex Babylone. Quo tempore pontificatus ad alias familias, Leuiticas quidem, verum non ab Aharone descendentes, translatus est, sic volentibus regibus; quorum primi fuere reges Syriæ, secundi reges Iudæorum proselyti, tertii duces Romani, qui Syriæ ac Iudææ prouinciæ præfuerunt. Pontificatus instituto Dei fuit perpetuus, ita vt Pontifex hunc honorem ad dies vitæ gereret. Deinde Græcorum regum arbitrio in annum atque annos tribui cœptus est. Præterea Pontifices curam religionis tantum gerebant vsque ad captiuitatem; sed post eam pontificibus & sacra & Resp. commissa, ita vt iidem essent pontifices & principes. Sed postea Assamonæorum familia è tri-

tribu Leui summam potestatem adepta, principatum in regnum côuertit, ita vt iidem pontifices ac reges essent: quibus amotis natus est Christus, summus rex & pontifex.

Præcipui Pontifices, quorum crebro fit mentio, fuerunt hi. *Abaron*. *Eleazar* filius; *Phinees* filius Eleazari; *Eli*; *Samuel*; *Abimelech*; *Abiathar*; *Ioiada*, cuius filius fuit Zacharias propheta, *Saraias*, interfectus à Nebucadnezare; *Iosedec* filius illius, successit in captiuitate Babylonica, Ezræ frater; *Iesus*, reuersus Babylone; *Iaddus*, qui excepit Alexandrum Magnum victorem; *Eleazar*, ad quem scripsit Ptolomæus Philadelphus rex Ægypti, vt ad se Biblia mitteret, vna cum LXXII. interpretibus; *Iudas Maccabæus*; *Simon Boethus* Alexandrinus alienigena, socer Herodis, ab eodem admotus & remotus; *Ioazar*; Simonis, istius filius, vxorius Herodis. Sub hoc natus est Christus; passus sub *Iosepho Caipha*, genero *Annæ* Pontificis, imperante Tiberio. Hic incidit quæstio, quid sibi velint illa verba Lucæ: *Sub principibus sacerdotum Anna & Caipha*: & illa Iohannis: & *Annas princeps sacerdotum, & Caphas*: cum nunquam bini pontificatum administrarint, sed vnus alteri successerit? Resp. partim vetus consuetudo fuit retenta, vt nunquam nisi vnus esset summus pontifex; partim noua inducta, qua pontificatus in annum, vel annos aliquot tribuebatur. Qui ergo semel illam dignitatem suscepisset, Pontifex appellabatur, vt qui ex veteri consuetudine hanc dignitatem vsque ad mortem retinere debuisset. Sic Annas dicitur Pontifex, non quod tunc pontificatum administraret, sed quia ex pontificiis socer erat Caiphæ, qui tum erat pontifex.

Catalogũ summorũ pontificum vide infra.

De hoc Anna scribit Iosephus: *Felicissimus Anna fuit. Filios namque omnes Dei pontifices vidit, atque ipse hunc honorem plurimis annis gessit*. Filii autem eius fuerunt tres, Ionathas, Theophilus, Matthias.

Sacerdotes & multi fuere, & minori authoritate quam Pontifex. Horum considerantur.

Sacerdotes Hebræorũ.

1. *Vestis*; tunica linea, baltheus, mitra, feminalia. *Exod*. 29. & 28. *Leuit*. 8. Extra ordinem etiam induebant Ephod, id est, superhumerale, sed lineum. 1. *Reg*. 22.

2. *Ritus consecrationis*; *Exod*. 29. *Leuit*. 8. Sunt autem eodem modo consecrati & sacerdotes, & pontifex.

3. *Conditiones*; *Leuit*. 10. & 21.


4. *Officia*. videlicet; 1. Olea conseruare. 2. Vasa tabernaculi inspicere. 3. Quotidie incensum offerre. 4. Sacrificium quotidianum facere. *Num*. 4. 1. *Paral*. 6. 2. *Paral*. 26 *Luc*. 1. *Heb*. 8. 5. Pro populo, & pro priuatis extra ordinem offerre. 2. *Paral*. 29. *Leuit*. 17. 6 Diebus festis sacrificium populi agere. 7. Pelles holocaustorum detrahere. *Leuit*. 1. 2. *Paral*. 29. Hæc omnia *Ezech*. 44. postquam ab exilio Babylonico reuerterant, sunt à Deo renouata.

5. Electio.

5. *Electio.* Primi sacerdotes fuere Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar filii Aharonis, ex mandato Dei vestiti, & consecrati. Extinctis vero Nadab & Abiu, quod ignem alienum, non sacrum, sacrificiis intulissent, remansere Eleazar & Ithamar, qui pontificum & sacerdotum familiam prodiderunt. Dauid autem, cum sua ætate sedecim essent familiæ ab Eleazaro profectæ, octo vero ab Ithamaro, omnes sacerdotes in 24. classes destinauit: atque eis nomen imposuit ab eo, qui tum illius familiæ principatum gerebat, ordine eorum sorte ducto. Vide harum classium ordinem 1. *Paral.* 24. Confer *Luc.* 1. Huius rei ratio videtur fuisse talis. Dauid omnes sacerdotes quotidie ministerii sacris noluit occupari; sed singulas classes singulis hebdomadibus ministrare: ac primum ordinem classium sorte duxit, deinde sacerdotes singularum classium sortiri voluit, quo quisque officio in sua hebdomade fungeretur. Exempli gratia quis incensum poneret, quis sacrificaret. *Luc.* 1. Confer *Ezr.* 6. Porro singulis classibus sacerdotum præerant sacerdotes quidam, qui ἀρχιερεῖς, communi nomine cum summo Pontifice, & à Latino interprete principes sacerdotum & pontifices redduntur *Ezr.* 8. *Marc.* 14. *Act.* 4. & 19. In illo Christi iudicio Caiphas fuit summus pontifex, Annas pontificius, reliqui principes classium sacerdotalium, quæ omnes erant ex tribu Leui, vtpote ex posteris Eleazari & Ithamari. *Hebr.* 7. Sic Ezra dicitur princeps sacerdotum, nec tamen pontificatum maximum gessit.

Personæ, quæ suum ministerium sacris præbuerunt, secundariæ, fuerunt Leuitæ, Cantores, Ianitores, Nathinæi.

Leuitæ. *Leuitæ* duobus modis dicuntur. Nam *late* hoc nomine vocantur omnes posteri Leui; quo sensu sacerdotes etiam Leuitæ dici possunt. Sed *stricte* illi dicuntur Leuitæ, qui ex posteris quidem Leui, verum non ex familiis Eleazari aut Ithamari genus traxerunt. Habe typum:



Leuitarum ordo fuit duplex. Primus fuit institutus à Mose. His Leuitis Deus commisit curam tabernaculi, & vasorum, & instrumentorum eius, & arcæ fœderis, vt ea deferrent & custodirent, & vt sacerdotibus ministrarent. *Numer.* 1. 4. & 8. Hi in libro Iosuæ dicuntur *sacerdotes*, late accepto vocabulo. *Secundus* ordo fuit institutus à Dauide, priore illo quodammodo abrogato. Nam arcæ onere ferendo sublato constituit alios sacerdotum & tem-

& templi ministros, qui proprie Leuitæ dicti sunt; alios Ianitores, alios Scribas & Iudices constituit, qui etiam Leuitæ appellantur, sed ἐν πλάτει. Leuitarum seu ministrorum viginti quatuor millia constituit, Scribarum & Iudicum sex millia, cantorum quatuor millia, & totidem Ianitorum. 1. *Paral.* 23. & 9. Hi vero Leuitæ seu ministri à Dauide in 24. classes distincti sunt: vnde principes, Leuitarum non minus quam Sacerdotum 1. *Ezr.* 8. cõmemorantur. Hæc sic instituta à Dauide, postea perfecta sunt à Salomone. 2. *Paral.* 8. *Cantores*, à Dauide instituti fuerunt, vt cõfiterentur & canerẽt in organis Domino. De horũ organis, vestibus & officiis vide 2. *Paral.* 5. 7. & 20. 1. *Ezr.* 3. & 13. Diuisi fuerunt in 24. vices siue classes. 1. *Paral.* 24. Hoc autem munus assignauit Dauid tribus filiis Iohel, qui genus trahebant à Gersone, nempe Asaph, Heman & Idithun: quorũ erant filii 24. quatuor Asaph, sex Idithun, quatuordecim Heman, qui pariter sorte ducti singulis vicenis quaternis classibus nomen dedere. Tunicis præterea byssinis induebantur, atque ita à sacerdotibus lineas habentibus distinguebantur. Postea tamen à rege Agrippa impetrarunt, vt pro stola byssina lineam sacerdotalem gestarent. *Ianitores* fuerunt ministri, qui ad ianuas templi excubabant, & sacras arculas obseruabant. 1. *Paral.* 9. Horum 24. classes siue vices fuerunt. 1. *Paral.* 26. Vide 2. *Paral.* 35 Ioiada inde Pontifex, regnante Ioa, constituit quosdam ianitores ad custodiam templi, vt neminem incontaminatum ingredi sinerent. 2. *Paral.* 23. qui etiam pecuniam sacram collegerunt. 4. *Reg.* 22.

Alia homonymia vocis Leuita.

Cantores.

Ianitores.

Nathinæi fuerunt, qui Leuitis operam ministerii præstiterunt, sicut Leuitæ sacerdotibus. 1. *Paral.* 9. 1. *Ezr.* 2. Hi olim dicti *Gabaonitæ*. *Iof.* 5. 9. 20. Sed Dauid nomen Nathinæorum illis imposuit. *Ezr.* 2. & 8.

Nathinæi.

Personæ sacræ, quæ Deo operam suam dicarunt, licet sacra ministeria non attigerint, in tres classes à nobis distribuuntur.

Prima classis complectitur Nazaræos, seu Naziræos, qui corpus suum Deo consecrarunt. Fit autem apud authores mentio Nazaræorum, Nazarenorum, & Nasaræorum: quæ vocabula nobis distinguenda sunt. *Nazaræi*, de quibus hoc loco agimus, à separatione votiua dicti sunt, & Hebræis scribuntur per zain. LXX. verterunt Ναζιραίους. Hi Naziræi erant duum generum, votiui & imperati. *Votiui* erant, qui vltro spondebant Deo Naziræatus legem; *Imperati*, quibus Deus extra ordinem, Naziræatus legem, inde à principio indixerat. Nam hi perpetui erant, illi vero temporarii. De votiuis igitur *Num.* 6. Imperatiui fuerũt in V. T. Simson *Iud.* 13. & *seq.* & Samuel. 1. *Reg.* 1. in Nouo T. Iohannes Baptista. *Luc.* 1. Egesippus teste Clemente Alexandrino, Iacobum Iustum, fratrem Domini, fuisse quoque Naziræum tradit. Quidam Christum etiam Naziræum fuisse tradunt: sed falso. Nam Christus vinum bibit, mortuos attigit, & alia obiit, quæ Naziræatus lege vetabantur. *Nazareni*, terminatione Græca, Hebræis

Naziræi.

Nazoræi, ſcribuntur per Tzade, ſumta origene ex Hebræo נצר, quæ vox reperitur *Eſa.* 11. & 62. & apud Danielem aliquoties: vnde Syrum נצרת nomen vrbis ſiue vici in Galilæa, ex cuius habitatione Chriſtus in N. T. dicitur Nazoraius, ſiue Nazarenus. *Matth.* 2. *& in Actis.* Ab eo Chriſtiani ſunt dicti Nazaræi, ſiue Nazareni, & eorum ſecta Nazarena, in *Actis*. Atque hæc appellatio apud Iudæos perdurauit, qui hodieque Chriſtianos vocant *Nozerim*. Alibi exoleta eſt, ex quo primum Antiochiæ Chriſtiani ſunt dicti. *Act.* 13. Tertius ordo *Nazaræorum* mox à nobis explicabitur.

Prophetæ. *Secunda claſſis complectitur perſonas ſacras, quæ fuderunt oracula Dei.* Hi primum fuerunt appellati *Videntes*, deinde Prophetæ. 1. *Reg.* 9. Hos Deus extra ordinem ſuſcitabat, & per eos ſuam voluntatem docebat. Homines quoque poterant Deum conſulere per Prophetas. Stante templo primo maxime conſulebant Deum per oraculum, cum videl. ad propitiatorium arcæ fœderis accedebant, atque ibi Deum rogabant. *Exod.* 25. *Numer.* 7. *Iudic.* 1. & 20. Excepto vero oraculo conſultus Deus reſpondit per Prophetas, item per ſacerdotes, & ſomnia, iuxta illud: *Saul conſuluit Deum,*

1. *Reg.* 28. *& non reſpondit ei neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, neque per Prophetas.* Cæterum multos Patres Deus inſtruxit quoque ſpiritu prophetico, vt Abraham, Iſaac, Iacob, & Ioſeph, quorũ vaticinia extant in ſacris literis. Verum hic ἐξαιρέτως Prophetæ dicuntur, quibus hoc nomen impoſitum fuit: & ita diſtinguimus Patriarchas à Prophetis. Horum Prophetarum delineationem talem cape.

Prophetæ
- **Exteri, fuerunt Balaam & Iob.**
- **Populi Dei sub poteſtate**
  - **Iudiciaria**
    - **Moſes, Propheta primus.**
    - **LXX. Seniores Num. 11.**
    - **Debora. Iud. 4.**
    - **Anonymus. Iud. 6.**
    - **Samuel, qui erexit Scholam Prophetarum.**
  - **Regia; vt fuerunt Prophetæ continua ſucceſſione à Samuele ad Malachiam; quorum vaticinia**
    - **Non extant. Horum nomina ſunt: Gad, Nathan, Aſaph, Idithun, Abias, Samaias, Iad, Azarias, Hanami, Iehu, Iaziel, Eliezer, Zacharias, Elias, Eliſæus.**
    - **Extant. Hi Prophetæ ſunt**
      - **Maiores quatuor.**
      - **Minores 12. quorum vltimus fuit Malachias, qui prædixit de præcurſore Chriſti.**

A Malachia vsque ad Iohannem Baptistam nullus insignis Propheta in populo Iudæorum est numeratus. Præterea Prophetæ aut per visionem vigilantes, aut per somnium dormientes edocti de rebus futuris sunt:idq; aut per Angelũ, aut sine Angelo, sola visione mentali seu intellectuali, excepto vno Mose, cui Deus locutus est modo manifestissimo. *Num.12.*

Tertia classis continet Scribas; qui legem Dei interpretati sunt: vnde & Legisperiti dicti sunt.

Scribarum consideratur ortus, & progressus.

De ortu sic habendum. Moses alia tradidit populo voce, alia literis consignauit. Illa traditionum, hæc legis nomine insignita sunt. Traditiones Iosua accepit à Mose, Seniores à Iosua; Seniores cum Prophetis, Prophetæ cum Scribis communicarunt. Has traditiones posterior Hebræorum schola appellauit cabbalam historicam. De his traditionibus multa in Euangelio. Deinde vt Moses legem primus dedit, sic etiam primus exposuit. Atque hoc est, quod dicitur in Euangelio de cathedra Mosis. Dauid porro ex Leuitis fecit sexies mille Scribas ac Iudices. 1. *Paral.* 22. *&* 26. vbi dicitur, quod Dauid quosdam constituerit *ad docendum, & iudicandum.* Horum Scribarum duplex erat munus, legem legere, &, si opus esset expositione, exponere. Varia illorum sunt nomina. Appellati sunt γραμματεῖς, *Scribæ*; ἀναγνῶσαι τοῦ νόμου, *lectores legis*. Quod enim hæc duo nomina vnum significent, probatur ex 3. *Ezr.* 9. vbi Ezra dicitur ἀναγνώστης τοῦ νόμου, cum alibi dicatur γραμματεὺς. Fuerũt enim appellati γραμματεῖς νομικοὶ, ad differentiam Scribarum πολιτικῶν; item νομοδιδάσκαλοι. Hi ipsi Scribæ fuerunt quoq; κριταὶ, *iudices*. Nã interpretatio legis desiderabat diiudicationem. Id probatur ex loco Pauli. *Prophetæ duo aut tres in Ecclesia dicant, cæteri* διακρινέτωσαν, *diiudicent*, hoc est, duo legant, reliqui explicent.

De progressu sic habendum. Hi Leuitæ à Dauide instituti, sub Iosaphato & Iosia confirmati sunt. 2. *Paral.* 17. 4 *Reg.* 23. Post captiuitatem Babylonicam ab Ezra restituti, quanquam minori, vt videtur, numero. 3. *Ezr.* 9. Hi floruerunt tempore Christi. *Matth.* 13. & 16. *Marc.* 16. Præterea Scribæ docuerunt legem in templo, & synagogis. Hinc tradit historia Euangelica Christum nunc in templo, nunc in synagogis docuisse *Ioh.* 18. Confer *Act.* 24. Scribæ qui docuerunt in tẽplo, appellati fuerunt Scribæ tẽpli. *Ioseph. l.* 7. Synagogæ autem fuerunt ædes, quo Iudæi diebus Sabbatorum conueniebant, vt legem audirent. Et hæ non solum erant Hierosolymis, sed etiam in reliquis ciuitatibus. *Act.* 15. *Matth.* 4 *Luc.* 5. *&* 13. *Act.* 9. Neq; tantũ in Iudæa fuerunt hæ tales synagogæ, sed etiam in Asia, & Romæ, teste Philone: vbi scil. erant Iudæi διασπορᾶς, *dispersionis*. Tandem hi Scribæ in diuersas opiniones abierunt, & septem sectas pepererunt, de quibus ordine dicemus.

Sadducæi. 1. *Sadducæi*; sic dicti à *Sadock* Antigoni discipulo; qui cum defecisset ad templum montis Garizin à Manasse inter Samaritas constructum, Alexandro M. regnante, hæresin Sadducæorum intulit: vt tradit *R. Abraham in cabbala historica.* Alii ipsos à צדיק *iustus*, dictos volunt, q.d. iustitiarios.

Scribæ. 2. *Scribæ*; qui veterum Scribarum vestigiis accuratius institerunt, quà reliqui. Hi dicuntur in N.T. *Legis Doctores.*

Pharisæi. 3. *Pharisæi*; qui certiorem legis & rituum legalium cognitionem & obseruationem quam Scribę, præ se tulerunt.

Hemerobaptistæ. 4 *Hemerobaptistæ*; qui quotidie se baptizabant, cum Sadducæi resurrectionem negabant, in reliquis cum Scribis & Pharisæis consentiebant.

Nazaræi. 5. *Nazaræi.* Hi rectius scribuntur per *S. Nasaræi.* Sunt enim sic dicti ex Hebræo נסר, quod Græcis est, ἀφανίζεσθαι, q.d. ἀφανισάς, qui legem Mosis abolerent, vt exponit Eusebius: è quorum numero fuit Symmachus, qui Vet. Testam. interpretatus est, vt supra diximus. Horum primū, vt ita dicam, principium erat, legem cum Euangelio coniunctim obseruandam esse. *Actor.* 14. & 15. Accipiebant circumcisionem, & seruabant omnes festiuitates Mosaicas, sed victimas non mactabant. Cum vero viderent, suum illud dogma de circumcisione cum Euangelio coniungenda, legis ipsius authoritate conuelli, eo furoris deuenerunt, vt Iudaismū quidem seruandum cum Euangelio docerent, sed libros Mosis tollerent. Dicebant, Mosen accepisse aliam legem, quam quæ tradita esset.

Hessæi. 6. *Hessæi*; quos alii nominant Ossenos & Hosidæos. De his vide eruditum *Drusii tractatum*, qui inscribitur de *Hasidæis.*

Herodiani. 7. *Herodiani*; qui Iudæi erant, sed hypocritæ & profani. Nam Herodē dicebant esse Messiam prædictum à Prophetis: quam suam sententiam probare conabantur ex illo *Gen.* 49. *Non recedet sceptrum, &c.*

Sed quia sæpissime in N.T. fit mentio Sadducæorum, Scribarum, Pharisæorum, & Herodianorum, paulo plenius de illis disserendum fuerit. *Dicemus autem de illorum doctrina, & potentia.*

Doctrina Sadducæorum hæc erat. Prouidentiam negabant, omnia hominis arbitrio subiiciebant, animas mortales esse contendebant, & propterea resurrectionem negabant; Angelos & Spiritum S. ignorabant, Deum omnia mala videre negabant, inhumani & longe ab omni communione auersi erant. Vno verbo, pleraque cum Samaritanis obseruabant, cum tamen Iudæi essent, & Hierosolymis sacrificium facerent. Vide *Iosephum & Epiphanium.*

Doctrina Scribarum sic habebat. Non solum secundum legem viuebant sed &c abundantius. Nam vrceorum purificationes seruabant, poculorum item, patinarum & aliorum ministerii vasorum; crebro manus lauabant,

crebroque purificationes adhibebant. Habebant fimbrias quasdam significantes ipsorum politiā, & phylacteria apud seipsos palliis abdebant. Expositiones autem legis (scil. sophisticæ) apud illos erant quatuor. 1. In nomen Mosis. 2. In præceptorum ipsorum Bar-Akibam. 3. In Annam, qui & Iudas. 4. In filios Assamonai.

Doctrina Pharisæorum talis. Ipsi ferme cum Scribis sentiebant, nisi quod sinceriorem & accuratiorem legis expositionem iactabant. Virginitati & continentiæ studebant; frequenter orabant, idque in publico; cauebant, ne qua corporis labe se macularēt; durissimis stratis cubabant; bis in sabbato ieiunabant, secunda & quinta die; decimabant decimationes, dabant primitias, trigesimas, & quinquagesimas; sacrificia ac vota exactissime persoluebant; in Scribarum habitu incedebant, muliebria pallia habebant, & latas crepidas. Sic *Epiphanius* summatim de illis docet. *Iosephus* addit, illos dixisse, animas esse immortales, earumque post mortem alias æterno carceri destinandas, alias in vitam reuersuras, ita vt bonorum animæ in corpora hominum remigrarent, malorum autem in pecudum. Hos sic dictos volunt à פרש, quæ vox significat & *explicare*, & *separare*; eo quod legem explicarint, vel segregarint se à promiscua turba. Habebant nouas leges seu traditiones præter Mosaicas antiquas.

Nostri temporis Pharisæi sunt monachi & Iesuitæ.

Doctrina Herodianorum nitebatur hoc fundamento, vt dixi: Herodem esse Messiam. *Epiphanius & Tertullianus.* De quatuor his sectis lege *Marc.* 8. *Matth.* 16. & 12. & 22. & 23. *Marc.* 12. *Luc.* 20. *Actor.* 4. & 5. Quid vero Christus per fimbrias & phylacteria intelligat *Matth.* 23. & *Luc.* 20. intelliges ex *Num.* 15.

Potentia harum quatuor Sectarum sic circumscribi potest. Hierosolymis, inquit *Iosephus*, populares Pharisæis, optimates Sadducæis se adiunxerunt. Et quanquam Iohannes Princeps ægre ferens extraordinarias Pharisæorum opes in Rep. leges ab eis latas sustulit, & ad Sadducæos defecit: tamen adeo valuerunt potentia, vt post auxilio Demetrii Euceri Syriæ regis, bellum Alexandro Iudæorum regi intulerint, & Moabitide ac Galaatide terra ipsum cedere compulerint. Inde mortuo illo Alexandram reginam sibi obsequentem adepti, leges suas recuperarunt, ac multo vehementius in vrbe ac regno sæuire cœperunt; quousque res ad duos fratres regios recidit, Hircanum & Aristobulum, quorum alter Pharisæus alter Sadducæus fuit. Pharisæis adiuncti sunt Gaulonitæ, qui Herode Magno regnante suborti sunt. Hi, cum Augustus totum orbem sibi subiectum, adeoque & Iudæam censeret, negarunt ducibus Iuda quodam & Sadoco Pharisæo, censum esse dandum Augusto: quæ etiam fuit sententia Pharisæorum, vt colligi potest ex illa quæstione, quam Christo proponebant, num dandum esset Cæsari tributum? Præterea Herodianorum potentia magna fuit. Erant enim bonam partem aulici, & ministri Herodis,

à quo etiam dicti sunt. Potuerunt itaque quiduis impetrare à rege, cuius rum in modum assumebantur.

CAP. CXVI.

Chronographistoria sacra.

C*Onsideravimus characterem S. literarum Geographistoricum: nunc considerabimus Chronographistoricum.*

Character chronographistoricus S. literarum, est quo describuntur tempora in S. Bibliis expressa.

Hic oportet tradere chronologiam, de cuius necessitate & vtilitate velim te tenere illud Tatiani: *Apud quos temporum notatio non cohæret, apud illos neque veritatis & fidei historicæ ratio vlla constare potest.* Et præclare Iosephus *Scaliger in præfat. Chronici Eusebiani*, Chronologiam vocat animam historiæ, sine qua historia non spiret, quæque historiæ præstet, vt corpori anima. Quod ille vir incomparabilis in genere pronunciat de Chronologia, nos in specie ad Chronologiam sacram accommodemus. Sine illa sacrarum literarum certitudinem & dignitatem nullo modo asserere possumus. Sine illa vaticiniorum multorum impletionem non intelligemus. Sine illa historias sacras oscitanter legemus. Dicamus igitur de sacra illa Chronologia.

Chronographistoria sacra duas habet partes, quarum prima est apodictica, altera historica.

Primam partem magnus ille Scaliger vocat Chronologiam, alteram Chronographiam. Sic enim scribit *in præfat. canonum Chronolog. Isagogicorum: Antiquitatis memoria sine Chronographia claudicat. Illa sine Chronologia manca est. Chronographia enim ea dispensat, & digerit, quorum causas & originem à Chronologia accepit.* Communiter tamen hæc duo vocabula, Chronologia, & Chronographia putantur ἰσοδυναμοῦντα.

Apodictica pars Chronographistoriæ sacræ constituit certa temporum interualla.

Ea habet notationem & synthesin Chronicam.

Notatio Chronica, est quæ partium temporis sacri quantitatem & mensuram statuit.

Partes temporis sunt quinque, hora, dies, hebdomada, mensis, annus.

Hora. *Hora est quota pars diei.*

Estque simplex vel composita.

Hora simplex est vel naturalis, vel artificialis. Illa etiam *æqualis*, hæc *inæqualis* dicitur. Quia enim dies æstiui sunt longiores hybernis, vtique duodecim horę dierum æstiuorũ erunt longiores horis dierum hybernorum.

Hora naturalis est vigesima quarta pars vnius diei naturalis, siue νυχθημέρου.

Hora

Hora artificialis est duodecima pars diei artificialis. Hæc aliis dicitur *temporaria.* Nobis dicitur artificialis, quia totum, cuius illa est pars, nempe dies dicitur artificialis; quam tamen alij vocant naturalem. De hora ista temporaria accipiendum est illud Christi *Iohan.* 11. *Nonne sunt horæ duodecim diei?* Alias etiam dicitur *hora planetaria, & minor.*

Hora composita est quadrans, siue quarta pars diei artificialis. Dicitur etiam *hora maior.* Vide quæ supra diximus ad *cap.* 109. De hac hora accipe illud *Marc.* 15. *v.* 25. *Erat autem hora tertia, quando crucifixerunt ipsum.* Sicut autem dies diuidebatur in quatuor horas maiores seu compositas: ita & nox, cuius quadrantes Iudæi vocabant quatuor vigilias. *Matth.* 14. *Quarta autem vigilia noctis venit Iesus ad eos ambulans super mare.* Diuiserunt etiam Hebræi horas in matutinas, meridianas, & vespertinas. *Psal.* 55. *v.* 18.

Dies est vel naturalis, vel artificialis. *Dies.*

Dies naturalis, est spatium viginti quatuor horarum. Hic aliis dicitur *artificialis.* Eius termini sunt mane & vespera. Vespera autem duplex est. Prima, est ab hora nona ad occasum corporis solaris. Secunda, est ab occasu solis ad occasum radiorum, siue noctis caliginem. *Leuit.* 23. *v.* 5.

Primo mense, die quarto decimo illius mensis inter duas vesperas, Pascha est Iehoua. Hic probe notandum est, ortum & occasum solis esse duplicem. Alter est corporis solaris, alter radiorum solarium. Occasus corporis efficit vesperam primam; occasus radiorum, secundam. Ille hanc antecedit. Res aliter se habet in ortu. Nam ortus radiorum anteit ortum corporis solaris.

Dies naturalis pro vsu vario est ciuilis, seu politicus, vel sacer, seu Ecclesiasticus.

Dies ciuilis, est qui destinatur ciuilibus negotiis. Hic apud Iudæos cœpit mane, hoc est, fuit ab ortu solis ad ortum. *Exod.* 18. *v.* 14. *Matth.* 28. *v.* 1. *Extremo Sabbatho, cum lucesceret in primum diem hebdomadis.* Extremo Sabbatho dicit Euangelista, pro summo mane, quod fuit terminus Sabbathi.

Dies sacer, est qui destinatur vsibus sacris. Hic initium habuit à vespera ad vesperam. *Leuit.* 23. *ver.* 32. *A vespera ad vesperam celebratote cessationem vestram.*

Dies artificialis, est spatium temporis ab ortu solis vsque ad occasum. Vide *Iohan.* 11. locum præallegatum.

Hebdomada est spatium septem dierum. Dicitur eodem sensu *septimana*, item *hebdomas*. Septimum autem quemque diem vocauerunt Sabbatum, quod eo die Deus quieuisset ab omni opere suo: atque ea de causa ipsam etiam septimanam appellarunt *Sabbatum*. *Luc.* 18. *Ieiuno bis in Sabbato*, id est, in septimana. Hinc dixere primam, & vnam, & alteram Sabbati, pro prima & secunda die septimanæ. *Marc.* 19 *Et valde mane vna Sabbatorum.* Et mox: *Surgens mane prima Sabbati.* *Actor.* 20. *Vna Sabbati cum conuenissemus ad* *Hebdomada.*

frangendum panem. 1. *Corinth*. 16. *v*. 1. *Prima Sabbati*. Est autem prima, seu vna Sabbati, dies quam nos vocamus Dominicam. Cæterum *septimana Prophetica* est annorum septem. *Dan*. 9. *v*. 24. Hæc dicitur *hebdomas annalis*, vt prior illa *diaria*.

Mensis. *Mensis Hebraicus est Solaris, vel Lunaris.*

Solaris in vsu fuit circa tempora diluuii, complexus dies 30. Nam Gen. 8. docet Moses, à decimo septimo die mensis secundi ad 17. diem septimi mensis, fuisse dies centum quinquaginta; qui efficiunt quinque integros siue solidos menses, singulos dierum 30.

Mensis Lunaris post exitum ex Ægypto fuit in vsu, institutus à noua Luna. Hinc *neomenia*.

Hi menses Lunares partim fuerunt pleni dierum triginta; partim caui, dierum viginti nouem; partim denique alterni, qui interdum pleni, interdum caui fuerunt. Hinc quotannis ad complementum anni solaris, epacta fuit dierum vndecim, & tertius quisque annus, nonnunquam etiam secundus fuit embolimæus, seu intercalaris, habens mensem decimumtertium, dictum *Veadar*. Porro hos menses ante exilium Babylonicum nominarunt à numero, prout quisque primus erat, aut secundus, aut tertius vsque ad duodecimum. Post reditum autem ex Babylonia iis insigniti sunt nominibus, quæ iam recitabimus, vbi prius illud monuerimus, ordinem mensium fuisse duplicem, Ecclesiasticum & politicum, & illum procedere à Nisan, hunc à Tisri: item, vnum mensem Hebraicum seu Iudaicum plerumque cum duobus mensibus Iulianis concurrere, prioris fine, & posterioris initio. Nomina mensium sunt ista.

1. *Nisan*, siue *Abib*; primus Ecclesiasticus, septimus Politicus: respondens partim Martio: partim Aprili nostro: semper plenus, siue habens dies 30. Hunc Hebræi vocant מלך regem.

2. *Iiar*, siue *Sif*; secundus mensis Ecclesiasticus, & octauus Politicus: partim Aprili, partim Maio nostro respondens: interdum cauus, interdum plenus.

3. *Siuan*; tertius mensis Ecclesiasticus, nonus Politicus: partim Maio, partim Iunio respondens: interdum plenus, interdum cauus.

4. *Tanuz*; quartus Ecclesiasticus, decimus Politicus: partim Iunio, partim Iulio respondens: perpetuo cauus.

5. *Ab*; quintus Ecclesiasticus, & vndecimus Politicus: partim Iulio, partim Augusto respondens: perpetuo plenus.

6. *Elul*; sextus mensis Ecclesiasticus, duodecimus Politicus: partim Augusto, partim Septembri respondens: perpetuo cauus.

7. *Tisri*, vel *Ethanim*; septimus Ecclesiasticus, & primus Politicus: partim Septembri, partim Octobri respondens, perpetuo plenus.

8. *Marchesuan*, vel *Bul*; octauus mensis Ecclesiasticus, secundus Politicus:

ticus: partim Octobri, partim Nouembri respondens: modo cauus, modo plenus.

9. *Cisleu*, nonus Ecclesiasticus, tertius Politicus: respondens partim Nouembri: partim Decembri, modo plenus, modo cauus.

10. *Tebeth*; decimus Ecclesiasticus, & quartus Politicus: respondens partim Decembri, partim Ianuario: perpetuo cauus.

11. *Schebeth*; vndecimus Ecclesiasticus, & quintus Politicus: partim Ianuario, partim Februario respondens, perpetuo plenus.

12. *Adar*; duodecimus Ecclesiasticus, & sextus Politicus, partim Februario, partim Martio nostro respondens: in anno simplici semper cauus, in embolimæo semper plenus.

Veadar, qui etiam *Adar secundus*; perpetuo constat 29. diebus. Et cum in anno embolimæo Adar primus sit intercalaris, hic est Adar ille regulariter in anno veniens.

Hi sunt menses Hebræorum, illorumque æquatio, seu connexio cum mensibus nostratibus. Si vero spectes consuetudinem veterum Romanorum, illorum primus mensis Martius omnino respondet mensi Nisan apud Hebræos, Sicut enim primus Nisan in æquinoctium vernum incidit: ita & veterum Latinorum Martius. Præterea sunt etiam *menses Prophetici*, quorum singuli constant annis triginta. *Apocal.* 11.

Annus Hebraicus erat tum sacer, tum ciuilis. Annus.

Anni sacri initium naturale fuit mensis Nisan, siue Abib. Hoc enim mense mundus est conditus, vt paulo post à nobis probabitur. De hoc anno videris *Exod.* 12. ab initio. Hic annus etiam dicitur Ecclesiasticus.

Anni ciuilis, siue politici, initium fuit Tisri, mensis septimus. Exod. 23. *ver.* 16. Hinc sumebant initium emtiones, venditiones, seruitutes, remissio terræ, annus Sabbatarius, & Iubilæi. Hic annus à quibusdam dicitur *naturalis*: ab iis sc. qui mundum æquinoctio autumnali conditum esse statuunt. Et hi annum sacrum vocant *ciuilem*: quod vocabulum non opponitur tunc sacro, sed naturali. Præter hunc annum fuit etiam *propheticus*; qui ex pari intelligendus est de spatio annorum 360. *Apocal.* 11. Tot enim diebus constabat annus Hebraicus solaris tropicus; quibus accedebant dies quinque, quos vocamus epactas. Dicitur annus tropicus, quia Solis conuersione censetur: vt ab æquinoctio verno ad idem, vel ab autumnali ad idem. Sed ille dicitur tropicus, qui à bruma ad brumam censetur.

Synthesis Chronica, temporis sacri proprietates, & species proponit.

Proprietates temporis sacri sunt analogæ, vel anomalæ, seu crypticæ.

Proprietates temporis sacri analogæ sunt ordo, duplicatio, rotundatio, & variatio.

Ordo est triplex, naturæ, dignitatis, & prudentiæ. Primum alij vocant *naturalem, & generationis*: secundum, *personalem*; tertium, *historicum*.

Ordo naturæ in historiis obseruatus. *Ordo naturæ, est cum natura & existentia prius primo loco explicatur.* Sic in libro Geneseωs primo narratur historia creationis, tum lapsus, postea Messiæ reuelata promissio, tum propagatio populi Messiæ. Vide 1. *Chron.* 3. *v.* 1. 2. 3.

Ordo dignitatis. *Ordo dignitatis*, est cum ii qui dignitate superant, primo loco ponuntur: seu, cum dignius quod est, priorem locum obtinet, licet fuerit posterius natura. Sic *Genes.* 5. Noah dicitur genuisse Sem, Cham, & Iaphet. Hic Sem est primus dignitate, non tamen natu maximus. Ratio; quia cœpit Noe liberos gignere annos natus quingentos. Sem vero natus biennio post; quia sexcentesimo secundo anno patris sui, centenarius fuit. *Genes.* 11. Alius igitur fuerit, qui anno 500. Noe natus est. At iste non potest esse Cham. Is enim fuit natu minimus. *Genes.* 9. *v.* 24. Erit ergo Iapheth. Atque huc inclinat ratio accentus Hebræi *Genes.* 10. *v.* 21. vt annotat *Iunius*. Hunc tamen locum Scaliger pro se allegat, retinetque ordinem, quem Scriptura obseruat, eumque generationis esse contendit. Sic quidam docent, quod Abraham natu minimus fuerit, & primo loco ponatur *Genes.* 11. *v.* 26. honoris ergo: quia ex illius linea oriri debebat Messias. Sed an Abraham fuerit natu minimus, nondum liquet. Vide hac de re paulo post.

Ordo prudentiæ. *Ordo prudentiæ, est cum illius nomen postremo loco ponitur* (siue natura, siue dignitate primus sit) *à quo historia proxime inceptura est.* Hic ordo vt plurimum obseruatur, quando prolixior historia de illo, qui est primus, texenda est. Sic *Genes.* 28. *v.* 5. Esau fratri suo Iacob postponitur licet primogenitus fuerit; quia eius historia statim sequitur. Possis etiam dicere, hic Iacobum Esauo præferri propter dignitatem. *Matth.* 1. *v.* 1. Abraham Dauidi postponitur; quia descriptio genealogiæ Abrahami sequitur. 1. *Chron.* 1. *v.* 28. Isaac præponitur Ismaeli primogenito.

Duplicatio temporis. *Duplicatio temporis, est qua Scriptura partem temporis præteriti extremam miscet cum prima futuri.* Hinc est, quod anni regum Iudæ & Israelis sæpe coincidunt; qui nisi per quandam duplicationem non possunt apte computari. Christus fuit in sepulchro horis triginta sex, vel circiter. Euangelistæ vero dicunt, eum post tres dies, item tertio die resurrexisse. Si bic duplices partem temporis mediam, constabit sibi assertio Euangelistarum.

Rotundatio temporis. *Rotundatio temporis, est qua numero seu tempori aliquid detrahitur, vt fiat numeratio commodior.* Sic *Num.* 14. *v.* 34. *Feretis pœnam iniquitatum vestrarum 40. annos.* Hæc verba Israelitis dicta sunt anno secundo post exitum: & proinde pœnam tulerunt annos integros 38. ab illo oraculo. Vtitur igitur Spiritus sanctus numero rotundato. Huc refer illud *Augustini q.* 47. *in Exod.* Solet Scriptura tempora ita nuncupare, vt quod de summa perfectionis numeri paulatim excrescit aut infra est, non computetur. Huc perti-

pertinet distinctio annorum in rotundatos, seu exactos & applicatos, qui non semper sunt exacti.

Variatio temporis, est duplex. *Primo*, tempus in supputationibus sumitur pro tempore, vel completo, vel non completo & adhuc currente. Matth. 27. *Post tres dies resurgam.* 1. *Reg.* 15. *Decimo octauo anno Ierobeam regnauit Abia tribus annis:* & tamen postea dicitur, quod filius eius cœperit anno 20. Ierobeam. *Deinde*, initium temporis in supputationibus interdum exclusiue, interdum inclusiue ponitur. Vide *Matth.* 17. *v.* 1. *&* *Luc* 8. *v.* 28. *Variatio temporis.*

Proprietates temporis cryptica sunt prolepsis, id est, anticipatio, *&* *anacephalæosis*, id est, recapitulatio: quæ duo possunt venire nomine ὑστερώσεως seu ὑστερολογίας ἱστορικῆς.

Prolepsis historica est, qua aliquid narratur quasi factum, quod tamen eo tempore & ordine quo narratur, factum non est, sed postea. Breuiter: est narratio posterioris priore loco. *Prolepsis historica.*

Prolepsis est vel nominum, vel rerum gestarum.

Prolepsis nominum est, cum nomina postea demum locis vel aliis rebus imposita, in prioribus historiis vsurpantur. Gen. 14. *v.* 27. *Inde reuersi venerunt ad fontem Mispah (ipsa est Cades) Hieronymus in q. in Genes.* ait, per anticipationem dici, quod postea sic vocatum est. Nam locus ille appellatus est fons iudicij, quia Deus populum in deserto vagantem ibi iudicauit. *Genes.* 21. Agar di- dicitur erasse circa Beersheba, id est, puteum iuramenti: quod tamen nomen postea impositum est ei puteo. Regula quorundam sic habet: Moses & alij diuini historici sæpe narrant vetera nominibus sui temporis, seu veteribus rebus sui temporis nomina per prolepsin tribuunt.

Prolepsis rerum gestarum est, cum res posterius gesta prioribus admiscentur historiis. Hanc rem confirmant Hebræorum Doctores vulgari dicto in commentariis, dicentes, *non esse prius aut posterius in Scriptura*, id est, non semper rationem temporis accurate in historiis obseruari. Mutatur autem ratio temporis ad commoditatem historiæ; siue memoriam legentium iuuari oporteat, siue causas, quamuis antecedentes, post factorum historiam explicari (quæ ratio in Scripturis est frequentissima) siue ordinem argumentorum obseruari. Sic *Iohan.* 11. *Erat autem Maria qua vnxit Dominum.* At sequenti demum capite recensetur ista vnctio. Est itaque prolepsis. Talis est *Gen.* 1. *&* 2. de creatione fœminæ.

Recapitulatio est duplex. *Primo* scriptores sacri loquuntur de rebus priscis secundum sua tempora. Sic Petrus dicit, Euangeliũ prædicatum esse mortuis, id est, qui eius tempore iam erant mortui, non tunc, cum ipsis annunciatum est Euangelium. Hanc tamẽ commodius retuleris ad prolepsin rerum gestarum. *Deinde*, cum perinde quædam narrantur, quasi sequerentur in ordine temporis, quæ tamen ad priora pertinent. Sic historia Micæ & bellum Beniaminiticum, quę contigerunt dum Phineas *Recapitulatio historica.*

adhuc Sacerdotio fungeretur, attexuntur historiis Eli & Simsonis, Phinea longe ante mortuo; nisi velimus dicere eum vixisse annos 500. Vide *Iud.18.19.20.cap.*

Species temporis sacri sequuntur.

Tempus est mundi veteris, vel noui.

Duæ principales epochæ in sacris. Duæ principales sunt epochæ sacræ, ad quas omnia in Chronologia sacra respicere debent, à mundo condito, & à Christo nato. Est autem epocha certum signum, quo interualla temporum distinguuntur, non aliter atque interualla locorum olim in Italia lapidibus distincta signabantur, vnde illa formula: *ad tertium, vel quartum lapidem ab vrbe.* Latini epochas vocant Indices, & Titulos; quorum termini sunt, vel ab insigni euentu, vt à diluuio; vel à loco nobili, vt à templo Salomonis; vel ab initiis illustrium regum & principum, vt à Nabonassare; vel ab instituto religionis & ceremoniarum, vt à ludo Olympico. Hæ epochæ sunt Mercuriales illæ statuæ, quæ in stadio Chronologico obseruandæ. Omni autem epochæ apponere debemus characterem suum, videlicet vtrumque cyclum, Solis & Lunæ, & cum ratio temporum postulabit, etiam Indictiones. Ita enim fiet, vt nullus ἀναχρονισμὸς, *deprauatio epochæ seu tituli temporis*, obrepat. Est autem ἀναχρονισμὸς, partim προχρονισμὸς, quando minus dicitur; partim μεταχρονισμὸς, quando plus dicitur. Præterea epochæ sunt vel sacræ, vel exoticæ. Sacræ sunt, quæ in sacris literis sunt fundatæ. Exoticæ, quæ in profanis scriptis, vti sunt Olympiades, anni vrbis conditæ, &c. Et vtræque considerantur, vel seorsim, vel in collatione. Si considerentur seorsim sacræ calculus ex sacris literis à conditu mundi, vsque ad Christum haberi potest perfectissime. Si vero epochæ considerantur in collatione, dicendum est seriem temporum hoc modo à sacris literis non posse haberi, sed opus esse vt epochæ sacræ conferantur cum exoticis. Et huiusmodi collatio vocatur synchronismus, v.g. si anni regum in sacris literis conferantur cum regibus gentilium.

Tempus mundi veteris, est duratio annorum à conditu mundi, vsque ad Christum natum. Alij terminum ad quem huius curriculi seu interualli magni statuunt Christi passionem; alii desolationem vrbis sanctæ. Verum epocha Christiana ducitur à natiuitate Christi, vt notum est.

Tempus mundi veteris, est vel inane, vel legis.

Nobile est dictum domus Eliæ: *sex millia annorum durabit mundus: duo millia inane: duo millia lex: duo millia Meßias.* Ad hanc traditionem respexi in hac dichotomia.

Tempus ante legem habet tres articulos. *Tempus inane est interuallum ab initio mundi vsque ad legem latam.*

Eius articuli sunt tres: Primus est à conditu mundi vsque ad diluuium: Secundus, à diluuio ad promißionem Abrahæ factam: Tertius, à promißione ad legem.

Primus articulus à conditu mundi vsque ad diluuium, quod vocant vniuersale, in-

le, inclusi ue est annorum 1656. solidorum. Eius vox memorialis sit אמנו *Imnu*; quæ nihil significat, sed conficta est memoriæ causa. א facit 100. ם. 600. נ 50. ו 6.

Hic occurrunt tres obseruationes illustres; quarum prima, est de natali mundi; secũda, de discrepantia textus Hebraici & LXX. interpretum; tertia de anno diluuii.

1. [*Mundum primo vere ortum esse omnino certum est.*] Multi existimant, perinde esse, quocunque anni tempore mundum ortum esse aliquis statuat. Sed hoc falsum est, siquidem de accurato calculo sit sermo. Tum enim necesse est, certum aliquem terminum figi, vt anni recte inter se cõparari queant. De hoc termino sunt tres sententiæ palmariæ. *Primo* plerique natalem mũdi fuisse æquinoctio autumnali, id est, die 25. Septembris canonicôs, id est, regulariter, sole ingresso libram, statuunt. Atque hæc sententia fuit Rabbi Eliezer, qui scribit, hoc probari posse ex prima dictione legis. Si enim בראשית transponas, habebis אתשרי בא, q.d. in Tisri, scil. conditus est mundus. Hunc secuti sunt Æsculapius Ægyptius, Firmicus, & alii, hodieque Iudæi sequuntur. *Secunda sententia* eorum est, qui natalem mundi æquinoctio verno, quod olim fuit canonicôs die 25. Mensis Martii, sole ingresso Arietem, tribuerunt. Hæc est sententia R. Iudæ Persæ; quam Chaldæi & Persæ inde à principio, velut à Patribus per manus traditam, coluerunt. Hanc sententiam magnus ille Scaliger in prima editione librorum de emendatione temporum defendit: sed postea retractauit, & primæ illi subscripsit. *Tertia sententia* est quorundam, qui mundum in Leone conditum esse existimant. Hæc primo fuit sacerdotum Ægypti, qui natalem illum diem, vigesimum Iulii mensis, ingresso Leonem sole, statuerunt. Hanc tuetur *Gerhardus Mercator* in sua Chronologia. Ex his sententiis media est vera, non prima, non tertia; id quod docebimus κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν. Tertia sententia fuit mystica & hieroglyphica, quam generauit inscitia, & superstitio firmauit. Cum enim veteres Ægyptii viderent Nilum quotannis eo tempore exundare, & agrum Ægyptium alioqui sterilem futurum fœcundare, neque huius rei causam assequerentur, Nilum pro Deo, & exundationem eius pro certo actionum diuinarum principio in rebus creatis habuerunt, eoque principium exundationem Nili idẽ cũ natali mundi statuerunt. Hanc sententiã, vt quę oleat δεισιδαιμονίαν nefariam, merito explodimus. Primæ sententiæ firmamenta sunt. 1. Hæc obseruatio natalis mundi obtinuit apud populum Dei inde ab initio. 2. Cum Deus crearet mundum, herbæ & arbores tulerunt fructus. Adam siquidem comedit de fructibus Paradisi. 3. In historia diluuii c. 8. fit mentio frondis oleagineæ, quam columba ad Noachum in arcam apportauit. 4. Iudæi hodie obseruant hoc anni principium: vnde in synagogis omnium Iudæorum incipit Lectionarium Iudaicum (cuius

Disputatio de natali mundi.

caput primum est initium libri Geneseως) in Sabbato, quod postremum est in mense Tisri. Syllogismo concluda has rationes: Sententia de natali mundi, quæ congruit cum vetustissimo Hebræorum instituto, quæ conuenit cum historia πρωτοκλισίας, quæ cum historia diluuii, quæ denique cum more Iudæorum, est vera. Sed hæc, qua statuitur mundus conditus æquinoctio autumnali, est talis. Ergo vera. Respondeo ad minorem per partes. 1. Non sequitur: Israelitæ rationem hanc obseruauerunt in Ægypto. Ergo etiam ante quoq; seruarunt. Non inquam sequitur; quia Chaldæi, à quibus venerant ad Ægyptios, & Persæ communi cum Chaldæis ratione principium anni æquinoctio verno statuerint. Dicamus ergo, Israelitas ab Ægyptiis hanc anni rationem didicisse. Quod autem Ægyptii obseruauerint hunc anni modum, factū est ciuili obseruatione, propter fructus terræ, & actiones annuas ad culturam & fructus terræ pertinentes; quæ tum regresso Nilo, & solo Ægypti siccato redintegrabantur, quemadmodum etiam ciuilem rationem eandem Deus obseruari voluit in populo suo, & mandauit lege: vnde & anni sabbatarii seu sabbatici, & iubilęi hoc modo supputabantur. 2. Perfectio vernans ad mundi natalem potius pertinet, quam perfectio consummata: præsertim cum ver etiam in illo tractu maturos aliquos fructus exhibuerit perinde atque autumnus, vt apud Orientales hodie quoque videre est, & apud Iudæos non longe à Paschate messis erat *Exod. 9. v. 31. 32. Luc. 6. v. 1.* Non ergo est consequens: Plantæ & arbores (si non omnes, tamen aliquæ) cum maturis fructibus fuerunt producta. E. creatio fuit in autumno. 3. Quod de oleaginea frõde dicitur, nihil est. Nam præterquam quod olea semper virens est, etiam tempore vero cum alia multa, tum olea in partibus illis vim suam exeruit. Nam cum primo die primi mensis Noah arcam aperuit, non redeunte columba, & septimo ante die emissa columba frondem oleæ attulerit, omnino constat illum fuisse diem 24. mensis vltimi, quo columba frondem ad Noachum attulit. Est autem dies primus primi mensis κανονικῶς æquinoctio verno, id est, 25. Martii nostri. Quis igitur non videat, die 18. mensis Martii in illo cœlo & solo germinare oleam potuisse; cum in his ipsis partibus tam multa iam eo tempore germinent? 4. Hæc ratio est inepta: Iudæi hodie seruant illam anni rationem. Ergo est vera. Quasi vero Iudæi in variis illis suis dispersionibus retinere potuerint priscam anni rationem. Sed iam confirmemus nostram sententiam, quod mundus sit conditus æquinoctio verno. Rationes sunt istę. 1. Quia Deus initium anni sacri constituit in æquinoctio verno. Sic enim mandat *Exod. 12. Hic mensis* (nempe Nisan, siue Abib) *vobis caput est* (id est principium) *mensium*. Perinde est ac si diceret, hoc esto principium anni, qui constat ex mensibus. Subiicit: *Primus esto vobis in mensibus anni.* Huius mandati causa duplex. *Vna*, vt certa illa creationis à Deo factæ recordatio, apud Ægyptios

ptios quodammodo obliterata, in populo Dei restitueretur. *Altera*, quod Deus hoc instituto Israelitas voluit tum à superstitione Ægyptiorũ vindicare, tum à gente illa discernere. Ideo addit *vobis*: qua voce opponit hoc institutum communi Ægyptiorum instituto, quod Israelitæ, amplius ducentos annos in Ægypto versati ab illis hauserant, & verterant in vsum cõmunem suum. Non autẽ hoc fuit plane nouum institutum, vt multi opinantur, sed restitutũ fuit id, quod Israelitæ diu intermiserant, diuturna Ægyptiorum cõuersatione. Sic ergo statuamus, rationem iustam ac primogeniam ineuntis anni hoc loco à Deo restitui, quæ Israelitis & toti Ecclesiæ imperabatur seruanda, prout inde ab ortu mundi Patriarchæ secundũ Deum obseruauerant. Et vetus hoc anni principium Deus insigni miraculo condecorauit, nimirum exitu ex Ægypto. Alii sic docent hac de re. Deus reddidit Israelitis priscam anni rationem, verumq; illius initiũ partim vt esset memoriale exitus ex Ægypto, partim vt recordarentur mundi conditi, partim vt esset vaticinium de Christo, qui hoc tempore passurus erat. Coincidunt ergo hæc tria, lapsus primorum parentum, celebratio Paschatis in V.T. & restitutio salutis per mortem Christi. Summa huc redit. Ratio anni sacri fuit exactior ratione anni ciuilis. Iam vero nõ esset accuratior, si diceremus mundũ esse conditum mense Septembri. 2. Chaldæi sapientiam suam acceperunt ab Hebræis. Quare cum Chaldæi, vt & Persæ, initium anni statuerint in æquinoctio vero, idem dicendum erit de priscis Hebræis, à quibus manauit ad Chaldæos sapientia, cũprimis siderum, cuius magna pars est Chronographia. 3. Perfectionis modus est duplex: vnus, cum fit: alter, cũ facta & consummata est. Perfectio consummata nullo modo pertinet ad natalẽ rei, sed inchoata, & vernans, vt ita dicam. Cui rationi illustrandæ adduci potest, quod vernum tempus est totius anni pulcherrimum & amœnissimum, rerumq; omnium generationi, accretioni & conseruationi aptissimum. Hoc innuit Moses *Gen.* 1. quãdo ait, *terram iussu Dei germinasse herbam virentem.* 4. Volumen illud cœli confirmat hanc rationem. Nam signum Arietis est initium anni naturalis, quo sidera cœlestia incipiunt efficaciter influere in hæc inferiora. 5. Admodum credibile est primum & secundum Adamum, qui est Christus, eodem tempore esse ortum, eodemq; tempore mundum à Deo esse conditum, & à Christo reparatum. Constat autem Christum verno tempore esse conceptum, passum, & mortuum. Hac de re adscribam carmen, quo piæ antiquitatis sententia continetur, de 25. Martii.

Hac est illa dies quinta & vicesima Martii:
Festum Euangelii, festorum nobile festum.
Maxima mirorum quo mira patrata feruntur.
Factus homo Deus est. Merito hinc Ecclesia cantat:
Hac est illa dies, Dominus quam fecit, ouemus.

Per-

Perque vices Domini laudes iteremus in illa.
Atque ea ſat poterant auguſtam hanc reddere lucem:
At ſuperant dicenda Patrum quæ cura notauit,
Hac quod facta die. Mundi textura peracta eſt.
Primus in orbe pater ſine patre creatur Adamus.
Labitur: à lapſu promiſſo ſemine ſurgit.
Hac idem moritur qui mortem obduxerat orbi.
Hac & Abelus obit fraterno vulnere caſus.
Hac caſtam emiſit quoque Noias arca columbam.
Hac Sodoma ignitis cœlo perit hauſta procellis.
Hac Abraham fidei ſpectamen, mactat Iſacum.
Hac idem Lothum deuicto ex hoſte recepit.
Hac & Melchiſedek hominumque Deique ſacerdos
Offert victori panemque ac dulcia vini.
Venditur hac Ioſeph Hac poſthuma ſecla Iacobi
Primigenis Phariæ caſis arua hoſtica linquunt.
Hac & Dauides, minimus de germine fratrum
Auſpicio Domini iuſtus rex dicitur vnctus.
Tot tantiſque hodierna dies clarere putata eſt
Factis mirandis, veterum quæ cura notauit.

6. Noachus arcam ingreſſus eſt primo menſe, & poſt annum egreſſus eſt ad finem ſecundi menſis. Primus autem & ſecundus menſis hic non conueniunt autumno, quia poſt ſecundum menſem Noah non poterat ſibi victum ad ſequentem annum neceſſarium parare, elapſa iam meſſe ſecunda hyemeque ingruente. Hoc pugnaret cum paterna Dei cura.
7. Huic ſententiæ adſtipulantur *Theodoretus quæſt. 72. in Exodum. Ambroſ. lib. 1. hexaem. cap. 4 Leo ſerm. 9. de paßione. Beda de ratione temporum. Franciſcus Iunius in commentario in Exod. cap. 12. Perkinſ in prolegomenis digeſt. & Scaliger pater exercit. 257. Mundum enim vere ortum primo* (ait) *& autumant ſapientes, & credere par eſt.* Concludamus has rationes vno ſyllogiſmo: Quę ſententia cōuenit cum Scriptura & Natura, & hominibus vetuſtiſſimis atq; doctiſſimis eſt probata, illa eſt vera. At ſententia, quæ πῆξιν, ſiue fabricationem mundi ſtatuit vere primo, eſt talis. Ergo vera.

Hic velim te ſcire, patronos huius ſententiæ nonnihil inter ſe diſſidere. Alii enim mundum conditum eſſe ſtatuunt 25. Martii, ita vt illo die cœperit admiranda iſta πῆξις. Alii annum inſtituerunt, non ab iſto primo creationis die, ſed ab eo, quo anni duces, Sol & Luna, à Deo creati, à quarto ſcilicet. Alii Adamum 25. die Martii creatum eſſe volunt, eoque mundum perfectum. Ex his ſententiis vltima videtur vera.

" 2. [*Epilogiſmus annorum mundi à creatione ad diluuium probandus eſt iis, qui*

cum

cum Hebraica consentit veritate, non iste, quem habent 72. interpretes.] Ratio dicta est supra *cap.* 13. Hebræorum calculus sic habet.

Decem generationes	1 Adam	genuit anno ætatis	130 Seth
	2 Seth		105 Enos
	3 Enos		90 Cainan
	4 Cainan		70 Malaleel
	5 Malaleel		65 Iared
	6 Iared		162 Hanoch,
	7 Henoch		65 Mathusalah
	8 Mathusalah		187 Lamech.
	9 Lamech		182 Noah
	10 Noah		

Ingressus arcam anno ætatis 600.

Summa annorum 1656.

Versus memoriales de his Patriarchis talis esto:

Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleelque.

Iared, Hanoch, Mathusalah, Lamech, atque Noachus.

Septuaginta interpretes hunc habent calculum.

Diuersitas inter Hebraicam veritatem & 70. Interpretes in c. Gen. 5.

Adam	genuit anno ætatis	330 Seth
Seth		205 Enos
Enos		160 Cainan
Cainan		170 Malaleel
Malaleel		165 Iared
Iared		162 Hanoch
Hanoch		165 Mathusalah
Mathusalah		187 Lamech
Lamech		188 Noah.

Noah ingressus arcam anno ætatis 600.

Summa annorum 2362.

Differentia igitur est annorum 706. secundum nostra exemplaria: secundum Eusebii, qui habet annos 2242. differentia est annorum 586. Est enim hic notandum, exemplaria non consentire. Primum enim quædam Adamo tribuunt 330. Deinde vetera quædam exemplaria habent, quod Mathusalem anno ætatis 167. genuerit Lamech: nostra vero, quemadmodum etiam vetera quædam teste *Augustino lib.* 15. *de ciuit. Dei cap.* 13. habent 187. Hinc oritur discrepantia tum inter veteres, Eusebium, Augustinum, Dionysium, & nostos: tum veterum inter seipsos. Iosephus autem

tem numerans annos 2656. ab omnibus discedit. Nostrum est sequi veritatem Hebraicam. Nam LXX. Interpretum editio vel corrupta est, vel si illi mutarunt numeros in Hebraica veritate expressos, causas habuerunt, cur à calculo Mosis discedendum putarint. Viri docti existimant inter illas causas recenseri posse istam. Septuaginta interpretes videbant Ægyptios, & alios gentiles habere annos minores. Ægyptiis quidem triplex fuit annorum ratio; *hieroglyphica* in rebus sacris, in quibus mẽses singuli pro singulis annis habebantur: *Ecclesiastica*, à solstitio æstiuo iniens: & *ciuilis*, ab autumnali æquinoctio. Arcades habebant annum solarem trimestrem, ab æquinoctio ad solstitium, & à solstitio ad æquinoctium. Acarnanes habebant annum semestrem, à solstitio ad brumam, & consequenter à bruma ad solstitium. Ad hos annos proculdubio respexerunt LXX. Interpretes: ne si pauciores annos à mundi conditu numerassent, quam Ægyptii & alii populi suæ orgini tribuerent, sacras literas veritatis suspectas haberent, ac proinde reiicerent. Præterea versio illa LXX. quam Eusebius, & Augustinus in nonnullis locis sequitur, ideo consistere non potest; quia ex ea sequitur, Mathusalemum post diluuium 14. annos in viuis fuisse. Sed hoc absurdum. Non enim fuit in arca. *Genes. 7. v. 7. 1. Pet. 3. v. 20.* Ea vero, quam nos habemus, versio, quamque *August. lib. 15. de ciuit. Dei.* citat, euitauit hoc absurdum, cum Hebraico fonte annos 187. tribuendo Mathusalemo, antequam gigneret Lamechum: & sic præcedit mors Mathusalemi diluuium sex annis.

3. [*Diluuium incidit in annum mundi 1656. non in annum 1657.*] Narrat Moses *Gen. 7. v. 6.* Noachum ingressum esse arcam, cum esset sexcentos annos natus. Hic quæritur, initione anni sexcentesimi an eo completo, & ineunte anno sexcentesimo primo diluuium cœperit, & anno ætatis Noachi sexcentesimo secundo ineunte desierit. Posterius quidam statuunt, & annum diluuii faciunt annum mundi 1657. Sed prius est verum. Etenim, si ineunte sexcentesimo primo ætatis Noachi anno diluuium incepit, ineunte vero sexcentesimo secundo desiit, Noah post diluuium non annos 350. sed vno minus ad complendos annos 950. vixisset. At illud affi mat sacra historia. *Genes. 9. vers. 28 29.* Ergo hoc consistere non potest. Demonstratio planior hæc esto. Noah vixit annos 950. de quibus 350. vixit post diluuium. Deductis 350. de 950. remanet annus Noachi 600. ante diluuium. Ergo diluuium incidit anno 599. desinente, & 600. ineunte.

Secundus articulus primi interualli, est à diluuio exclusiue (seu ab illius fine) *vsque ad promißionem Abrahæ factam.* Hic obserua, nonnullos chronologos etiam hos articulos appellare interualla. At nos distinguimus interuallum ab articulo; ita vt interuallum nobis hoc loco ἐξαιρέτως ponatur pro magno interuallo, articulus pro minori. De hoc articulo, vt & de pri-

primo nihil legitur in scriptis exoticis. Nam Varro & alii ethnici enim secuti tempus triplici nota distinguunt. Primum tempus vocant ἄδηλον, *obscurum*, & quod res gestę eius temporis sint incognitæ. Alterum μυθικὸν, *fabulosum*; seu fabulis Poetarum celebre. Tertium ἱστορικὸν, rerum gestarum descriptione illustre. Scilicet tempus illud primi articuli fuit ἄδηλον profanis scriptoribus: at nobis ex sacrarum originum libro est ἄδηλον. Tempus secundi articuli profanis est μυθικὸν: at nobis ex S. historia est ἱστορικώτατον, vt ita dicam. De hoc articulo sunt sequentes obseruationes.

1. [*A diluuio ad promissionem Abrahamo factam sunt anni* 367.] Horum annorum dictio memorialis, ἄζυμος tamen, sit ששס *Schasas*. ש. 300. ס. 60. ז. 7. notat. Hi anni sic colliguntur.

Sem genuit Arphaxad post diluuium anno 2.

Arphaxad.	genuit	Salah	anno ætatis	35.
Salah.		Heberum		30.
Heber.		Peleg		34.
Peleg.		Regu		30.
Regu.		Serug		32.
Serug.		Nachor		30.
Nachor.		Tharah		29.
Tharah.		Abraham		70.

Abraham vocatur ex Haran seu Charris, anno ætatis suæ 75

Summa 368.

Incidit ergo vocatio Abrahæ in annum mundi 2024. Hic igitur articulus complectitur nouem generationes Patrum, de quibus hic esto versus:

Arphaxad, Salah, dein Heber, tum quoque Peleg,
Regu, Serugus, Nachor, Tharachus, Abramus.

2. [*Calculus LXX. Interpretum discrepat à calculo Hebraico*] vt ex hoc diagrammate videre est: *Calculus 70. Interpretum variat ab Hebraico. Gen. 11.*

Sem genuit biennio post diluuium.

Arphaxad.	genuit anno ætatis	135. Cainan.
Cainan.		130. Salah.
Salah.		130. Heberum.
Heber.		134. Peleg.
Peleg.		130. Regu.
Regu.		132. Saruch.
Serug.		130. Nachor.
Nachor.		79. Tharah.
Tharah.		70. Abrahamum, &c.
		Summa 1072.

Differentia igitur est annorum 780. Eusebius habet annos 942. cuius differentiæ hæc est ratio; quia Cainan, quem LXX. interpretes faciunt filium Arphaxad, omittit. Proinde 130. annos prætetit. Tradunt enim LXX. Cainan genuisse Salachum anno ætatis 130. Quæ vero sit ratio differentiæ LXX. Interpretum & calculi Hebraici, constare potest è superioris articuli demõstratione. Plures nimirum annos tribuerunt Patribus, quam Hebraica veritas habet. Huc accedit altera causa, propria huius loci; quia Cainan est additus à LXX. qui prætermittitur in calculo Hebraico. Obiiciat aliquis: Recte additus est Cainan à LXX. interpretibus. Nam etiam Lucas illum recenset *cap. 3. vers.* 36 Resp. Quidam existimant, Euangelistam Lucam ex LXX. apposuisse τὸν Καϊνὰν, non solicitum de Chronologia, sed intentum in scopum quem habuit sibi propositum; qui fuit, demonstrare Christum esse filium Abrahami & Dauidis. Sed hæc responsio arguit Lucam oscitantiæ. Dicamus ergo, Cainam illum è LXX. Interpretum versione in illud caput tertium Lucæ fuisse translatum à librariis, linguæ Sanctæ ignaris, ideoque nimium tribuentibus versioni LXX.

Abraham natus est anno Tharachi 70.

3. [*Abraham natus est anno Tharachi 70. non 130.*] De anno natalis Abrahami maxime controuertitur. Beroaldistæ illum coniiciunt in annum Tharæ patris 130. *Staliger, Perkinsus, Bucholcerus*, illũ natum esse anno Tharæ 70. docent. Ego illorum sententiæ accedo, & eam sic probo. 1. Sic legimus. *Gen. 11. v. 25. Tharah vixerat 70. annos, cum genuit Abrahamum, Nachorẽ, & Haranem.* Hic obseruatur ordo generationis seu naturalis, non dignitatis seu personalis ille: id quod sic euinco. Scopus Mosis fuit, pertexere genealogiam Christi ab Adamo ad Abrahamum. Huius ergo annos indicat, non Nachoris aut Haranis: id quod in singulis generationibus Abrahamum antecedentibus fecerat. Certe Spiritus sanctus natales annos electorum Patrum, ex quibus Christus descẽdere debebat secundũ carnem, hic

hic indicauit. Ergo & natalem Abrahami hoc capite tradidit. 2. Si natalis Abrahami in hoc catalogo non est traditus, nusquam à Mose traditur, & sic Chronologia Mosis est manca. 3. Moses obiter fecit mentionem Nahoris & Haranis, propter Abrahamum & Saram. Ergo non indicauit natalem illorũ, de quibus incidenter tractat, sed eius, de quo principaliter agendum. 4. Non est verisimile Tharachum genuisse anno ætatis 130. Nam Abraham loco miraculi ducit, à se centenario nasciturum filium. 5. Non est verisimile, Abrahamum natum 60. annis, postquam Nachor & Haran nati fuerunt. Obiicitur. 1. Si hæc ratio militat: Mosi fuit curæ indicare natales electorum patrum. Ergo hic nominatur natalis Abrahæ: si, inquam, hæc ratio militat; etiam militabit illa: Moses voluit indicare natales electorum Patrum. Ergo etiam *Gen. 5. v. vlt.* indicatur natalis Semi. At hæc sententia supra fuit explosa. Resp. Non est par ratio. Nam alibi Scriptura Semi natalem exprimit. *Genes.* 11. At natalem Abrahæ non exprimit vllo in loco præter hunc. Sed Beroaldus, Iunius, & alii sic contraueniunt, ideoque 2. obiiciunt. Moses narrat profectionem Abrahæ in terram Chanaan post mortem Tharæ. Resp. Hoc fit per ὑστέρωσιν, seu recapitulationem, vt continenti narratione historiam Tharachi absolueret diuinus historicus, non vt vocationem & profectionem Abrahæ post mortem patris Tharæ factam doceret. Certe *Hebr.* 11 docetur, Abrahamum per fidem iter instituisse. Ergo statim vbi accepisset mandatum sine mora profectus est in Chanaan, non expectato obitu parentis. Mandatum vero & promissionem accepit ante in Vr Chaldæorum, quam Haranem esset profectus. Hic obserua, Haran Mesopotamiæ ciuitatem, Latine vocari Charras. 3. Obiiciunt locum Stephani, qui est *Actor. 7. Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam.* Resp. Profectio Abrahæ in Chanaan duplex fuit. Prima ante mortem Patris, fuitque potius ad peregrinationem, quam ad habitationem. De hac loquitur Moses. Secunda profectio fuit ad collocationẽ & fixam sedem seu habitationem in terra Chanaan. De hac profectione locutus est Stephanus, quod probatur his Argumentis. 1. Abraham ne portionem quidem agri coemit, nisi vno vel altero post mortẽ Patris anno. 2. In verbis Stephani est verbum μετοικίζειν. Deus scilicet μετῴκισεν, transtulit Abrahamum in aliam sedem ex sede Charrensi post mortem Tharæ patris sui. Non igitur Stephanus loquitur de simplici profectione Charrensi, sed de translatione Abrahæ in certam & fixam sedem. Abraham profectus est in Chananæam anno ætatis suæ 75. plus minus completo, ante mortem patris sui Tharæ 60. annis: sed post mortem eius collocatus est in certum domicilium in Chananæa. Hoc domicilium fuit vbi tum habitabant auditores Stephani, qui erant germani Iudæi, non Samaritani aut Sichemitæ, ad quos primum diuertit Abraham, cum Charris profi-

ciſceretur. *Geneſ.* 12. *v.* 6. Tandem conſedit in Hebron, vbi emit domicilium & locum ſepulturæ pro ſe & poſteris ſuis. 3. Stephanus addit: *nec dedit ei quicquam proprietatis, ne veſtigium quidem pedis*: id quod neceſſario de tempore ante mortem Tharæ intelligendum eſt. Nam poſt mortem coemit ſibi in Hebrone domicilium proprium. Hic incidit quæſtio, an igitur Abraham fuerit primogenitus? Reſp. Scaliger ita vult. Sed hoc poteſt in medio relinqui. Potuit enim fieri, vt reliqui duo ipſius fratres fuerint geniti ante 70. annum Tharæ. Nec vero opus fuit Moſi indicare natales fratrum Abrahami: at natalem Abrahami, patris illius credentium, nullo modo tacere potuit. Vide pro hac ſententia *Auguſtin. de ciuit. Dei,* 16. *c.* 15. *Bedam venerabilem, Ioſephum & Iſidorum Hiſpalenſem.*

Tertius articulus primi interualli eſt à promiſſione ad legem: ſeu, ab egreſſu Abrahæ ex Haran, vſque ad exitum ex Ægypto, & promulgationem legis.

Anni peregrinationis patrũ. Hic articulus complectitur annos 430. qui vocantur anni peregrinationis Patrum. *Exod.* 12. *v.* 40. *Galat.* 3. *v.* 17. Dictio memorialis huius numeri eſto תל *Tal*; ת. 400. ל. 30. facit. Egreſſi ſunt igitur Iſraelitæ duce Moſe ex Ægypto, anno mundi 2453. Alii numerant 2454. addentes annum vnum; quia ſtatuunt diluuium incidiſſe in annum mundi 1656. ineuntem: ideoque annum vnum, quo durauit diluuium, adiiciunt ſecundo articulo, eique tribuunt annos 368. cum nos tribuamus 367. Obſeruationes ad hunc articulum ſunt iſtæ.

„ 1. [*Abraham natus annos 75. Charras reliquit.*] *Geneſ.* 12. *v.* 4.

Duplex fuit vocatio Abrahæ. „ 2. [*Duplex fuit vocatio Abrahæ, adeoque & promiſſio duplex.*] Prior vocatio eſt, qua Abraham ex Vr Chaldæorum euocatus eſt in Chananæam. Poſterior eſt, qua euocatus eſt ex Haran. Hæ duæ vocationes ita narrantur à Moſe, ac ſi vna eſſet vocatio. Sed è circumſtantiis textus colligitur, duplicem fuiſſe. Nam Abraham primo vocante Deo reliquit patriam, Vr Chaldæorum; deinde etiam Charras Meſopotamiæ, vbi aliquando habitauerat. Duæ ergo fuerunt vocationes, ſeu promiſſiones, factæ Abrahamo; vna facta in Vr, altera in Charris. Priorem vocant indefinitam & ſpiritualem, item repromiſſionem, q. d. repetitam promiſſionem. Prior dicitur indefinita, quia Deus non monſtrauit certum locum. Sic enim habent verba: *Abi è patria in terram, quam tibi monſtrauero.* Poſterior definita *verſ.* 5. Prior fuit corporalis: poſterior, partim repetiit promiſſionem primam corporalem, partim adiecit ſpirituale promiſſum, nempe hoc: *benedicam benedicentibus tibi,* &c. Vi prioris vocationis Abraham venit Charras: Vi poſterioris, reliquit Charras, & venit in Chananæam. *Actor.* 7. *v.* 3. *Exi è terra tua & è cognatione tua in terram, quam monſtrabo tibi:* videlicet in Haran. *Inde* (ſc. Harane) *tranſtulit eum mortuo patre, in terram hanc.* Summa: Expreſſe dicit Moſes, Abrahamum, cum natus eſſet annos 75. reliquiſſe Charras: id

ras: id quod sine mandato diuino non fecit. Reliquit ergo Charras, & venit in Chananæam, quæ terra in priori promissione non erat nominata. Sic itaque Charris hærenti promissio repetita; non autem sponte sua ille inde mouit in Chananæam, vt quidam opinantur.

3. [*A repromissione, seu promissione Abrahamo repetita, vsque ad Exodum filiorum Israel, sunt præcise anni* 430.] Obiicitur: Sic legimus *Exod*. 12. *v*. 40. *Incolatus Israelitarum, quo commorati sunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Hic agitur de seruitute filiorum Israel. Ergo anni illi non sunt computandi à profectione Charrensi, siue à repromissione ibi facta, sed à descensu Iacobi in Ægyptum; Seu: Hic agitur de seruitute Abrahamidum. Non itaque ipse Abraham venire debet in calculum. Resp. Abraham non fuit filius Israel, verum est. Sed filius Israelis non complectitur solum posteros Iacobi, sed etiam Abrahami. Filii ergo Israelis sunt tota gens & familia Abrahami, ne excluso quidem capite. Moses nimirum vsus est illo nomine, quo tum posteri Abrahami vocabantur. Calculus igitur horum annorum sic habebit:

Dimidium seruitutis Abrahamidum in Chananæa, fuit anni	215.
Dimidium seruitutis in Ægypto, fuit annis	215.
	Summa 430.

Alii à promissione prima, quæ facta est in Vr Chaldæorum, sic numerant hos annos.

Ab egressu ex Vr, ad Isaaci natales, sunt anni	30.
Inde ad Iacobum,	60.
Inde ad profectionem in Ægyptum.	130.
	Summa 220.

Hunc numerum, si ademeris à 430. manebunt 210. anni, quibus habitauerint Israelitæ in Ægypto. Hic quærat aliquis, cur *Gen*. 15. *v*. 13. dicatur, semen tuum peregrinum erit in terra non sua, & seruient ibi annis 400. non autem, tu, & semen tuum? Resp. Quia à potiori fit denominatio. Peregrinatio Abrahæ ad peregrinationem posterorum se habet vt 1. ad 10. Ideo Spiritus sanctus peregrinationem Abrahamidum potius exprimit, quam Abrahami. Porro hic quæritur, quomodo potuerint 600000. armati 215. seu 210. vt alii volunt, annorum spatio propagari è Iacobi familia? Hic scrupulus quosdam ita torsit, vt existimarint filios Israel in Ægypto versatos esse 400. annis solidis. Resp. 1. Tum erat in vsu polygamia. 2. Tum gignebant liberos viginti annis nati, vsq; dum essent octoginta & amplius. 3. Tum fuit promissa multiplicatio seminis. Maneat

ergo

ergo filios Iſrael, in Ægypto commoratos eſſe 215. annos: & alteram medietatem, videlicet annos 215. ſupputandos eſſe ab initio repromiſſionis, quæ facta eſt anno 75. Abrahæ in Haran. Si vero illos annos 430. ſupputes à 70. anno Abrahæ, quo tempore euocatus fuit ex Vr, computandi erunt anni 210. ſeruitutis Ægyptiacæ. Si denique illos annos cum quibuſdam ſupputes à decimo anno poſt relictas Charras, computandi erunt anni 224. ſeruitutis in Ægypto. Sed prima ſententia nobis eſt proba; quia Moſi, & Paulo eſt proba. Hic notatu dignum eſt, quod ſcribitur *Exod.* 12. *v.* 41. eo ipſo die fuiſſe egreſſos Iſraelitas, quo cœperat ſeruitus: videlicet die 15. menſis Niſan, ſeu Abib. Ecce quam tenax Deus eſt ſuorum promiſſorum!

Tempus legis habet quinque articulos.

Tempus legis, eſt magnum interuallum à legis promulgatione vſque ad Christi natiuitatem.

Eius articuli, ſeu interualla minora, ſunt quinque.

Primus articulus, eſt à Lege ad templum fundatum.

Secundus, à fundamento templi ad eius excidium.

Tertius, continet captiuitatem Babylonicam.

Quartus, eſt à ſolutione captiuitatis vſque ad initium hebdomadum Danielis.

Quintus, eſt ab initio hebdomadum vſque ad natiuitatem Christi.

Articulus à lege vſque ad templum Salomonis.

Primus articulus huius interualli, eſt à lege, ſeu ab egreſſu ex Ægypto vſque ad initium templi Salomonis. Complectitur autem annos 480. quorum ſymbolum memoriale תפ Taph. ת. 400. פ. 80 facit. Hic numerus exprimitur 1. *Reg.* 6. *v.* 1. & 2. *Paral.* 3. *v.* 1. *Deinde fuit anno quadringenteſimo octuageſimo ab egreſſu Iſraelitarum è terra Ægypti, anno quarto regni Salomonis, regis Iſraelis, vt ædificaret domum Iehouæ.* Ad hunc articulum ſequentia obſerua.

1. [*Hic articulus complectitur tempus Iudicum, & priorum Regum, vſque ad quintum Salomonis.*] Calculus talis:

Anni Tribuuntur Moſi, ducenti populum in deſerto. *Exod.* 7. *v.* 7.
40. & *Deut.* 34. *v.* 7.
18. Elapſi ſub Ioſua ad Othonielem.
40. Othoniel. *Iud.* 3. *v.* 20.
80. Ehud & Sangar. *Iud.* 3. *v.* 30.
40. Debora & Barac. *Iud.* 5. *v.* 31.
3. Abimelech. *Iud.* 9. *v.* 22.
23. Thola. *Iud.* 10. *v.* 2.
22. Iair. *Iud.* 10. *v.* 3.
6. Iephtah. *Iud.* 12. *v.* 6.
7. Ibizan. *Iud.* 12. *v.* 9.
10. Elon. *Iud.* 12. *v.* 11.
8. Habdon. *Iud.* 12. *v.* 14.

20. Simson. *Iud.* 15. *v.* 20.
40. Heli. 1. *Sam.* 6. *v.* 18.
40. Samuel & Saul. *Actor.* 13. *v.* 21.
40. Dauid. 1 *Reg.* 2. *v.* 11.
3. Salomon, vsque ad iacta templi fundamenta.

480. Summa.

2. [*Omnia huius calculi membra ex Scripturis expresse probantur, excepto secundo, de* 18. *annis elapsis sub Iosua, vsque ad Othonielem.*] Hoc enim membrum sola nititur coniectura. Ideo alij malunt imperium Iosuæ includere 40. annis Othonielis, & post Iairi imperium ponere interregnum 18. annorum, quibus Philistæi Israelitas presserunt tyrannide; de quibus annis *Iud.* 10. *v.* 8. Sic enim idem numerus euenit. Verum tyrannorum anni in calculum sacrum venire non debent.

3. [*Locus qui est Actorum* 13. *v.* 19 *&* 20. *à librario est corruptus.*] Locus ille sic habet: *Et cum deleuisset septem gentes in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum. Et postea annis circiter quadringentis quinquaginta dedit iudices vsque ad Samuelem Prophetam.* Ex his verbis sequitur, non tantum 480. sed 580. ab exitu ex Ægypto ad quartum Salomonis annum, quo templi fundamenta iacta, elapsos esse. Nam si à terra distributa vsque ad Samuelem fuerunt iudices 450. annis, si addideris 40. Mosis. 6. Iosuæ ante distributam terram. 40. Samuelis & Saulis. 40. Dauidis, & 3. Samuelis, euenient anni 580. contra textum præallegatum. 1. *Reg.* 6. *v.* 1. Sed dicendum est cum Luthero & Beza pro πεντακοσίοις, legendum esse τετρακοσίοις. Alij vt assequantur numerum in Actis expressum, connumerant annos seruitutis, quam Israelitæ seruierunt sub variis hostibus, eosque coniungunt cum annis iudicum: vt, *"Locus "Act. 13. est corruptus à librario.*

8. annos Chusan Rithsathaim. *Iud.* 3. *v.* 8.
18. annos Eglonis, regis Moabitarum. *Iud.* 3. *v.* 14.
20. annos Iabinis, regis Chananitarum. *Iud.* 4. *v.* 3.
7. annos regis Midianitarum. *Iud.* 6. *v.* 1.
18. annos Philistæorum. *Iud.* 10 *v.* 8.
40. annos Philistæorum. *Iud.* 13. *v.* 1.

111. Summa.

Hos annos coniunge cum annis Iudicum, prout illos in superiori Schemate expressimus, incipiendo à 40. annis Othonielis, & pergendo vsque ad 40. annos Samuelis exclusiue, & proueniet numerus annorum 450. in Actis expressus. Verum enimuero anni tyrannorum in calculo sacro sunt heterogenei. Hinc docent Chronologi sacri, pro certissima regula tenendum esse illud: Annis iudicum annos oppressorum seu tyranno-

rum annumerandos esse. Quapropter retinemus priorem illam sententiam, quam sic illustramus. A diuisione terræ ad Samuelem sunt anni 357. Per hos enim annos fuit regimen iudicum, quod subducto calculo facile constabit. Et hunc numerum D. Lucas in Actis sine omni dubio posuit, reiectis septem annis postremis, vt rotundior esset numerus. Postea vero aliquis perlecto libro iudicum, ex inscitia pro τριακοσίοις substituit τετρακοσίοις, quia ex annis iudicum & oppressorum distincte numeratis exurgit annus 450.

Obseruatio Chronologica de annis Sabbatariis & Iubilæis.

„ „ 4. [*In hunc articulum incidunt initia Iubilai & Sabbatismi seu anni Sabbatarii Mosaici.*] Est autem Iubilæorum & Sabbatismorum vsus triplex. 1. Voluit Deus hac ratione confirmare Chronologiam publicam Iudaicæ gentis. Nam in venditionibus & contractibus iubilæorum & Sabbatismorum ratio exacte seruabatur, & in scriptionibus consignabantur isti anni, Sic non potuit facile error obrepere. Accedit, quod in ipsis agrorum iudicis hi anni quasi scripti fuerunt. 2. Hæc ratio inseruiebat memoriæ in Chronologia sacra. 3. Hæc ratio inseruiebat institutioni & consolationi. Vox *Iubal* significat vectionem, siue fluxum. Hinc deducitur annus Iobel, non autem ab eo, si ad formam Hebræam attenderis, deriuari potest, quod est cornu arietinum. Non igitur *Iobel* sic dictus, quod cornibus arietinis illum proclamarint, sed quod nos quasi secum vehat & deducat ad Christum natum. Pulcherrima certe est illa Iubilæorum catena, à possessione terræ, ad possessionem cœli, acquisitam per Christum. Cæterum sunt Iubilæi mundi, seu creationis, & Mosis, seu Legis. Iubilæi mundi incipiunt in mense Nisan, quo mundum conditum esse euicimus. Et hi nos ducunt ad passionem Christi. Iubilæi Mosaici incipiunt in autumno, & nos ducunt ad natiuitatem Christi.

Annus Sabbatarius Hebraico vocabulo dicitur Semitah.

Iubilæi sunt mundani vel Mosaici.

Contra disputat Scaliger, qui mundum conditum esse statuit mense Septembri, ideoque ab illo ducit epocham Iubilæorum. Sed nos paulo aliter procedendum esse censemus, hoc nempe modo. Mundus est conditus mense Nisan. Iubilæi igitur mundi ab hoc capite numerari debent, vsq; ad annum mundi 2500. in quem incidit initiũ Iubilæi & Sabbatismi Mosaici, id quod consideratione dignissimum. Hoc sic probatur:

A creatione ad diluuium sunt anni	1656.
A diluuio ad promissionem	367.
A promissione ad legem	430.
A lege seu exitu ad initium Iubilæi.	47.
	Summa 2500.

Ergo annus mundi 2500. est primus primi Iubilæi & Sabbatismi Mosaici. Fluxerunt ergo ab initio mundi vsque ad annum hunc iubilæi 51. & Sabbatismi mundani 357. Hoc deprehendes, si 2500. diuidas per 49. & per 7. Ibi prodibunt 51. hic 357. Hoc tamen omne sic velim acci-

pias, vt medium annum inter Iubilæum mundanum & Mosaicum interiectum statuas anno illo 2500. Voluit autem Deus iubilæum mundanũ nos quasi manuducere ad passionem Christi; quia sicut mundus æquinoctio verno est perfectus plane; sic mundus idem est plane refectus à Christo mortem oppetente. Mors enim illius est colophon omnium antecedentium beneficiorum, quæ spectant meritum. At Iubilæum Mosaicum voluit nos ducere ad natiuitatem Christi, ad desolationem Hierosolymorum, & vltimam mundi desolationem. Sicut enim iubilæus annus gaudium & libertatem adferebat: sic & annus natiuitatis Christi, testibus Angelis. *Luc.* 2. Præterea sicut terra quiescebat iubilæo: sic & iam requiescit Hierosolyma inferior, & nos aliquando verum iubilæum celebrabimus, aduentante Christo in nubibus. Nolim hæc ita accipi, quasi annus passionis Christi & desolationis fuerit iubilæus (hoc enim falsum est) sed hoc volo: Iubilæus Mosaicus fuit typus natiuitatis Christi, & Sabbatismi illius, quod agere debebat Hierosolyma. Natiuitatis quidem Christi primario & exactius; desolationis secundario. Nam à requie prima terræ *Leuit.* 25. vsq; ad natiuitatem Christi sunt 28. Iubilæi; & decem anni inclusiue. Iam vbi constat de natiuitate Christi, non opus est amplius supputatione per Iubilæos. Inde enim facile ad passionem eius computare possumus: Ex his efficitur, Iubilæorum & Sabbatismorum obseruationem verum esse κειμήλιον Ecclesię, & indubium characterem, ex quo præcipua temporum interualla diiudicari possint quam certissime.

5. [*Iubilæis non debemus tribuere annos 50. completos, sed 49.*] Hoc docet " magnus ille Scaliger ex *Leuit.* 25. vbi verba sic habent: *Sex annis seminabis agrum tuum: septimo autem Sabbathum erit terræ. Deinde numerabis septem Sabbata annorum, septies septem annos, qui tibi efficiunt annos 49. Tum clanges buccina iubilationis mense septimo, die decimo, & sanctificabis annum quinquagesimum, quia ipse est Iubilæus.* Hæc postrema verba plerique male intellexerunt: quasi quilibet quinquagesimus annus deberet esse finis tantum præcedentis, non autem quoque initium sequentis iubilæi; id quod ratio Sabbatismorum nullo modo ferre potest. Septem Sabbata terræ sunt tempus vnius iubilæi, quo tempore elapso oportebat celebrare Iubilæum, decima die, mensis septimi, anni quinquagesimi, qui annus quinquagesimus simul erat primus sequentis iubilæi. Planius: Iubilæus erat annus quadragesimus nonus à priore iubilæo exclusiue, i. e. si priorem iubilæum excludas: sed quinquagesimus est annus, à priore inclusiue. Sicut ergo quilibet dies octauus ab initio mundi clausit antecedentem, & incepit sequentem hebdomadem diariam: ita ab initio mundi quilibet annus 50. clausit præcedens, & inchoauit sequens Iohel: & quiuis annus octauus clausit præcedentem, & inchoauit sequentẽ hebdomadem annalem. Sic annus mundi 2500. clausit 51. Iubilæũ mundi, & inchoauit simul 52. qui fuit pri-

 mus

mus Iubilæus Mosaicus. Idem annus mundi clausit Sabbatismum 357. & simul inchoauit sabbatismum 358. mundi, qui fuit primus sabbatismus Mosaicus iniens. Sic autem statue, iubilæum primum Mosaicum incidere in annum mundi 2500. non ineuntem ab autumno, vt Scaliger vult, sed à vere; ideoque in medium illum annum. Sed numero rotundo potes vti, & ponere annum 2500 dummodo obserues medium illum annum subtrahendum esse deinceps, si velis ἀκριβολογεῖν. Verum manum hac de tabula Hoc solum obserua, iubilæos & sabbatismos esse infallibiles characteres, secundum quos præcipua tempora in Scripturis consignata definiri possunt. His refragantur Beroaldistæ, qui annum Exodi Israelitarum faciunt mundi vel 2513. vel 2523. in quem errorem inducit illos ignoratio natalis Abrahæ, & temporis, quo repromissio ipsi est facta.

Epocha conditi templi Salomonici.

,, 6. [*Templi Salomonis fundamenta sunt iacta anno mundi 2933. Maio Iubilæi*
,, *12.*] Hanc summam colliges, si addas articulos supra explicatos: videlicet creationis, diluuij, &c. Fuit autem annus ille 2933. annus septimus hebdomadis 62. & 42. Iubilæi noni Mosaici, qui est etiam septimus hebdomadis.

Secundus articulus, est à fundamento templi Salomonici vsque ad eius excidium. Complectitur annos solidos 427. cuius numeri symbolum μνημονικὸν esto תמז *Tamas*. ת. 400. מ. 40. ז. 7.

Ad hunc articulum notabis sequentia.

Intellige annum Iubilæũ 27. apud Ezech.

,, 1. [*Hic articulus complectitur reges populi Iudaici & Israelitici, à quarto Salomonis ad excidium templi.*] Quanquam vero anni Regum Iudæ diligentissime in Scriptura expressi sunt: tamen quoniam singulorum Regiminia sunt incerta, factum est vt diuersa summa ab authoribus fuerit collecta, à fundato templo vsque ad eius excidium. Alij enim 430. vel 431. alij 470. vt Iosephus, alij 442. vt Eusebius, alii 428. alii 427. collegerunt. Postrema sententia est vera. Et probatur ex *Ierem.* 34 & *Ez. ch.* 29. *v.* 17. è quibus locis colligitur epocham excidii Hierosolymitani esse annum vndecimum Zedekiæ, mundi 3360. Stetit igitur templum Salomonis à iactis eius fundamentis in Maio, annos 427. solidos: euersum est anno 428. quinto mense à Nisan. Hic character iubilæorum confirmat hunc calculum. Sunt enim à primo anno primi iubilæi Mosaici ad primum mensem decimi Zedekiæ, anni 860. qui diuisi per 49. dant Iubilæos 17. & annos 27. qui est sextus hebdomadis. Nam cuiusque anni iubilæi annus septimus est sabbaticus.

,, 2. [*In hoc articulo regulæ compositionis sunt sex.*] 1. Plerumque fit, vt anni regum Iudæ & Israelis sint incompleti. Ita fit, vt postremus annus regis sæpe fit primus successoris. 2. Filius prorex regnat cum patre externis bellis occupato. 3. Quandoque impii regiminis anni non numerantur, tanquam si non essent 1. *Sam.* 13 *v.* 1. 4. Anni, quibus regnat filius succedens:

dens viuo patri, senio vel morbis confecto, imperio eiusdem patris annumerantur. 5. Aliquando ad interregnum res venit; cuius interregni anni sunt calculo inserendi. 6. Quando filius cum patre præest imperio, illius imperii anni cum filio tribuuntur, patri demendi; cum patri assignantur, filio detrahendi sunt. Schemate illustremus regulam vnam atque alteram: *Regulæ sex obseruandæ in supputatione annorum regum.*

		17		Iosaphat filium Ioramum hoc anno facit proregem
Ioram filius Achab fit rex	1	18		
	2	19		
	3	20		
	4	21		
	5	22	1	Ioram filius Iosaphati rex cum patre 4. annis
	6	23	2	
	7	24	3	
	8	25	4	
	9		5	Ioram filius Iosaphati mortuo patre solus rex quatuor annis.
	10		6	
	11		7	
	12		8	Ahasia filius Iorami, rex cum patre.

3. [*Si conferantur inter se anni regum Iudæ & Israelis, euenient anni* 427. *ab initio primæ domus, vt vocatur* Hag. 2. *vsque ad illius excidium.*] Nam Salomon ab initio templi regnauit adhuc 36. annis. Et mortuus est anno mundi 2969. Regnum Israelis durauit iuxta regnum Iudæ, annos 258. In Iuda regnatum est adhuc 133. annis vsque ad casum Zedekiæ seu Sedekiæ. Hi igitur anni in summam collecti faciunt 427. atque tot annos stetit templum Salomonis, quod Babylonii combusserunt anno mundi 3360.

Tertius articulus complectitur 70. *annos captiuitatis Babylonicæ, vsque ad illius solutionem.* Initium huius termini est controuersum. Cum enim in sacris literis fiat mentio quatuor captiuitatum Babylonicarum, Chronologi non satis assequi possunt verum initium. In prima captiuitate abductus fuit Manasses. 2. *Paral.* 33. *v.* 11. In secunda abductus est rex Ioiakim. 2. *Paral.* 36. *v.* 6. *Dan.* 2. Et in hac Daniel abductus est. In tertia abductus fuit Iochin, qui & Iechonias. 2. *Reg.* 24. *v.* 12. 2. *Paral.* 36. *vers.* 10. In hac fuit abductus Ezechiel. In quarta fuit abductus Sedekias: in qua Hierosolyma vna cum templo diruta. Nunc quæritur, vnde deducendi sint 70. anni captiuitatis? Scaliger à Iechonia capto illam orditur, & allegat *Ierem.* 29. *70. Anni captiuitatis.*

*verſ.*10. Sed tenendum, ibi non exprimi initium iſtorum 70. annorum. Hoc autem clare exprimitur.*Ier.*25.*v.*11.*Ier.*52.*v.*5. *&* 27.2.*Chron.*36.*v.*20. *&* 21. vbi oſtenditur captiuitatem hanc non ſolum eſſe deſolationem populi, ſed etiam terræ, quæ ipſa etiam debuerit ſua ſabbata agere. Quieſcere autem ante hoc tempus non potuit; vtpote quæ regem, pontifices, ciues, & agricolas adhuc habuit. Sed obiicitur locus *Matth.*1. vbi Iechonias ponitur poſt captiuitatem Babylonicam. Reſpo. Matthæus in genere loquitur de tranſportatione Babylonica. Cũ vero quatuor fuerint tranſportationes, non ſequitur illum intelligere tranſportationem, à qua numerandi ſint 70. anni exilii. Manet igitur quod diximus, initium huius articuli eſſe ipſum templi incendium & ſabbatum terræ, anno Nebucadnezaris. 19. Hic inſeram commentatiunculam de regibus Aſſyriorum & Chaldæorum, quorum meminit Scriptura.

Reges Aſſyriorum quinque, qui Iudæã infeſtarũt.

Reges Aſſyriorum quinque memorantur in ſacris, qui Iudæam infeſtarunt.

1. Phul & Tiglath-Pilaſſer. 2.*Reg.*25.
2. Salmanaſſar. 2.*Reg.*17.
3. Sennacherib. 2.*Reg.*18.
4. & 5. Duo filii Sennacherib, & Eſarchadon, qui ſucceſſit Sennacheribo. 2.*Reg.*19.

Reges Chaldæorum in S.literis.

Reges Chaldæorum hi recenſentur.

1. Merodach, rex Babyloniæ. Hic Ptolomæo dicitur Mardokempados, & ſucceſſit Nabonaſſari, primo Chaldæorum regi. Hic Merodach fuit coætaneus Aſſarhadonis, ita vt ille Babyloniæ ſeu Chaldææ, hic Aſſyriæ ſiue Niniue rex fuerit. Poſt Aſſarhadonem Chaldæi Aſſyriacum regnum ſuo coniunxerunt: vnde & in ſacris literis poſt Aſſarhadonem nulla fit mentio regum Aſſyriorum; ſed Chaldæorum reges nonnunquam vocantur Aſſyriæ. 2.*Reg.*23.*verſic.*29. & alibi. Cuius rei duplex afferri poteſt ratio. 1. Quia regnum Chaldæorum ex Aſſyrio ortum eſt. 2. Quia pars regni Aſſyriaci Medis erepti, Chaldæis acceſſit.

2. Nebucadnezar. 3 Euilmerodach. 4 Belthaſar. 4 Darius Medus qui ſuceeſſit Belthaſari interfecto, *Dan.*5.*v.*31 Horum, inquam, regum fit mẽtio in ſacris literis. Sed Ptolomæus poſt Euilmerodach recenſet Nabopallaſſerem patrem Nebucadnezaris, quem alii Nebucadnezarẽ Primũ vocant. Sic in Beroſo, Megaſthene, & Canone Mathematico Euilmerodacho ſecundo ſuccedit Nigliſſor, ſeu Nerigliſſoar. Sed Nabopalaſſer Ptolomaicus eſt idem cum Nebucadnezare.

Quartus articulus, eſt à ſolutione captiuitatis, vſque ad initium ſeptimanarum Danielis, ſeu ad inſtaurationem templi ſecundi. Complectitur annos 107. quorum ſymbolum eſt קז *Kas.*

Beroaldiſtæ hunc articulum non agnoſcunt, & putant hac ratione indignũm

dignum hiatum chronologiæ sacræ induci, eo quod sacra Scriptura non definierit hoc spatium. Sed inepta est hæc ratio. Non enim ideo manca est chronologia sacra, quia Scriptura non totidem verbis expressit distantiam inter solutionem captiuitatis, & reparationem templi secundi. Valeret hoc argumentum, si Scriptura nullo modo expressisset hos annos. At Scriptura aliquo modo expressit. Testatur enim, quod instauratio secundi templi dilata sit à primo anno Cyri, quo solutio captiuitatis est facta, vsque ad secundum annum Darii Nothi. Quantum autem fuerit hoc spatium, id ex Græca Regum Persicorum historia nobis indagandũ erit. Scriptura posuit terminum à quo & ad quem. Si ergo tenemus primum annum Monarchiæ Persicæ, quo solutio captiuitatis facta est per Cyrum, facile ex Græca historia colligemus, quotus illius Monarchiæ sit annus secundus Darii Nothi, ex cuius publico decreto templum secundum est instauratum. Sic ergo procedamus.

An chronologia perfecta posſit haberi è S. literis.

1. [*Reges Persarum quorum fit mentio apud Ezram, Nehemiam, Estheram & Danielem, post solutionem captiuitatis, sunt octo.*] Fit quidem etiam mentio regum Medorum, videlicet Assueri patris, quem quidam falso volunt fuisse maritum Estheræ, & Darii Medi filii, qui fuit primus in expugnanda Babylone, & penes quem fuit imperium Babylonicum saltem per annũ *Dan. 6. v. 1.* Sed de Persarum regibus hoc loco nobis videndum. Fuerunt autem reges Persarum numero decem; quos omnes, duobus exceptis, recenset sacra Scriptura. Reges illi fuerunt

Persarum reges decẽ.

1. Cyrus; qui regnauit in vniuersum, annos 30. Sed anno 26. demum monarchiam Persicam est adeptus, eamque inchoauit, ita quidem vt fuerit monarcha per totam Asiam per biennium duntaxat, non per sexennium, vel septennium, vt alii volunt. Ab hoc igitur anno Cyri primo, seu 29. incipiet articulus secundus. Primo enim monarchiæ suæ anno dimisit Iudæos captiuos, hoc est anno mundi 3431. Scaliger habet annum mundi 3421. quia scilicet captiuitatem Babylonicam orditur non ab vndecimo Sedechiæ, sed à transportatione Iechoniæ.

2. Cambyses regnat 7. annis *Ezr. 4. v. 5.* dicitur Artaxerxes.

3. Darius Hystaspis, regnat 36. annis *Dan. 12.*

4. Xerxes regnat 21. annis. *Dan. 11. vers. 12.* Hic fuit filius Darii Hystaspis maritus Estheræ. *Ezr. 4. vers. 6.* In sacris literis dicitur Oxyares & Ahasuerus.

5. Artaxerxes ὁ μακρόχειρ, Longimanes; regnat 40. annis. *Ezr. 7. & 6.* Fuit Xerxis filius.

6. Darius Nothus regnat annis 19. *Ezr. 4. v. 24.*

7. Artaxerxes Mnemon. 43. an. *Ezr. 7. Neh. 1.*

8. Da-

8. Darius Ochus. 23. an. tyrannus.
9. Arses annos 3. regnat.
10. Darius Codomannus. *Nehe. 12. v. 22.* 7. annis.

Manifesta igitur est διαδοχὴ Regum Persicorum in sacris literis: & omnes ibi extant, præter Arseu & Ochum, qui fuit sceleratissimus. Darius ille Codomannus est victus ab Alexandro Magno. Ad istius Darii tempora peruenit Nehemias, qui testatur Iaduam sub Dario Codomanno functum esse summo sacerdotio. Is est Iadua, qui Alexandro Hierosolymam ingredienti obuiam iuit. Summa horum annorum est 200 quot annos durasse monarchiam Persicam contendimus. A primo itaque Cyri, hoc est anno mundi 3431. quo captiuitas est soluta, inclusiue vsque ad secundum Darii Nothi exclusiue, sunt anni 107.

Tot igitur anni intersunt inter solutionem captiuitatis, & instaurationem templi secundi; ita vt templum sit reparatum anno secundo Darii Nothi, qui nobis est annus mundi 3538. Scaligero 3528. Differentia est annorum 10. quia scilicet Scaliger terminum à quo captiuitatis Babylonicæ alium agnoscit, quam nos vt modo diximus.

2. [*Numerus Regum Persicorum, quem expreßimus, etiam conuenit cum historia exotica.*] Quare qui Assueros Priscos, Assueros Pios, Assueros Babylonicos, geminos Cyros, & alia regum Persicorum mendicabula excogitarunt, minime sunt audiendi.

Quintus articulus, est ab initio hebdomadum, vsque ad natiuitatem Christi inclusiue. Hic articulus complectitur annos 422. quorum symbolum memoriale est תכבא *Thacbech.* ת. 400. כ. 20 א. 1. facit. Et sic probatur. Ab anno secundo Darii Nothi vsque ad tertiam monarchiam, quæ est Græcorum, sunt anni 93. Monarchia Græcorum durauit annos 280. vsque ad monarchiam Romanam, Christus est natus anno quinquagesimo monarchiæ Romanæ. Adde igitur annos 49 Summa est 422. In hoc interuallum incidunt LXX. hebdomades Danielis, de quibus proponemus perspicuas quasdam obseruationes. Textus *Dan. 9. à v. 22.* ad finem capitis sic habet. *Textus de 70. septimanis Danielis.* vers. 22. *Et informans me, locutus est mecum: ac dixit ô Daniel, nunc prodii, vt imbuam te intelligentia.* vers. 23. *In principio deprecationum tuarum prodiit verbum, ad quod indicandum venio, quia desideratißimus es: quapropter animaduerte ipsum verbum & intellige visionem istam.* vers. 24 *Septuaginta septimanæ decisæ sunt super populum tuum, & super ciuitatem sanctam tuam, ad cohibendum defectionem, & ad obsignandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad exhibendum iustitiam seculorum; & ad obsignandum visionem & Prophetam, & ad vngendum sanctum sanctorum.* vers. 25 *Igitur cognoscito & intelligito: Ab exitu verbi de restituendis & ædificandis Hierosolymis vsque ad Christum antecessorē fore septimanas septem; deinde septimanas sexaginta duas, rursus ædificata platea & fossa; quæ tempora erunt in angustia temporum.* vers. 26. *Post septimanas autem illas sexaginta duas excindetur*

tur Christus, & nemo illi (scil. futurus est.) *Nam ciuitatem ipsam, & ipsum sanctuarium perdet populus Antecessoris venturus. Et finis eius cum exundatione* (futurus est) *& vsque ad finem belli definitio desolationum.* vers. 27. *Et corroborabit fœdus multis septimana vna. In medio autem septimanæ istius abolebit sacrificium & munus: & per alam abominationum desolantem etiam vsq; ad consummationem, eamq; præcisam, effundetur desolatio.* *Elliptica est oratio, quia est de re tristi.*

Nunc adferamus oraculi huius explicationem aphoristicam.

1. [*Septimanæ hoc in loco intelliguntur annales, non diariæ.*] Cum igitur anni septies septem efficiant 49. sequitur septimanas annorum seu annales efficere annos 490. præcise.

2. [*Harum septimanarum termini videndi sunt, principalis, seu à quo, & finalis, seu ad quem.*] Principium illud quidam statuunt in primo anno reuersionis Babylonicæ, id est, Cyri anno primo, quo prodiit verbum de templi ædificatione. Alii constituunt in secundo anno Cyri, quo Iudæi in terram suam redierunt, & templum ædificare cœperunt. Alii principium constituunt in anno primo, quo templum fuit ædificatum. Alii denique in eo, quo vrbs instaurata fuit. Rursus vtraque hæc posterior sententia scinditur in plures. Nam qui ad annum ædificati templi hæc reuocant, de anno illo inter se minime consentiunt. Nam etsi ad annum Darii hæc referenda esse constet ex verbis *Ezr. cap.* 4. & 5. vbi dicitur anno secundo perfectum esse opus illud: tamen quisnam fuerit Darius ille, plurimum ambigitur. Alii Darium Hystapsis fuisse putant: alii Darium hunc eundem cum Xerxe: alii cum Artaxerxe Longimano: alii cum Dario Notho. Sic vnius sententiæ quatuor sunt interpretationes. Qui vero ab instauratione vrbis initium ducunt, ii consimiliter inter sese dissident. Nam etsi ex *Nehem. cap.* 1. & 2. constat, rem secundo Artaxerxis anno perfectam esse, tamen hi Artaxerxen Longimanum esse putant, illi Artaxerxē Mnemona, Darii nothi filium. Finem alii statuunt in natiuitate Christi, alii in baptismo, alii denique in euersione Hierosolymorum, & templi. Nos principium statuimus in secundo anno Darii Nothi, & finem in euersione Hierosolymorum & templi. Nam omnino ineunt istæ LXX. septimanæ ab edicto alicuius regis Persiæ de instauranda vrbe, & terminantur in excidio eiusdem vrbis, vt iam probabimus. *Terminus à quo septimanarum Danielis.*

3. [*Interpretatio prophetæ quæ conuenit cum verbis textus, & historia temporum, est genuina.*] Nostra talis est. Ergo. Minorem probabimus per partes.

Cum verbis textus conuenit. Rat. 1. Angelus distribuit tempus in tres partes, nempe in septimanas septem, sexaginta duas, & vnam *vers.* 25. Ad hæc distributio non potest consistere, nisi initium statuatur in anno secundo Darii Nothi: vt paulo post probabitur. Rat. 2. Septimanæ LXX. decisæ sunt super populum Iudaicum, & super ciuitatem sanctam *vers.* 24.

Ergo terminantur in excidio vtriusque. Rat. 3. Septimanæ illæ sunt supputandæ ab edicto non de reductione populi, vt multi interpretantur, sed de restitutione & reædificatione Hierosolymorum *v*. 25. At illud fuit edictum Darii Nothi. Rat. 4. Post septimanas sexaginta duas Christus excindetur. *v*. 26. Ergo septimanæ istæ non terminantur natiuitate Christi. Rat. 5. Post septimanas sexaginta duas venient legiones, & perdent vrbem *v*. 26. 27 Ergo finis septimanarum non debet figi in passione Christi. Atque hæc postrema ratio lucem accipit ex illo, quod est *Matth*. 22. *v*. 15. *Cum ergo videritis abominationem illam vastatricem, quæ dicta est per Danielem Prophetam, &c.*

Deinde nostra interpretatio conuenit cum historia Nehemiæ & Ezræ, & cum veritate historiæ, quæ ex profanis scriptoribus hauriri potest. Cum historia Ezræ, quæ est cap 4. Cum historia Nehemiæ, quia à vigesimo vno Artaxerxis Mnemonis historiam suam orditur cap. 2. Denique cum historia exotica; quia ab anno secundo Darii Nothi vsque ad excidium Hierosolymorum fluxerunt an. 490. Nunc explicemus singulos versus, vt lucem adferamus huic materiæ, quæ præstantissimos quosque Theologos Chronologos exercuit.

Vers. 22. & 23.

Horum verborum tres sunt partes 1. Exordium. 2. Propositio. 3. Expositio. Exordium est his versibus. Propositio. *v*. 24. Expositio sequentibus.

Exordio attentus & docilis redditur Daniel: propositis. 1. Causis. 2. Hortatione. Causæ sunt. 1. A personis, partim Angeli, partim Dei, partim Prophetæ. 2. A rebus, quarum intelligentiam profitetur se collaturum. 3. A circumstantia temporis; quod eo ipso tempore sit missus, quo Daniel fuerat factus Deo supplex. Ex his causis hortatur, vt ad duo attendat. 1. Ad res, quas docturus erat. 2. Ad visionem, quæ obiiciebatur oculis ipsius.

Vers. 24.

Propositio hic continetur, cuius hæc est summa. Daniel à Deo postulauerat remissionem peccatorum gratiamque, non tam suo, quam communi Iudæorum nomine, *à v*. 4. *huius cap. ad vers*. 22. Hic Deus pollicetur fauorem suum. Sed quia populus Iudæorum adhuc in peccatis perstabat, insuper promittit se illi populo septimanas septuaginta annales, id est, annos 490. tribuere, vt beneficia ipsius agnoscat: quod nisi fecerit, stare sententiam & decisionem diuinam, fore vt populus ἁμεταμέλητος post 490. annorum spatium præcise iusto Dei iudicio pessumdetur. Hoc velim probe obseruari. Hinc enim constare potest de fine harum hebdomadum.

Septuaginta septimanæ, scil. annorum: de quibus *Leuit*. 25. *v*. 8. Tales intelligi fatentur etiam ipse Iudæi.

Decisæ sunt, id est, præcise definitæ sunt. Non igitur excidium collocandum erit in annum ab initio harum septimanarum 494. vel 493. sed in annum 490. ita vt vrbs steterit 70. solidas septimanas, seu annos 490. solidos, si excipias medium annum obsidionis. Vulgata versio habet, *abbreuiatæ sunt*: Vnde quidam colligunt hic intelligi annos Lunares, quorum singuli vndecim dieb. sunt minores Lunaribus. Sed puerilis est hic error.

Super populum tuum & super ciuitatem sanctam tuam, q. d. tamdiu durabit politia huius populi, pro quo intercessisti. Finis igitur harum septimanarum statui debet in excidio vrbis. Nam illæ non sunt decisæ super Messiam, aut natiuitatem, aut mortem eius: sed super populum illum tuum.

Atque hoc est firmum illud Dei institutum, cuius finem & vsum nunc subiicit Angelus. Finis autem hic ponitur: Tempus hoc præfixum esse Iudæorum genti à Deo, vt populus studeat fidem & resipiscentiam suam probare iustis exercitamentis, quæ ad fidem & resipiscentiam informandam pertinent.

Resipiscentiam Deus imperat his verbis: *ad cohibendum defectionem, & ad obsignandum peccata*, hoc est, ad renunciandum malo. q. d. Tot septimanas definiuit Deus, vt interea temporis resipiscant. Fidem imperat illis verbis: *& ad expiandum iniquitatem*; quibus verbis iubentur pii exhibere Deo sacrificium illud efficax ad expiationem, quod est Iesu Christi *& ad exhibendum iustitiam seculorum*, id est, ad non temporariam, aut humanam illam, sed iustitiam Dei per fidem, qua coram Deo accepti sumus in æternum.

Ad hosce fines assequendos Deus præscribit Iudæis media duo, Prophetiam, & cultum externum; quæ duo debebant esse adiumenta, vt in fide & pœnitentia magis magisque augescerent. Primum medium significatur illis verbis. *Et ad obsignandum visionem & Prophetiam*. Nomine visionis intelligitur actus diuinus in Prophetis; nomine Prophetæ, functio ipsorum in Ecclesia. Sensus igitur est, Deum ad illud vsque tempus, quod præcisum est, daturum Prophetas, qui informent populum. Alterum medium, nempe cultus ordinarius, continetur illis verbis: *Et ad vngendum sanctum sanctorum*. His verbis flagitat Deus cultũ in templo suo, sed cultum in spiritu & veritate: ad quem cultum quia Iudæi intra præcisum tempus non sunt reuersi, dicit Propheta, spatium illud definitum esse. Alii hæc verba explicant de beneficiis Messiæ, hoc modo. LXX. septimanæ decisæ sunt, intra quas Messias ipse in carne sua præsens, sex beneficia præstabit, quorum duo sunt capita, liberatio à malo, & communicatio boni. Liberationis à malo tres sunt gradus. 1. Cohibitio defectionis à Deo ad Diabolum: quam Messias cohibuit morte sua, prædicatione itẽ, qua ipse

Visio & Prophetia quomodo differant.

docuit Euangelium, quamque Apoſtolis ſuis demandauit, vt in vniuerſo mundo ſonaret hoc Euangelium. 2. Obſignatio peccatorum, hoc eſt, obtectio illorum. Eſt metaphora ſumta à ſyllabo ſeu albo debitorum; quo obſignato, nemini datur illum intueri, & debita in illo conſignata cognoſcere. Ita prędixit Angelus, Meſſiam obſignaturum catalogum noſtrorum debitorum. 3 Expiatio iniquitatis, hoc eſt, abolitio reatus, quo propter iniquitates obſtricti eramus. Hæc expiatio facta eſt, cum Meſſias eſt factus execratio, ſeu obtulit ſacrificium corporis ſui in cruce. Communicationis boni itidem tres ſunt gradus. 1. Allatio iuſtitiæ ſeculorum, hoc eſt, æternæ, quę durauit ante & durabit poſt illud ſacrificium Chriſti ἱλαστικόν. Hæc eſt iuſtitia Chriſti, quam Deus nobis imputat. *Actor.* 15. v. 11. 2. Obſignatio viſionis & Prophetæ, id eſt, impletio, qua confirmata fuit veritas omnium reuelationum de Chriſto, quemadmodum tabulæ obſignantur fidei faciendæ cauſa. 3. Vnctio ſancti ſanctorum. Sicut enim Moſis externa & typica vnctione ſanctum ſanctorum ſanctificauit *Exod.* 35 & 40. *Leuit.* 8. v. 10. ita Chriſtus ſpirituali & reali vnctione cœlũ, ſanctum illud ſanctorum, ſanctificauit, cum illud poſt deletionem peccatorum noſtrorum per ſanguinem ſuum eſt ingreſſus, vt ibi pro nobis appareat, & Spiritum ſanctum nobis mittat. *Hebr.* 9. v. 24. Ecce verſus hic eſt enchiridion totius Euangelii!

Verſ. 25.

Igitur cognoſcito & intelligito. Hic rurſus Angelus excitat Danielem breui præfatione, vt illud myſterium. 1. cognoſcat, hoc eſt, per rationis adſtructus aſſequatur. 2. intelligat, hoc eſt, rem ratione recta perceptam capiat intellectu. Sic enim ratio & intellectus inter ſe differunt in percipiendi modo.

Dehinc in hoc verſu tria præſtat Angelus. 1. Definit initium LXX. ſeptimanarum. 2. Diſtinguit ſeptimanas in duas partes priores. 3. Vtrique parti ſingularem euentum adſcribit; nimirum 7. ſeptimanis tribuit plenam reſtitutionem templi & vrbis: 62. ſeptimanis tribuit præſentiam Meſſiæ in carne.

Ab exitu verbi מִן מוֹצָא דָבָר. Duplex eſt horum verborum interpretatio. Alii ſic explicant, *Ab exitu verbi*, id eſt, ex quo verbum manauit de reædificando templo. Alii vero ſic interpretantur, ex quo *verbum prodiit*, id eſt, res in effectum producta eſt. Poſterior hæc interpretatio genuina eſt: nempe vt dicamus, ex quo tempore res illa, quam Deus per Prophetas ſuos prædixerat, & quam reges Perſarum edictis ſanciuerant, effecta eſt reddita, remotis omnibus remoris.

De reſtituendis & ædificandis Hieroſolymis. Verba Hebraica ſic habent: להשיב ולבנות ירושלם. Quidam vertunt: Ab egreſſu verbi *ad reducendum* (ſcilic. populum) *& ad ædificandum Hieroſolyma.* Hi contendunt

quod

quod השיב tantum significet *reducere*: id quod falsum est. Nam significat etiam *restituere, wider zurecht bringen*. 2. *Reg*. 14. *v*. 22. & 25. Qui vertunt *ad restituendum*, in duas abierunt sententias. Alij sic interptetantur: *Ad restituendum* scil. templum, *& ad reædificanda Hierosolyma*. Cum enim Angelus in oraculo repetat particulam ל (*dicit enim Lebaschib Velibnoth*) vtique oportet aliquid subintelligere post *Lehaschib*. Non autem potest subintelligi populus, propterea quia sic epilogismus LXX. septimanarum non constabit. Subintelligendum igitur est templum, cuius restitutionem maxime vrgebant Iudæi, & ea præcipue à Deo erat promissa. Alij, in quibus est magnus Scaliger, sic interpretantur: Prima, vt & secunda interpretatio illi videtur esse contra regulas Grammaticas; eo quod Vau copulatiua referat vtrumque infinitiuum ad vnum eundemque casum, id est, Hierosolyma. Sic ergo legendum iuxta illustrissimi viri sententiam: *Ab emissione edicti ad restituendum, & ædificandum Hierosolyma*. Similis est locutio illi: Scipio transfretauit in Africam ad obsidendum & delendum Carthaginem. Hac locutione & obsidenda, & delenda Carthago intelligitur. Sed non solum ratio Grammatica & vsus loquendi hanc interpretationem iuuat, sed etiam ipse Daniel, qui paulo post mentem suam κατ᾽ ἐπεξήγησιν exponit תשוב ונבנתה. *Iterabit & ædificabitur Ierusalem*, h. e. instaurabitur. Itaque *Lebaschib Velibnoth* simpliciter idem est, quod ἀνακτίζειν, ἀνοικοδομεῖν. Nam Hebræi non possunt aliter exprimere præpositionem ἀνὰ, nisi verbo שוב. Sic *Taschub Venibnethah*, vertendum est, ἀνακτισθήσεται, ἀνοικοδομηθήσεται. Non igitur singulis verbis casus proprius attribuendus priori quidem tacitus, posteriori expressus. Hæc sententia est congrua. Si tamen sequaris secundam, non aberrabis à ianua epilogismi. Sed prima illa Beroaldina est falsa. Obiicitur: At Darii Nothi nullum fuit edictum de instauratione vrbis aut murorum. Resp. Nehemias missus est ab Artaxerxe ad reficiendos muros Hierosolymorum, & ad constituendum Remp. Iudæorum, idque vigore edicti Darij, quod præcesserat: ita vt Artaxerxis literæ ad saluiarios regios non sint proprie edictum nouum, sed tantum rescriptum vigore prioris edicti datum.

Hebraicũ Heschib quid significet?

Ad Christum vsque antecessorem. In Hebræo est נגיד quæ vox significat, antistitem, ducem. Sensus est: Tantisper dum Christus antecessor huius populi futurus est. Nam post illud tempus iusto Dei iudicio abdicauit.

Fore septimanas septem: deinde septimanas sexaginta duas rursus ædificata platea & fossa. Horum verborum duplex est interpretatio. Alij contendunt, septimanas illas 7. & 62. non esse continuas, neq; putandas 69. ab initio Darii Nothi: sed primo septem illas septimanas supputandas esse ab edicto Darii; & 62. similiter ab eodem edicto. Nam inquiunt 7. septimanæ, id est, anni 50. fuerunt ab edicto Darii vsque ad perfectionem templi &

vrbis. Deinde ab eodem principio fuerunt 62. septimanæ vsque ad annum Christi 12. quo ille demonstrauit in templo, se esse antecessorem. Qui sic interpretantur, putant esse traiectionem verborum, quæ sic construenda esse censent: Ab edicto vsque ad perfectionem vrbis sunt septimanæ septem: & ab eodem edicto vsque ad Messiam sunt septimanæ 62. Verum hæc interpretatio præterquam quod est coacta, vim quoque facit oraculo. Deus enim per Angelum dicit, LXX. septimanas esse decisas super populum, vbi omnino intelligit continuum spatium. Quare nobis probatur hæc expositio. *Septimanæ septem*, id est, anni 49. intercesserunt ab anno ædificati templi, ad perfectam vrbis instaurationem. Nam Darium Nothum conuenit annis 19. regnasse: Attaxerxem Memorem confer anno 32. sui regni Nehemiam ad restituendam Remp. remisisse, quem prius tumultuarie ad se reuocauerat, neque fuerat passus commodo otio Remp. Hierosolymitanam instituere. Cum igitur anno secundo Darij templum fuerit extructum, & ipse regnauerit an. 19. habemus annos 18. regni Darij Nothi: sequuntur 32. Artaxerxis Memoris, ex quibus expungendus est annus institutæ per Nehemiam Reip. Sic habet præcise numerus annorum 49. siue 7. septimanarum. Iam *septimanæ sexaginta duæ*, anni 434. habebunt suum principium, non ab eodem edicto Darij, sed à 32. Artaxerxis Memoris (cuius mentio est *Nehem. vlt. v. 6.*) ad illud vsque tempus, quo Deus gentem Iudæorum infestandam calamitatibus, obsidione, fame, captiuitate, exilioq; acerbissimo exposuit gentibus. Dicitur autem quod in initio harum 62. septimanarum, hoc est, anno 32. Artaxerxis, sit *ædificanda iterum platea & fossa*, id est, instauratio Hierosolymorum, quæ ante annos 12. feliciter incepta fuerat, opera eiusdem Nehemiæ perficeretur. Quapropter hic coniunguntur duo, *instaurari plateas & fossas*: è quibus posteriorem partem Nehemias ante curauerat: priorem, id est, platearum publicarum, regionumque vrbis rationem Nehemias reuersus procurauit. *Neh. vlt.*

Horum omnium temporum ratio communis ponitur in fine versus: nempe, quod hæ *res in angustia temporum* futuræ erant, id est, totum illud tempus annorum 490. conditum fore calamitatibus. Hoc autem addit Deus, ne Iudæi existimarent, illam templi & vrbis restitutionem fore præcipuam illam redemtionem, quam per Prophetas annunciauerat. Propterea etiam facta fuit mentio Christi antecessoris. Itaque falluntur interpretes, qui *angustiam* illam *temporum*, referunt ad refectionem murorum, nō ad reliquum tempus. Ratio communis & 7. & 62. septimanarum his verbis continetur, non singularis, quam illi somniant.

Vers. 26.

Post septimanas autem illas sexaginta duas excidetur Christus. Hactenus egit de

git de duabus partibus septimanarum LXX. videlicet de 7. & 62. quod tempus Deus præfinierat resipiscentiæ Iudæorum. Nunc hoc versu, & sequenti (qui est huius exegesis) narratio instituitur earum rerum, quæ septimana septuagesima confectæ sunt. Quidam adiiciunt initium septimanæ sequentis, videlicet 71. & dicunt, Angelum ex Hebræorum vsu posuisse septimanas 70. vt numero rotundato summam integram enunciaret, & appendiculã temporis dissimularet, reiiceretq; in particularem enarrationem illius. Verum hæc videtur glossa corrumpens textus. Dicit enim Angelus 70. septimanas præcisas esse. Tria autem prædicit Angelus hoc versu 1. Excisionem Christi. 2. Abalienationẽ populi. 3. Iudicia Dei ob peccata populi. De excisione Christi & abalienatione populi accipienda sunt illa verba: *Excidetur Christus, & nemo illi, vel nihil ad illum.* Sensus hic est: Post septimanas illas 62. Christus exscindetur, hoc est, libellum repudii mittet priscæ illi Iudæorum Ecclesiæ. Hoc enim est discidium, seu hæc est discessio Christi à populo. Iam repete voculam post, hoc modo: Et post scilicet illas septimanas. *Nemo illi*, vel, *nemo illius*, nempe futurus est Hierosolymis de numero discipulorum eius. Vtraq; interpretatio congruit cum veritate historiæ. Nam Christus ipse Iudæos instituit, & ad illos misit Apostolos, idq; ab anno ætatis suæ duodecimo, vsq; ad tempus excidii. Quanquam enim ipse post ascensionem non docuit populum: tamen misit seruos suos. Hic autem tenenda est regula: *Res tum demum dicuntur fieri, cum manifestantur.* Fuit quidem iam ante finem illarum 26. septimanarum discessio: sed post illas publice solenniterq; facta est, quando Christus populum à se abalienatum exposuit gentibus lacerandum. Posteriora tamen verba, *nemo illi*, poterimus & sic interpretari: Eo tempore, quo populum refractarium perdet, nemo erit Hierosolymis de illius discipulis, vt ne scilicet pii aliqui pereant in illa subuersione. Certe constat anno Neronis 8. à Iudæis occisum esse Iacobum illum, qui dicitur frater Domini, & excarnificatos, aut expulsos esse omnes, quicunque Christi nomen profitebantur.

Constat insuper paulo post singulari Dei reuelatione Christianos omnes ex Iudæa descendentes trans Iordanem commigrasse: vt, *Iosephus*, *Hegesippus*, & *Eusebius* narrant. Veruntamen hæc interpretatio sub priori continetur, vt pars sub toto. Si enim nemo discipulorum eius fuit Hierosolymis, cum seuerissimum illud iudicium Deus executus est, omnino sequitur neminem illorum periisse.

Nam ciuitatem ipsam, & ipsum sanctuarium perdet populus Antecessoris venturus. Alii sic vertunt: *Ciuitatem ipsam & locum sanctum corrumpet, populumque antecessoris venturum*, i. e. populum Iudaicũ, qui tunc temporis futurus est, quem populum antecessor noster Christus fœdere & promissionibus suis adoptauerat. Sed prior versio melius conuenit huic argumento. Angelus

gelus enim exponit, quis, quid, cui, sit facturus hoc Dei iudicium. *Quis? Populus Antecessoris venturus*, i. e. gentes, quæ vocandæ fuerant ad Euangelium, seu Romani ethnici, sed ad fidem conuertendi. *Quid? Perdet*, seu corrumpet. Hoc vno verbo omnia calamitatum genera comprehenduntur. *Cui? Perdet & vrbem & sanctuarium*, i. e. templum. Alii tamen vocem Hebraicam הקדש interpretantur *locum sanctum*, & intelligunt totam regionem, quæ locus sanctus in Scripturis appellatur *Exod.* 15. facta scil. comparatione terræ promissæ cum reliquo orbe habitabili. Et certe hæc interpretatio non est inconueniens. Nam seuerissimo illo iudicio Deus non solum vrbem & templum, sed regionem totam perfudit, quasi torrente iudiciorum suorum, quibus tota Iudæa horruit, hodieque horrere dicitur.

Et finis (seu terminus) *eius cum exundatione* (futurus est.) *Et vsque ad finem belli definitio desolationum.* His verbis exaggerat Angelus illud Dei iudicium, tropica & simplici locutione. Tropica locutio sumta est ab exundatione: qua similitudine passim in Scripturis casus repentinus, ineluctabilis, & vniuersalis, figuratur: quemadmodum coorta tempestate vbi torrentes inflantur & turgent, obuia quæcunque sunt prosternuntur, & vastati agri longe lateque desolantur. Hic tropus simplici locutione explicatur: *Et vsque ad finem belli* erit *definitio desolationum*, id est, hoc futurum est effectum illius belli, vt omnia abeant in desolationem miserrimam, & quidem ineuitabilem, veluti præscitam & præfinitam a Domino: nec ante destiturum esse bellum illud, quam ista horrenda desolatio perfecta & consummata sit plane, vt Deus iustus ille iudex præfinierat.

Vers. 27.

Et corroborabit (confirmabit) *fœdus multis septimana vna.* Duplex horum verborum adfertur interpretatio. Nam alii existimant Christum inde à baptismo suo vsque ad mortem suam (quod spatium alii trium annorum cum dimidio esse voluerunt) prædicatione Euangelij sui confirmasse fœdus multis, scil. Iudæis, id est, demonstrasse se potentem dictis & factis, eaque demonstratione stabiliuisse fœdus illud gratiæ, quod iam olim intercidisse videri poterat. Hi volunt, proprium prædicationis Euangelicæ, videlicet confirmationem fœderis, his verbis significari. Sed huic interpretationi aduersatur circumscriptio temporis: *septimana vna.* Constat enim Christi in terris prædicationem tam multum temporis non durasse. Quod vero dicunt annos prædicationis Christi cum annis desolationis esse coniungendos, ineptum est. Non enim debent anni iiter currentes, qui sunt circiter triginta quatuor, omitti in calculo LXX. septimanarum, quas Deus definierat. Nolumus igitur ad primam medietatem septimanæ vltimæ referre prædicationem Christi, & ad alte-

tam illarumdem medietatem, desolationem: quippe cum continua debeat esse vltima illa septimana, vt & reliquæ fuerunt. Sic ergo interpretamur hunc locum.

Corroborabit fœdus multis septimana vna, i.e. priore parte illius septimanæ palam faciet veritatem sui fœderis, antequam subuertatur Iudæa. Deus autem paulo ante excidium illud palam fecit fœdus suum & verbo, & opere. *Iosephus, Hegesippus, & Eusebius* commemorant multa signa, quibus populo suo testificatus est, fugiendum esse ab illo loco. Præterea Deus multa opera, multasq; occasiones piis obtulit toto illo septennio. Huiusmodi sunt illa testimonia, quod annis aliquot quidam nomine Iosue filius Hanani, dies & noctes discursans per vrbem clamabat, væ templo, væ vrbi, væ populo, & similia. Nec aliud iudicibus etiam torquentibus respondebat, donec occupata vrbe & templo, easdem voces pronunciās confossus est. Huc pertinet, quod sacerdotibus & aliis templum adeuntibus vox fuit diuinitus immissa, exeundum foras. *Eusebius* nominatim *l. 2. hist. Eccl. c. 5.* narrat, Christianos omnes diuina reuelatione, ex Iudæa ante obsidionem vrbis in Petræam, id est regionem transfluuialem migrauisse, seque in vrbem nomine Pellam contulisse. Hisce Dei monitis responderunt ipsa opera. Cum enim Iacobus frater Domini morti fuerit traditus ante biennium integrum, quam generalis illa persecutio in Christianos à Nerone instituta esset, (fuit autem instituta anno 10 imperij illius) non est dubium, quin Iudæi, accepto illo Neronis mandato, amplius in Christianos exarserint. Sic & morte Iacobi, & continua Ecclesiæ persecutione, quæ nullam apud Iudæos commorationem habere potuit, factum est, vt tum ex Dei monito, tum acerbissimis Iudæorum persecutionibus Christiani ad discessum se compararent. Ac proinde non est dubium, quin decimo & vndecimo Neronis anno & sequentibus maxima copia ex Iudæa effugerint. Atq; hac ratione & iusto Dei iudicio effectum est, cum miseri illi Iudæi, Christianorum carnifices, diu pauissent animos suos cruore Christianorum, postea deficiente esca, vt ita dicam, manus alij in alios conuerterint, postquam eas diu Christianorum sanguine infecissent. Quæ res duodecimo Neronis anno cœpta, non ante extincta est, quam vrbs, templum, regio in cineres abirent, & occubuissent ad vndecies centies hominum millia in ipsa vrbe. Interea vero fidelis Deus suum illud fœdus cum Christianis potentissime confirmauit, ex communi incendio eripiens eos.

In medio autem septimanæ istius abolebit sacrificium & munus. Scaliger existimat *dimidium vnius septimanæ*, verti oportere: scil. nouæ, ad 70. addendæ. Sed hoc ante reiecimus. Alii mediam illam septimanam referunt ad sacrificium Christi in cruce, ita vt significentur anni tres cum dimidio (hæc est media septimana) quibus dicitur Christus concionatus. Alij non

non ita præcise interpretantur phrasin illam, *in medio septimanæ*: sed medium pro parte septimanæ illius poni volunt. Vtraque sententia improbanda est. Illa; quia terminus LXX. septimanarum est in excidio. Ista; quia Angelus non sine causa tam accuratam fecit diuisionem septimanarum. Vera itaque interpretatio hæc erit: In medio vltimæ septimanæ incipiet ruere cultus ille Leuiticus. Certum autem est, anno 12. Neronis Iudæos eo vsque furoris deuenisse, vt etiam cultu Dei neglecto in eo vno laborarent, vt alii alios pessundarent. Itaque seditione & rebellione publica excitata Neronem primo, tum Vespasianum, & denique Titum filium, Impp. Romanos commouerunt, quorum postremus die 8. Augusti mensis vrbem expugnauit; quem propterea Iosephus fatalem vrbi appellauit. Atque hæc est dimidia illa septimana vltima, qua Deus sacrificium & munus aboleuit: ac proinde publice testificatus est, sibi gentem illam & sacrificia legis ingrata esse, cum veram Ecclesiam ex gentibus, verumque sacrificium, & sacrificiorum corpus seu veritatem in Christo Iesu Iudæis ostendisset.

Titus Imperator etiam Vespasian. in historiis dicitur.

Et per alam abominationum desolantem etiam vsque ad consummationem, eamque præcisam, effundetur desolatio. Per alam abominationum, seu deuastationum, id est, per exercitum gentium idololatricarum, quæ ex distinctione legis præ Iudæorum populo erant abominabiles, donec sese Christo, qui est bonus odor omnium, adiunxerunt. Hæc interpretatio conuenit cum historia appositissime. Nam anno 10. Nero persecutionem instituit Christianorum, in qua Iudæi se occupauerunt sceleratissime. Anno 12. cum iam non extaret amplius inter ipsos quem persequerentur, tum ab imperio Romano defecerunt, tum inter se tragœdias mirabiles excitarunt adeo vt mutuis vulneribus sese confecerint, donec tandem Vespasianus Iudæam ingressus est, vt ex ea discessurus Titum filium copiis præfecit, vt Iudæorum gentem tolleret.

Desolantem etiam vsque ad consummationem, seu consumtionem, hoc est, desolatio tanquam perpetuo stillicidio, vel potius diluuio effundetur in templum & vrbem & regionem, donec non relinquatur lapis super lapidem, qui non dissoluatur. *Matth.* 24. *v.* 2. Atque hæc sic fuisse gesta, clamant historiæ. Nam Vespasianus perdidit, quoscunque potuit; relictos à Vespasiano profligauit Titus, qui aggressus est templum. *Eamque præcisam*, hoc est decretam & ab æterno definitam à Deo, quæ desolatio adhuc durat, & tamdiu durabit, quamdiu voletis, qui vult vt postquam introierit plenitudo gentium, totus Israel seruetur. *Rom.* 11. *v.* 25. 26.

Summatim repetamus calculum LXX. septimanarum. LXX. septimanæ Danielis terminantur bello Iudaico incipiente, cuius belli exitu Hierosolyma à Tito euersa fuerunt. Itaque ab initio belli Iudaici, 490. anni retro putati desinunt in secundo anno Darii Nothi. Ab iterata in-

ſtauratione Hieroſolymorum & templi incipiunt hæ ſeptimanæ, in eorundem excidio deſinunt. Ab iterata inſtauratione Hieroſolymorum eſt capiendum initium hebdomadum. Inſtauratio autem illa cœpta eſt ſub Cyro; continuata ſub Cambyſe & Dario Hyſtaſpida; interpellata ſub Longimano; iterata anno ſecundo Darij Nothi. E. à ſecundo anno Darii Nothi initium hebdomadum inſtituendum. Minutatim ſic probamus.

Ab anno ſecundo Darii Nothi ad monarchiam Græcorum, ſunt anni ——— 93

A monarchia Græcorum ad Romanorum monarch. ——— 280.

A monarchia Romana incluſiue, vſque ad natiuitatem Chriſti excluſiue, ſunt anni ——— 49.

A natiuitate Chriſti incluſiue, vſque ad deſolationem vrbis incluſiue, ſunt anni ——— 68.

Summa 490.

Breuius ſic habe. Annus ſecundus Darii Nothi incidit in annum mundi 3538. Annus deſolationis incidit in annum mundi 4028. Ergo ab anno mundi 3538. incluſiue, vſque ad annum mundi 4028. incluſiue, ſunt anni 490. Stat igitur ſententia, Hieroſolyma deſolata eſſe anno 490. inde ab anno ſecundo Darii Nothi, adeoque anno mundi 4028. ita vt ſteterint annos 490. nō ſolidos tamen. Nam ſicut Chriſtus non compleuit annum 35. ſed illo medio paſſus eſt; ita & Hieroſolyma nonageſimum iſtum annum non debuit complere.

Atque ita eſt tempus mundi veteris: nunc ſequitur tempus mundi noui, cuius initium figimus in natiuitate Chriſti. Alij figunt in paſſione Chriſti. Verum epocha prior eſt vſitatior. Quamuis autem in explicatione ſeptimanarum Danielis attigerimus annum Chriſti 68. tamen hoc factum fuit incidenter. Propoſitum enim noſtrum fuit, ſub vno aliquo interuallo epilogiſmum hebdomadum monſtrare, non autem diſcerpere.

Tempus mundi noui ſub gratia, ſeu Euangelio.

Hic diſſerendum eſt de vero anno natalis, baptiſmi, & paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Verus annus natalis Chriſti, eſt annus mundi. 3960.

Ea res ſic demonſtratur.

Ab anno ſecundo (incluſiue) Darii Nothi ad monarch. Græc. anni ——— 93.

A Monarchia Græcorum ad Roman. ——— 280.

A Monarchia Romanorum ad natiuitatem Chriſti excluſiue ſunt anni ——— 49.

Summa 322.

Hi anni adiecti anno mundi 3537. qui est primus Darij Nothi, producunt annos 3959. Tot ergo anni sunt à conditu mundi, vsque ad Christum Seruatorem, exclusiue. Proinde ille natus est anno mundi 3960. Aliter sic demonstrabis hoc ipsum. Ab anno secundo Darij Nothi huc usq; sunt anni 423. Hi additi anno mundi 3537. qui est primus Darij, progignunt 3960. Hic nota Herodem infanticidam eodem anno esse mortuum, quo Messias est natus. Herodes enim obiit anno 36. regni labente, circa Pascha, cum circa Octobrem eiusdem anni antecedentem natus esset Messias. Sic nimirum Deus mox vindicauit cædem infantum, nec passus est filium suum diu exulare. Quidam statuunt Christum natum esse anno mundi 3950 qui est Iubilæus. Sed calculus hic non potest consistere, ob captiuitatis Babylonicæ falsam epocham, quam illi 10. annis anticipant. Nihilominus tamen amplectimur, quod illi tradunt, quodq; nos supra supposuimus, ab initio mundi vsq; ad legem esse iubilæos 51. & inde vsque ad natiuitatem Christi esse iubilæos 28. Hi iubilæi additi, faciunt 79. iubilæos: & hi efficiunt annum mundi 3950. His adde annos 10. & prodibit annus mundi 3960. quo Christus est natus.

Quo mense Christus natus sit.

Iam incidit disputatio de mense natalitio Messiæ. Patres quidam & alij brumam, principium anni Iuliani tradiderunt esse tempus natiuitatis Christi. Rationem hanc adduxerunt. Iohannis Baptistæ pater Zacharias fuit summus Pontifex, & mense septimo (Septembri) ingressus est sanctuarium. Post ministerio illo perfunctus, Elisabeth ex illo concepit Iohannem. Ergo Iohannes Baptista conceptus est æquinoctij autumnalis tempore. Postea mense sexto mittitur Angelus ad Mariam, denunciaturus illi Seruatoris conceptionem. *Luc. 1. v. 26.* Ergo Christus conceptus est sexto mense post, id est æquinoctio verno. Ineunte mense decimo nascitur Iohannes, solstitio scil. æstiuo. Nato autem Iohanne Baptista Maria tres solum menses vterum gestauerat. Itaque ab eo deinceps numerandi sunt sex menses vsque ad natiuitatem Christi, quæ incidit in solstitium hybernum, diem 25. Decembris. Sic illi ex Chrysostomo & Ambrosio. Sed falsum est, quod statuunt Zachariam fuisse summum sacerdotem. Non enim fuit ex gente illa, penes quam sacerdotii honor manebat instituto Dei, sed de gente Ithamaris. Præterea Lucas scribit, illum fuisse de familia Abiæ, octaua in ordine hierarchico, & habitasse in montanis Iudææ. Quomodo igitur potuit esse Pontifex Maximus, si Hierosolymis non habitauit? Hæc igitur sententia non potest consistere. Videntur autem Patres orthodoxi hac ratione adducti. Voluerunt vt initio anni Ecclesia recordaretur summi illius beneficii, natiuitatis nempe Christi. Cum vero Ecclesia rationem anni Iuliani obseruaret, alii in brumam, alii in Ianuarij initium contulerunt natiuitatem Christi, quæ conferenda erat in Septembrem, vel Octobrem, vt docent eruditi Chronologi,

nologi, hoc argumento. Ephemeria Abiæ octaua erat in ordine. Ministrauit igitur Zacharias mense quarto. Erant enim 24. classes, & singulis mensibus binæ ministrabant. 1.*Paral.* 24. Mensis quartus à Nisan est Iulius, circa cuius finem videlicet 28. plus minus diem factus est Euangelismus Zachariæ. Nam Zacharias circa finem mensis quarti accepit nuncium lætum de conceptione Iohannis, qui post 28. Iulii conceptus est, mense Augusto. Et quia quinque menses integros se occultauit Elisabeth, & sexto ineunte Gabriel Angelus missus est ad Mariam virginem: incidit ergo Euangelismus Mariæ circa finem Decembris, aut initium Ianuarii. Porro, si Ioannes conceptus est initio mensis Augusti; ergo natus fuerit initio decimi mensis inde, hoc est, initio Maii: anno mundi 3959. Et si Messias conceptus est initio Ianuarii, anno 3959. ergo natus fuerit fine Septembris, aut initio Octobris, anno 3960. Accedit ad hæc ratio. Christus est natus tempore indictionis. *Luc.* 2. At indictiones Cæsareæ incipiebant ab octauo Calendas Octobreis, vt tradit *Beda venerabilis de natura c.* 8. Obiicis: At indictiones institutæ sunt à Constantino. Resp. Loquor hic κατ' ἰδιωτισμὸν, quo solemus nomen rei tribuere, quod ei longe post est impositum. Cæterum veteres Christianos Orientales à Mense Septembri, seu ab Indictionis Cæsareæ termino exorsos esse annum suum tradũt historici. Sed quia Christiani Occidentales nullum alium annum à Iuliano nouerunt, putarunt Christum natum esse initio anni Iuliani, quod tũ incidebat in 25. Decembris (à quo & Pontificiæ indictiones ducuntur) cum de festis diebus fuit actum.

Annus baptismi Christi sic ex historia sacra erui potest. Christus natus est anno mundi 3960. hoc est, anno Augusti Cæsaris 43. ineunte. Passus autem est anno 20. Tiberii. Augustus autem obiit anno 57. à primo suo consulatu, non anno 56. Tum statim illi successit Tiberius. Ergo 15. anno Tiberii Christus fuit 30. annorum. Calculus sic habet *Annus baptismi Christi.*

Annus Tiberii	Annus Christi.
15.	30.
16.	31.
17.	32.
18.	33.
19.	34.
20.	35.

Annus Christi 29. desinẽs fuit initiũ 15. Tiberii.

Notabis autem finem 15. anni Tiberii, ad finem 29. & ad principium 30. anni Christi esse alligatum. Hinc iam facile est venari tempus baptismi Christi. Testatur enim Lucas Christum baptizatum esse anno 30. scilicet fere completo: non ineunte 31. vt vult Scalig. neque 30. ineunte, vt alii volunt. Hinc constat Christum baptizatum esse non decimo quinto Tiberii, vt hactenus existimarunt, sed decimo sexto Tiberii iam inito à deci-

mo nono mensis Augusti. Christus vero baptismum accepit in mense Tisri, in quo natus est. Ergo cum Christus esset *quasi triginta annorum*, vt loquitur Euangelista, fuit initus iam 16. Tiberii. Propterea baptismus Christi non debet conferri cum 15. Tiberii, qui iam abierat, cum Iesus baptizaretur, sed cum 16. Tiberii, qui iam currebat ab Augusto, cum Christus in Tisri (circa finem istius mensis) baptismum adiret. Clarius sic habe: Annus Christi 30. incipit cum Octobri, & fluxit cum 15. Tiberii, qui cœperat in Augusto. Decimus sextus ergo Tiberii cœpit cum fine anni Christi 30. & fluxit cum 16. anno Tiberii. Obiicis: *Luc. 3. vers. 1.* dicitur, Christum esse baptizatum anno 15. Tiberii, vt patet ex collatione cum v. 21. Resp. Christus non dicitur à Luca adiisse baptismum anno 15. Tiberii, sed Baptista eo anno dicitur vocatus esse ad munus suum. Quod autem Christus sit baptizatus ineunte 16. Tiberii, sic probatur. Augustus obiit anno imperii sui 57. Ergo Christi 14. ad finem vrgente. Iam adiice ad annum Christi 14. Tiberii annum 15. Exurgunt anni Christi completi 29. cum completo isto Tiberii. Typum hunc habe.

Christus natus est anno Cæsaris Augusti 43. ineunte.

Anni	Augusti	43.44.45.46.47.48.49.50.51.52.53.54.55.56.57.
	Christi	1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.11.12.13.14.15.
Anni	Tiberii	1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.11.12.13.14.15.16.
	Christi	16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.31.

Iam computa initia annorum Tiberii ab Augusto, & initia annorum Christi ab Octobre sequente, & videbis finem anni 30. Christi concurrere cum initio anni 15. Tiberii.

Epocha passionis Christi. *Annus mortis Christi est 35. ab ipsius natiuitate; in cuius medio passus est.* Natus enim est circa Octobris initium, & passus æquinoctio verno. Hanc æram sic colligimus. Lucas scribit trigesimo ætatis fere completo Christum esse baptizatum. Deinde ex harmonia omnium Euangelistarum constat, per quatuor annos solidos, & per 5. Paschata Christum publice prædicasse Euangelium. Ergo 35. anno pro nobis passus est, (non 33½. vt alii prodiderunt.) adeoque anno mundi 3994. currente. Nostram sententiam sic firmamus. Christus post baptismum suum celebrauit quinque Paschata. Ergo cum singulis annis celebrata sint singula Paschata, necessum est, vt Christus post baptismum vixerit, vel quinque annos solidos, vel 4½. Non autem vixit quatuor solidos. Ergo quatuor cum dimidio. Baptizatus autem est anno 30. ferme completo. Ergo attigit annum trigesimum quintum currentem. De baptismo Christi iam vidimus. Nunc videamus, an quinque Paschata Christus celebrauerit.

Paschata *Primum Pascha* expressum est *Ioh. 2. v. 13.* Hoc celebrauit Christus sexto men-

mense post baptismum suum, adeoque anno 31. ætatis. Secundum vulgus Chronologorum anno 30. *ministerii Christi.*

Secundum Pascha, est *Ioh.5.v.* 1. Hoc celebrauit anno ætatis 32.

Tertium Pascha, describitur *Matth.12.Marc.2.Luc.6.* Hoc Pascha celebrauit Christus anno ætatis 33. Hic obserua, quid Lucas intelligat per σάββατον δευτερόπρωτον. Quidam existimant, intelligi Pentecosten illius anni, vt Theophylactus. Si hanc expositionem sequaris, Pascha tertium præcedere dices Sabbatum hoc δευτερόπρωτον. *Carolus Sigonius lib.3. de Repub.Hebr.cap.13.* sic scribit hac de re. Hebræi non semper celebrabant Pascha primo mense, sed interdum secundo, vt patet ex *2.Paralipo.30.* Cum autem secundo mense faciebant, fortasse secundo primum vocabant, significantes Pascha secundo mense celebratum, quod primo oportuit: quomodo Græci ὕστερον πρότερον, id est, *posterius prius*, appellabant, cum posteriore loco dicebant, quod priore dicere debuerant. Venit ergo Christus primo mense ad Pascha sub messem; quo non celebrato, venit iterum secundo iam media messe. Vnde dixit sanctus Marcus 2. loquens de eadem re: *Et factum est iterum, cum Sabbatis ambularet.* Græce autem apertius: *Et factum est illum iterum iter facere per sata.* Ex quo conuincitur omnino illud *iterum* referendum esse ad Christum bis per sata euntem, non autem ad Pharisæos bis eum calumniis onerantes, vt Iansennius censuit. Si autem bis per sata iter fecit, ergo iterum Hierusalem ad Sabbatum adiit, quod secundo mense celebratum est, cum fortasse primo non potuisset. Sic *Sigonius.* Etsi vero illius sententia non incommodat nostræ demonstrationi, sed maxime illam firmat: tamen illam non probo, quia Christum nescio cuius arguit ignorantiæ. Magni Scaligeri expositio nobis facit satis, quam sic paucis circumscribimus. Σάββατον δευτερόπρωτον est id Sabbatum, quod proxime post solenne Paschatis sequitur ita vt Sabbatum hoc loco intelligatur, quod incidit in 26. diem mensis Nisan, hoc est 7. Aprilis. Nam ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχα, hoc est, à 16. die Nisan lex iubet septem septimanas putare. Itaque hebdomades omnes, & omnia sabbata à Paschate ad Pentecosten, sumunt appellationem suam ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχαλος. Prima igitur hebdomas dicitur δευτερόπρωτος; secunda, δευτεροδεύτερος; tertia, ἑβδομὰς δευτερότριτος, &c. Similiter μία δευτερόπρωτος est feria solis prima post festum Paschæ; τετράς δευτερόπρωτος, feria Mercurii post δευτέραν Paschatis. Quare sabbatum δευτερόπρωτον, est primum sabbatum, quod proxime sequitur ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχατος. *Beza* sic statuit; Cum primus & vltimus Paschæ dies pari celebrandi essent ceremonia, vltimus ille dies commode vocatur sabbatum secundo-primum. *Sabbatum δευτερόπρωτον.*

Quartum Pascha describitur *Ioh.6.vers.4.* Confer cum *Matth.15. Marc.6. vers.38.*

vers. 38. & *Luc* 9. Hoc Pascha celebrauit Christus anno ætatis 34. Hic quędam locutiones explicandæ sunt. Sex dies, quibus opus fit, vocantur μέσου ἑορτῆ; alias τὸ μεταξὺ σαββάτων, vel vt Scaliger legendum putat, σαββατῶν. Existimat enim antiquitus scriptum fuisse σαββατῶν, quod mutarint in σάββατον. Σαββατῶν merum Hebraicum est שבתון. Feriæ autem hebdomadis putantur à σαββατῶν; vt μία σαββατῶν, δευτέρα σαββατῶν. Iohannes μεγάλην τῆς ἑορτῆς ἡμέραν vocat vltimam diem solennitatis. Ea dies erat ἡ ὀγδοὰς τῆς σκηνοπηγίας, id est 22. Tisri. Secunda azymorum, est ἑορτὴ τοῦ πάσχα, quam diem μέγα σάββατον vocat Euangelista.

Quintum Pascha describitur *Iohan.* 11. *v.* 55. Hoc fuit 35. anno Christi, qui hoc tempore passus est; anno mundi 3994. A passione Christi vsque ad desolationem inclusiue sunt anni 34½. Nam templum est desolatum anno mundi 4028. Hic nota conuenientiam temporis quod elapsum est à natiuitate Christi vsque ad passionem illius, & quod elapsum est à passione vsque ad desolationem inclusiue. Vtrumque est annorum 34½.

Ex his ita constitutis facillime iudicium ferri potest de præcipuis epochis sacris; quæ quomodo cum exoticis componendæ sint, iam paucis monstrabimus, vbi prius monuerimus, nonnullos Chronologos corrigere Eusebii, Orosii, & similium supputationes ab orbe condito vsque ad natiuitatem Christi, hunc in modum: vt subtrahant 1236. annis mundi 5199. quot Eusebius numerat à creatione mundi ad natiuitatem Christi, vt relinquantur an. 3963. quæ numeratio tribus duntaxat annis abest à nostra. Sentiunt enim veteribus vsitatum fuisse, vt epochæ mundi adscriberēt 1236. quibus numeris mysterium vnitatis essentiæ diuinæ, & in ea Trinitatis personarum significaretur, quæ deinde per inscitiam librariorum in vnam summam coaluerint, cum distincte scribenda essent hoc modo 1 2 3 6. Hoc enim voluerunt prisci illi: Sicut 1. 2. 3. continentur æqualiter in 6. ita 1. 2. 3. persona se habent ad essentiam diuinam. Verum nos erroris istius causam conferimus in versionem Græcam LXX. interpretum, qui interdum non satis fideliter numeros ex archetypo Hebraico expresserunt.

Obseruatio necessaria.

Epochæ exoticæ, cum quibus sacræ comparari solent, hæ sunt præcipuæ.

Olympiades.

I. *Olympiades*; quarum initium Scaliger statuit anno mundi 3174. alii an. 3177. duobus solidis annis serius, alii an. mundi 1389. Omnes tamen ferme statuunt mortem Christi in anno Olympiadum 808. ad finem currente, hoc est, an. 3. Olympiadis 202. desinentis. Quælibet siquidem Olympias complectitur quadriennium, vnde & *Tetraeteris* dicitur. Quod si igitur mors Christi incidit in annum Olympiadis 202. quartum, iuxta nostrum calculum initium Olympiadum erit promouendum in annum mundi 3186. vel certe mors Christi non incidet in illam Olympiadem 202. Si in istum annum 3186. mundi coniicias Olympiadum caput, & addas

das annos 808. Olympiadum, quot volunt interiectos inter initium Olympiadum & mortem Christi, prodibit an. mun. 3994. quo Christus est passus. Qui initium Olympiadum figunt in an. mundi 3177. annum passionis Christi collocant in annum mundi 3985. Hic velim te repetere memoria, nos magni Scaligeri calculum superare 12. annis, & annum 3177. inuenio, quia captiuitatis Babylonicæ terminũ à quo non à Iechoniæ, sed à Sedeckiæ transportatione accersimus, quod supra monitum, hic oportuit repetitum.

2. *Nabonaßari æra* valde familiaris est Ptolomæo, qui annos Nabonassari ad sua sub Antonino Imperatore deducit tempora. Alias vocantur anni Ægyptiaci. Scaligero hæc æra incidit in annum mundi 3205. initiũ Nabonassari statuendum esse videtur; nobis in annum mundi 3214. incurrit. Ratio diuersitatis hæc est. Cum Scaliger ab anno mundi 3174. ordiatur Olympiades, & ab anno 29. inde æram Nabonassari; sane oportet vt incidat ipsi æra Nabonassari in annum mundi 3203. Illis vero, qui ordiuntur Olympiades cum an. mundi 3177. cadet initium Nabonassari in an. mundi 3205. duobus annis amplius quam Scaligero necessum est. At nobis, qui Olympiades ordimur ab anno mundi 3186. initium annorum Nabonassari incidit in annum mundi 3214. Cum igitur scribit Scaliger, Calendas Ianuarii Iulianas incidisse in annum Nabonassari currentem 703. anno mundi 3905. & alii, an. mundi 3907. debet esse annus mundi 3910. & Nabonassari 705. & cum scribit CHRISTVM passum esse à Thet primo Nabonassari 780. & Mundi 3983. & alii, an. mundi 3985. debet esse annus mundi 3994. non quod maius sit internallum inter æram Nabonassari & mortem Christi, quam 780. annorum: sed quod æra Nabonassari aliquot annis fuerit promouenda in an. mundi. Qui æram hanc figunt in an. mundi 3205. duobus an. promouent; at nos annis illis 3205. adiicimus annos 9. & ita promouimus hanc æram 9. annis, vel si spectes Scaligeri calculum, 11. annis. Adde igitur anno mundi 3214. annos 780. quot diximus interiectos inter primum Nabonassari & mortem Christi, prodibit annus mundi 3994. quo Christus est passus.

Aera Nabonaßari.

3. *Annum vrbis conditæ* ponimus in primum annum Olympiadis septimæ, cum iam à prima Olympiadum numeratione lapsi essent an. 24. Cadit igitur natalis Romæ in ann. mundi 3210. & natiuitas Christi in an. vrbis conditæ 750. ita vt primus annus CHRISTI sit ab vrbe condita 750.

4. *Eclipses, seu calculus Astronomicus.* Eclipses istæ sunt reuera bases & munimenta Chronologiæ, & characteres prorsus infallibiles. Præcipuas tibi damus è viri accuratissimi, Sethi Caluisii, supputationibus.

Calculus Astronomicus.

Annus Mundi.	Eclipsis.
3180.	☉ tempore concepti Romuli & Romi.
3230.	☽ anno Nabonassari 28.
3235.	☉ anno mortis Romuli.
3329.	☽ anno 5. Nabopalass. anno 127. Nabonass.
3427.	☽ anno 7. Cambysis anno 225. Nabonass.
3905.	☽ circa tempus occisi Cæsaris.

Sed nos in accommodatione annorum mundi paululum recedimus ab hoc calculo, vt iam aliquoties protestati sumus. Memorabilis autem est eclipsis illa, quæ fuit tempore passionis Christi, hoc est, anno Christi, non 33. vt quidam computant, sed 35. Quod permagna sit vtilitas huius calculi, vnico exemplo comprobabimus, ex calculo Prutenico. A morte Alexandri ad Cæsaris initium sunt anni 278. inde ad Christi natiuitatem 45. Adde sex annos Alexandri, & 93. à secundo Darii Nothi; & denique 68. à Christi natiuitate; habebis annos 490. septimanas Danielis, quæ terminantur anno mundi 4028. completo. Huiusmodi calculationes fallere non possunt, cum sint petitæ ex voluminibus, vt ita dicam, cœlestibus, seu ex certissimis Astronomiæ principiis, & indubitatis historiarum monumentis.

Fuit pars prior Chronographistoria sacra, nimirum apodictica; iam sequitur pars posterior, quæ est historica.

Pars Chronographistorica recenset res præcipuas secundum interualla iam constituta & probata.

Duplex modus Chronographia historica.

Eius modus est duplex; vnus per epitomen, quem Græci καθ' ὁμάδα vocant, *summatim res præcipuas enarrat; alter κατὰ πλάτος, per plenam annorum omnium expansionem res illas persequitur.* Vtraque rursus est vel simplex, cum vnius regni, vel periodi res gestas persequimur; vel comparata, cum κατὰ συγχρονισμὸν varia regna, variasque epochas inter se conferimus. Nos hoc loco priori modo, qui est synopticus, erimus contenti, inspersis hincinde Synchronismis necessariis. Constituemus autem certos titulos huius historicæ recensionis, iuxta interualla supra tradita. Hoc vt commodius fieri possit interualla commemorata adumbrabo tabella.



Tempus

Tempus mundi

- *Veteris*
  - *Inane, cuius articuli tres*
    - *1. A creatione ad diluuium. Annorum* 1656.
    - *2. A diluuio ad promißionem Abrahæ factam. annorum* 367.
    - *3. A promißione ad legem, seu exitum ex Aegypto. annorum* 430.
  - *Legis, cuius articuli quinque*
    - *1. A lege ad fundamenta templi. ann.* 480.
    - *2. A templo fundato ad eius excidium. ann.* 427.
    - *3. Ab excidio templi ad solutionem captiuitatis Babylonicæ. annor.* 70.
    - *4. A solutione captiuitatis ad instaurationem templi secundi annor.* 107.
    - *5. A templo secundo ad Christi natiuitatem, est annorum solidorum* 422.

Summa summarum. 3959.

- *Noui, vbi de Ecclesia*
  - *Capite Christo, cuius*
    - *Natiuitas, quæ incidit in annum mundi 3960.*
    - *Baptismus, qui incidit in annum Christi 30. completum.*
    - *Mors, quæ incidit in annum Christi 35. currentem.*
  - *Corpore, videlicet electis.*

Articulus primus primi interualli à creatione mundi ad diluuium complectitur Chronologiam creationis primæ, quam Græci πρωτοκλισίαν vocant, *Patrum item antediluuianorum, & ipsius diluuii.*

Chronologia Creationis.

Liber primus Mosis, qui dicitur Genesis, continet historiam annorum bis mille trecentorũ sexaginta octo.

DIES.

I. Materia cœli & terræ, lux & Chaos producuntur.

II. Cœlum creatur.

III. Collectis aquis terra fit fructifera.

IV. Stellæ in expanso collocantur.

V. Aues & pisces creantur.

VI. Bruta creantur, & homo. Huc petinet historia capitis secundi Genes. ita vt ibi sit prolepsis historica. Itaque hoc die Adam creatus è Chao, quod vocant terram Adamah, seu Adamicam: Eua è costa Adami formata: Coniugium institutum: Diæta herbarum præscripta: interdictũ de arboribus datum.

VII. Sabbatum institutum, quod Iudæi vocant Sabbatum בראשית id est, creationis. Primum peccatum parentum protoplastorum. Iudæi & Patres plerique statuerunt, lapsum esse hominem ipso creationis suæ die, vnde illud tritum inter ipsos de Adam: ἡ ἡμέρᾳ ἐπλάσθη, καὶ ἐξελάσθη,

id est, *qua die cõstitutus fuit, eadem etiam destitutus*. Vide *Rambam* (sic vocatur R. Moses Ben Maimon in ראשי תרבוה) *More Chelik 2. Perek 30. Irenaum, Chrysost. Theodor. Theophyl. Cedrenum, Augustin. Bernhard. & alios, de quibus Bibliander præfat. in Chron.* Sed probabilius est, Adamum & Euam lapsos esse vel ipso Sabbato, vel post Sabbatum. Illud tamen malo; quippe cum Sabbatum institutum sit à Deo ante lapsum. Et omnino mihi videtur, octauo à creatione sui die Adamum esse lapsum, ita vt lapsus Adami & mors Christi in eandem incidant diem. Et sic exponi potest illud præallegatum è patribus dictum, quod eo die lapsus sit Adam, quo fuit creatus. Ipso lapsus die videtur Proteuangelium datum. *Gen. 3.*

CHRONOLOGIA PATRVM ANTEDILVVIANORVM, ex Genesi à cap. 3. ad 7 & ex 1. Chron 1.

Patriarchæ antediluuiani fuerunt decem.

Anni mundi.

70. *Cain* interficit Abelem: vt ex coniectura multorum. A Caino prima vrbs condita, & dicta *Camon*.

130 *Seth* nascitur. *Gen. 5. v. 4.*

235 *Enos* nascitur. Tum cœptum inuocari nomen Iehouæ.

325 *Cainan*; aliter Kenan; nascitur.

930 *Adam* moritur, anno ætatis 930.

938 *Lamech*, primus bigamiæ author.

982. *Enoch*, viuus in cœlum rapitur: anno ætatis 365. quot sunt dies anni: de quo numero dicemus in fine huius Chronologiæ.

1042. *Seth* moritur; anno ætatis 912.

1056 *Noah* nascitur.

1087 *Organorum* Musicorum, & artis fabrilis inuentio.

1536. *Filii Dei* nubunt filiis hominum. Ex his oriuntur *Nephtalim*, gigantes. Omnis caro corrumpit viam suam. Dei consilium de diluuio reuelatur. Mandatum datur de arca ædificanda. Noah prædicat pœnitentiam.

1556 *Iaphet* nascitur; anno Noe 500.

1558. *Sem* nascitur, vt colligitur *Gen. 11. v. 20* Nam anno secundo à diluuio fuit cẽtenarius, hoc est, anno Noe patris sui 602. Ergo natus fuit anno patris 502. non autem 500. Si velis dicere Iaphetum non fuisse natum anno 500. Noe, sed alium quendam filium, qui obierit, non pugnabo tecum. Multi existimant Semum esse Melchisedeck.

1656. Mathusalem moritur. *Gen. 5.* Omnium hominum fuit μακροβιώτατος. Vixit enim annos 969.

Chro-

Chronologia diluuii.

Chronologia diluuii.

Diluuium incidit in annum mundi 1656. cuius anni hæc est analysis Chronologica, ex *Genes.* 7. 8. 9.

Mense.	Die.	
II.	10.	Noah accipit mandatum de ingressu in arcam.
Hic est mensis secundus à Nisan, nō à Tisri.	17.	Noah cum suis ingreditur in arcam, anno ætatis 600.
		Eodem die fit pluuia 40. dierum.
	27.	Vltimus dies imbrium.
III.		
VI.	17.	Hic desinunt 150. dies, quibus aquæ dominatæ sunt; deinceps decrescere cœperunt.
VII.	6.	His 19. diebus fere cubitis 15. quibus supra montes elatæ fuerant, decreuerunt aquæ.
	17.	Arca quiescit in montibus Ararat, mense septimo, & anni, & diluuij.
X.	1.	Apparent cacumina montium.
XI.	12.	Emissus coruus, & columba quæ reuersa.
	19.	Emissa secunda columba, quæ reuersa. Quidam existimant columbam primam emissam esse post 4. hebdomadas ab eo tempore, quo aperuit mense XI. die 12. fenestram, ita vt prima columba sit emissa mense XII. die 9. Secunda post septem dies, adeoque die 16. mens. 12.
I.	1.	Terra retecta ab aquis, Noah tollit tectum arcæ.
II.	27.	Noah egreditur ex arca, iubente Deo. Offert Deo sacrificia. Ordo naturæ restauratur. Iris signum fœderis statuitur. Coniugii institutio renouatur. Restituitur Dominium. Conceditur carnium esus excepto sanguine. Magistratus officium sancitur. Lex de homicidio fertur. Vitis colitur. Noah inebriatur. Cham irridet parentem. Iaphet habitatio in tentoriis Sem prædicitur, hoc est, vocatio gentium. Nam gentes sunt posteri Iapheti, Iudæi descendunt ex linea Sem. Hinc patet falsum esse, quod scribit *VVolphius in Chronologia pag.* 50. hanc ferme in sententiam: Itaque mansit Noah in arca integras 56. hebdomadas,

Genes. 9.

Hæc describuntur quæ referri possunt ad sequentem articulū.

Diluuium durauit annum & decendiū.

sive dies 392. Si eum quo ingressus est diem cōiungas cum eo, quo egressus est, erunt dies 393. Non sic statuendum est, sed potius hoc modo. Annus tempore diluuii vsitatus, complexus fuit menses 12. eosq; singulos dierum 30. ita vt habuerit dies 360. & epactam 5. dierum. Hoc ita patet.

Anno 600. Noah mense 2. die 17. cœpit diluuium. *Genes.7.v.11.*
Imber fuit noctes & dies 40. ——— 7.v.17.
Inualuerunt aquæ dies 150. ——— 7.v.24.
Exactis diebus 150. arca quieuit mense 7. d.17. ——— 8.v.4.
Deficiunt aquæ ad mensem decimum diem 1. ——— 8.v.9.
Post dies 40. aperitur fenestra. ——— 8 v.6.
Expectauit Noah dies 7. ——— 8.
Expectauit alios dies 7. ——— 8.
Anno 601. mense 1. d. 1. siccata terra. ——— 8.v.13.

His omnibus expensis & collatis, sequitur annum complexum esse menses 12. eosque singulos dierum 30. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Hæc sunt solidiora, quam ea quæ Wolphius adfert, qui contendit annum diluuii fuisse embolimæum, & mensem embolimæum compleuisse numerum dierum. Idem multus est in probanda illa vulgata hypothesi, diluuium cœpisse in autumno, eo quod vernum tempus ad collectionem alimentorum, quæ pro se & cunctis animalibus in arcam deferre Noe iussus erat, non fuerit idoneum, sed potius messis & autumnus: item, quod vernum & æstiuum tempus exiccandis aquis aptiora fuerit, quam autumnus & hyems, tempora natura sua pluuia, in quæ septimus & cæteri menses incidissent, si Nisan primus in hac historia Mosi fuisset. Has rationes, & similes quas modo citatus author habet *l.1. Chronolog. pag.* 45. refutare quam solidissime poteris, si recurras ad ea, quæ supra disputata sunt de natali mundi. Vnicum hic adduco, non posse ex erectione thematum cœlestium, vti vocant, cognoscere quam exactissime principium mundi & diluuii.

Articulus secundus primi interualli, complectitur Chronologiam illorum, quæ acciderunt post diluuium ab anno mundi 1657. *vsque ad annum* 2023. *quo Abrahæ facta est promissio.* Huc refer *Gen.*9.10.11.*cap.*

Anno Mundi.

1657 Noah exiuit ex arca, &c. Vide quæ diximus ad hunc annum in superiori articulo.

1658 Arphaxad nascitur anno 100. Sem.

1693 Salah nascitur anno 35. Arphaxad.

1757 Peleg nascitur. Terra diuiditur in linguas 72. Turris Babylonica ædificatur. Iaphet est primus Rex Europæ: Sem Asiæ: Cham Africæ. Hoc tempore floruit Nimrod, primus conditor Monarchiæ Assyriacæ. Hic Nimrod bene multis historicis putatur fuisse Belus, de quo tradunt historici, quod condiderit Babylonem. Sunt, qui tradant Belum illum esse quidem conditorem dynastiæ Assyriorum, sed non Monarchiæ, quam inchoasse

Anno Mundi. inchoasse volunt Ninum, qui successit Belo. Nino successit Semiramis vxor.

1787 Regu natus anno ætatis 30. Peleg. In hunc annum incidit initium regni Germanorum, vt vult Auentinus. Primus rex illorum fuit *Tuiscon*, quem Auentinus facit filium Noachi, eumque à patre missum anno 131. à diluuio in Europam cum 20. ducibus. Huc successerunt *Mannus*, circa tempora Abraham; *Ingæuon* frater Manni, circa tempora Ismaelis; *Istæuon* filius Ingæuonis, cuius vxor fuit Freya / Venus Germanorum, vnde Freytag / *Hermion*, Istæuonis filius, circa tempora Esaui & Iacob; *Marsus*, Hermionis filius, à quo Dithmarsi & Stormarsi; *Gambriuius*, circa tempora Iacobi in Ægyptum proficiscentis; *Sueuus*, Gambriuii frater, à quo Sueui; *Vandalus*, à quo Vandali; *Teuto*, Vandali filius, vnde die Teutschen dicti sunt; is fuit Germanorum Mercurius, vnde Teutschen / *interpretari*; vixit circa tempora Mosis; *Allmannus*, Hercules Germanorum, qui successit Teutoni; *Boius*, filius Almanni, circa tempus exitus ex Ægypto; *Ingram*, Boii filius tempore Iosuæ; *Adelger*, filius Ingrami tempore Ehud iudicis; *Larein*, circa tempus Deboræ; Vlsing, circa tempus Gedeonis, &c. *Reges primi Germanorum.*

1819 Serug nascitur, anno 32. Regu.

1849 Nahor nascitur, anno 30. Serug.

1878 Tharah natus anno ætatis 29. Nahor.

1947 Treueris condita à Trebeta, filio Nini, annis ante Romam 1250. Sed in versu illo; *Ante Romam Treueris stetit annis mille trecentis*, numerus rotundatur.

Tigurum conditum annis 30. post Treuerim.

1948 Abraham nascitur anno 70. Tharachi.

1957 Sarai nascitur. *Gen.* 17. *v.* 17.

2005 Noah moritur anno ætatis 950.

Hic oportet necessariam cautionem adiicere. Inter Chronologos recentiores oritur disputatio de natali Abrahæ, an ille in 70. an 130. annum patris Tharachi sit collocandus. Nos in 70. collocamus, ob causas supra indicatas. Si iam velis illorum calculum cum nostro æquare, tuum erit subtrahere annos 60. ab istis numeris, quos habent patroni huius sententiæ; qua dicitur natus Abraham anno 130. patris Tharachi. Exempli gratia nos collocamus natalem Abrahami in annum mundi 1948. illi in annum mundi 2008. Subtrahe 60. ab illis 2008. prodibunt anni 1948. Sic nos natalem Christi statuimus an. mundi 3960. illi in an. mun. 4020. Si nostris annis 3960. addas 60. habebis annos iuxta illorum calculum; si vero 60. subtrahas annis illorum 4020 prodibit noster calculus.

Articu-

Articulus tertius primi intervalli.

Articulus tertius primi intervalli, habet annos 430. à promissione facta Abrahamo, vsque ad legem datam, seu exitum ex Ægypto. Promissio facta est anno mundi 2023. Exitus incidit in annum mundi 2453. Hic articulus sibi vendicat Chronologiam Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iosephi, & Israelitarum post mortem Iosephi.

Chronographia Abrahami.

Anno Mundi.	*Chronologia Abrahami, ex Gen. à cap. 11. ad 25.*
2023	Promissio prima Abrahæ facta. Tharah cum Abrahamo migrat ex Vr Chaldæorum. Haranem peruenit, consedit illic. Abraham migrat in Chanaan. Inde statim vrgente fame Ægyptum petit. Sarai erepta restituitur intacta. *Genes.* 12. Terræ & posterorum promissio ipsi renouatur circa hæc tempora.
2031	Abraham eripit Lothum è manibus quatuor regum. In hunc annum quidam conferunt promissionis repetitionem.
2034	Ismael nascitur.
2047	Circumcisio instituitur anno 99. ætatis Abrahæ. Abraham circumciditur cum familia. Angelos hospitio excipit. Sodoma & Gomorrha incendio pereunt. Loth committit incestum cum filiabus. Abimelech rapit Saram.
2048	Isaac nascitur, anno 100. Abrahami.
2064	Circa hæc tempora diuino iussu Isaac ab Abrahamo immolandus, seruatur viuus. *Gen.* 22. *Ioseph lib.* 2. *cap.* 22. nominat annum 25. ætatis Isaaci, *Rab. Aben. Ezra & Rab. Salomon* annum ætatis 35.
2070	Promissio benedictionis confirmatur. *Gen.* 22.
2083	Tharah moritur annos natus 205. Μετοίκησις Abrahami in Chanaan. *Actor.* 7.
2085	Sarai moritur, & sepelitur. *Genes.* 25.
2088	Isaac annos natus 40. Rebeccam ducit vxorem. Abraham ducta Ketura accipit liberos. *Genes.* 25. eosque cum muneribus
2090	ab Isaaco dimittit. Hic operæ pretium fuerit genealogiam Abrahami, Rebeccæ & Lothi considerare:

Nachor.

Tharah.

Abraham. — *Isaac.*

Nachor. — *Bethuel.* — *Rebecca.*

Haran. — *Loth.* *Milca.*

Esau

2108 Esau & Iacob nascuntur an. Isaaci 60.
2123 Abraham moritur an. ætat. 175. Sepelitur ab Isaaco & Ismaele. *Genes.* 25.

Anno Mundi. *Chronologia Isaaci ex Genes.* 25. 26. 27. Chronographia Isaaci.

2129 Isaac fame compulsus in Palæstinam, manet in Gerar. *Genes.* 26. Promissio Isaaco repetitur.
2148 Esau quadragenarius vxores ducit.
2158 Sem moritur, annorum 600. *Genes.* 11.
2171 Ismael moritur annorum 137. *Genes.* 25.
2180 Isaac Esauo benedictionem destinat. Iacob astu matris eam surripit.

Anno Mundi. *Chronologia Iacobi, ex Genes.* 28. *cap. ad* 38. *&* 1. *Chron.* 2. Chronographia Iacobi.

2185 Iacob de consilio matris proficiscitur ad Labanem auunculum suum. Videt scalam in somnis. Iacobo repetitur promissio. Hoc tempore incidit diluuium Ogygium, quod sic dicitur ab Ogyge Rege Atticæ; cuius anno 32. cœpit, annis 248. ante diluuium Deucalionis.
2186 Iacob accipit Leam & Rachaelem in vxores.
7 Ruben
8 Simeon } nascuntur ex Lea.
9 Leui
2109 Iuda nascitur.
2 Dan
3 Naphtali } nascuntur è Bilha ancilla Rahelis.
4 Gad nascitur è Zelpha ancilla Leæ.
6 Asser nascitur è Zelpha.
9 Ioseph nascitur è Rachaele, anno Iacobi 91. & 14. seruitutis. Iosephum hoc anno natum esse sic colligi potest. Ioseph erat annorum 39. cum Iacob esset 130. *Gen.* 31. *v.* 46. *&* 45. *v.* 6. *&* 47. *v.* 9. Ergo Ioseph natus anno Iacobi 91. Præterea Ioseph natus anno 14. seruitutis. *Genes.* 30. *v.* 25. Ergo Iacob annorum 77. cœpit seruire Labano.
2201 Dina nascitur è Lea. *Gen.* 30.
2205 Iacob à Deo redire iubetur. E Mesopotamia in Chanaan cum familia discedit, clam Labane. Iacob incusatus furti defendit se, cum Labano fœdus init, ab Angelis confirmatur; fratrem timens Dei auxilium implorat; luctatur cum Angelo; nominatur Israel, ab Esauo benigne excipitur. *Gen.* 31. 32. 33.

Ann. M.

2206 Iacob moratur in Suchot.

7 Peruenit in Sichem, & ibi agro emto altare extruit.

2210 Her nascitur. *Genes.* 38.

1 Onan } nascuntur. *Genes.* 38.
2 Selah }

2213 Dina rapitur à filio principis Sichem.
Sichemitæ ideo à fratribus Dinæ occiduntur. *Gen.* 35.
Iacob iter constituit in Bethel, & inibi Deo persoluit votum. *Gen.* 35.

2214 Rahel moritur partu Beniaminis. } *Gen.* 35.
Ruben incestum committit cum Bilha }
Mulorum origo. *Genes.* 36.

2215 Ioseph vitia fratrum patri retegit: & somniat de principatu in familia patris. *Gen.* 37.

Chronographia Iosephi.

Chronologia Iosephi, ex Genes. 38. ad finem libri: vbi & historia Iobi.

Anno Mundi.

2217 Ioseph à fratribus venditur in Ægyptum, anno ætatis 17. Iob opera Satanæ amittit facultates *cap.* 1. affligitur corpore suo. *cap.* 2. ab amicis inuisitur. *cap.* 2. maledicit diei ortus sui. *cap.* 3. contra amicorum criminationes iustitiam (causæ) tuetur. à *cap.* 5. ad 32. à Deo reprehensus resipiscit. *cap.* 40. Offert sacrificia pro se & amicis. *cap.* 42 Restituitur, bonis auctus duplo. *cap.* 42.

2222 Iudæ incestus cum Thamar. *Gen* 38.

2226 Ioseph fit præfectus domi Potiphar. In carcerem compingitur. Exponit somnia ministris regis in carcere. *Gen.* 39. 40.

2228 Isaac moritur, annorum 180. *Gen.* 35. *v.* 28.

2229 Ioseph exponit somnia Pharaonis: prædicit annos septem fertilitatis & sterilitatis. Præficitur regno Ægypti, anno ætatis 30. *Gen.* 41.

2230 Anni septem fertilitatis incipiunt.

2231 Manasse nascitur Iosepho } *Genes.* 41.
2 Ephraim nascitur eidem }

4 Ezron nascitur. 1. *Chron.* 2.

2237 Septem anni sterilitatis. *Genes.* 41.

2238 Iacob mittit filios in Ægyptum. Huc pertinet historia *Genes.* 42. 43.

2239 Iacob cum vniuersa familia descendit in Ægyptum annorum 130. *Gen.* 46. & 47. anno secundo sterilitatis exacto. *Genes.* 45. *v.* 11. Iacob excipitur à Iosepho; adducitur ad regem; habitat in regione Goshen. *Gen.* 47.

2241 Ægyptii præ fame agros & iumenta vendunt. *Gen.* 47.
2242 Ioseph dat Ægyptiis frumentum. *Gen.* 47.
2255 Iacob designat sepulchrum in Chanaan. *Genes.* 47. Filios Iosephi cooptat, minorem maiori præfert, diuino instinctu. *Gen.* 48. 1. *Chron.* 8.

Ius primogeniti à Ruben in Ioseph transfertur. *Genes.* 48. Filios suos ad se vocat, & iis euentura prædicit. *cap.* 49. In fide moritur, anno ætatis 147. vt est *Gen.* 47. *v.* 28.

2303 Amram nascitur, annis 65. à descensu Iacobi in Ægyptum, annis 280. à promissione elapsis.
2309 Ioseph moritur anno ætatis 110. *Gen.* 49.

Anno Mundi.	*Chronologia Israelitarum post mortem Iosephi, ex duobus 1. 2. 6 & 7. capitib. Exod. & 1. Chron. 6.*

Liber secundus Mosis, qui dicitur Exodus, cōtinet historiam 142. annorum, à morte Ioseph, vsque ad erectum tabernaculum.

2313 Israelitæ numero & viribus augentur. *Exod.* 1. Dura seruitute premuntur. *ibid.* Edictum de clam tollendis masculis Hebræorum. *ibid.*
2332 Leui moritur, anno ætatis 137. *Exod.* 6. *v.* 16.
2360 Edictum de submergendis pueris. *Exod.* 1.
2362 Kahath moritur annorum 133. *Exod.* 6. *v.* 18.
2370 Aharon nascitur. *Exod.* 7.
2373 Moses nascitur ex Amram & Iacobed. *Exod.* 2. 1. *Chron.* 6. anno 70. Amram. Seruatur expositus in aquis.
2380 Educatur in sapientia Ægyptiorum. *Actor.* 7.
2400 Iosua natus. *Ios.* 14.
2413 Moses quadragenarius occidit Ægyptium; metu Pharaonis fugit in Madian; & nuptias coit cum Tzippora. *Exod.* 2.
2414 Caleb nascitur. *Ios.* 14.
2440 Amram moritur anno ætatis 137. *Exod.* 6. Genuit enim Mosen, cum esset annorum 70. Natus fuit annis 65. à descensu Iacobi in Ægyptum. In hæc tempora incidit diluuium Deucalionis.

Interuallum secundum est à lege ad Christi natiuitatem; cuius articulos quinque nunc euoluemus.

Articulus primus, est à lege ad fundamenta templi Salomonici, quod dicitur primum. Est annorum 480. adeoque ab anno mundi 2453. vsque ad annum mundi 2933. Chronologia hic occurrit triplex, Mosis, Iosuæ & Iudicum post Mosen & Iosuam, & Regum priorum.

Anno Mundi.	*Chronologia Mosis, ex Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, & priori Chronicorum.*

2453 Moses vocatur; adit Pharaonem; edit miracula, &c. Huc refer *Chrono-*

graphia Mosis.

Anno Mundi. refer res gestas *Exod.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Tandem Pharao dimittit populum, qui exit 15. Aprilis. Post 40. dies lex promulgatur in monte Sinai. Exierunt igitur Israelitæ ex Ægypto post annos 430. à migratione Abrahami ex Haran & promissione diuina, anno mundi 2453. (Abraham enim migrauit anno mundi 2023.) annis 797. à diluuio vniuersali, cum Moses esset annorum 80. *Exod.* 7. v. 7. Sed hic lubet primum annum exitus per partes proponere.

2453. Mes. Die. Pascha instituitur. Plaga tenebrarum immittitur
I. 10. per triduum. Angelus domos sanguine notatas transilit. *Exod.* 10. 11. *&* 12.
14. Pascha primum celebratur. Primogeniti Ægyptiorum interimuntur. *Exod.* 12.
II. 15. Israelitæ exeunt. Ab hoc die vsque ad mensem tertium gesta sunt ea, quæ scribuntur. *Exod. cap.* 13. *ad* 20.
III. 5. Lex data. *Exod.* 20.
7. Moses manet in monte ieiunus 40. dies. *Exod.* 20. Deus proponit leges à *cap.* 21. vsque ad 31.
IV. 16. Moses iratus propter aureum vitulum frangit duas tabulas. *Exod.* 32.
19. Conscendit montem, ibique manet ieiunus d. 40. *Exod.* 32. *Deut.* 9.
V. &c. Reliquo tempore gesta sunt, quæ commemorantur ab *Exod.* 33. vsque ad 36. &c.

Leuiticus continet res gestas vno mense, ab initio anni secundi post exitum.

Liber Numerorum continet historiam annorum amplius 38.

2454. Ad primum diem & sequentes mensis primi huius anni refer ea, quæ continentur *Exod.* 40. *Leuit* 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. Ad diem octauum & sequentes mensis primi refer, quæ sunt *Leuit.* 9. *ad c.* 27. Ad diem 14. & seq. huius mensis refer ea quæ sunt *Num.* 9. Ad mensis 2. diem primum pertinent ea, quæ sunt *Num.* 1. *&* 2. Ad diem 20. ea, quæ sunt *Num.* 10. Ad diem 24. res gestas *Num.* 11. 12. 13. 14. 15.

2460. Leges renouantur Canaan ingressuris, *Num.* 15.

2465 } 2466 Huc refer *Num.* 16.

2470 Huc pertinet *Num.* 17.

2480. Huc refer *Num.* 18. *&* 19.

2492 Ad hunc annum pertinent res gestæ, quæ describuntur *Num.* 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. & *Deu.* 29. 32. 34. Moses moriturus prælegit Deuteronomium à *c.* 1. *ad* 28. Reliquis cap. mors eius & mortē secuta commemorantur.

Obserua,

Obserua, librum Numerorum continere res gestas in populo Dei, ab initio mensis secundi anni secundi post exitum ex Ægypto vsq; ad initium mensis vndecimi anni quadragesimi. Deuteronomium primo continet repetitionem legum variarum: deinde res gestas ab initio vndecimi mensis vsque ad septimum diem mensis duodecimi, anni quadragesimi ab exitu ex Ægypto. *Deuteronomium continet historiam mens. 1½.*

Chronologia Iosuæ & Iudicum 24. post Mosen & Iosuam ex libro Iosuæ, Iudicum, Ruth, & primo Samuelis.

Anno Mundi.

2493. *Iosua* fit dux populi; qui sex primis annis debellauit Chananæos. Ad huncannum & sequentes, vsque ad 2500. pertinent ea, quæ recitantur *Ios.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & partem 14. *Liber Iosuæ continet res gestas à morte Mosis vsque ad mortem Iosuæ: estque historia annorum ferme 18.*

2500. Terra quiescit & diuiditur cis Iordanem, &c. *Ios.* 14. 15. 16. & 11. 12.

2510. Tabernaculum transfertur è Gilgal in Siloh. *Ios.* 18. Reliqua terra 7. tribubus tributa. Ad huncannum & sequentem 2511. refer ea, quæ narrantur à *Ios.* 18. *ad finem libri.*

2511 *Othoniel* Iudex I. an. 40. *Iud.* 3.

2529 Defectio Israelitarum per connubia & idola. *Iud.* 3.

2530 Seruitus octennalis sub Cushan rege Syriæ. *Iud.* 3.

2532 Ad huncannum refer gesta, quæ narrantur *Iud.* 17. 18. 19. 20. 21. *Liber Iudicum describit statum Reip. Israelitarum, inde à temporibus Iosuæ vsque ad Heli. Estq; historia à morte Iosua annorum 299.*

2551 *Ehud* Iudex II. 80. *Iud.* 3.

2560 Secunda Israelitarum seruitus sub Eglon annorum 18. *Iudic.* 3.

2580 Israelitæ opprimuntur à Philistæis. *Iud.* 3.

2581 Samgar vincit Philistæos stimulo bouis.

2631 *Debora* Iudex III. & Prophetissa. an. 40.

2550 Debora assistit Barak ducem contra Iabin regem Chananæum, cuius dux bellicus erat Sisera. Afflixerat is Israelem annis 20. *Iudic.* 5. nimirum ab anno 2631. vsque ad annum 2650. Iabin vincitur, &c. Huc refer ea, quæ sunt *Iudic.* 4. 5.

2661 Elimec fame ad Moabitas pulsus, moritur cum duobus filiis. *Ruth.* 1.

2670 Ad hunc annum refer gesta *Ruth.* 1. 2. 3. 4. Hoc anno natus Obed, auus Dauidis. *Ruth.* 4. *Liber Ruthæ continet historiam 10. annorum.*

Tertia seruitus Israelitarum sub Midianitis, 7. annorum. *Iud.* 6.

è quibus primum & vltimũ enarrat, intermedios prætérit.

2671 *Gedeon*. 4. Iudex. an. 40. *Iud*. 8. *v*. 28.

2678 Ad hunc annum & seq. vsque ad 2710. refer reliqua, quæ narrantur *Iud*. 6. 7. 8.

2711 *Abimelech* Iudex V. an. 3. *Iud*. 9.

2714 *Thola* Iudex VI. an. 23. *Iud*. 10. Circa hæc tempora vixit Latinus, socer Æneæ. Ad hæc quoq; tempora referunt expeditionem Argonautarum. Sed illi, qui alteram illam Iudicum supputationem, de qua iamiam dicetur, conferunt hæc in tempora Iairi subsequentis Iudicis.

2737 *Iair*, Iudex VII. ann. 22. *Iud*. 10. Seruitus quinta sub Philistæis & Ammonitis. *ibid*.

2750 Eli nascitur.

2756 Iesse nascitur ex Obed. *Matth*. 1.

2759 *Iephthe* Iudex VIII. ann. 6. *Iud*. 11. In hæc tempora conferunt bellum Troianum.

7765 *Ibizan* Iudex IX. an. 7. *Iud*. 12. 13. Hic alias dicitur Ebzan. Hũc Hebræi putant fuisse Boas. Iuxta illos historia Ruth fuerit huc referenda.

2772 *Elon* X. Iudex an. 10. *Iud*. 12. In hæc tempora incidit dynastia Æneadarum, cuius author Æneas.

2782 *Abdon* Iudex XI. an. 8. *Iud*. 12.

2790 *Samson* Iudex XII. an. 20. Huc refer. *Iud*. 13. 14. 15. 16.

2810 Eli Iudex 13. an. 40. 1. *Sam*. 40.

2813 Huc & ad annos sex sequentes pertinet historia Annæ, matris Samuelis. 1. *Sam*. 1.

Primus liber Samuel. describit res gestas sub Eli, Samuele, & Saule: estq; historia annorum 80.

2815 Samuel nascitur. 1. *Sam*. 1.

2820 Filiorum Eli impietas. 1. *Sam*. 2.

2826 Samuel annorum 12. vocationem diuinam accipit. 1. *Sam*. 3.

2843 Ad hunc annum & sequentes tres pertinent, quæ narrantur. 1. *Sam*. 4. & 5.

2850 *Samuel* Iudex XIV. ann. 40. computatis annis regni Saulis. *Act*. 13. *v*. 21.

2860 Dauid nascitur. 2. *Sam*. 5. *v*. 4.

2869 Ad hunc annum & sequentes 11. refer ea, quæ describuntur 1. *Sam*. 7. & 8.

Duplex supputatio iudicum.

Velim te hic obseruare, duplicem circumferri supputationẽ Iudicum Hebræorũ. Iosua præfuit an. 18, qui supersunt de 40. annis in 1. *Reg*. 6. *v*. 1. si iudicum anni in Scriptura designati, absq; vllo interregno numerẽtur, vti nos fecimus. At si q̃s interregna adiiciat, oritur diuersitas. Typus hic esto.

Successio Iudicum sine interregno; secundum nos.	Successio Iudicum cum interregno, secundum alios.

An-

An. Mun.	Iosua ann.	Iosua cum Othoniele ann. 40.
2493.		
	1.	1.
	2.	2.
	3.	3.
	4.	4.
	5.	5.
	6.	6.
	7.	7.
2500.	8.	8.
	9.	9.
	10.	10.
	11.	11.
	12.	12.
	13.	13.
	14.	14.
	15.	15.
	16.	16.
	17.	17.
2510.	18.	18.
	Othoniel. 1.	19.
	2.	20.
	3.	21.
	4.	22.
	5.	23.
	6.	24.
	7.	25.

Si proroges hoc Schema, videbis Ehudi annum primum incidere in annum mundi 2551. in priori laterculo, quod nos secuti; sed eundem incidere in annum mundi 1532. in laterculo posteriori dextram versus. Discrepantia itaque talis.

	Calculus noster.	Calculus aliorum.
Ehud. an. mundi.	2551.	2532.
Debora	2631.	2611.
Gedeon	2671.	2642.
Abimelech	2711.	2692.
Thola	2714.	2695.
Iair	2737.	2718.

Inter-

		Interregnum Philistæorum & Ammonitarum quinta seruitute. Iud.10.v.8. annorum 18.
****** ******		
Iepthe.	2759.	2758.
Ibizan.	2765.	2764.
Elon	2772.	2771.
Abdon	2782.	2781.
Samson	2790.	2789.
Eli	2810.	2809.
Samuel	2850.	2849.

Tametsi res eodem recidat, & idem annorum numerus eueniat: tamẽ prior calculus nobis probatur ob causam supra dictam.

Anno Mundi.	*Chronologia Regum priorum, ex 1. Sam. libr. item 2. & 1. Chron. 1. Reg & 2. Chron.*
2880	*Saul* circa hoc tempus vngitur in regem primum Israel, 1. *Samuel*.9.10.11.
2881 / 2	Huc refer. 1. *Sam. c.* 12.13.14.15.16.17.18.
4	Huc pertinent gesta, 1. *Sam.* 18.19.20.
7	Huc pertinent historiæ. 1. *Sam.* 21.22.23.24.
2888	Samuel moritur septuagenarius. 1. *Sam.* 25. Ad hunc annum pertinent historiæ reliquæ eiusdem capitis, vt & 26.
2889	Huc refer historias 1. *Sam.* 27. 28. 29. 30. 31. item 2. *Samuel. cap.* 1.
2890	*Dauid* secundo vngitur Saule occiso, in Hebron. 2. *Sam.* 2.
1 / 2 / 3	Huc pertinent historiæ 2. *Sam.* 3. & 4.
4 / 5 / 6	Huc refer historias 2. *Sam.* 5. In hæc tempora Auentinus collocat tres filios regis Germanorum Wolfhem Sickinger,
7	nempe Kels, Gall, Hyllir, vnde Celtæ, Galli, & Illyrii dicti. Et quidem hucusque deducitur linea regum Germanorum; cæterorum non habetur continua series.
2898	Huc pertinent historiæ 2. *Sam.* 6. & 1. *Chron.* 13.
2906	Huc refer historias 2. *Sam.* 1. *Chron.* 17.
7	Huc pertinent gesta, de quibus 2. *Sam.* 8. & 9. 1. *Chron.* 18.

Liber posterior Samuelis cõtinet historiam 40. annorum, à morte Saulis vsq; ad finem regni Dauidici.

Liber primus Chronicorum continet

Huc

8 Huc refer 2. *Sam*.10. *&* *Chron* 19.

9 Dauid committit adulterium & homicidium. 2. *Sam*. 11. *&* 12. Hoc tempore vixerunt Nathan & Gad Prophetæ.

2910 Hic incipiunt reges Tyri.

2911 Salomon nascitur è Bathsaba. 2. *Sam*.12.

2 Thamar comprimitur ab Ammone. 2. *Sam*.13.

2914 Ab hoc anno vsque ad annum 2923. Dauid multa patitur à filio Absolone. Ad hoc spatium refer gesta 2. *Sam*.13 14.15.16. 17.18.19.

Chronicon Genesis, Exodi, reliquorum librorum Mosis, Iosua, Iudicum, & vtriusque Samuelis.

2923 }
4 } Huc refer historias 2. *Sam*. 20. *&* 21.
5 }

6 }
2927 } Huc pertinent historiæ 2.*Sam*.24.
8 }

9 Huc refer historias 2.*Sam*.22.*&* 23.1.*Chron*.11. Item 1.*Reg*.1.*&* 2.*&* 1 *Chron*.29.

2930 Huc pertinent quæ de Salomone scribuntur 2. *Reg*.2.3.*&* 4. 2.*Chron*.1 *&* 9 Fit rex.

2932 Hirami gratulatio. Concedit idem ligna pro structura templi.1.*Reg*.5.2.*Chron*.2.

Articulus secundus, est à fundamento templi iacto vsque ad eius excidium. Complectitur annos 427. adeoq; est ab anno mundi 2933. vsque ad an. mundi 3360. quo incipiunt anni captiuitatis Babylonicæ. Huius loci est Chronologia regum à Salomone vsque ad Zedekiam, ex 1.&2.Reg.2.Chron. Iona, Amos, Esaia, Hosea, Ioele, Micha, Ieremia, Sophonia, Obadia, Daniele, Ezechiele.

An.Mun.

2933 *Salomon* incipit ædificare templum.1.*Reg*.6.

2939 In hunc annum inciderunt ea, quæ referuntur 1. *Reg*.8.9.*&* 2.*Chron*.7.

2952 Regia Salomonis perficitur. 1. *Reg*. 9.*v*.10.

2955 Naues Salomonis mittuntur in Ophir. *ibid*. 2.*Chron*.9.

2957 Regina Sabę inuisit Salomonem.1.*Reg*.10.

2960 Salomon corrumpitur à mulieribus, & labitur in idololatriam. 1.*Reg*.11.

2962 Ahia Propheta prædicit diuisionem regni, & Ieroboam regem 10. tribuum. 1.*Reg*.11.2.*Chron* 13 Hoc etiam tempore vixit Propheta Iddo. 2.*Chron*.9.*v*.29. & paulo post Propheta ἀνώνυμος, de quo 1.*Reg*. 13.*v*.32.

3966 Salomon scribit prouerbia & Ecclesiasten.

Liber primus Regū continet res gestas Salomonis & quatuor sequentiū regum Iudæ, & octo regum Israelis: atque historia annorum 118. è quibus 40. Salomonis 78. reliquorum.

Liber secundus Chronicorum describit statum regni Iudaici ab initio eius, vsque ad annum reditus ex captiuitate Babylonica, estque historia annorum 472.

An.Mun.

3969 Salomon moritur, anno regni 40. 1.*Reg.*11. 2.*Chron.*9.

3970 Roboam decem tribus alienat responso: vnde *Ieroboam* rex I.Israelis, annis 17.1.*Reg.*14 2.*Chron.*9.*Roboam* rex I. Iudæ, annis

2971 22. 1.*Reg.*12.14.& 20.*Chron.*10 11.

2 }
3 } Huc pertinent historiæ 1.*Reg.*13.14.
4 }

2975 Semeia prophetat.2.*Chron.*11.

Nota. Ab initio Ieroboami, anno videl.Mundi 3070.numerádi sunt dies 390.Ezechielis, qui sunt totidem anni vsque ad obsidionem Hierosolymorum. Si enim hos numeros addas, deduceris ad annum 3360, quo vrbs excisa. Vide *Ezech.*4 *v.*5.6.

2987 *Abiam*, rex 2.Iudæ ann. 3. incompletos duos solidos regnat. Succedit patri Rehabeam homo impius.

2989 *Asa*, rex 3.Iudæ.ann.41. filius Abiam 1.*Reg.*15. Rex pius fuit, confregit idola, & cultum sinceriorem renouauit.

2990 *Nadab*, filius Ieroboami, rex Israel. 2.an.2. Homo sceleratus. 1.*Reg.* 15.

2991 *Baesa* 3. Rex Israel, occidit Nadab. Regnat pro eo annis 24. 1.*Reg.*15.

2993 Iehu, Hanani, Asaria, prophetæ florent. 2.*Chron.*15.16.19.

2996 Iosaphat nascitur. 2.*Chron.*22.

3000 }
2 } Huc refer. 1.*Chron.*14.& 15.

3005 Huc refer gesta.1.*Reg.*15.16.2.*Chron.*16.

3014 *Ella*, filius Baesæ, 4. rex Israel. 2.an. 1 *Reg.*16.

Tres reges Israel.

3015 *Zimri, Omri, Tibni* reges Israel an. 12. Zimri Dominum suum Ella ebrium obtruncat, & pro eo regnat 7. diebus. 1.*Reg.*16. Alias dicitur Zamri, & Simri. Omri (aliter Amri) ab exercitu eligitur in regem 1.*Reg.*16. Sed vna pars populi adhæret Tibni, altera Omri, donec *Omri* tandem ab omni populo pro rege agnoscitur. Regnauit in vniuersum 12.annis, in completis, 6.in Thirza, & in 6.Samaria.1.*Reg.*16.

3028 *Achab* rex Israel 8. an. 22. 1.*Reg.*16. Succedit patri Amri. Superat omnes impietate.

3030 *Iosaphat* rex Iudæ 4. ann. 25. Succedit Asæ patri. 1.*Reg.*22. Rex pius. 2. *Chron.* 17. Fuit gener Achabi. Circa hæc tempora Elias propheta incipit.

3035 Elias claudit cœlum annis 3.& 6.mens.1.*Reg.*17.

3038 1 } Huc pertinent gesta. 1.*Reg.*18.19.

3040 9 } Elisæus vocatus successor Eliæ.

Huc

3042 3 } Huc refer gesta.1.Reg.20.21.
4 }
5 } Naboth lapidatur.

3046 Micha propheta in vincula coniicitur. Hic est alius ab eo, cuius Prophetia extat. Is enim vixit post 100. an. *Mich*.1.*vers*.1. Hoc tempore floruit Lycurgus. Ioram est prorex, patre ad Ramoth Gileath profecto. 1.*Reg*.23.

3047 *Achasia*, filius Achabi, 9. rex Israel an 2. 1.*Reg*.22. 2.*Reg*.1.

3048 Huc refer gesta. 2.*Reg*.1.& 2.*Chron*.20.

3049 *Ioram*, 10. rex Israel, filius Achabi, succedit fratri Achasiæ. Regnat annis 12.2.*Reg*.3. 2.*Chron*.21. In prælio aduersus Syros sauciatur, & postea à Iehu occiditur.

Liber secũdus Regũ, continet res gestas 16. regum Iuda, & 12. regum Israelis. Estque historia 320. an.

Hoc tempore Elias rapitur in cœlum. 2.*Reg*.22.

Huc refer miracula Elisæi, eodem cap.

3054 *Ioram*, rex Iudæ 5. filius Iosaphat, in regnum à patre cooptatur anno 5. Ioram regis Israelitici, & regnat octo annis 2.*Reg*.8. 2.*Chron*.21. Fuit rex impius. Mittuntur ipsi literæ ob scelera obiurgatoriæ, ab Elia scriptæ, cum Elias iam viuente patre Iosaphato in cœlum esset translatus. Scriptæ igitur proculdubio fuerunt ante translationem, spiritu fatidico. 2.*Chron*.21. Alii aliter sentiunt hac de re. Hoc tempore vixit Iehasiel Propheta. 2.*Chron*.20.

3062 *Achasias*, rex Iudæ 6. filius Ioram. an.1. 2.*Reg*.8. Hoc tempore vixit Eliezer Propheta. 2.*Chron*.20.

3063 *Iehu*, rex Israel 11. an. 28. 2.*Reg*.10. Vir strenuus & industrius, diuinitus ad regnum vocatur, ad vindictam exercendam in familia Achabi, & sacerdotes Baaliticos extirpandos. 2*Reg*.9.10.

3063 *Athalia*, mater Achasiæ, vidua Iorami, arripit regnum, & regiam stirpem Dauidis extinguere nititur. 2.*Reg*.11. Regnat annos 6. Hæc igitur in linea regum Iudæ est 7.

3069 *Ioas*, qui è stirpe regia seruatus fuerat, vngitur in regem Iudæ 8. à Ioiada Sacerdote. 2.*Reg*.11. an. ætatis 7. Regnauit an. 2. *Chronic*.23. Quamdiu vixit Ioiada, fuit pius & religiosus: postea desciuit à vero Dei cultu. 2.*Chron*.24. Hic putatur vulgo primus è stirpe Nathonis; quod stirpem Salomonis Athalia extinxerit. Contra afferuntur loca. 2.*Chron*.22.*vers*.11.12.& 1. *Chron*.3.*vers*.11. 2.*Reg*.11.*vers*.2.*cap*.13 v.1.c.14.*vers*.13. vbi Ioas expresse appellatur filius Achasiæ, & nepos Iorami. Hac de re infra aliquid

3078 dicetur ad genealogiam Christi. Circa hæc tempora est Carthago condita ann. 143. à templo Salomonis, vt author est Iosephus. Medorum quoque regnum est ortum, ex diuisione

Anno Mundi. monarchiæ Assyriacæ. Primus rex fuit Arbaces, qui compulit Sardanapalum ad necem.

3091 *Ioachas*, rex Israelis 12. annos 17. filius Iehu, infelicissimus. 2. *Reg.* 13.

3107 *Ioas*, rex Israel 13. annis 16. 2. *Reg.* 13. Fuit filius Ioach. Paulo ante hoc tempus Ioas rex Iudæ mandat Zachariam Prophetam, Ioiadæ filium, lapidari. 2. *Chron* 24.

3108 Elisæus Propheta obit cum annos 60. docuisset. 2 *Reg.* 14.

3109 *Amazia*, rex Iudæ 9. an. 29. filius Ioæ regis Iudæ. A patre ad regnum admittitur.

3110 Ioas rex Iudæ à ministris suis occiditur. 2. *Chron.* 24.

3123 Ieroboam rex 14 Israel. an. 41. 2. *Reg.* 14.

Prophetia Ionæ complectitur historiam 8. annorum.

Dicitur Ieroboam secundus. Sub hoc vixit Ionas. 2. *Reg.* 14. Scaliger in animaduersionibus in Euseb. collocat sub Ioas, & tempore Sardanapali.

3132 Interregnum in Iuda seu democratia 9. annorum. 2. *Reg.* 14.

3143 *Vsias*, vel *Azarias*, 10. rex Iudæ post interregnum, vir pius, & strenuus, quam diu *Zacharias* Propheta vixit. 2. *Chron.* 26. Sed hic non est ille, cuius Prophetia extat. Ille enim vixit tempore Monarchiæ Persicæ. Vsias regnauit annis 52.

3147
8
9
3150 Amos prædicit
1
2.

- Terræ motum & famam. *c.* 1. 7.
- Excidium exterarum gentium. *c.* 1.
- Vtriusque regni cladem & deportationem. *c.* 2. 3. 4. 7.
- Obduratis ruinam. *c.* 5. 6.
- Excindendam Ieroboami familiam.

Prophetia Amos habet historiam 10. annorum.

3153
4
5
6

- Amos accusatur conspirationis. *c.* 7.
- Amazias discessum eius consulit. *c.* 7.
- Prædicta ruina domus Amaziæ.
- Typis figurata subuersio Israelitarum. *c.* 8 9.

Prophetauit Amos sub Ieroboam & Vsia.

Hesiodus vixit tempore Vsiæ.

3158 *Interregnum* viginti duorum annorum in regno Israelitico.

3164 Ad hunc annum & seqq. vsque ad 3172. refer capita 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 11. 12. 13. Hoseæ, qui prophetauit sub Ieroboam, Vsia, Iotham, Achas & Ezechia, ad annos 70. *Hos.* 1. *v.* 1.

Prophetia Esaiæ sub quibus regibus facta.

3173 Huc pertinent conciones *Esa.* 1. 2. 3. Vixit autem Esaias sub Vsia, Iotham, Achas, & Ezechia, an. circiter 80. aut 90. Iudæi scribunt, eum à Manasse dissectum esse serra lignea.

3180 *Zacharias* 15. rex Israel, mens. 6. Succedit patri Ieroboam, post interregnum 22. annorum 2. *Reg.* 15.

3180 *Sellum* 16. rex Israel, percusso Zacharia regnum inuadit, sed vix vnum mensem retinet. 2. *Reg.* 15.

3181 *Menahem* 17. rex Israel, an. 10. 2. *Reg.* 15. Percusso Sellum ad regnum venit.

3186 Vzia sacerdotium inuadit. 2. *Reg.* 15. 2. *Chron.* 26.

3186 In hunc eundem annum nobis incidit æra Olympiadum. Scaliger collocat in annum 3174. alii in annum 3177. Ab illo 12. ab istis 9. annis anticipatur sedes vera. A prima Olympiade ad mortem Christi sunt 202. cuius anno quarto Christus est passus. Olympiades istæ 202. efficiunt annos 808. quos adiice ad 3187. prodibit annus mundi 3994. quo Christus est passus. Alii initium Olympiadum coniiciunt in an. mun. 3195. Sumebant autem Olympiades initium à plenilunio post solstitium æstiuum. Tunc enim ex vniuersa Græcia confluebant ad agonem gymnicum & ludos Olympios; olim quidem ab Hercule institutos: tandem vero post aliquot annorum intermissionem, ab Iphito Eliensi restitutos.

3190 Huc refer cap. 5. *Esaiæ*, vbi parabola de vinea.

3191 }
2 } Huc pertinent 1. 2. 3. *capp. Ioelis*; quem quidam præcessisse volunt Amosum. Prædicit enim siccitatem *c.* 4. *v.* 15. quam sine
3 } fructu pœnitentiæ euenisse queritur Amos. *c.* 4. *v.* 6. 7. 8. &c.

3194 *Pekaia*, 18. rex Israel. an. 2. filius Menahem. 2. *Reg.* 15.

Pekah, tribunus, filius Remaliæ, percusso Pekaia regnum inuadit. 16. rex Israel, annis 20.

3195 *Iotham* 11. rex Iudæ: succedit Vsiæ. Regnat an. 16. 2. *Reg.* 15.

Pius, Felix, Micha Propheta sub Iotham, Achas & Ezechia vaticinatur. Eius auditores adhuc sunt in viuis tempore Ioiakim *Ierem.* 26. *v.* 18. ideoque diutissime docuit. *Mich.* 1. *v.* 1. *Micha quando prophetarit.*

3197 Esaias visione confirmatur. *Esa.* 6.

8 Obfirmatio populi prædicitur. *Mich.* 1.

9 }
3200 } Micha denunciat excidium vtriusque regni. cap. 1. 1, 2, 3.

1 Populi maleficia taxat }
2 Consolatur Ecclesiam } c. 4. 5. 7.

3210 *Achas*, rex Iudæ 12. succedit patri Iotham. Regnat annos 16. 2. *Reg.* 16. Est impius.

3211 }
12 } Huc refer 2. *Reg. c.* 16. *Es.* 7. 8. 9. 11. 13. nominatim prophetiam de Immanuele. *c.* 7. quam Iudæi stulte de Ezechia exponunt.
} Is enim 25. an. erat, cum ad regnum perueniret. Hoc igitur

Anno Mundi. Euangelium fuit annunciatum populo, ante Christum natum 749. annis.

3211 In hunc annum nobis incidit natalis Romæ: in annum 1. Olympiadis septimæ. Cœpit autem Roma condi, circa 20. diem Aprilis.

3213. *Hoseas*, rex Israelis XX. Occidit Pekah antecessorem. 2. *Reg.* 16 Præest regno an. 9.

Æra Nabonassari. In hunc annum nobis incidit dynastia Nabonassari: vnde noua epocha Astronomica initium sumit, & à Februario huius anni inchoatur. Incidunt autem Calendæ Iulianæ in annum mundi 3910. adeoque in annum Nabonassari currentem 705. Et Christus passus est anno Nabonass. 780. natus anno Nabonass. 745.

3221 Huc refer. 2. *Reg.* 17.

3222 *Ezechias* XIII. Rex Iudæ, an. 29. Patri Achas adiungitur socius regni. Ipse autem solus cœpit regnare anno mundi 3225. 2. *Reg.* 18.

3225 Fuit pijssimus. Non habuit æqualem pietate, nec ante se, nec post se. Æneum serpentem Mosis, cum idololatricus cultus accessisset, confregit, & Nechustan appellauit per contemtum. 2. *Reg.* 18. *v.* 5. Alias dicitur *Hiskias*.

3226 Ad hunc annum & antegressum refer *Esa.* 13. 20. 21. 22. 23. 24. 28. 29.

3228 Obsidio Samariæ triennis. Expugnatur à Salmanassere anno 3230. & X. tribus in captiuitatem perpetuam deportantur. 2. *Reg.* 17.

3236 Sennacherib obsidet Azotum *Esa.* 20.

3238 Occupat munitas ciuitates. 2. *Reg.* 18. *Esa.* 36.

3238 Anno 14. Ezechiæ Sennacherib fugatur, cæsis 185000. militibus suis. *Esa.* 3. 2. *Regum* 18. 19. Paulo post à suis filiis occiditur, qui cæde facta aufugiunt. Succedit in regno filius alter Assarhaddon. Plures in hac Assyriorum dynastia reges non inueniuntur. Nec dubium, quin progressu temporis sit absorpta à monarchia Babyloniorum. Vnde quidam hunc referunt locum *Ezech.* 31. *v.* 11. Ezechias decumbit lethali morbo. Vita ei prorogatur in annos 15. 2. *Reg.* 19. 20. *Esa.* 37. 38. Vmbræ signo confirmatur.

3239 Anno 15. Ezechiæ Merodach Babylonius mittit legatos, sciscitatum de prodigio retrogradi solis. 2. *Chron.* 22. quod scil. Chaldæi Astronomi, qui æram Nabonassari constituerant, obseruarant. Adferunt Ezechiæ munera, Ezechias insolentior factus

ostendis

Anno Mundi. thesauros, & propterea obiurgatur ab Esaia. 2. *Reg.* 20. *Esa.* 39. Prædicta captiuitas.

Nahum circa hæc tempora floret. Consolatur enim Iudæos, ne sibi iterum ab Assyriis metuant. *cap.* 3. *v.* 7. 10. Alii in tempora Sardanapali Assyriorum regis coniiciunt, quia contra Assyrios vaticinatur. *Seder olam* Habacuc, Ioel, & Nahum collocat in tempora Manassis.

3250 Promittitur liberatio per Cyrum & Messiam. *Esa.* 40. 49. 50. Homerum huc quidam ponunt.

3253 *Manasses* rex Iudæ XIV. impius an. 55. Post destructionem regni Israelis adhuc in Iuda regnatum est 133. annis vsque ad excidium vrbis. Nam Ezechias post regnum Samariæ destructum regnat 23. an. Manasses 55. 2. *Reg.* 21. 2. *Chron.* 33. De reliquis regibus Iudæ dicemus ordine. Manasses diutissime omnium regum tum Iuda, tum Israel vixit.

3255 Abducitur in Babylonem. 2. *Reg.* 21.

3256 Resipiscit, & cultum Dei restaurat.

3290 Locrensium legislator Saleucus floret.

3307 Succedit *Ammon* rex Iud. XV. Impius. an. 2. 2. *Reg.* 22. 2. *Chron.* 33.

3309 *Iosias* rex Iud. XVI. an. 31. 2. *Reg.* 22. 3. *Chron.* 24. Piissimus & religiosissimus. Huius tempore vixit Sophonias.

Nebucadnezar primus, seu Nabopallasser incipit.

Septem sapientes florent.

3320 Ieremias vocatur. *cap.* 1. *Ieremias quando prophetauerit.*

1
2 Ad hos annos refer *Ierem.* c. 1. 2. 3. 4. 9. 10. 11. 12. 13. 15. 16. 18.
3 & *Sophon.* 1. 2. 3.
4

3325
6
7 Draco Legislator circa hæc tempora floret.
8 Huc refer historias 2. *Reg.* 22. 23. 2. *Chron.* 34.
9
3330

3332 Excidium Idumæis denunciatur. *Obad.* 1.

3333
4 Huc refer *Ierem.* 19. 20.
5

3338 Huc pertinent gesta 2. *Reg.* 23. & 2. *Chron.* 35. Hoc tempore scripti putantur threni Ieremiæ.

Ioachas

An. Mu.

3338 *Ioachas* rex Iudæ XVII. mens.3. 2.*Reg*.23. 2.*Chron*. 6. qui includuntur annis Ioiakim, vel Iosiæ. Ductus est in Ægyptum.

3339 *Ioiakim*, rex Iudæ XVIII: an.11. 2.*Reg* 23.*v*.36.2.*Chron*.36 Est impius & perfidus. Rebellat regi Babylonio. Huc refer *Ierem*, *cap*.26.

3340 Dominatus Nebucadnezaris prædicitur. *Ierem*.27.

3341 Nebucadnezar mittitur à patre Nabopallassare in Syriam, ad subiugandos rebelles Tyrios & Palæstinos. Inde Scriptura numerat eius annos. Ad hunc annum refer *Ierem*.*c*.22.25.

3342 Huc refer *Ierem*.*c*.25.30.36.45.46. Ioiakim tributarius factus Nebucadnezari. 2.*Reg*.24.

3343, 4, 5, 6, 7, 8 Huc refer historias *Dan*.1. & 2. Daniel regi exponit somnium. — *Daniel quando propheta-uerit?*

3349 Ioiakim capitur à Nebucadnezare, & vinctus Babylonem ducitur: in itinere moritur insepultus. 2.*Chron*.22.

Hoc anno *Ioachim* seu *Iechonias* rex Iudæ XIX. regnat tribus mensibus. 2. *Reg*. 24. Deportatur Babylonem: item Ezechiel. — *Ezechiel quando propheta-uerit?*

3350 *Sedechias*, seu Zidkias XX. & vltimus Iudæorum rex, an.11. 2 *Reg*.24. 2.*Chron*.36.

3351 Ieremias captiuos consolatur. *cap*.29.

3352 Ioachin exuli gratia Dei promissa: Zidkiæ excidium denunciatum. *Ierem*.24.

3353 Huc refer *Ier*.28 Zidkias abducitur Babylonem. 2.*Chro*.36. Huc pertinent *Ierem*.*cap*.50.51.

3354 Huc pertinent *Ezech*. *cap*.1.2 3.4.5.6.7.

3355 Huc refer *Ezech*.8.9.12 13.14.15.16.17.18.19. *cap*.

3356 Vide *Ezech*.21.22.23.

3357 Vide *Ezech* 21.23.23.24.25.

3358 Obsidio Hierosolymæ. *Ierem*.52. Ieremias suadet deditionem.

3359 Zidkia iungit se Ægyptio. *Ierem*.32.37.38. Fugam adornat; venit in manus hostium anno 10. regni sui. *Ierem*.39.

3360 Hierosolyma capta, templum euersum. Atque hic incipiunt anni 70. captiuitatis Babylonicæ, anno 19. Nebucadnezaris, 11. Zidkiæ.

Cautio.

Magna est difficultas in comparatione regum Iuda & Israel, quæ doctissimorum etiam Chronologorum ingenia fatigauit. Scaliger seriem Regum Iuda sequitur eo annorum distinctorum ordine, quem illis Scriptura tribuit, vsque ad excidium Hierosolymorum, non sollicitus de comparatione aut continua serie Regum Israel. Ad quam conseruandam alij ponunt interregnum, quo summa rei fuerit penes proceres regni, aut Sanhedrin. Et hanc sententiam nos amplectimur.

Articulus tertius, est ab excidio templi vsque ad solutionem captiuitatis, annorum 70. videlicet ab anno Mundi 3360. vsque ad an. M. 3430.

Anno Mundi. *Chronologia captiuitatis Babylonicæ, ex Daniele, Ezechiele, 2. Reg. 2. Chron.*

3361 Zidkias effossis oculis Babylonem abducitur, & in carcere moritur. *Ierem.* 39.

3362 } Huc pertinent *Ierem.* 39. 41. 42. 44. 46. 51. *cap.* & *Ezech.* 33. 34.
3 } 35. 36. 37. 39. 26.

3564 Huc refer *Daniel. cap.* 3.

3373 Visio de restitutione vrbis & templi. *Ezech.* 29.

3377 Huc refer *Danielis cap.* 4. Nebucadnezar detruditur in sortem brutorum.

3383 Agnito Deo restituitur. *Dan.* 4.

3385 Euilmerodach rex Babylonius filius Nebucadnezaris ann. 29. *Ierem.* 52. 2. *Reg.* 25.

3386 Iechonias liberatur post annos 37. *ibid.*

3409 }
3410 } Darius Medus. Huc refer visionem *Dan.* 7.

3413 Belthasar rex Babyloniæ ann. 17. Huc refer visionem *Daniel.* 8.

3430 Huc refer historiam de Belthasare *Dan.* 5.

Hoc occiso Darius Medus regnum suscipit. *Dan.* 5. *Berosus apud Iosephum.*

Daniel euehitur à Dario Medo. *Dan.* 6.

Articulus quartus, est à solutione captiuitatis vsque ad instaurationem templi secundi: complectitur annos 107. adeoque est ab anno mundi 3430. exclusiue, seu 3431. inclusiue ad annum mundi 3538. qui est secundus annus Darii Nothi.

Anno Mundi. *Chronologia monarchiæ Persicæ à Cyro ad Darium Nothum.* *Chronologia monarchiæ Persicæ.*

3431 Hic est Cyri primus annus per totam Asiam. Regnauit annos

Anno Mundi. nos 30. Quidam existimant monarchiam eius esse collocandam in annum regni 21. ideoque in hoc anno fingendam epocham solutionis seu liberationis. Verum hæc sententia non potest consistere. Ratio; quia Darius demum anno 29. regni sui fuit Vnidominus per totam Asiam. Itaque in hunc annum collocamus æram liberationis. Biennio itaque fuit Monarcha. Hoc anno populus redit. Zorobabel I. Dux. Iosua Pontifex cum eo proficiscitur. Templi fundamenta ponuntur. Sed impeditur ædificium illius Cyro adhuc viuente. Huc refer Ezr. 1. 3. 4.

3433 *Cambyses* filius Cyri, regnat 7. annis *Ezr.* 4. *v.* 5. dicitur Artaxerxes.

3440 *Darius* Hystaspis an. 36. Hic occisis Magis, qui ad menses 7. (qui primo Darii adnumerandi sunt) imperauerant, hinnitu equi ad regnum fuit euectus.

Sub huius regno ædificatio templi fuit impedita. *Ezr.* 4. *vers.* 5.

3476 *Xerxes*, Darii filius: regnauit annis 21. Hic in sacris dicitur Assuerus, seu Ahasverus, & Oxyares; maritus Estheræ. Expeditionem moliens in Ægyptum rebellem, prohibet instaurationem politiæ Iudaicæ *Ezr.* 4. *ver.* 6. Subiugata Ægypto antequam in Græciam transiret, consultat de bello, & conuiuium celebrat, in quo Vasti repudiatur. Quidam putant Assuerum Darii Medi patrem fuisse maritum Estheræ.

Historia Esthera huc pertinet.

3480 Rediens à bello amoribus indulget, & Estheram reginam creat. *Esth.* 2. Hanc Herodotus vocat Amestrin, quasi Ham Esther.

3481 Ad hunc annum & sequentes aliquot refer ea, quæ narrantur *Esth.* 3. 4. 5. 7. 9.

3497 *Artaxerxes* Longimanus Xerxis filius, regnat an. 40. Hic in sacris dicitur Artachsastha, qui ipse quoque prohibuit instaurationem Hierosolymorum. *Ezr.* 4. *ver.* 7. A septimo anno huius Longimani ad passionem Christi Funccius, Bucholcerus & alii numerant annos 490. præcise; ideoque hebdomad. Danielis hinc ordiuntur. Sed non recte. Vide quæ supra diximus in hanc sententiam. Euripides, Sophocles, Herodotus, Thucydides & Socrates circa hæc tempora floruerunt.

3537 *Darii* Nothi annus primus. Quidam Chronologi commemorant 2. menses cuiusdam Xerxis, & 7. menses cuiusdam Sogdiani hoc loco: sed illi addi debent quadragesimo Artaxerxis, isti primo huius Darii Nothi. Haggæus & Zacharias vaticinan-

Haggæus & Zacha-

cinantur hoc tempore. Haggæus hortatur, vt in ædificium templi incumbant, & promittit successum commodum. Vaticinatur etiam de gloria domus secundæ, scilicet ob præsentiam Messiæ. *Hagg.c.*1.2. Huc refer *Zachar.c.*2.3.5. *rias quando vaticinati?*

Articulus quintus, est à templo secundo ad Christi natiuitatem: annorum 422. adeoque ab anno mundi 3538. inclusiue, vsque ad annum mundi 3959. inclusiue, & 3960. exclusiue, quo anno natus est Messias. Chronologia hoc loco adferenda erit quadruplex, videlicet reliquorum regum Persicorum, monarchiæ Græcæ vsque ad initium Romanæ, monarchiæ Romanæ incipientis, & rerum Iudaicarum sub monarchia Græca & Romana.

Anno Mundi.

Chronologia reliquorum Regum monarchiæ Persicæ.

3538 Hic est annus secundus Darii Nothi illius, qui est interiectus inter duos Artaxerxes, & instaurauit Hierosolymitanum templum. Nam anno illius 6. templum est absolutum. *Ezr.6.v.*15. vbi dicitur, quod mandatum Cyri renouauerit. Ab hoc anno secundo nos ordimur 70. septimanas *Dan. cap 9.*

3556 *Artaxerxes Mnemon* regnat an. 43. Huius frater fuit Cyrus minor, cui σύγχρονος fuit Xenophon. Eusebius huic regi tribuit annos 40. sed in compensationem Ocho tribuit 26. cui Diodorus tantum 23. assignat, & Mnemoni 43. vt & nos.

3562 Anno 7. Artaxerxis Ezras Hierosolymam proficiscitur. *Ezr.* *Historiæ*
7.ver.9. *libri Ezræ*

3575 Anno 20. huius Artaxerxis Nehemias Hierosolymam venit, permissu regis, & muros ciuitatis per annos 12. restaurat. *Nehem.*1.2.6.8.10. *huc pertinet, & Nehemiæ.*

3586 Anno 31. Artaxerxis Mnemonis muri Hierosolymis perfecti sunt, septimanis septem, seu annis 49. à secundo Darii Nothi anno & initio hebdomadum.

3587 Anno 32. Artaxerxis Nehemias redit in Persiam. *Nehem.*5.*v.*14. Vide etiam *cap.*13.

3588 } 9 } 3590 Nehemias secundo præfecturam Iudæorum consequutus, violationem Sabbati corrigit, & coniugia cum exteris. *Nehem.*13.

3599 *Darius Ochus* regnat an. 23. Occisus à Bagoa cubiculario.

3621 *Darius Arses*, an. 3. à Bagoa euectus & occisus.

3624 *Darius Codomannus*, an. 6. victus ab Alexandro, occisus à Besso. *Nehem.*12.

Chronographia monarchia Græcæ.

Anno Mundi.

Chronologia Monarchiæ Græcorum.

3630 Alexander Magnus fit monarcha. Regnauit quidem 12. annis: sed sex priores anni non pertinent ad Monarchiam. Dan. 10. v. 20. Aristoteles fuit huius herois præceptor.

Ex Alexandri monarchia oriuntur quatuor regna, Syria (dicitur regnum Græcorum in libris Maccabæorum.) Asiæ, Macedoniæ, & Ægypti. *Daniel.* 11. *ver.* 4. Seleuco Syria obtingit & Babylonia, Antigono Asia minor, Cassandro Antipatri Macedonia; Ptolomæus Lagi Ægyptum & Africam obtinet. Abierunt autem 12. anni post obitum Alexandri Magni donec constitueretur regnum Assyriacum. Sed initium regni Ægypti immediate cohæret cum obitu Alexandri. Quapropter seriem regum Ægyptiorum tanquam filum retinebimus, & reges Syriæ illis applicabimus.

3636 *Ptolomæus Lag.* 40. ann. regnat.

3648 Anno 13. Ptolomæi Seleucus Nicanor fit rex Syriæ, Babyloniæ, &c. vsque ad Persidem, Antigono eiecto. Atque hinc æra Græca in Maccabæorum libris initium capit. *Dan.* 11. *v.* 5.

3676 *Ptolomæus Philadelphus* 38. an. regnat. Princeps in literas munificentissimus. Bibliothecam Alexandriæ instruxit: & Hebræa Biblia à LXX. in linguam Græcam transferri curauit.

3679 Anno 3. Ptolomæi Philadelphi incipit Antiochus Soter Seleuci filius. Regnat an. 21.

NB. Seleucidæ, reges Syriæ, obtinent Asiam. Vicissim Antigoni posteritas ex Asia pulsa, obtinet Macedoniam, vsque ad dominium Romanorum. Lagidæ vero continua successione Ægyptum obtinent vsque ad Augustum Imperatorem.

3700 Anno 24. Ptolom. Philadelphi Antiochus Theos succedit Antiocho Soteri in regno Syriæ. *Dan.* 11. *v.* 6.

3714 *Ptolomæus Euergetes* Philadelphi filius regnat an. 26. Illius annus primus incidit in 38. Philadelphi. Hoc tempore incipit Hannibal.

3715 Anno 2. Ptolomæi Euergetis Seleucus Gallinicus Thei filius, fit rex Syriæ seu Assyriæ. Hic initio regni nouercam Berenicen vna cum filiolo necat, ex instinctu matris suæ Laonices antea repudiatæ à patre. Vnde Euergetes Berenices frater ingens bellum mouet, & Callinicum vincit. *Daniel.* 11. *v.* 6. 7. 8. 9. Vide Iosephum. Antiochus Hierax fratrem Seleucum iuuat. Sed post, composito bello, eundem intestino bello impugnat. *Dan.* 12. Regnauit autem Callinicus 20. an.

3735 Seleucus Ceraunus succedit patri Callinico: regnat 2. annis. Ei succedit frater, Antiochus Magnus, *Dan.* 11. *v.*10. qui regnat annis 37.

3740 *Ptolemaus Philopator*, Euergetæ filius, regnat an. 17. Fuit parricida, incestuosus, scelestus & voluptuarius. Vicit Antiochum Magnum, qui ipsi mouerat bellum, quo victo redit ad otium & voluptates. *Dan.* 11. *v.* 11.

3757 *Ptolemaus Epiphanes* filius quinquennis, in regno succedit. Regnat annis 24.

3759 Antiochus Magnus ciuitates Ptolomæi in Syria occupat. *Dan.* 11. Pacem cum eo init, data filia Cleopatra in vxorem. *Daniel.* 11. *vers.* 17. Hic Antiochus victus est à Romanis, *Dan.* 11. *vers.* 18. 19.

3773 Anno 18. Ptolemæi Epiphanis Seleucus Philopator, Soter dictus, filius Antiochi, succedit patri. Regnat ann. 12. *Daniel.* 1. *vers.* 20 Sub eo contigit historia Heliodori. 2. *Maccab.* 3. *v.* 3. 9.

3781 *Ptolomaus Philometor*, regnat an. 35.

3786 Anno 6. Philometoris Antiochus Epiphanes filius Antiochi Magni fit rex Syriæ. De hoc Epiphane plurima *Dan.* 11. & 12. Templum profanat. 1. *Maccab.* 1. Regnat an. 12.

3797 Eupator succedit Epiphani: regnat an. 2. quorum prior incidit in 12. Epiphanis.

3799 Demetrius Soter succedit Eupatori. regnat ann. 10. 1. *Maccab.* 7.

3809 Alexander succedit Demetrio, cognomento Bala, seu Veles. Regnat an. 6. Dictus etiam fuit Epiphanes, quod nomen à parēte suo Antiocho Epiphani traxit. Huic Alexandro filiam suā elocat Ptolemæus Philometor. 1. *Maccab.* 10. Postea Alexandrū generum persequitur.

3815 Demetrius Nicanor succedit Alexādro: regnat an. 2. 1. *Maccab.* 11. Est rex Syriæ.

3816 *Ptolemaus Euergetes* secundus, cognomento *Physcon* frater Philometoris, ipsi succedit. 1. *Maccab.* 11. *vers.* 18. Regnat annos 29.

3817 Antiochus Entheus rex Syriæ, cum Tryphone prorege an-
3819 nos fere duos. Tryphon solus annos 3.

3822 Antiochus Sidetes seu Pius & Soter dictus, Demetrii frater, regnum Syriæ occupat, & Tryphonem eiicit. 1. *Maccab.* 19. *vers.* 10. Vterque est filius Demetrii Soteris. Regnat annos 10.

3831 Ptolomæus Physcon regno pellitur ob tyrannidem ann. re-

Anno Mundi. gni 16. Fugit in Cyprum, ibique repudiatæ coniugis filium occidit,& membra truncata matri mittit.

3832 Demetrius iterum,liberatus captiuitate Parthica,fit rex Syriæ.an.3.

3835 Alexander Zebenna regit Syriam 2.an. Ptolemæus Physcon lacessitus à Demetrio hunc Alexandrum Zebennam misit,qui illum regno eiiceret. Idem Ptolemæus contra Alexandrum superbientem mittit Grypum in regnum Syriæ. Itaque

3837 Antiochus Grypus succedit Alexandro. Sic dictus fuit à Naso. Aliter Philometor. Regnat annos 29. Fuit filius Demetrii.

3845 Anno nono Antiochus Cyzicenus frater Grypi incipit fratri mouere bellum. In eo tumultu moritur rex Ptolomæus Physcon. Eusebius Grypo tribuit solum annos 12. forte ideo, quia reliquis 17. Gyzicenus fuerit superior.

3845 *Ptolomaus Lathurus*, rex Ægypti, succedit Ptolomæo Physconi. Plutarchus illum vocat Lamyrum. Regnat cum matre annos 16. Post ab eadem eiicitur, qua post decennium interfecta, iterum regnat annos 8. A quibusdam vocatur Physcon.

3861 *Ptolemaus Alexander*, frater Lathuri, vna cum matre Cleopatra regnat an. 10. cum Lathurus à matre reiectus in Cyprum fugisset. Abdicauit sponte, ob crudelitatem matris, quam & post interfecit, cum vitæ suæ illam insidiari sensisset.

3866 Seleucus Grypi filius, fit rex Syriæ. Cum eo, & inter se bella gerunt Antonius Eusebes, Philippus & Demetrius, sex annis. Post Philippus solus rerum potitur Demetrio capto 2.ann.

3871 *Lathurus* redux, seu reuocatus, regnat an. 8.

3874 *Tigranes* rex Armeniæ, ob intestina Seleucidarum bella à Syris euocatus, regnum per annos 18. in summa tranquillitate obtinet. Antiochus Gyzicenus interea in Cilicia latet vsque ad Tigranem victum.

3879 *Ptolemaus Auletes*, rex Ægypti an. 31. Quod si Auletæ tribuas 30. & Lathuro ante exilium 17. vt Eusebius facit, res eodem redit.

3891 Lucullus Tigranem vincit, & Gyzicenum denuo declarat regem Syriæ. Postea Tigranes recolligit se. Sed superatur à Pōpeio, qui Gyziceno regnum denegat, & Syriam in prouinciam redigit, paulo ante Hierosolymam captam. Deinceps Romani præsides siue prefectos in Syriam miserunt: de quibus apud Iosephum.

3910 *Cleopatra* regnat tribus annis vna cum Dion. iuniore: 22. annis sola.

Post-

3932 Postea Augustus redigit Ægyptum in Syriam. Regnauit itaque Cleopatra ann. 22. Reges Ægypti nunc subiiciamus ὡς ἐν ζυνόψει.

		Ann.			
1	Alex. Magnus.	6	10	Alexander cum matre.	
2	Ptol. Lagus.	40.		Cleopatra.	10.
3	Ptol. Philadelphus	38.	11.	Lathurus reuocatus.	8.
4	Ptol. Euergetes.	26.	12.	Auletes.	31.
5	Ptol. Philopator.	17.	13.	Cleopatra.	22.
6	Ptol. Epiphanes	24.			
7	Ptol. Philometo.	35.		Summa regni Ægyptiaci	302.
8	Ptol. Euergetes Physc.	29.			
9	Ptol. Lathurus.	16.			

Solemus tamen numerare 280. solum annos huius Monarchiæ, nimirum à sexto anno Alexandri vsque ad initium Monarchiæ Romanorum; demtis videlicet 22. annis Cleopatræ.

Anno Mundi.

Chronologia Monarchiæ Romanæ incipientis vsque ad D. N. Christum Iesum Messiam æternum.

3910 In hunc annum collocamus Calendas Iulianas, seu initium anni Iuliani. Statuimus enim illum hoc anno factum esse Dictatorem, à qua Dictatura ineunt anni isti. Nam postquam esset Dictator, hunc annum instituebat. Quidam malunt Calendas illas figere in anno secundo, vel tertio à Dictatura.

3916 Iulius Cæsar occiditur.

3917 Augustus Cæsar succedit.

3918 Hoc anno fit consul. Ab hoc ipsius consulatu numerandi sunt anni Augusti, non à morte Cæsaris. Suntque anni 57. hoc modo

3918	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	Anni Augusti Cæsaris.
3928	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.	
3938	21.	22.	23.	24.	25.	26.	27.	28.	29.	30.	
3948	31.	32.	33.	34.	35.	36.	37.	38.	39.	40.	
3958	41.	42.									

3960 43. Christus nascitur: anno Augusti 43. non vt quidam volunt.

3961 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53.

3971 54. 55. 56. 57. Moritur itaque Augustus anno mundi 3974.

Chro-

Anno Mundi.

Chronologia rerum Iudaicarum sub Monarchia Persica ex parte, sub Græca tota, & Romana incipiente.

Res Iudæorum post captiuitatem sub Persis.

3538 Soluta captiuitate post annum 2. Darii Nothi populum Dei rexerunt quatuor Principes, vsque ad Alexan. M. 1. Zorobabel cũ Osia filio. 2. Rosa Mysciollam. 3. Ioanna BenResa. 4. Iudas primus cognomento Hyrcanus.

Pontifices fuerunt ab eo tempore sex:

1. Iesus filius Iosedeck, tempore Zorobabelis.
2. Ioiakim filius Iesu, tempore Osiæ, filius Zorobabelis.
3. Iesus rursum. duce Zorobab.
4. Ioiakim iterum, sub initium Resæ Mysciollam.
5. Eliasib, tertius Pontifex, sub finem Resæ Mysciollam.
6. Ioada sub initium Ioannæ ducis. Hic & Iodas dicitur.
7. Ioatham, sub Ioanna itidem.
8. Iaddua, sub finem monarchiæ Persarum.

Res Iudæorum sub Græcis.

3626 Anno 3. regni sui (tribus annis ante monarchiam) Alexander Magnus Hierosolymam ingreditur post captam Tyrum, & summum Pontificem *Iaddum*, seu Iadduam sibi obuiam euntem veneratur, & Iudæis immunitatem tribuit.

Huc pertinent libri Maccabæorum.

3636 Post Alexandrum duces Hebræorum minus celebres fuerunt Ioseph, qui successit Hyrcamo, Abner Semei, Elymeth, Asarmaath, Nagidart, Agai Eslii, Maslot, Naum, Amos Syrach, Math. Siloa, Ioseph Arses. Hi duces fuerunt, inde ab Alexandro M. vsque ad Antiochum Epiphanem. Hoc tempore Pontifices fuerunt, Onias, qui successit Iadduæ, Simon, Eleazar, Manasses, Simon Iustus, & Onias.

3786 *& seqq.* Antiochus Epiphanes furit, spoliat & prosanat templum. Iohannes Hyrcanus Dux Iudæorum, infert sibi manus violentas.

3793 Mattathias Assamonæus.

3794 Iudas Maccabæus resistit Antiocho Epiphani. Hic Iudas fuit è familia Assamonæorum, qui orti fuerunt à quodam sacerdote, de ordine Ioarib, nomine Simeon. 1. *Maccab.* 2. Hinc putantur dici Assimonæi, quasi Simeonii. Sed perperam. Sic enim dicuntur ex Hebræo *Chaschmonàim*, optimates, magnifici. Et hodie Cardinales à Iudæis vocantur Chalchmannim. Simeonis istius filius fuit Iohannes. Iohannis Mattathias Assamonæus, qui habitauit in monte Modin. Mattathiæ filii fuerunt Iudas, Ionatham, Simeon, Iohannes, & Eleazar: qui Machabæi

1. Maccab. 9.

Anno Mundi. chabæi sunt vocati, ꝗ in vexillis suis, quibus vsi sunt aduersus hostes, vsurparent literas מכבי ex canonico Mosis *Exod.* 15. מי כמוה באליםיהוה, hoc est, quis sicut tu inter fortes Iehoua. Hi Maccabæi gesserunt & Pontificatum & Principatum, Iudas regit populum an. 6. cadit in prælio aduersus Bacchidem An. 152. Græcorum, id est, regum Syriæ 1. *Mac.* 9. Ionathas frater

3800 succedit Iudæ. 1. *Maccab.* 9. *v.* 3. 23. anno 2. Demetrii Soteris. Regnat ann. 18. Reliqui fratres, Eleazar & Ioannes, pereunt, ille opprimitur ab Elephante. 1. *Maccab.* 6. hic ab Amorrhæis interficitur. 1. *Maccab.* 9.

3818 Simeon frater regnat ann. 8. Succedit anno Græcorum 170. 1. *Maccab.* 13. *v.* 41. Habuit filios Iohannem Hyrcanum, Iudam, & Mattathiam, & vnam filiam, quam elocauit Ptolemæo, Abobi filio, Hierichuntis Præfecto, à quo vna cum Iuda & Mattathia filiis, per fraudem obtruncatus fuit. 1. *Maccab.* 16.

3826 Iohannes Hyrcanus filius anno 177. finiente incipit regere. 1. *Maccab.* 16. Rexit populum annis 31. Habuit quinque filios, Aristobulum, Antigonum, Alexandrum Iannæum, Absalomũ, & quintum *ἀνώνυμον*. *Ioseph. antiquit.* 12. *c.* 18.

3856 Aristobulus (vulgo primus) Patri succedit, & primus ex Assamonæorum familia diadema & titulum regis vsurpat. *Antiquit.* 12. *c.* 19. Hic viuente adhuc patre, regnat anno scil. vno Antigonus frater insidiis interimitur. *ibid.*

3857 Alexander Ianneus (alii legunt Ioanneus) Hyrcani filius, Aristobuli frater, succedit in regno, quod administrat annos 27. *Ioseph. l.* 13. *c.* 21. Fuit rex fortunatus. Fratrem *ἀνώνυμον* è medio sustulit. *Antiquit.* 12. *c.* 20. Absalomus autem vixit vitam priuatam. Alexander iste reliquit duos filios, Hyrcanum & Aristobulum. *Antiquit.* 13. *c.* 24.

3884 Alexandra Salome, seu Solina, vxor Alexandri regnat an. 9. Eius filii fuerunt Aristobulus minor, industrius, & Hyrcanus maior ignauus.

3893 Aristobulus II. succedit matri, pulso Hyrcano, qui duntaxat mens. 3. regnauerat. Aristobulus iste regnat an. 5. vt videtur.

3898 Postea capitur Hierosolyma à Pompeio, anno mundi 3898. *Res Iudæorum sub Roman.* Pompeius Hyrcano restituit sacerdotium sed absque regno. Iste Hyrcanus ab Herode occiditur, octogenario maior: relicta filia Alexandra reliquit duos filios, Alexandr. & Antigonum, & filiam Alexandram II. Alexander (iussu Pompeii, à Scipione securi percussus est Antiochiæ) duxit Alexandram I. Hyrcani filiam, ex qua nati fuerunt Aristobulus, & Mariamne. Antigonus

Anno Mundi.

nus (iussu Antonii occiditur Antiochiæ) reliquit vnam filiam, quam Antipater Herodis filius duxit. Alexandra secunda nupsit regulo Chalcidis. Aristobulus Alexandri filius vix iam ad summum sacerdotium promotus, astu Herodis suffocatur in balneo. Mariamnem Alexandri filiam ducit Herodes Magnus; sed ab eodem occiditur; & ita familia Assamonæorum ab Herode extinguitur. Sed hæc componamus cum Herodis familia.

Herodis familia in Iudæa.

3901 Antipater Ascalonita Idumæus, Procurator Iudææ constituitur à Cæsare. Aliter dicitur Antipas Ascalonites. Regnat annos 4.

Huc quidam multos Herodes, (sed obscuros) referunt, ex Iosepho. Sed parum illa genealogia illustrat historiam sacram. Sequens genealogia tibi exhibet Herodum istorum, de quibus in sacris literis, successionem.

3925 Herodes Magnus decem habuit vxores. Prima fuit Doris, qua genuit Antipatrum. Secunda fuit Mariamne Assamonæa, ex qua suscepit tres filios, & duas filias. Duos filios Alexandrum & Aristobulum interfici curauit: tertius ἀνώνυμος mortuus est. Alexander habuit duos filios, Tygranem & Alexandrum. Aristobulus ex Berenice reliquit Agrippam, Herodem, Aristobulum, Herodiadem & Mariamnen. Agrippa factus est rex Iudææ. *Actor.* 12. simpliciter vocatur Herodes. Herodias fuit vxor Philippi Tetrarchæ, quæ relicto marito diuertit ad Herodem Antipam, Tetrarcham Galilææ. Tertia vxor Herodis fuit Mariamne filia Boethi, quem Herodes fecit summum Pontificem, remoto Iesu, vt illius filiam honeste ducere posset. Ex hac suscepit Herodem II. quem Iosephus dixit vxorem habuisse Herodiadem, atque ex ea genuisse Salomen (quæ saltauit de capite Iohannis Baptistæ) sed Euangelista Marcus Herodiadem Philippi Tetrarchæ vxorem fuisse dicit: & consentit Iosippus. Quarta Herodis vxor fuit Matthace Samaritana, ex qua suscepit Archelaum, Herodem, & Olympiadem. Archelaus ab Augusto declaratus Eilnarcha Iudææ. Herodes cognomento Antipas, factus est Tetrarcha Galilææ, qui rapuit Herodiad. & interfici iussit Iohannem Baptistam. Olympias nupta fuit Iosippo, ex quo reliquit Mariamnen, nuptam regi Chalcidis Herodi, qui ex ea genuit Aristobulum, qui à Nerone constitutus fuit præfectus minoris Armeniæ, & duxit Salomen saltatriculam, Herodiadis filiam. Quinta Herodis vxor fuit Cleo-

Anno Mundi. Cleopatra. Sexta fuit Pallas: septima Phædra: octaua, Elpis: nona fuit fratris filia: decima, patruelis; quarum nomina non extant apud Iosephum. Obserua Iosephum numerare annos Herodis secundum Paschata, more Iudaico. Hic Herodes cepit Hierosolymam (quam Romanis eripuerant Iudæi) cæso Antigono, Aristobuli filio, qui anno 3. præfuit ab eo tempore, quo vrbs Romanis fuit erepta. Idem Herodes Hyrcanum sustulit, & regno Assamonæorum finem imposuit. Magnum Senatum Iudæorum, quem Sanhedrin vocant, sustulit omnibus interfectis, excepto vno: quem exoculauit.

2960 Hic est annus 36. & vltimus Herodis, quo natus est Messias, circa mensem Octobrem. Herodes mortuus est hoc anno labente, circa ęquinoctium vernum. Hic est ille infanticida. Hac de re paulo post.

2961 Filii Herodis tres ab Augusto constituti sunt Tetrarchæ, quod mortuo patre contenderent de regno. 1. Philippus Tetrarcha Ituræ. 2. Herodes Antipas, Galilææ. 3. Archelaus Tetrarcha Iudææ; qui tandem relegatus est. Ei successerunt *Præfecti* & Procuratores *Iudææ*.

2989 Herodes Antipas anno Christi 30. in vincula coniicit & decollat, vt etiam *Iosephus* tradit *lib*. 18. *cap*. 7. Idem CHRISTVM in passione irridet. Huius filii fuerunt Herodes Agrippa, qui occidit Iacobum. *Actor*. 12. *vers*. 2. & Herodes Agrippa rex Chalcidis, qui mortuus est anno 8. Claudii Agrippæ filius, fuit Agrippa iunior, qui quam diutissime vixit. Dicitur etiam Agrippa secundus. Sed de his etiam dicemus in Chronologia vitæ & mortis CHRISTI.

Sequitur tempus mundi noui, idque tractandum nobis est quam diligentissime. Est autem aliud Christi, aliud Ecclesiæ.

Tempus Christi, est quo ille in hunc mundum natus, in eodem vixit, prædicauit, passus est, resurrexit è mortuis, & tandem illum reliquit.

Huius temporis articulos constituimus tres:

1. *A natiuitate ad Baptismum.*
2. *A Baptismo ad passionem.*
3. *A passione ad ascensionem.*

* * * *
* * * *

Articulus primus.

A natiuitate Christi ad Baptismum.

ANno mundi 3959. Annunciatur conceptio Iohannis Baptistæ, mense Augusto. *Luc.*1. Sexto mense post conceptionem Iohan. Angelus venit ad Mariam, quæ Christum concepit circa finem Decembris vel initium Ianuarii. *ibid.*

Anno Christi 1. *Anno mundi* 3960. Iohannes nascitur circa initium Maii; Christus circa finem Septembris, vel initium Octobris. De hoc autem articulo parcius narrant Euangelistæ, quod Spiritus sanctus de officio publico mallet eos scribere. Constat autem hic articulus rebus nouem.

1. Christus nascitur Bethlehemæ. Probabile est ipsum natum esse die suo, hoc est, Dominico.
2. Circumciditur octauo die.
3. Offertur in templo Hierosolymis, die quadragesimo.
4. Offerunt ei Magi dona, cum adhuc Bethlehemæ esset, decimotertio à natiuitate die, vt videtur.
5. Cogitur fugere in Ægyptum, decimosexto à natiuitate sua die, vt videtur.
6. *Anno Christi* 12. Redit post mortem Herodis, & educatur Nazarethæ.
7. Annos natus 12. inuenitur in templo.
8. Redit & obtemperat parentibus.
9. Statura, sapientia, & gratia proficit apud Deum & homines.

Ex his nouem partibus duæ sunt, quæ indigent illustratione, videl. 1. & 4.

Genealogia Christi. *De* 1. Duplex occurrit genealogia Christi in historia Euangelica; altera apud Matthæum cap. 1. altera apud Lucam cap. 3. Est autem diuersitas quædam, de qua duæ sunt eruditorum sententiæ. Alii statuunt, Matthæum describere legaliter genus Christi à Dauide per Salomonem, Lucam vero naturaliter describere genus eius à Dauide per Nathanem. Alii statuunt, à Matth. describi genealogiam Christi naturalem, à Luca vero legalem. Nos amplectimur posteriorem sententiam. Nam omnes illi, qui à Matth. post Salomon. recensentur, fuerunt progenitores naturales Mariæ, matris CHRISTI, vno Iacobo excepto, qui fuit pater naturalis Iosephi. Quod autem CHRISTVS ortus sit ex Salomon. patet ex eo, quia Dauidi tanquam ex illo oriundus, fuit promissus. 2. *Samuelis* 7. *versic.* 12. & sequentibus, quem locum confer cum *Luc.* 2. *vers.* 30. Lucas autem describit genealogiam legalem, quia Eli qui penultimo loco in ea ponitur, quique è Nathane, non è Salomone, ortus fuit, fuit pater Iosephi, non naturalis, sed legalis: cui scilicet Iacobus, naturalis pater Iosephi, illum genuit iure leuirationis, cum is nullo relicto filio

filio mortuus esset: de quo iure ad *Deut.* 25. *v.* 5. 6. Describit itaque Matthæus Christi genus à Dauide per Salomonem naturaliter: at Lucas describit genus Christi maternum legaliter per Nathanem. Nam quod Ioseph dicitur fuisse filius Eli, id intelligendum ac si diceretur, gener Eli. Obiicis: Atqui Dauidis genus defecit in Zedekia, rege illo vltimo, qui fuit à Nebucadnezare deportatus vna cum populo. 2. *Reg. vlt.* Resp. Interim genus Salomonis propagatum est per Ioiachinum, seu Iechoniam, qui genuit Saalthielem 1. *Reg* 3. *v.* 17. Saalthiel vero genuit Pedaiam. *ibidem v.* 18. Pedaia Serubabelem, *ibidem vers.* 19. At ais: Serubabel iste non fuit rex. Resp. Fuit tamen Princeps populi Dei constitutus à Cyro. *Ezr.* 4. *ver.* 4. Rursus obiicis: Atqui genus Salomonis extinctum est in Iechonia. *Ierem.* 22. *v.* 24. vbi Deus iureiurando confirmat, Iechoniam futurum ἄτεκνον. Resp. At in isto loco fit mentio liberorum Iechoniæ. Non igitur simpliciter, sed secundum quid illa verba sunt intelligenda, hoc modo: Habebit quidem Iechonias iste liberos, sed non succedent in regno, neque erunt frugi. Confer cum *vers.* 28. Hoc certe perinde est regi vel principi, si liberi ipsius non succedant ipsi, ac si nullos haberet. Mors hæc, vel vt ita dicam, non existentia, est ciuilis, non naturalis. Ad hæc obiicis: Serubabel, qui princeps populi fuit constitutus à Cyro, non fuit à linea Salomonis. *Luc.* 3. *v.* 27. collato cum *v.* 31. Resp. Serubabel Matthæi est alius à Serubabele Lucæ. Ratio: quia Serubabel Lucæ patrem habuit Salathielem, filium Neri. Nam Lucas nullam prorsus generationem omittit. At Serubabel Matthæi fuit filius Pedaiæ, qui fuit filius Saalthielis filii Iechoniæ. 1. *Chron.* 3. *v.* 17. 18. 19. Excipis: At Matthæus omisit Pedaiam. Resp. scilicet ideo hoc fecit, vt haberet præcise tres tesseradecades. Ad extremum obiicis. Non verisimile est, Christum ex impia descendere familia, qualis est illa, quæ Iechoniam habet. Resp. Christus debebat descendere ex linea Dauidis, non autem ex tali linea, in qua omnes essent probi & sancti.

De 2. Coniectura est quorundam Chronologorum, Christum fuisse bimum eo tempore, quo illud immane infanticidium Herodes commisit. Herodes, aiunt, infantes bimulos occidi iussit. E. Christus fuit bimus: Atqui Herodes post illud tempus superuixit annum. Cum autem Herodes 37. annos regnarit, sequitur Christum anno 34 Herodis natum fuisse. Quare non potest consistere illud, quod Christus eo quo natus est anno, in Ægyptum sit deportatus à parentibus. Resp. Magi aduentantes, vtuntur tali formula: ποῦ ὁ τεχθεὶς ὁ βασιλεύς: At illud τεχθεὶς non διετὲς παιδίον, sed ἀρτιγενὲς significat. Accedit, quod Herodes expiscatus est tempus stellæ. Nesciuit enim tempus natalis Christi. Ergo ἀπὸ τῆς φάσεως τοῦ ἀστέρος, non solum bimulos pueros, sed & infra bimatum interfecit. Quare non κατὰ χρόνον γενέσεως τοῦ χριστοῦ, sed κατὰ χρόνον φαινομένου τοῦ ἀ-

στρ⊕ pueri interfecti sunt. Probabile autem est, stellam illam biennio plus minus natiuitatem Christi præcessisse, vel saltem anno. Deinde Herodes duntaxat *36.* annos regnauit, non 37.

Articulus secundus.

A baptismo Christi vsque ad passionem.

An. Christi 27.28. 29. Hisce annis videtur Iohannes Baptista complanasse viam vncto Dei prædicando Euangelium, cuius ille fuit præco diuinissimus, maior omnibus Prophetis.

30. Hoc anno ferme completo, Christus est baptizatus. Ais: At ἐμπεδῶν est locus *Luc.* 3. *v.* 23. *Ipse autem Iesus incipiebat esse annorum quasi triginta:* ἦν ἀρχόμενος, *Erat incipiens.* Ergo modo ingressus an. 30. baptizatus est, non illo ad finem currente. Alii ex hoc loco eliciunt, ipsum esse baptizatum an. 29. mens. 10. ante 6. Idus Nouemb. Resp. Genuina huius loci explicatio hæc est: Iesus incipiebat esse ὡσεὶ *quasi* 30. annorum, h. e. ferme attigerat terminum illius anni trigesimi. Hunc sensum requirit λογογραφικὴ ἀνάγκη. Sic dicere solemus: Ille incipit esse Doctor sacrarum literarum, quod autem hæc expositio sit genuina inde constare potest, quia Christus baptizatus est anno Tiberii decimosexto ineunte, qui est trigesimus Christi ad finem currens.

Post baptismum Christus gerit officium suum palam & cum authoritate. Videtur tamen Christus ante baptismum quoque subinde subindicasse maiestatem suam, forte in subleuanda sua & parentum paupertate, vt ex verbis Mariæ *Ioh.* 2. probabiliter colligitur.

Prædicauit autem Christus annis $4\frac{1}{2}$. Hi vocantur anni τῆς πολιτείας, seu functionis Christi, de quibus alij aliter sentiunt. Eusebius author est, Christum passum esse anno prædicationis suæ quarto. Clemens Alexandrinus affirmat, Christum tantum prædicasse vnum annum; idque confirmat ex Esaia: *Annum acceptabilem misit me prædicare.* Ergo vnum annum prædicauit. Epiphanius hanc sententiam, vt parum sinceram incustauit, & Christum duos annos prædicasse coniicit; quorum vnus fuerit δεκτὸς, alter ἀντιλεγόμενος, καὶ οὐ δεκτός. *Irenæus lib.* 2. *cap.* 38. 39. refutat illos, qui sic statuunt, Christum prædicasse vnicum duntaxat annum, & vult Christum prædicasse ad annum vsque ætatis 50. quam sententiam nonnulli probant ex *Iohan.* 8. *v.* 57. *Nondum habes* 50. *annos, & vidisti Abrahamum?* Communis Doctorum multorum opinio est, Christum post baptismum prædicasse annos $3\frac{1}{2}$. Nos supra eruimus characterem certum per certa interualla, quæ definiuimus per Paschata, secuti magnum Scaligerum & alios quosdam Chronologos doctissimos, in quibus *Theobaldus Meuschius* non est postremus, homo bene meritus de hac literaturæ sublimioris parte. Nos igitur deinceps ordine percurremus ista interualla, adeoque

que trademus hoc loco *Harmoniam Euangelistarum, seu Methodum Euangelii de Christo.*

Christus baptizatus est anno 30. fere completo. Itaque mense Septembri baptizatus est, non paulo ante Pascha, vt quidam prodiderunt. *Annus Christi 31.*

Itaque bipertitum est hoc tempus Christi post baptismum: videlicet à baptismo ad primum Pascha, & tum deinceps.

A baptismo ad primum vsque Pascha acciderunt ista quatuor:

1. Christus tentatur in deserto. *Matth. 4. Luc. 4.*

2. Baptista perhibet Christo testimonium triplex; Primum in deserto: & secundum, eidem manifestato: & denique tertium *Iohan. 1.*

3. Andreas, Petrus, Philippus & Nathanael ex testimonio Iohannis sequuntur Christum. *Iohan. 1.*

4. Christus interest nuptiis in Cana Galilææ, & primum edit miraculum. *Iohan. 2.*

Reliquum tempus bipertitum etiam est; nimirum inde à primo Paschate ad mortem vsque, & tum ad ascensum in Cœlum.

Tempus inde vsque ad mortem, in Euangelio distinctum est quinque Paschæ festis, quibus de more Iesus interfuit.

Pascha primum ministerii Christi.

A primo Paschate ad secundum, acciderunt res circiter viginti & vna.

1. Christus purgat templum, eiiciendo ementes & vendentes, & docendo de vero Dei cultu. *Ioh. 2.* *An. Christi 31. 32. medius.*

2. Instruit Christum de regeneratione, & collocanda in ipsum fiducia. *Iohan. 3.*

3. Baptizat per discipulos, & docet, Iohanne nondum capto. *Iohan. 3. & 4.* Iohannes baptizat in Ænon, discipuli Christi in Iudæa. Discipuli Baptistæ disputant. Iohannes extremum Christo dat testimonium. Postea coniicitur in carcerem. *Matth. 14. Luc. 3. Marc. 6.* in quo detinetur per biennium. Alii hanc historiam coniiciunt in secundi Paschatis tempus, ita vt Baptista sit interfectus anno Christi 34. exegeritque duo Paschata in carcere.

4. Rediturus in Galilæam transit per Samariam & instituit Samaritanam mulierem de vero Dei cultu. *Iohan. 4.*

5. Docet Nazarethæ, se esse Christum ex Esaia. *Luc 4. & Matth. 4.* Sed eiicitur à ciuibus.

6. In Cana Galilææ sanat filium reguli. *Iohan. 4.*

7. Postquam Iohannem Baptistam audiuit captum, migrauit & habitauit in Capernaum. Hinc illa dicitur ciuitas eius, quod ibi ciuis esset. *Matth. 4. Marc. 1.*

8. Vocat

8. Vocat quatuor discipulos, Petrum & Andream, Iohannem & Iacobum. *Matth.* 4. *Luc.* 5. *Marc.* 1.

9. Docet in Synagoga Capernaitana de regno Dei. *Marc.* 1.

10. Totam peragrat Galilæam, docens Euangelium, & sanans omnem languorem. Multi eum sectantur. *Matth.* 4. quos instituit in monte, de legis vera sententia. *Matth.* 5. 6 7.

11. Cum descendit, curat leprosum. *Matth.* 8.

12. Rediens in Capernaum, sanat Centurionis ministrum paralyticum. *ibid.*

13. Iterum docet in Synagoga Capernaitana. *Matth.* 18. *Marc.* 1.

14. Socrum Petri à febre liberat Capernai. *ibid.*

15. Inde digressus ad lacum Genezareth, iterum vocat Petrum, Iacobum, & Iohannem. *Luc.* 5.

16. Traiicit in fines Gergesenorum, & duos dæmoniacos liberat à legione malorum spirituum. *Matth.* 8.

17. Redit trans lacum Capernaum, in ipsam vrbem. *Matth.* 9. Et tum iterum purgat leprosum. *Marc.* 1. *Luc.* 5.

18. Matthæum publicanum vocat. *Matth.* 9. *Marc.* 2. *Luc.* 5.

19. Filium Arch synagogi reuocat in vitam. *Matth.* 9.

20. Hæmorrhoide, seu profluuio sanguinis, laborantem mulierem sanat. *ibid.*

21. Duobus cœcis reddit visum. *ibid.* Quidam nonnulla ex his referunt ad secundum Pascha.

Pascha secundum. Ann. Christi 32. & 33 medius.

A secundo Paschate ad tertium acciderunt res istæ, quas describit solus Iohannes cap. 5.

Pascha tertium. Ann. Christi 33. & 34. medius.

Hoc Pascha describitur *Matth.* 12. *Marc.* 2. *Luc.* 6. quod quidam confundunt cum illo, *Ioh.* 5. quod tamen reuera est secundum. Nouus certe annus prædicationis Christi significatur apud Matthæum, Marcum & Lucam dd. ll. qui cum illo apud Iohannem non debet confundi.

Ab hoc autem Paschate scil. tertio ad quartum hæc accidisse legimus.

1. Discipulos vellentes spicas in Sabbato, Christus defendit. *Matth.* 12. *Marc.* 2. *Luc.* 6.

2. Sabbato curat eum, cuius manus erat arefacta. *Marc.* 3. *Luc.* 6.

3. Mittit duodecim Apostolos, & eos de officio instruit. *Matth.* 10. *Marc.* 3. *Luc.* 6.

4. Docet de vero Dei cultu, veraque beatitudine. *Luc.* 6.

5. Verbo curat seruum Centurionis, absens absentem. *Luc.* 7.

6. Reuocat in vitam filium viduæ in Nain, *ibid.*

7. Iohannes Baptista legat discipulos duos ad ipsum ex carcere. *Matt.* 11. *Luc.* 7. Nam post Pascha primum fuit mancipatus carceri, secundum & tertium in illo exegit. Alii ipsum ibi exegisse 3. & 4. Pascha volunt.

8. Cum Christus egisset gratias Patri suo cœlesti de patefacto Euangelio, vocat ad se omnes laborantes. *Matth.* 11.

9. Cum pranderet apud Simonem Pharisæum vngitur à Maria Magdalena. *Luc.* 7.

10. Peragrat rursus castella & vicos, docens Euangelium. *Luc.* 8.

11. Sanat dæmoniacum cœcum & mutum. *Matth.* 12. *Marc.* 3.

12. Petentibus signum Iudæis, nonnisi Ionæ Prophetæ typum exponit. *Matth.* 12.

13. Cum eum requirerent mater & cognati, docet illos esse propinquos suos, qui verbum Dei audiant. *Matth.* 12. *Marc.* 3. *Luc.* 8.

14. Digressus traiicit in regionem Gadarenorum, & liberat Dæmoniacum. *Luc.* 8. *Marc.* 4. *&* 5. Hunc distinguunt ab eo apud *Matth.* 6.

15. Reuersus excitat à mortuis Iairi filiam: *ibid.*

16. Docet Nazarethæ in patria, & contemnitur. *Matth.* 13. *Marc.* 16.

17. Rursus mittit Apostolos. *Marc.* 6. *Luc.* 9.

18. Pascit 5000. hominum, quinque panibus, & duobus piscibus. *Matth.* 14. *Luc.* 9. *Ioh.* 6. paulo ante Pascha 4.

19. Ambulat ad mare. *Matth.* 14. *Marc.* 6.

20. Postridie docet de se ipso, cœlesti pane per fidem manducando. *Iohan.* 6.

Pascha Quartum. An. Chr. 34. *&* 35. *medius.*

Huius Paschæ meminit *Iohannes cap.* 6. *A Paschate hoc quarto ad quintum quod effluxit tempus, distingui potest quatuor modis. I. Ad scenopegiam in autumno. II. Ad Encania in media hyeme. III. Ad Martii 10. id est, 15. diem ante Pascha quintum. IV. Inde ad Pascha quintum. A Paschate quarto ad Encania hæc acciderunt.*

1. Christus disputat cum Pharisæis, de traditionibus humanis, *Matth.* 15. *Marc.* 7.

2. Liberat filiam Syrophœnissæ à dæmonio. *Matth.* 18. *Marc.* 7.

3. Curat surdum. *Ibid.*

4. Pascit 4000. hominum, septem panibus, *Matth.* 15. *Marc.* 8.

5. Rursum proponit signum Ionæ, & monet de fermento Pharisæorum. *Matth.* 16.

6. Quærit è discipulis, quid de se sentiat vulgus. *Matth.* 16. *Marc. Luc.* 9.

7. Prædicit suam passionem, & monet de cruce. *ibid.*

8. Transfigurat se in monte, & colloquitur cum Elia & Mose. *Matth.* 17. *Marc.* 9. *Luc.* 9.

9. Curat lunaticum. *ibid.*

10. Soluit tributum. *Matth.* 17.

11. Instituit discipulos de principatu *Matth.* 18.

12. Docet de remissione peccatorum diuina & humana *Matth.* 18.

13. Post has conciones migrat in Iudæam. *Matth.* 19. *Marc.* 10. *Luc.* 7. & sic ad festum Scenopegiæ seu tabernaculorum.

Deinde ad Encania geruntur hæc.

1. In medio festo Scenopegiæ docet in templo Hierosolymis de sua persona & officio, & de fide. *Iohan.* 7. 8. 9.

2. Ibi interim mansit ad proximum festum Encæniorum, seu dedicationis. *Iohan.* 10.

Inde ad Martii fere decimum diem hæc geruntur.

1. Fugit trans Iordanem propter insidias. *Iohan.* 10.

2. Redit inde paulatim Hierosolymam. *Luc.* 9.

3. Tum deinceps facta putantur omnia illa, quæ describit *Lucas à c.* 10. *ad* 19. fere caput.

Quarto inde ad Pascha quintum, & ita ad mortem Christi, tempus distingui potest per dies, hoc modo:

1. Martii die decimo nunciatur Christo de morbo Lazari. *Ioh.* 11. cum in Bethabara esset trans Iordanem. *ibid. & Matth.* 19. *Marc.* 10.

2. Martii die 11. & 12. postquam accepit nuncium illum, mansit ibi ad biduum. *Iohan.* 11. Interim Pharisæi quærunt ex illo, quid sit sentiendum de diuortio: & tum etiam puerulis benedicit. *Matth.* 19. *Marc.* 10. & *Luc.* 18.

3. Decimotertio die ad Lazarum excitandum proficiscitur, & simul ad mortem sustinendam. *Iohan.* 11. Tum & principem quendam instituit de consequenda vita æterno. *Matth.* 19. *Luc.* 16. *Marc.* 10. Tum etiam parabolam proponit de operariis. *Matth.* 20. Tum & mortem suam prædicit ex Prophetis. *Matth.* 20. *Marc.* 10. Tum Hierichuntem ingressus, diuertit apud Zachæum. *Luc.* 19.

4. Decimoquarto Martii, inde digressus, sanat cœcum filium Thimæi *Marc.* 10. Item aliis duobus reddit visum. *Matth.* 20.

5. Decimoquinto die tardius Bethaniam procedit propter hominum multitudinem, vt ex antecedentibus colligitur.

6. Decimosexto die, postquam venit Bethaniam, Lazarum excitauit, iam dies quatuor mortuum. *Iohan.* 11.

7. Decimo septimo Martii redit in desertum ad ciuitatem Ephrem. *Iohan.* 11.

8. Decimo octauo die videtur mansisse in deserto.

Dies Sab. 9. Decimo nono die redit Bethaniam, vbi cum Lazaro cœnat in Sabbato. *Ioh.* 12. Et hic est sextus dies ante Pascha, vt ait. *Ioh. d. c. v.* 1.
Dies Solis.

10. Vice

10. Vicesimo die Martii, asina vectus ingreditur Hierosolymam, qui *Dies Lunæ.* dies Palmarum dicitur. *Matth.*21. *Marc.*11. *Luc.*19. *Ioh.*12. Hic est quintus dies ante Pascha.

11. Vigesimo primo die rediens Bethaniam, maledicit ficui. *ibid.* Eiicit numularios è templo. *Marc.* 11. ad vesperam ex vrbe egreditur. *Dies Martis.*

12. Vigesimo secundo die, mane præteriens videt arefactam ficum. *Marc.*11. Tum rediens in templum interrogatur de suo officio. *Matth* 21. *Marc.*11. *Luc.* 20. Tum & conciones eas omnes habuit, quæ sunt à *Matth.* 21. *ad* 26. *&* *Mar.* 12 *&* 13. *Luc.* 21. Tum deinceps ait discipulis, post biduum esse Pascha. *Matth.*26 *Marc.*12. & tum vesperi cœnat Bethaniæ apud Simonem leprosum. *Matth.* 26. *Marc.* 14.

13. Vigesimo tertio die paciscitur de eo prehendendo Iudas. *Luc.* 22. *Dies Mercurii.*

14. Vigesimo quarto Martii Christus celebrat Pascha Mosaicum. Instituit cœnam. *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. Tum & pedes discipulorum lauit. *Iohan.*13. Hinc concionatur de suo officio, & consolatur discipulos. *Iohan.*14.15.16. & precatur *Iohan.*17. Tandem egreditur vesperi ad montem Oliueti, & precans, sudat sanguinem. Et proditus à Iuda deinceps comprehenditur, & ad Caipham deducitur, & confitetur se Christum esse. Tum & Petrus negat ipsum *Matthæi* 22. *Marci* 14. *Lucæ* 22. *Iohannis* 18. *Pascha quintum. Anno Christi 35. Dies Iouis.*

15. Vigesimoquinto Martii immolatur Pascha pro nobis: patitur, moritur, sepelitur. *Matth.* 27. *Mar.* 15. *Luc.* 23. *Ioh.* 18. 19. *Dies Veneris.*

Hoc loco tria incidunt, quæ indigent explicatione.

I. Interuallum illud à Baptismo Christi ad mortem ipsius potest etiam aliter distingui, quam à nobis factum est, ita quidem vt non opus sit annos Christi medios sumere, sed solidos, si nempe sic procedamus.

1. Est tempus à baptismo ad primum Pascha, à Tisri primo ad Nisan, & inde ad sequentem Tisri. Hic est annus Christi 31. & Tiberii 16. secundum Romanos, 15. secundum Iudæos.

2. Est tempus à Tisri secundo ad Pascha secundum, & inde ad tertium Tisri. Hic est annus Christi 32. Tiberii 17. Romanus, 16. Iudaicus.

3. Est tempus à Tisri tertio ad Pascha tertium & inde ad sequentem Tisri. Hic est an. Christi 33. Tiberii 18. Romanus 17. Iudaico more.

4. Est tempus à Tisri quarto ad Pascha quartum, & inde ad sequentem Tisri. Hic est annus Christi 34. Tiberii 19. Romano 18. Iudaico more.

5. Est tempus à Tisri quinto ad Pascha quintum. Hic est annus Tiberii 20. Romano, 19. Iudaico more, & 35. Christi medius, quo ipsum passum esse statuimus.

II. Quæritur, quod die Christus sit passus? Hic occurrit nobilis controuersia, an Christus anticipauerit Pascha, nec ne? Nos statuimus Christum

An Christus anticipauerit Pascha.

stum esse passum 25. Martij, qui respondet 14. Nisan. Alii volunt Christum esse passum feria 3. seu die 3. Aprilis. Nunc dicamus de anticipatione illa, quam Græci seu Orientales, & multi Latini à Christo factam esse volunt. Sic autem tradunt. Christus celebrauit Pascha pridie, quam illud celebrarunt Iudæi. Etenim eodem die, quo Iudæi celebrarunt Pascha, Christus fuit crucifixus: is autem dies fuit parasceue Iudæorum: & Iudæi accusantes eum coram Pilato, noluerunt ingredi prætorium, vt possent edere Pascha, videlicet vespera proxime sequente, à qua incipiebat dies decimus quartus apud Iudæos. Sic itaque Christus Pascha celebrauit die decimotertio Nisan, Adeoque anticipauit terminum paschalem. Sic Græci, sic alii, qui existimant, Christum non fuisse adstrictum ceremoniis Iudaicis. At vero Christus non instituit nouam legem Paschatis, sed legem impleuit, & Pascha tunc vsitatum Iudæis celebrauit, sicut non anticipauit tempus circumcisionis. Non igitur subscribimus huic sententiæ.

Alii tradunt, Christum celebrasse Pascha iuxta præscriptum Legis: Iudæos vero secundum traditionem Patrum, qui ordinauerant, vt si dies Paschatis incideret in feriam לאבדו *Lobedu*, h.e. Secundam, 4. & 6. diem videlicet Lunæ Mercurii & Veneris, in diem sequentem transferretur, vt scilicet duorum Sabbatorum concursus euitaretur, qui erat incommodus in regionibus Orientalibus, si forte cadauera mortuorum essent, quæ asseruari per biduum non poterant commode. Cum itaque Iudæi isto anno celebrare deberent 25. Martii, seu 14. Nisan, hoc est, feria sexta; propter illum canonem Paschalem לאבדו illud comperendinarunt, & in ipsum Sabbatum transtulerunt, vt ne scilicet concursus fieret duorum Sabbatorum. Hinc illud Sabbatum appellatum est magnum, in quo Pascha incidebat in diem septimum scil. propter concursum duplicis solennitatis. Iuxta hanc sententiam Christus verus ille agnus, immolatus est eo die, quo Pascha typicum immolandum erat. Alii statuunt, Christum celebrasse Pascha vna cum Iudæis, videlicet, 25. illo Nisan, & ab eo tempore fuisse detentum in carcere, adeoq; passionis historiam incipere à 25. Martii, die Veneris, & terminari sequente die Veneris, quo Christus sit crucifixus. Alii tradunt, Christum captum esse & manducasse Pascha feria tertia, 16. Martii, & passum 19. Martii.

Nos sententiam nostram, quam debemus Scaligero, sic explicamus, certis aphorismis.

I. Christus celebrauit Pascha iuxta præscriptum Legis, quam etiam obseruauerat in circumcisione.

II. Euangelistæ scribunt, quod Christus parari pascha iusserit discipulos ea die ἐν ᾗ ἔδει θύειν τὸ πάσχα, & ἐν ᾗ ἔθυον. *Marc.16.v.16.* Ergo fuit commune Pascha omnium Iudæorum.

III. Itaque & Christus & Iudæi obseruarunt præscriptum legis. *Exod.* 12.*v.*6. vbi iubentur agnum Paschalem iugulare die decimo quarto, mensis Nisan seu Abib.

IV. Dies apud Iudæos incipiebat à vespera, seu Sole occaso. Itaque Christus & Iudæi immolarunt Pascha 14. Nisan inter duas vesperas, adeoque nocte, seu prima illius diei parte. Eadem die videlicet luce, quæ illa noctem secuta est, Christus fuit crucifixus. In priore diei illius parte agnus typicus, in posteriore, agnus verus est immolatus.

V. Πρώτη ἀζύμων distinguenda à πρώτῃ τȣ̃ πάσχα, seu ἑορτῇ τȣ̃ πάσχα. Πρώτη ἀζύμων est 14. Nisan, quo Pascha agni immolabatur. Πρώτη τȣ̃ πάσχα est 15. Nisan, cuius parte priore, hoc est, nocte sequente diem 14. immolabatur Pascha bouis & arietis. *Deut.* 16.

Ea nox est δευτέρα τῶν Ἀζύμων, non πρώτη, sed est πρώτη τȣ̃ πάσχα. Hæc solennitas incurrebat tum in Sabbatum ordinarium, ideoque ille dies decimusquintus vocatur Σάββατον μέγα. Hæc est prima Paschatis. Itaque ὀψίας γενομένης, quod erat initium feriæ sextæ, Pascha manducarunt & Iudæi & discipuli Christi.

Rabbini hodierni קצרול שבח *vocant quod proxime antecedit diem 14. Nisan.*

VI. Vocabulum Pascha significat tria. 1. Est illa solennitas, quæ celebrabatur die decimoquarto Nisan. Dicitur *Pascha agni*, quod in priuatis ædibus, per familias & contubernia, assabatur, comedebatur, eratque typus passionis Dominicæ. 2. Est illa solennitas, quæ celebrabatur 15. Nisan, seu nocte 15. Dicitur *Pascha bouis & arietis*, quod in templo, elixum, comedebatur, eratque sacrificium εὐχαριστικὸν, seruitutis Ægyptiacæ depulsæ: vnde Iudæi Germani hoc Pascha vocant Löß quasi dicant λύσιν. Hæc nox proprie ἑορτὴ τȣ̃ πάσχα, & πρώτη τȣ̃ πάσχα vocatur. 3. Ipsa ἄζυμα vocantur Pascha. Nam Paterfamilias in porrigendo frusto panis azymi, contubernio suo dicebat:

כל — דצריך ייתי ויפסח:

Πᾶς χρεῖαν ἔχων πασχαζέτω, *Omnis qui opus habet paschatizet.*

VII. Obiicis, huic sententiæ obstare illa verba *Matth.* 26. *vers.* 17. Primo autem die azymorum venerunt discipuli ad Iesum, dicentes ei; Vbi vis paremus tibi ad edendum Pascha. At dies illa nondum venerat iuxta traditam expositionem, quia demum incepit ὀψίας γενομένης. Duplex hic adferri solet responsio. 1. Matthæus diem illum vocat primum Azymorum, more Romanorum, apud quos dies τὸ νυχθήμερον, incipiebat à media nocte. Itaque hæc facta sunt primo die azymorum, si spectes istam consuetudinem. Alioquin hæc gesta sunt paulo ante primam azymorum, quæ incipiebat à vespera, quæ erat pars diei decimi tertii, secundum Romanos. 2. Pascha erat mactandum inter duas vesperas. Vespera

Dies Romanorum æquandi sunt dieb. Iudæorum

ſpera prima erat ab oblatione veſpertina, altera ab occaſo Sole. Hoc interuallũ in lege vocatur ערביס, τῶ ἑσπέρω, item ἑσπερισμὸς & παρασκευή. Nos poſſumus dicere tempus inter aduesperationem ac Solem occaſum interiectum, hoc eſt, inter occaſum corporis Solis & radiorum illius. Poteſt igitur fieri, vt diſcipuli hoc tempore, quod inter duas illas veſperas interiectum eſt, venerint ad Ieſum, & quantocyus ſe expedierint.

VIII. Hic & illud notandum eſt totum illum diem, qui antecedit illam ad aduesperationem ἰδιωτικῶς, vt loquuntur, appellari παρασκευὴν: id quod lucem adfert hiſtoriæ Euangelicæ. Vide *Matth.* 28. *v.*62. *Marc.*15.*v.* 62. *Luc.*24.*v.*54 *Ioh.*19.*v.*31.

IX. Cœna tempore Paſchæ erat duplex. In priori comedebant agnũ: in altera vero azyma, in qua cœnabantur ἀχαριστικῶς. Hoc ideo te monitum volo, vt obſerues in verbis Matthæi & Marci, ἐσθιόντων, & πιόντων αὐτῶν, eſſe aoriſtum ſecundum, non autem præſens. Manifeſto igitur innuunt Euangeliſtæ, Ieſum poſt cœnam accepiſſe panem & poculum, nõ autem cœna Paſchali adhuc durante. Conuiuii iſtius Paſchalis ritus talis erat. Primo paterfamilias intingebat offam azymam in embamma amarum, & comedebat. Deinde aliam totam azymam in tot fruſta frangebat, quot in contubernio conuiuatores erant. Fruſtum vero erat magnitudine oliuæ, quod ſigillatim & ordine omnibus porrigebatur. Quo facto ipſe poculum deguſtatum tradebat proximo, ille ſecundo, donec poculum per totum conuiuium circumferretur. Itaque Dominus tradens populum dixit, λάβετε, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, Formula benedictionis, qua vtebatur paterfamilias erat talis:

אתה יהוה אלהונו מלך העלם אשר
קעשונו במצוותיו רצובו על--אבילת המצה ׳ברוך

hoc eſt, Benedictus es, ô Domine Deus noſter, rex mundi, qui ſanctificaſti nos præceptis tuis, & præcepiſti nobis hanc offam azymorum. Hæc formula fuit antiquiſſima, qua & Dominus vſus eſſe videtur. Nihil enim in ritu immutauit. Illa verba ſolemnia poſt diruta Hieroſolyma paululum immutata fuerunt. Similiter paterfamilias accepto poculo benedicebat his verbis:

סברי מורנן ברוך אתה יהוה
אלחינר מלך העולם בראקרי הצקן:

hoc eſt, Benedictus es tu Domine Deus noſter rex ſeculi, qui creaſti fructum vitis. Quid ſibi velint duæ priores voces, ignorant critici Hebræorum. Delibatum poculum paterfamilias tradebat proximo, ille ſecundo, ſecundus tertio, &c. poculum illud vocabatur כוס הלל, ποτήριον ὑμνήσεως. Ita dictum, quod eo per cœnam circumlato, canebatur vnus ex iſtis Pſalmis Dauidicis, qui incipiunt à verbo *Haleluiah*; è quibus *Pſalm.*113. dimiſſa

miſſa cœna Paſchali accinebatur, vt eſt in Rituali. Hinc intelligimus, quare Euangeliſta dixerit, καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον. Nam hymnus ille erat ἀπολυτικὸν τοῦ δείπνου. Et canon Paſchalis diſerte interdicebat poſt poculum laudationis, aliquid cibi aut potus ſumere.

3. Iam ſequitur tertium illud, quod diximus egere declaratione. Id autem eſt de horis, quarum fit mentio in hiſtoria paſſionis. De his habe hunc typum.

Hor.	*Horæ noctis.*	*Matt.*	*Marc.*	*Luc.*	*Iohan.*
6	Comedit agnum, & inſtituit cœnã.	26	14	22	
7	Lauat pedes diſcipulorum.				13
8	Perſona proditoris notata.	26	14	22	13
	Apoſtoli de primatu contendunt.			22	13
	Abnegatio Petri prædicta.			22	13
	Habet concionem.				16
9	Hymno dicto exit in montẽ oliueti.	26	14	22	17
	Prædicit ſcandalum Apoſtolorum.	26	14	22	18
10	Orat in horto, & ſudat ſanguinem.	26		22	
11	Prehenditur Chriſtus, fugiunt diſcipuli.	26	14	22	18
12	Ad Annã, deinde ad Caiphã ducitur	26	14	22	18
1	A Petro abnegatur.	26	14	22	18
2	Abnegatio & reſipiſcentia Petri.	26	14	22	18
	Falſi teſtes producuntur.	26	14	22	18
	Chriſtus à Caipha dãnatur hęreſeos	26	14	22	
3 4	Chriſtus cõſputus, illuſus, pcuſſus.	26	14		
5	Condemnatur à Concilio.	27	15	22	
	Horæ diei.				
6	Ducitur ad Pilatum.	27			
	Iudas deſperat.	27			
7	Chriſtus accuſatur ſeditionis coram Pilato.	27	15	23	18
8	Chriſtus ab Herode illuditur.			23	
9	Latroni Barrabæ poſtponitur.	27	15	23	18
	Flagellatur, & condẽnatur ad crucẽ.	27	15		19
10	Educitur ad ſupplicii locum.	27	15	23	19
11	Crucifigitur.	27	15	23	19
	Orat pro inimicis.	27	15	23	19
	Diuiduntur veſtes.	27	15	23	19
12	Matrem commendat diſcipulo.				19

Hor.		Matt.	Marc.	Luc.	Iohan.
	Blaſphematur à populo.	27	15	23	
1	Latro in cruce conuertitur.			23	
2	Tenebræ ſuper vniuerſam Iudæam.	27	15	23	19
3	Moriturus clamat alta voce.	27	15	23	
	Velum templi ſciſſum.	27	15	23	
	Sancti reſurgentes apparent.	27	15	23	
	Latus Chriſti lancea perfoſſum.				19
4	Chriſtus ſepelitur.	27	15	23	19
	Sepulchro cuſtodes apponuntur.	27			

Articulus tertius.

A paßione Chriſti ad aſcenſionem eius.

A morte vſque ad aſcenſionem Chriſti, hoc eſt, à 25. Martii vſque ad 5. diem Maii numerantur dies 42. Aſcendit enim in cœlum quadrageſimo die poſt reſurrectionem. *Act* 1. *v.* 25. Euoluamus hos dies.

Die Martii 26. requieſcit in ſepulchro, ipſo ſcilicet Sabbato quod Euangeliſtæ vocant magnum.

Die 27. reſurgit: tertio videl. die poſt mortem: qui primus fuit dies Sabbatorum. *Matth.* 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24. *Iohan.* 20. Hoc ipſo die ſexies ſe oſtendit.

1. Mariæ Magdalenæ ſoli. *Marc.* 16. *Ioan.* 20.
2. Tribus mulieribus ſimul. *Matth.* 28.
3. Duobus euntibus rus. *Marc.* 16.
4. Petro. *Luc.* 24. 1. *Cor.* 15.
5. Duobus diſcipulis Emauntem proficiſcentibus. *Luc.* 24.
6. Diſcipulis omnibus veſperi, excepto Thoma. *Ioh.* 20.

Deinde aliquando ſe oſtendit ad mare Tiberiadis, *Ioh.* 21. Data etiam fuit hoc die commiſſio Apoſtolica. *Matth.* 28. Tandem Maii die 5. aſcendit in cœlum. *Matth. Marc. Luc. vlt. Actor.* 1. Decimo fere die poſt mittit Spiritum ſanctum: ſcilicet 50. die poſt Paſcha, in ipſo feſto Pentecoſtes.

Explicauimus rationem temporis, quo Chriſtus in his terris egit, easdemque reliquit: ſupereſt, vt deinceps dicamus de tempore Eccleſiæ Noui Teſtamenti.

Tempus Eccleſiæ N.T. aliud eſt præteritum, aliud præſens, aliud futurum.

Tempus præteritum eſt Eccleſiæ naſcentis, & adultæ.

Nos dicemus de Eccleſia naſcente, ſecundum annos Chriſti, ex Actis Apoſtolorum, reliquis ſcriptis N.T. & hiſtoria Eccleſiaſtica.

Annus Chriſti 35.

Apoſtoli regreſſi è monte Oliuarum Hieroſolymam, expectant promiſſionem Spiritus ſancti, & eligũt Matthiam in locum Iudæ. Matthias ille

ille cum Apostolis conuersatus erat inde à baptismo Iohannis vsque ad diem assumtionis Christi. *Act.* 1.

Quinto die Maii, cum compleretur dies Pentecostes, Apostolis datur Spiritus sanctus cum dono linguarum. Concione Petri 3000. conuertũtur. *Actor.* 2. Bonorum temporalium quædam communio introducitur. *ibid.*

Petrus & Iohannes ingredientes templum orandi causa, claudum ab vtero sanant. *Act.* 3. Concione secunda Petri conuertuntur 5000 *ibid.* Sed circa vesperam comprehenduntur: & altero die ex custodia ad Senatum ducuntur. Interdicitur ipsis prædicatione Christi. Dimittuntur à Synedrio, & augetur Ecclesia. *Act.* 4. *Prima persecutio Apostolorum*

Ananias & Sapphira puniuntur. *Act.* 5. Apostoli docent, & faciunt miracula. Sacerdotes iniiciunt manus in Apostolos, qui per Angelum liberantur. *Act.* 5. Sed mox à templo rapiuntur in concilium; vbi cruenta de iis interficiendis consilia agitantur, quæ Gamaliel impedit. *ibid.* Interim Apostoli cæduntur. *Secunda persecutio Apostolorum.*

Annus Christi 36.

Crescente numero discipulorum constituuntur septem Diaconi. *Act.* 6. Ex iis fuit Stephanus, cuius sors describitur *Act.* 6. 7. Hic fuit protomartyr Noui Testamenti. *Tertia persecutio Apostolorũ.*

Saulus Ecclesiam Hierosolymitanam persequitur. *Act.* 9 Hinc Ecclesia dispergitur, exceptis Apostolis. *ibid.* Dum Ecclesia sic dispergitur, Philippus, vnus è septem diaconis Samariæ prædicat Euangelium, multaque facit miracula. Vnde multi ad Christum conuertuntur. Simon Magus baptismum admittit. *Act.* 8. Apostoli igitur Petrum & Iohannem Hierosolymis dimittunt in Samariam, vt nouæ Ecclesiæ ædificationem adiuuent. Dum Petrus & Iohannes Hierosolymam redeunt, Philippus ad cõuersionem Eunuchi Æthiopis adhibetur: qui deinceps cunctis ciuitatibus Euangelizauit, donec Cæsaream peruenit. *Act.* 8.

Saulus Damascum profectus ad persequendum Christi confessores, in via conuertitur, & ab Anania Damasci baptizatur. *Act.* 9.

Circa hæc tempora Pilatus præses Iudææ ad Tiberium Cæsarem refert de miraculis Christi. Tiberius Christum in numerum Deorum referre conatur, Senatus autem, quo minus id fieret, impediuit. Etsi autem Tiberius hoc obtinere non posset à Senatu, ea tamen æquitate erga Christianos vsus est, vt accusatoribus eorum, capitis pœnam constitueret.

Annus Christi 37.

Paulus Damasci Christum prædicat. In sporta per murum dimittitur, vt elabatur è manibus Iudæorum. *Actor.* 9. Arabiam petit, & ibi docet Euangelium, per triennium. *Gal.* 1.

Annus Christi 38. 39.

Ecclesia crescit per totam Iudæam, Galilæam, & Samariam. *Act.* 9.

Paulus redit ex Arabia Damascum. *Gal.* 1. Petrus hinc inde spargit Euangelii doctrinam: venit Lyddam, vbi Æneam paralyticum sanat; Ioppæ Tabitham mortuam excitat. *Act.* 9. Cæsareæ Cornelium cum tota familia conuertit. *Act.* 10.

Vitellius per aliquot annos Syriam prouinciam administrauit: sed cum multæ de Pilato præside Iudææ querelæ mouerentur, illum misit Romam ad dicendum causam: vbi à Caligula male habetur ob male administratam prouinciam Iudæam: & relegatur Lugdunum Galliæ, vbi ex desperatione fit αὐτόχειρ. Caligula Agrippam filium Aristobuli (quem Tiberius in carcerem compegerat, quod inter pocula ad Caium dixisset: Vtinam vero senex ille (Tiberius) tandem in fata concederet, teque in eius loco successorem videre liceret) liberum dimittit, eique imposito diademate regiam dignitatem tribuit, & duabus tetrarchiis eum donat: qui etiam pro catena ferrea offert illi auream eiusdem ponderis. *Ioseph. lib.* 18. *cap.* 8.

Annus Christi 40. & 41.

Petrus Hierosolymam veniens accusatur à quibusdam ex circumcisione, quod contra quam liceret ad incircumcisos introiisset. Sed excusat se. *Act.* 11. Interea temporis Paulus venit Hierosolymam, & quindecim diebus manet cum Petro. *Gal.* 1 Antiocheni fiunt Christiani. Barnabas igitur ab Ecclesia Hierosolymitana mittitur Antiochiam. *Act.* 11. Paulus Antiochiæ docet Euangelium. Cum enim Barnabas videret copiosam aperiri messem Antiochiæ, Tarsum proficiscitur & adducit Paulum, eumque sibi collegam adiungit, & per integrum annum in Ecclesia Antiochena simul docent. Atque ibi primum discipuli sunt cognominati Christiani. *Act.* 11.

Annus Christi 42.

Eleemosynæ per Paulum & Barnabam ex Ecclesia Antiochena mittuntur Hierosolymam. *Act.* 11. Nam fames illa, quam Agabus prædixerat, tunc ingruit.

Annus Christi 43.

Simon Magus circa hæc tempora Romæ versatur, atque præstigiis suis populum dementat, adeo vt illum pro Deo habere cœperint, eique statuam erexerint cum hac inscriptione: *Simoni Deo sancto*: quem deinceps à Petro Romam veniente confusum quidam è veteribus tradunt.

Annus Christi 44.

Agrippa rex auream catenam in templo suspendit, in memoriam suæ tum calamitatis, tum liberationis. Iudæis admodum beneficum se exhibet: & vt illis gratificaretur, Ecclesiam CHRISTI Hierosolymis affligit, & Iacobum Apostolum, Iohannis fratrem, capite truncat. Petrum quoque in carcerem conciicit, qui ab Angelo liberatur. *Actorum vndecimo.* Hoc anno Petrus existimatur Romam venisse, & Simonem Magum confudisse. Paulus & Barnabas legatione Hierosolymitana perfuncti Antiochiam redeunt, & secum adducunt Iohannem cognomento Marcum. *Actorum duodecimo.* Paulus & Barnabas iuxta diuinum oraculum ab Ecclesia Antiochena mittuntur ad gentes. Illi primum abeunt in Seleuciam, inde in Cyprum nauigant, & Salamine docent. *Actorum decimo tertio.*

Annus Christi 45.

Cum Agrippa rex Iudææ publicos Cæsareæ exhiberet ludos in honorem Cæsaris, & pro tribunali sedens diuinos honores lætis acclamationibus populi sibi deferri permitteret, ab Angelo Domini percussus est phthiriasi. *Actor.* 12. *Ioseph. lib.* 19. *cap.* 7. Paulus & Barnabas veniunt in Insulam Paphon, vbi conuertunt Paulum Sergium Proconsulem, à quo Paulum suum nomen mutuatum esse quidam authores testantur. Widem magum quendam, qui se vocabat Eliman, id est, Messiam Dei, & Bar Iehu, id est, filium Dei, cæcitate percutiunt, & anathemate feriunt. *Actorum decimo tertio.* De hinc veniunt in Pergen ciuitatem Pamphyliæ: vbi Iohannes ab eis discedit, & Hierosolymam reuertitur. Inde Antiochiam Pisidiæ, vbi magnam à Iudæis contradictionem sustinent, & eiiciuntur è finibus eius. *Act.* 13.

Annus Christi 46.

Paulus & Barnabas docent Iconii. Iconio pulsi veniunt Lystram, vbi Paulus pro Mercurio, & Barnabas pro Ioue habetur, quod ad vocem Pauli claudus quidam ab vtero exilierat, & agilitatem pedum adeptus fuerat. Sed non multo post Paulus Lystræ lapidatur, & cum putaretur mortuus, extra vrbem trahitur. *Actorum decimo tertio.* Refocillatus autem à fratribus, cum Barnaba docet in Derbe. Inde regrediuntur Lystram, Iconium & Antiochiam Pisidiæ, ibique confirmant animos discipulorum. *Ibid.*

Annus Christi 47.

Hoc tempore Theudas impostor populum conuocat ad Iordanem, eumque se diuisurum, vt siccis pedibus pertransire possint, pollicetur. Fadus autē Iudææ præses equitatum immittit, magnamque stragem edit, & Theu-

& Theudam capitis supplicio afficit. *Ioseph. antiq. l. 19. c. 2.* Sed Lucas de hoc Theuda agit *Act. 5.* Ideoque videtur esse prolepsis historica.

Paulus & Barnabas sementem Euangelii faciunt in Pamphylia & Attilia. Interim Petrus docuit Romæ, si fides est habenda quibusdam veterum, & inde doctores misit ad exteras regiones: Apollinarem Rauennam; Clementem Metas in Galliæ finibus; Valerium cum sociis Treuerim, &c.

Annus Christi 48.

Paulus & Barnabas reuertuntur ad Antiochenam Ecclesiam, à qua missi fuerant in opus Domini, & renunciant, quanta DEVS per eorum ministerium operatus sit, & tempus non modicum ibi subsistunt. *Actor. 14.*

Annus Christi 49.

Hoc tempore Ecclesia Antiochena grauiter concutitur à quibusdam fanaticis doctoribus ex circumcisione; qui contendebant, circumcisionem ad salutem esse necessariam: quibus Paulus & Barnabas acriter resistunt. Tandem decretum est ab Ecclesia Antiochena, vt Paulus & Barnabas Hierosolymam proficiscantur, & super hac quæstione cum Apostolis & Presbyteris Ecclesiæ Antiochenæ conferant. *Actorum decimo quinto.* Ablegantur itaque Hierosolymam, & pertranseunt Phœnicen & Samariam, & narrant conuersionem gentium. *Act. 15.*

Annus Christi 50.

In hunc annum referri debet Concilium Hierosolymitanum, & quidem in illius initium. *Galat. secund.* ait Paulus *vers. 1.* Deinde interiectis annis quatuordecim, rursum ascendi Hierosolymam, &c. Hos annos quatuordecim alii numerant à primo congressu cum Petro, cuius meminerat *cap. 1.* ideoque synodum hanc conferunt in annum Christi 51. Alii in annum Christi 48. referunt, qui nempe Christum passum esse volunt anno ætatis 34. Sed nos referimus in annum 50. Hic enim est decimus quartus annus à conuersione Pauli, à qua omnino numerandus est hic annus 14. de quo *Galat. 2. v. 1.* Cæterum Paulus & Barnabas in hoc concilio quæstionem proponunt: Petrus de illa perorat: Paulus Petro in faciem resistit: Iacobus minor sententiam dicit: Paulus & Barnabas decretum Synodi Antiochiam perferunt. *Actor. 15.* Eo reuersi, commorantur ibi ad tempus. *Ibid.* Cum aliquantisper ibi docuissent, adiiciunt animum ad visitationem Ecclesiarum, in quibus antea docuissent. Sed cum Barnabas comitem laborum adsciscere: Iohannem, cognomento Marcum, Paulus eum repudiauit, quod nuper in Pamphylia eos deseruisset. Oborta igitur inter illos dissensione, Barnabas assumto Marco nauigauit in Cyprum. Paulus adiuncto sibi Sila peregrauit Syriam & Ciliciam. *Act 15.*

Annus

Annus Christi 51.

Paulus Lystris circumcidit Timotheum propter infirmos Iudæos. *Actor* 16. Philippus virgis cæditur. Huc refer omnia quæ sunt *Actor.* 16. Athenis scripsit vtramque ad Thessalonicenses.

Annus Christi 52.

Paulus Athenis disputat cum Epicureis & Stoicis. Ibi conuertitur Dionysius Areopagita. *Actor.* 17. Relictis Athenis venit Corinthum, vbi manet an.1.& 6. mens. *Act.*18.& proprio labore sibi victum parat. Sistitur ibi ad tribunal Proconsulis.*ibid.* Corinthi scribit epistolam ad Romanos.

Annus Christi 53.

Paulus relictis Corinthiis nauigat in Syriam cum Priscilla & Aquila. Festo Paschatis salutat Ecclesiam Hierosolymitanam. *Actor.*18.*&* 2.*Thess.* 1. Perambulat Galatiam & Phrygiam. Laodicæa Phrygiæ metropoli mittit epistolam 1. ad Timotheum.

Annus Christi 54.

Paulus reuertitur Ephesum: vbi manet per biennium. *Actor.*19. Tribus mensibus docet in synagoga: & reliquo tempore in schola Tyranni cuiusdam. Magna operatur miracula. Exorcistæ male tractantur. Paulus mittit Timotheum & Erastum in Macedoniam. *Actor.*19.

Annus Christi 55.

Paulus adhuc docet Ephesi: disputat contra magicas artes. Demetrius aurifaber seditionem mouet aduersus Paulum, eiusq; socios: quam Scriba & Cancellarius Ephesinus modesta oratione reprimit. *Actor.*19. Ephesi pugnat cum bestiis. 1. *Corinth* 15. Ephesо discedit. Ecclesias per Macedoniam & Græciam inuisit. Philippis vrbe Macedoniæ vtramque ad Corinthios scribit.

Annus Christi 56.

Paulus Troade Eutychum suscitat è mortuis. *Actor.* 20. Ad hunc annum refer ea, quæ gesta narrantur *Actor.* 20.21.22.23.24. vt sunt: concio Pauli ad Ephesios, iter eius versus Hierosolyma, vaticinium Agabi; captiuitas Pauli Hierosolymitana, apologia eius coram Felice; consolatio per Christum; conspiratio Iudæorum contra Paulum.

Annus Christi 57.

Paulus biennium captiuus detinetur Cæsareæ, donec Felici succedit Portius Festus. *Actor.*24.

Annus Christi 58.

Hoc anno Paulus adhuc detinetur in vinculis Cæsareæ. *Actorum vigesimo quarto.*

Annus Christi 59.

Felix decedit è Iudæa, & accusatur à Iudæis coram Claudio, eique succedit Portius Festus, coram quo Paulus accusatur, qui ad Cæsarem appellat. *Actor.* 25. *&* 26. Agrippa rex iudicat, Paulum dimitti potuisse, si non appellasset ad Cæsarem. *Ibid.*

Annus Christi 60.

Paulus Romam nauigat magno cum periculo. *Actor.*27.*&*28. Postquam Romam venit, conceditur ei quocunque velit ire, sic tamen vt catenam portet, & semper secum habeat custodem militem. *Actorum vigesimo octauo.*

Annus Christi 61.

Paulus Romæ biennium docet omnes ad se venientes. *Actor.*28.& ibi scribit epistolas ad Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, & Philemonem.

Annus Christi 62.

Paulus Romæ ab omnibus deseritur, 2. *Tim.* 4. Iacobus frater Domini lapidatur biennio ante persecutionem.

Annus Christi 63.

Paulus liberatur ex ore leonis. 2. *Tim.* 4. Ibi facit mentionem primæ suæ defensionis. Scribit epistolam ad Titum. Hinc colligere est Paulum à Nerone esse absolutum & dimissum. Dimissus contulit se in Hispanias, aliasque Occidentis partes, ibique Euangelium annunciat ferme per quinquennium.

Annus Christi 64.

Hoc anno incipit persecutio prima Christianorum, anno Neronis decimo. Nero ciuitatem incendit, quæ sex dies septemque noctes arsit. Incendii crimen in Christianos contulit, primusque Romæ & per omnes prouincias diris suppliciis illos affecit. In hac persecutione Iudæi suam operam collocarunt impendio, vt ita mensuram peccatorum suorum implerent.

Iidem lapidarant biennio ante Iacobum minorem fratrem Domini, quem Pontifex Annas vocauit in sacrum senatum, & ad supplicium lapidationis vna cum aliis Christianis damnauit. Ab eo tempore mirum dictu quam Iudæi sæuierint in Christianos. Commodissimam autem occasionem nacti sunt anno decimo Neronis. Hic placet inferre genealogiam quandam, ex qua possis cognoscere, cur Iacobus minor fuerit appellatus frater Domini.

Annus

Auus Christi fuit Matthon, qui & Mattha, & Matthas.
Luc. 3.

Eli seu Ioachin. Luc. 3. — *Iacob. Matth. 1.*

Maria. Iohan. 19. vers. 24. Ex Alphæo. — *Maria virgo: mater Domini.* — *Ioseph: maritus Mariæ.* — *Salome ex Zebedæo.* — *Cleophas posterior, maritus Mariæ, sororis matris Christi.*

Iacobus minor Marc. 15. seu Iustus Actor. 15. — *Cleopha. Matth. 13.* | *Simeon* | *Iudas Thaddæus.* | *Ioseph Iustus. Actor. 1.*

Iacobus maior. Actor. 4. — *Iohannes Euangelista.*

Annus Christi 65. 66. 67.

His annis latrones in Iudæa mirum in modum sæuiunt. Summi sacerdotes exercent tyrannidem in sacerdotes inferioris ordinis. Inter ipsos oboriuntur graues rixæ & pugnæ in ipso templo. Vulgo magis magisque crescit Iudæorum latrunculorum audacia. Hinc igitur duodecimo Neronis, hoc est, anno Christi sexagesimo sexto ingentia cœperunt bella inter Iudæos & Romanos, quibus conflixerunt integro triennio, donec vrbs & templum excisa, & adhuc alio triennio, donec reliquiæ populi Iudaici ad extremam deuenerunt seruitutem. Circa hæc tempora Ecclesia Christianorum in Iudæa memor præcepti Christi *Matth. 24. v. 16.* vel etiam monita à Petro & Paulo (qui hoc excidium prædixerunt proculdubio iis, quos visitarunt) migrauit trans Iordanem, in oppidum Pellam, vt imminentium bellorum & desolationis periculis se subduceret. *Anno 67.* Iudæi passim per ciuitates aduersus Romanos se muniunt, & duces constituunt, quibus locorum custodia & defensio committitur. Ipse Iosephus historicus præficitur Galilææ, qui præuidens Romanos primum in Galilæam impetum facturos, eius ciuitates muris circumdat, & firmis præsidiis munit. *de bell. Iudaic. l. 2. c. 24.*

Annus Christi 68.

Paulus iterum sistitur Neroni. Scribit secundam ad Timotheum. *2. Timoth. 4.* Decollatur, vna cum Petro: anno quarto decimo Neronis, conuersionis suæ 33. Alii Paulum decollatum esse volunt anno 36. conuersionis, & anno Christi 70. alii putant Paulum & Petrum in illa persecutione Neroniana factos esse martyres, ideoque illorum mortem referunt in annum Christi 64. vel 65. Hoc loco meminerit Chronologiæ studio-

ſtudioſus, præſides Iudææ, & hiſtoriam Pauli magna ex parte per coniecturam ad certos annos accommodari, & annos quorundam Imperatorum numerari diuerſimode, vt iam taceam annum mortis Dominicæ, quam alii aliter computant. Hinc oritur magna diuerſitas. Putamus tamen noſtrum calculum ſi non accuratum, tamen quam proximum eſſe accurato. Statuimus autem, perſecutionem illam primam à 10. Neronis anno vſque ad mortem eius duraſſe, in cuius cataſtrophen incidit decollatio Pauli.

Hoc anno Nero clade exercitus Romani & proſperitate Iudæorum cognita, Veſpaſiano adminiſtrationem belli Iudaici committit, eique Titum filium adiungit legatum, qui multas vrbes Iudææ occupant.

Annus Christi 69.

Veſpaſianus cum filio Tito totam Iudæam peruagatur, & ad vrbem Hieroſolymam expugnandam adiicit animum: ſed de morte Neronis, & ſucceſſore Galba certior factus, à bello ad tempus ceſſat, & Titum mittit ad Imperatorem Galbam, qui Imperatori nouo gratuletur, & conſilium eius de bello Iudaico petat. Interim Galba interficitur, & imperium ſibi rapit Otho Syluius, qui in prælio ſibi ipſe mortem conſciſcit. Aulus Vitellius à Germanicis legionibus creatur Imperator. Sed Romam veniens, & multa nequiter agens, à populo trucidatur.

Horum Imperatorum tempus accenſetur imperio Neronis & Veſpaſiani.

Hi tres Imperatores collocandi ſunt in huius anni initium, & præcedentis finem. Nam Nero manſit in Imperio annis quatuordecim, non plenis. Paucis itaq; menſibus hi tres Imperatores, rerum potiti ſunt. Tribuendos illis puto menſes octo, quos numero à morte Neronis, vſque ad menſem Aprilem anni Chriſti 69. Interea Flauius Veſpaſianus à militibus ſuis Cæſareæ ſalutatur Cæſar Romanus. Ille profecturus Romam ad res imperii dextre componendas, filium Titum Alexandria remittit in Iudæam, cum exercitu lectiſſimo ad oppugnandam vrbem Hieroſolymam. *Ioſeph. de bell. Iudaic. cap. 42. lib. 4.* Itaque Titus (præmiſſis tamen blandis admonitionibus, & ſeriis exhortationibus vt ſe dederent) vrbem obſidione cingit, 14. Aprilis: Iudæis perſiſtentibus in mutuis cædibus. Erant enim in vrbe tres factioſi qui inter ſe acerrime dimicabant, Iohannes Galilæus, Eleazarus, & Simeon.

Illi publicis horreis exuſtis (dicunt Hebræi mille & quadraginta horrea fuiſſe combuſta, quibus repoſitus fuerit victus pro ducentis millibus hominum ad annos 20) & cædibus omnia replentes, fere in ſolitudinem redigunt ciuitatem.

Hæc deſumta ſunt ex Ieſepho.

22. Aprilis Titus adhibitis machinis vrbem oppugnare cœpit.

15. Maii primum murum & partem vrbis ſeptentrionalem, Bezetha vocatam, capit.

16. Maii ſecundum murum, & partem inferiorem vrbis, Acra vocatam, occupat.

6. Iulii

6. Iulii munitissima arx Antonia expugnatur.

8. Augusti ab iratis militibus contra edictum Titi templum incenditur. Fuit ille nonus dies quinti mensis *Ab*, quo adhuc Iudæi quotannis desolationem Hierosolymorum & templi lugent. Hoc eodem die olim quoque à Chaldæis templum incensum fuisse, author est *Iosephus de bello Iudaic. l. 5. c. 27.*

20. Augusti ciuitas Dauid cœpit oppugnari acerrime: quæ capta est 7. Septembris. Hæc ciuitas Dauid erat vrbis pars superior. 8. Septembris tota vrbs capta, direpta, & incensa est. Deinceps multi Iudæi in publicis ludis, vt cum Titus 24. Octobris celebraret natalem fratris Domitiani, & 7. Nouembr. natalem patris Vespasiani, perierunt, qui partim à feris discerpti, partim mutuis vulneribus contrucidati sunt. In festiuitate priori tria millia Iudæorum perierunt.

Euersa vrbe relictæ sunt tres turres, Phaselus, Hippicus, & Mariamne, & pars aliqua muri versus occidentem, in monumentum Romanæ fortitudinis, quæ omnem aduersus sentientem potentiam domare & frangere potuerit. Tandem tamen & hæc rudera deleta, ita vt ne vestigium quidem remanserit. Sic ergo iacet vrbs illa sancta: nec hactenus instaurari potuit, etiam magno nisu sumtuq; instaurationem illius non semel molientibus Iudæis. Hoc nimirum est quod Saluator *Luc. 21. v. 6.* prædixerat, non ibi relictum iri lapidem super lapidem.

Hic breuiter indicemus Reges & Principes huius populi inde à Saule vsque ad euersionem vrbis, itemque Pontifices Maximos inde ab Aharone vsque ad eandem euersionem: quæ res multum lucis adferet toti superiori tractationi.

Reges Iudææ & Israel.

Saul. Dauid. & Salomon.

Reges Iudæ ex familia Dauid.

1. Roboam.	Salomonis f.
2. Abia.	Roboami f.
3. Asa.	Abiæ f.
4. Iosaphat.	Asæ f.
5. Ioram.	Iosaphat f.
6. Ochosias.	Iorami f.
7. Athalia.	Vxor Iorami.
8. Ioas.	Ochosiæ f.
9. Amasias.	Ioæ f.
10. Azarias, siue	Ozias. Amasiæ f.
11. Ioatham.	Azariæ f.
12. Achaz.	Ioathæ f.

13. Ezechias.	Achazis f.
14. Manasses.	Ezechiæ f.
15. Ammon.	Manassis f.
16. Iosias.	Manassis f.
17. Ioachaz.	Ammonis f.
18. Ioacim.	Iosiæ f.
19. Iechonias.	Ioacim f.
20. Sedekias.	Iosiæ f.

De his vide supra & paulo post.

Transferuntur Iudæi in Babyloniam. Post 70. annos restituti parent ducibus quibusdam & Pontificibus, vsque ad Antiochum Epiphanem Syriæ regem, sub quo principatus Assamonæorum instituitur.

Principes.

Matthatias Assamonæus.
Iudas Maccabæus, Matthatiæ f.
Ionathas Matthatiæ f.
Simeon Matthatiæ f.
Iohannes Hircanus Simonis f.
} Hi etiam fuerunt Pontifices.

Reges iterum.

Aristobulus, Iohan. Hyrcani f. se appellat regem.
Alexander Iohanneus Iohan. Hircani f.
Alexandra seu Solina, vxor Alexandri.
Hyrcanus Alexandri f.
Aristobulus Alexandri f. pulso Hyrcano fratre.
} Hi etiam fuerunt Pontifices.

Iudæa sub Romanis.

Antipater Ascalonita Iudææ procurator.

Antigonus, Aristobuli f. vltimus ex Assamonæis: erepta vrbe Romanis.

Herodes Magnus Antipatri Ascalonitæ f. rex à Romanis contra Antigonum factus.

Iesus Christus nascitur.

Archelaus Herodis Magni f. rex Iudææ.

Herodes Antipas frater, Tetrarcha Galilææ.

Hic placet inserere genealogiam istorum Herodum quorum meminit Scriptura

Herodis Ascalonitæ seu Magni filii.

Antipas. cuius filii | Philippus. | Archelaus.

Agrippa rex Iudææ. Huius filius fuit Agrippa iunior, rex Chalcidicis, vltimus ex linea Herodum.

Agrippa rex Chalcidicæ.

Iudæa sub Romanis Præsidibus.

Coponius procurator Iudææ ab Augusto datus.
Ambiuius.
Annius Rufus.
Valerius Gratus Procoss. à Tiberio missus.
Pontius Pilatus. Sub hoc patitur Christus.
Marcellus.
Petronius.
Cuspius Fadus.
Tiberius Alexander.
Cumanus.
Antonius Felix.
(Marcellus … Antonius Felix:) Herodes Antipas, Agrippa maior & iunior, nihilominus sunt reges Iudææ.
Porcius Festus à Nerone missus.
Albinus.
Gessius.
Florus.
Titus Vespasianus: sub quo vrbs euersa.

Pontifices Maximi.

Ex Scriptura, Iosepho & Eusebio.

1. Aharon. *Exod.* 28.
2. Eleazar f. *Num.* 20.
3. Phineas f. *Num.* 25.
4. Abisue. f. Phineis.
5. Buquis. f. Abisue.
6. Ozis f. Buquis. Horum trium Pontificum meminit *Ioseph. lib.* 5. *antiq. c. vlt.* Sed iis præteritis Scriptura Phineis ætatem vsque ad tempora Heli p oducit.
7. Heli, ducens genus ab Ithmaro f. Aharonis.
8. Achitob. f. Phineis. 1. *Reg.* 14.
9. Abimelech f. Achitob, interfectus à Saule. 1. *Reg. seu Samuel. cap.* 21. 22.

10. Abiathar f. Abimelech. 1. *Sam*.23. *&* 30.

11. Sadoch. f. Achitob. Hic præfuit vna cum Abiathare, quem postquam interfecit Salomon, ipse solus administrauit pôtificatum. 1 *Reg*.15.17.19. & 3. *Reg*. 1. *&* 2. Hic primus functus est sacerdotio in templo Salomonis. 1 *Paral*.6.

12. Achimaz Sadoci f. *Ioseph*.*l*.10.

13. Azarias f. Sadoc. Et quidem hic dicitur sacerdos primus de stirpe Sadoc. 3. *Reg*.4. *&* 1. *Paral*.6. Itaque Iosephus errauit, quando

Ios. lib. Achimaz constituit filium Sadoc.

antiq. 14. Ioram, Azariæ fil. *Ios*.*lib*.10.

10 15. Isus, Iorami f.

10 16. Axioram, Isi fil.

10 17 Phideas f. Axiorami.

10 18. Sudeas f. Phideæ.

10 19. Ioel, Sudeæ f.

20. Ioathan, Ioelis f.

10 21. Vrias, Ioethæ f. 4. *Reg*. 14. Vixit sub Achaz rege Iudæ.

10 22. Nerias, Ioathæ f.

10 23. Odeas Neriæ f.

10 24. Sellam Odeæ f.

10 25. Helcias Sellum f. 4. *Reg*. 22. 23. Vixit sub Iosia.

10 26. Saraias f. Helciæ interfectus à Nebucadnezare. 4. *Reg*. *vlt*.

10 27. Iosedec. Saraiæ f. in captiuitate Babylonica successit patri. Ezræ frater.

10 28. Iesus Iosedec f. qui reuersus è captiuitate Babylonica, vrbem & templum reficere cœpit. *Ezr*. 2.

11 29. Ioachim f. Iesu. *Nehem*. 2. Fortassis est Eliachim, qui Iudithæ 4. dicitur Sacerdos magnus Domini.

11 30. Eliasib. f. Ioachim. *Nehem*.3. *&* 13.

11 31. Iodas f. Eliasib. *Nehem*. 12.

11 32. Ionathas, Iodæ f. *Nehem*. 12.

11 33. Addi, seu Iaddus, f. Ionathæ. Hic excepit Alexandrum Magnum. *Nehem*. 12.

11 34. Onias, Iaddi f.

11 35. Simon Iustus Oniæ f.

12 36. Eleazar, Oniæ f. Ad hunc scripsit Ptolomæus Philadelphus, vt ad se mitteret Biblia, vna cum LXX. Interpretibus.

37. Manasses Iaddi filius.

12 38. Onias. 2. Simonis Iusti f. Hic tributa Ptolemæo Euergeti soluere abnuit.

12 39. Simon. II. Hoc tempore vixit *Iesus Syrach*.

40. Onias.

Iose. libr.

40. Onias. 3. Simonis. 2. fil.
12 41. Iesus, qui & Iason. Simonis 2. fil. Hic creatus est ab Antiocho
12 Epiphane. Hic seditione concitata primus abdicatus est ab eodem Antiocho, & Pontificatus ad tempus dari cœptus.
12 42. Onias 4. qui & Menelaus. Simonis 2. fil. Creatus ab Epiphane, & post necatus, vrbe direpta.
43. Lysimachus frater Menelai.
44. Alcimus, qui & Ioacim: ab eodem rege suffectus.
12 45. Iudas Maccabæus.
13 46. Ionathas Mattathiæ f. Princeps Iudæorum à Demetrio rege subiectus.
13 47. Simon Ionathæ frater. Vnde pontificatus vna cum principatu fit hæreditarius in familia Assamonæorum.
13 48. Iohan. Hyrcanus Simonis fil.
13 49. Aristobulus Iotham fil. Regis nomen assumsit.
13 50. Ianneus Alexander. Iohan. fil. Rex.
14 51. Hyrcanus, Iannei Alexandri f. Rex. Pellitur à fratre minore.
14 52. Aristobulus Iannei Alexandri f. Pellitur à Pompeio.
14 53. Hyrcanus Iannei Alex. f. restitutus à Pompeio in Pontificatum sed non regnum. Inde capitur à Parthis & Antigono, Aristobuli regis & Pontificis filio, ac ne pontificatum resumere possit, mutilatur.
15 54. Antigonus Aristobuli regis & Pontif. fil. capto Hyrcano patruo & mutilato, rex & Pontifex. Idem ab Herode Antipatri filio Ascalonita rege illi à Romanis obiecto interficitur.
15 55. Anaelus, Leuites Babylonius, ab Herde rege substitutus & remotus.
15 56. Aristobulus Alexander Hyrcani regis & Pontificis filiæ filius ab Herode rege substitutus & remotus. Frater fuit Mariamnes vxoris Herodis.
15 57. Anaelus, iterum ab Herode datus & remotus.
15 58. Iesus Fabetis alienigena ab Herode datus & remotus.
15 59. Simon Boethus Alexandrinus, alienigena, socer Herodis regis: ab eodem datus & remotus.
15 60. Matthias Theofili f. Hierosolymitanus ab Herode datus.
17 61. Iosephus Elimi fil. cognatus eius pro Matthia functus est Sacerdotio, cum ille somniasset pridie Ieiunii, se cum vxore commistum esse.
17 62. Ioazarus, Simonis Boethi fil. Herodis Regis vxorius; ab eodem datus. Sub hoc nascitur Christus. Inde remotus est ab Archelao Herodis f. & successore.

Iose. libr.

17 63 Eleazarus Simonis Boethi f. ab Archelao rege factus & remotus.
17 64 Iesus Siæ f. ab Archelao datus & remotus.
18 65. Ioazarus iterum ab Archelao factus, & post relegationem Archelai à Quirino Procoss. Syriæ remotus, imperante Augusto.
18 66. Anna, siue Ananus, Sethi fil. à Quirino Proconsule datus, imperante Augusto, & à Phalereo Grato Procuratore Iudææ remotus, imperante Tiberio.
18 67. Ismaelus, Iabi f. à Phalereo Grato datus & remotus.
18 68. Eleazarus Annæ Pontificis f. datus & remotus à Phalereo procuratore.
18 69. Simon Camithi f. ab eodem Phalereo datus & remotus, imperante Tiberio.
18 70. Iosephus Caiphas, Annæ Pontificis gener ab eodem Phalereo datus, imp. Tib. Sub hoc Christus est passus.
18 71. Ionathas Annæ Pontif. fil. à Vitellio Procoss. Syriæ datus, imperante Caligula: & ab Herode Agrippa Iudææ rege remotus.
18 72. Theophilus, Annæ Pontif. fil. ab Agrippa datus & remotus, imperante Claudio.
19 73. Simon Canthara Boethi Pontif. fil. ab Agrippa datus & remotus
19 74. Matthias, Annæ Pontificis f. ab Agrippa datus & remotus.
20 75. Ælioneus Simonis Cantharæ Pontificis fil. ab Agrippa Herode rege datus: & ab Agrippa secundo, rege Chalcididis remotus. Is enim mortuo Agrippa fratre rege Iudææ ius Pontifices instituendi à Claudio impetrauit.
20 76. Iosephus Camithi f. ab Agrippa Chalcidicæ datus & remotus imperante Nerone.
20 77. Ananias Nebedæi f. ab eodem Herode datus & remotus. Hunc Paulus *Act.* 23. vocat parietem dealbatum.

78. Ismaelus Siæ f.
79. Iosephus Cabus Simonis Cantharæ Pontificis fil.
80. Anna, siue Annanus, Annæ Pontificis fil. Hic Iacobum minorem fratrem Domini interemit.
81. Iesus Damnei, siue Mnaseæ f.
82 Iesus Gamalielis f.
83. Matthias Theophili f.

Hi Pontifices omnes sunt dati & remoti ab Herode Agrippa rege Chalcidicæ *Ioseph. l.* 10.

20 84. Phannias, siue Phanassus Samuelis fil. à populo tumultuante sorte lectus. Sub hoc Hierosolyma capta.

Vidi.

Vidimus tempus Ecclesiæ nascentis. Videamus nunc paucis tempus Ecclesiæ adultæ, & quidem ex Apocalypsi Iohannis hoc tempus circumscribamus.

Apocalypsis agit de Ecclesia
- *Capite Christi. cap. 12.*
  - *Mulier parturit, videlicet Ecclesia Iudæorum.*
  - *Mulierem obseruat Draco.*
  - *Nascitur filius.*
  - *Filio insidiatur Draco.*
  - *Christum ascendentem in cœlum Draco persequitur, cum eo pugnat, deiicitur: anno Christi. 35.*
- *Ecclesiæ, eiusque statu, ratione nostri*
  - *Præterito: vbi de Ecclesia*
    - *Iudaica.*
      - *Hanc Draco deiectus persequitur.*
      - *Ecclesia illa in solitudinem recipitur annos tres & dimidium. Apocal. 12. An. Christi 66.*
    - *Subuersa Iudaica, Draco inuadit Catholicam. Vide proxime sequentem typum.*
  - *Præsente.*
  - *Futuro.*
    - *Vide paulo post.*

Apocal.	*Status Ecclesiæ Christi, vsque ad nostra tempora.*	Anno Christi.
		90
12	Draco vexat Ecclesiam per Imperatores, quæ in desertum abit.	93.94. & seqq.
2, 3	Ecclesiæ Asiaticæ instruuntur, sub finem Domitiani	307
20	Draco vincitur ad annos 1000. videlicet post decimam persecutionem, tempore Constantini Magni.	600
31	Interim Draco excitat bestiam septicipitem & bicipitem, quæ Ecclesiam Catholicam & Prophetas eius infestant annos 1260. Hi anni incipiunt tempore Phocæ, qui sub Bonifacio 3. promulgauit decretum de primatu Ecclesiæ Romanæ.	
6, 7, 8	Deus verbo & signis mundum prouocat, & bonos obsignat apertis sigillis cædes, fames, pestis, & similes calamitates immittuntur.	795 1073
9	Bestia illa Romana furit; Gregorius 7. Pontifex cõtra Henricum 3. Cæsarem: Gregorius 9. qui Decretales conscripsit, atrocissime infestat Fridericum 2. Cæsarem.	1217 1295
11		

Constantinum Magnum Iudæi hodieque vocant נצרים אמונת מחזוק. *Confirmatorem religionis Nozerenorũ.*

13 Vtra-

Apoc.		An. Mun.
13	Vtraque bestia afficit pios. Prophetæ extinguuntur.	1300
	Terræ motus maximus existit, quo plurima ædificia	1305
15	vrbis diruta.	1359
14	Draco, siue Satan, soluitur. Prophetia aboletur.	1410
13	Prophetia reuiuiscit per Wiclefum & Hussum.	Ad annū
14	Prophetiam Draco & bestiæ oppugnant.	1510
15	Christus Ecclesiam propugnat verbo & opere.	Inde à
16	Minis armatis & iudiciis singularibus.	Luth. ad nostrā ætatē.

Tempus præsens Ecclesiæ quodnam sit, nemo non videt.

Tempus futurum Ecclesiæ soli Deo notum. Hæc tamen ex Apocalypsi deci possunt.

Christus tribuet Ecclesiæ victoriam { In hac vita inchoatam, de meretrice & duabus bestiis, septicipite & bicipite. *Apocal.* 17.18.19. Post hanc vitam plenam, de dracone & morte. *Apocal.* 20.21.22.

Sed ne hæc ita nude ponantur, adducemus quosdam aphorismos è Daniele & Apocalypsi, à quibus de futuro Ecclesiæ statu pii homines iudicare poterunt secundum pronunciata Spiritus sancti. Supponimus autem hoc principium: *Quamdiu mundus erit, Ecclesia erit.*

Aphorismi ex Daniele.


Quatuor monarchiæ apud Danielem.

1. Daniel in sua Prophetia non solum respexit ad statum Ecclesiæ Iudaicæ, sed voluit pingere faciem Ecclesiæ ad finem vsque mundi. Hoc Franciscus Iunius, Brugthonus, & alii non concedunt. Firmemus itaque aphorismum hunc rationibus. Ratio. 1. Hic Propheta maximopere commendatur *Ezechel.* 14. *vers.* 28. *cap.* 28. *vers.* 3. Vnde colligitur, Danieli in futurorum præuisione aliquid extra ordinem fuisse à Deo collatum. At prærogatiuam nullam haberet præ aliis, si visionem suam non extendisset longius quam illi. Ratio 2. Daniel hoc innuit *cap.* 8. *ver.* 14. 17. 26. *cap.* 10. *vers.* 1. Sæpe enim dicit לאחרית הימים *in extremitate dierum.* Ratio 3. *Capite secundo versu trigesimo quarto, quadragesimo quinto*, describitur vltimū iudicium. Lapis à monte dicitur reuulsus, quo significatur, subitaneum fore Christi aduentum. Sic *cap. septimo, versu nono*, meminit eiusdem iudicii. Ratio 4. Iohannes in Apocalypsi multa habet ex Daniele, quæ omnino concernunt Ecclesiam noui fœderis.

2. *Danielis* 2. describuntur quatuor monarchiæ, hunc in modum. Caput aureum, est monarchia Babyloniorum. Nam fuit pure monarchicū. Itaque figuratur capite, quod vnicum est. Pectus argenteum est monarchia Persarum, quæ habuit primo duo brachia, regnum Medorum videlicet & Persicum, sicut hodie regnum Poloniæ à Polonis & Lithvanis admi-

administratur. Alexander eiusque posteri per ventrem exprimuntur, ita vt Alexander sit vmbilicus, posteri eius, Seleucidæ & Lagidæ occupent latera. Pedes ferrei & lutei denotant monarchiam Romanorum, quorum monarchia est scissa in duos pedes, orientalem & Occidentalem. Vide figuram hac ipsa pagina.

3. Iunius & alii per quartum regnum volunt intelligi Seleucidarum & Lagidarum imperium. Sed sequentia obstant. 1. Solus Alexander non potest intelligi per ventrem: quia Deus *cap. 7. v. 12.* dicit, vitæ illarum (bestiarum) concessum esse spatium temporis & periodorum, vt vertit acutissimus Graserus. Alexander autem vltra 12. annos non regnauit. 2. Bestię quatuor, quarum firmentio *cap. 7.* sunt diuersæ. At posteri Alexãdri non cõstituũt diuersum regnum ab Alexandro. 3. Pii sub posteris Alexandri non sunt adeo pressi, vt Daniel prædicit euenturum sub quarto regno. 4. Bestia quarta fuit robustissima, & præ aliis metuenda. At posteri Alexandri non fuerunt formidabiliores superiorib. regnis. Hoc autem competit in monarchiam Romanam, cuius vnidomini Iudæos subiugarunt, qui aliquoties se asseruerant in libertatem è tyrannide Seleucidarum, qui non fuerunt adeo ferrei, vt Romani. 5. Expositio Iunii turbat doctrinam de duratione mundi, de supremo iudicio, de Antichristo. 6. Decem cornua bestiæ quartę sunt decem illa cornua, de quibus in Apocalypsi. Nam reges



Syriæ non possunt intelligi; quia illorum fuerunt quatuordecim, non decem. Vide *cap.* 11.

4. Quatuor bestiæ *Daniel.* 7. denotant itidem quatuor monarchias: Leo Babyloniorum, vrsus Medorum & Persarum, pardus quadriceps Græcorum, bestia decacornis Romanorum Imperium. Rationes dixi ad aphor. 3. Nunc adiicio istam. Daniel visa bestia quarta rapitur in admirationem; quia intuetur Imperium quartum, quod formidabilius sit Ecclesiæ futurum tribus prioribus, ita vt sit quasi compendium trium antecedentium. Est enim simile pardo, habens pedes vrsi, & os leonis. Nam in Imperio Romano 1. Gluten fuit rigor disciplinæ domesticæ & militaris. 2. Fuit durities summa. 3. Fuerunt duces, qui omnibus fuerunt terrori. 4. Dentes fuerunt ipsi duces, qui obuia quæque conculcarunt, & quod reliquum fuit, pedibus comminuerunt. 5. Cornua decem fuerunt decem regna, de quibus paulo post. Cornu paruulum fuit Mahomed, quod tria regna ademit bestiæ, Syriam, Ægyptum & Asiam, & paulatim totam tibiam Orientalem occupauit.

5. Daniel *cap.* 7. magis respicit ad Mahomedem, quartæ bestiæ pullum, & *cap.* 8. ad Papam, Antiochianæ impietatis, quam Romanæ virtutis æmulum.

6. Daniel *cap.* 8. Antiochum cum Antichristo coniunctim describit, coniuncto typo cum eiusdem antitypo, vt discretio ibi sit paulo difficilior; at *cap.* 11. vtriusque istorum historiam seorsim tractat. Deinde *c.* 8. visio, quatenus ad Antichristum spectat, magis circa fraudem eius spiritualem, siue vt Apostolus loquitur, circa mysterium iniquitatis, est occupata, quam circa eius externum regnum: at *cap.* 11. vtrumque illorum Propheta ex æquo spectat, & describit Antichristum à *cap.* 11. *vers.* 36. *ad finem vsque capitis.* vbi tria occurrunt. 1. Describitur corpus Antichristi, quatenus spirituale est, cuius tria sunt membra, ambitio & superbia Diabolica, idololatria maxima, & successus prodigiosi. 2. Describitur status externus istius regni, quatenus illud est aspectabile. 3 Ruina breuibus quidem, sed significantibus verbis exprimitur. Sed explicemus singulos versus.

Versus. 36.

Et aget pro libitu suo rex ille, exaltans & efferens se supra omne numen: Et super Deo Deorum loquetur stupenda: proficietque donec fuerit consummata indignatio. Facta enim est accurata limitatio.

Rex ille, scil. Antichristus. Vtitur hoc verbo Propheta: quia vsitatum est in descriptione antitypi retinere vocem typi. Et hodie Asiatici Papam vocant מלך אדום *Redem Edom*, item *Regem Prælatorum*. Turcæ eum vocant *Regem Francorum*, id est, Christianorum. Illi enim Christianos vocant Francos. Imo Papa profitetur se regem Italiæ.

Rex

Rex ille: non denotatur vnicum indiuiduum, sed omnes, quos sedes illa habebit: quæ loquendi forma satis vsitata est Spiritui sancto. *Aget pro libitu suo.* At hoc facit Papa: nec ante Papam vllus mortalium fecit ita perfide & euidenter. Scribunt enim ipsius ciniflones, quod sit supra ius, contra ius, & extra ius. Scribunt, quod possit aliquot hominū millia in infernum detrudere, ita vt nemo illi audeat dicere, cur hoc facis? His adde illud, omnes homines de necessitate salutis teneri, vt se in iis, quæ ad fidem spectant, Romano Pontifici subiiciant. Item, Papam à nemine, ne quidem à Deo ipso iudicari posse. *Exaltans & efferens se supra omne numen.* Hoc autem facit Papa, vt è modo dictis patet: quo pertinet & illud, Papam posse statuere contra quatuor Euangelia. *Et super (de) Deo deorum loquetur stupenda*, seu prodigiosa, hoc est, monstrosam introducet Theologiam.

Hanc inuexit Papa. Istius enim Theologiæ hæc sunt capita. 1. Scripturam esse obscuram, insufficientem, imperfectam, plumbeum nasum, continere ænigmata Sphingis. 2. Fidem implicitam sufficere Laicis, si credant quod Romana Ecclesia credit. 3. Sacrificium CHRISTI non esse sufficiens. 4. Sacerdotem esse creatorem creatoris sui in missa. Sed quis omnia נפלאות, id est, mysteria meretricis Babylonicæ percenseat? Obiicis, etiam Mahomedi hæc competunt. Respons. Antichristi fronti inscriptum est nomen hoc *Mysterium. Apocalyp. decim. septim. vers. quint.* quia scilicet occulte hæc omnia aget, ita vt nolit videri Antichristus. A Mahomed palam hæc fecit. *Et proficiet, donec facta fuerit consummatio*, hoc est, admirandus erit successus istius Antichristi. At homines hodie maxime admirantur Papam ob diuturnos illos successus, qui sunt expositi omnium oculis. Hisce Deus imponet finem, quando volet. Ab ipso enim *facta est limitatio*, seu decisio.

Vers. 37.

Nam nec Deum Maiorum suorum curabit, nec legitimum mulierum desiderium, nec vllam maiestatem curabit; quin potius supra omnia se extollet.

Hic tria dicuntur de Antichristo 1. Quod Deum maiorum suorum non sit curaturus. 2. Quod contemtor coniugii futurus. 3. Quod nullam in terris maiestatem reueriturus sit. Hæc omnia competunt in Papam. Nam ille 1. DEUM, quem verbis profitetur, non curat, hoc est, nullum illius respectum habet, dum sibi tribuit ea, quæ Dei sunt: maxime autem officium CHRISI blasphemat. Se enim cœlorum, terræ & inferni dominum facit, dum fatetur, Angelis in cœlo se posse imperare, Sanctos canonizare, terram pro lubitu partiri, regna transferre, Diabolis minitari, infernum expugnare, & creatorem suum creare. Præterea Papa non curat DEVM maiorum suorum,

quando calicem subtrahit Laicis, & septem Sacramenta obtrudit suis subditis.

2. Super omnes est voluptuarius & libidinosus, externa duntaxat conuersatione castimoniam mentitur. Contemnit coniugium, interim Sodomiam probat.

3. Nullam maiestatem agnoscit. Nam Pontificii fatentur Papam esse Vicedeum, habere omnipotentiam, esse Sacerdotem summum, Principem Episcoporum, hæredem Apostolorum, Primatu Abelem, gubernatione Noachum, patriarchatu Abrahamum, ordine Melchisedecum, dignitate Aaronem, authoritate Mosen, iudicatu Samuel. zelo Eliam, mansuetudine Dauidem, potestate Petrum, vnctione Christum. Iidem dicunt, Papam habere omnem regalem, imperialem, & sacerdotalem potestatem in toto mundo; clauem item potestatis temporalis & æternæ.

Vers. 38.

Quendam vero Basilicarum Deum ipsius loco colet; Deum etiam, quem non agnouerunt maiores eius, auro colet, argento, gemmis, & rebus quibuslibet pretiosis.

Hic tria dicuntur de Antichristo.

1. Quod in statu Dei deorum, quendam basilicarum Deum culturus sit, hoc est, idola, quæ collocantur in basilicis. Nam vox Hebraica *Mahos* significat, hoc in loco significat templum, sed profanum. Posses itaque vertere Deum, seu numen templarium, hoc est, tale quod templis includitur. At Pontificii colunt huiusmodi Deos, loco veri Dei. Huc pertinent imagines, altaria, cruces, campanarum baptismus, aqua lustralis, & alia innumera.

2. Quod talem Deum culturus sit, quem maiores ipsius non agnouerunt. Hoc facit Papa, quando Deum in Missa factum agnoscit, quem ipsius maiores non agnouerunt. Habet itaque Pontifex biforme idolum, Deum basilicarum manu factum, & Deum in Missa vi verborum factum.

3. Quod culturus sit Deum illum suum auro, &c. Quæso te, conuerte oculos in Pontificem, & si cor habes, iuxta mecum erumpes in illa verba: Hic est Antichristus ille magnus.

Versus. 39.

Efficiet etiam Basilicarum propugnacula cum Deo alieno, quos agnoscet, eis multiplicabit dignitatem. Dominos etenim multorum eos constituet, & terram illis permutatione distribuet.

Hoc versu continentur duo; quorum primum est de firmamento & robore regni Antichristi, alterum de modo regnandi. Videamus ipsa verba. *Efficiet etiam basilicarum propugnacula*, hoc est, intentus erit muniendo regno suo. Et quidem communitionem illam perficiet *cum Deo alieno*

scilicet per Missæ idolum. Tolle Pontifici Missam, corruet ipsius regnum. Per missam templa, altaria, imagines, &c. consecrantur, comitia celebrantur, statuta sanciuntur, dignitates conferuntur, imperia auspicata traduntur, priuilegia confirmantur. Itaque Deus hic alienus ad Deum basilicarum se habet tanquam anima ad corpus. *Quos agnoscet, eis multiplicabit dignitatem*, hoc est, quos sibi fauere deprehendet, illis tribuet omnis generis priuilegia, immunitates & indulta. Asmon hoc facit Papa, quando reges sibi addictos ornat titulis, quando Cardinales, Episcopos, Prælatos, & Sacerdotes constituit? Huc etiam refer canonizationem. *Dominos enim multorum eos constituet, & terram illis permutatione*, seu per retributionem, *distribuet*. Annon Pontifex constituit Cardinales & Episcopos, qui se tales esse gloriantur Dei & sedis Apostolicæ gratia? Annon Pontifex illis distribuit terram, & ab iis poscit præmii loco obedientiam, pecunias, & ipsam etiam vitam.

Versus 40.

Circa tempus vero constitutum, cornibus eum impetiturus est rex Austri, contra quem cum consternatione irruet rex Aquilonis, cum curribus, equitibus, & nauibus multis: Vbi in terras penetrabit, easque vt refluxus maris obruet & transibit.

Rex Austri est Mahomed seu Turcus. Hic impetiit regem Aquilonis, hoc est, Pontificem, qui multa bella sacra gessit, sed cum consternatione. Penetrarunt etiam nostri sacri milites, in terras Orientales, easque tanquam mare obruerunt, tanto sæpe apparatu, tanto agmine profecti sunt aduersus regem Austri.

Versus 41.

Penetrabit etenim in terram decoris, & multa corruent; illi tamen manum eius euadent, Edom, Moab, & primitiæ filiorum Ammon: hoc est, Antichristus terram sanctam occupabit & multa pessum dabit: interim effugient Edom, Moab, & hoc etiam quadrat in Papam. Ille enim commouit mundum orientalem, vt ita posset tute commouere occidentalem. Ille in Oriente sæuiendo Turcas ex ipsis Caucasi cauernis in nostras ferme terras attraxit. Hoc egit Pontifex, vt esset Episcopus Oecumenicus. Effugerunt tamen. 1. Edom, id est, Ecclesia Græca. 2. Moab, id est, Ecclesia Æthiopica. 3. Primitiæ filiorum Ammon, id est, Ecclesiæ Romanæ alumni, quos Deus voluit primitias esse in sancta illa sua reformatione. Et quidem Græci & Æthiopes euaserunt corporaliter, dum certa constituerant regna: at primitiæ Moab spiritualiter tantum tyrannidem animarum euaserunt, successoribus tamen eorum, in quibus & nos sumus, aliqua ex parte externam quoque illam tyrannidem euadentibus.

Ecclesia Christiana olim in Græcam Æthiopicã & Romanam diuidebatur.

Versus 42.

Emittetque vlterius *manum suam in terras*, (scilicet vlterius) *nec terra barbarica ipsamet euasura est.*

Verſ. 43.

Dominabitur etenim ſuper abſconditas gazas, auri, argenti, & rerum quarumlibet pretioſiſſimarum Ægypti, Libyum, & Cuſchitarum in progreßibus ſuis.

Sicut verſ. 41. fideles in tres Claſſes fuerunt diuiſi: Sic & hic infideles diuiduntur in 3. Claſſes.

Senſus hic eſt: Antichriſtus occupata terra decoris, ſe ruiſum commouebit, & occupabit terram Ægypti id eſt, barbaricam, quam Propheta diuidit in tres partes, Ægyptum, Libyas & Cuſchitas. Hæc etiam cadunt in Papam. De Ægypto res plana eſt. Europæi enim ex terra decoris & Syria eiecti, Ægyptum tentarũt. Per Cuſchitas intelligendi ſunt coloniæ Æthiopum, quas in illam Aſiæ maioris plagam tranſmiſerunt, quæ à ſinu incipiens Perſico per meridionalia Aſiæ littora ad extremum Orientem excurrit. Vbi ſuperiori ſeculo à Luſitanis, & gentis, & religionis Æthiopicæ veſtigia deprehenſa ſunt. Per Lybias intelligendi ſunt Americani, ſiue India Occidentalis, cum vniuerſo illo Inſularum tractu, quæ vel hinc Africæ occidentalis littora, vel illinc Americam ſpectant. Et quidem in has Cuſchitarum & Lybyum terras Pontifex Romanus extendit manum ſuam, quando Hiſpanus illas adiecit regno ſuo Catholico, & diuitias earundem ad ſe rapuit, vt nimirum ſtabiliret ſedem Apoſtolicam.

Verſ. 44.

Veruntamen rumores conturbabunt eum ab ortu & ſeptentrione. Egredietur itaque cum excandeſcentia multa, vt multos perdat, & internecioni deuoueat.

Rumor Orientalis Septentrionalem præcedit, quæ res ita habet, Anno 1453. capta eſt Conſtantinopolis. Ad eius rei famam Europa contremuit, maxime tamen Italia, & in illa Roma. Paulo poſt, anno nimirum 1481. Geduces Baſſa in Italiam irrupit, captiſque in Calabria aliquot portubus, interiori Italiæ minari cœpit. Ad cuius rei nuncium ita trepidatum eſt Romæ: vt plerique fugam meditarentur, & ipſe adeo Pontifex Sixtus IV. Hic terror paulo poſt renouatus eſt, quando Othomannidæ, exciſo Sultanorum imperio, Rhodum expugnarunt, & Eccleſiæ Romanæ fines iam cœperunt inuadere.

Hunc Orientalium rumorem & motum è veſtigio ſubſecutus eſt rumor Septentrionalium, qui Antichriſto amplius obedire noluerunt. Per Orientalem motum externa monarchia Pontificis concutitur; per Septentrionalem Spiritualis eius tyrannis aboletur. Quid vero ad hæc Pontifex? Egreditur cum excandeſcentia multa, vt multos perdat, inquiſitionem Hiſpanicam introducendo, & ſibi addictos reges monendo vt hæreticos perſequantur ferro & igni, denique per Ieſuitas, homines ſacrilegos, incendiarios, Diabolicos, vbique faces bellorum excitando.

Verſ. 45.

Plantabit itaque tentoria cleri ſui inter maria ad montem ſanctum & inclytum: ſed venit ad finem ſuum, nec quiſquam ei opitulabitur.

Plantabit tentoria cleri ſui. In Hebraico eſt vox אפדנו *Appadno*, quam deſcendere à radice אפד certum eſt, ita vt nomen integrum vocis Appadno, ſit אפדן *Appeden.* Iam vero certum eſt, vocem אפד vſurpari de ornatu ſacro, quo ſacerdotes ſacrificaturi vtebantur. Hinc *Ephod. Exod.* 25. *ver.* 7. Vſurpatur interdum metonymice pro munere ſacerdotali fungi. 1. *Sam.* 22. *verſ.* 18. Idem de cultus idololatrici ornatu vſurpatum inuenias *Eſa.* 30. *verſ.* 22. Putamus igitur hoc loco ſignificari clerum Romanum, ſiue ſtatum Eccleſiaſticum. Quæ vero ſunt tentoria iſtius cleri? Tentorium in S. literis interdum ſignificat congregationem, & eam ferme militarem. Hinc iam facile erit colligere, qualis congregatio Cleri Romani hoc loco intelligatur: videlicet illa, quæ conuenerunt ad ſtabiliendum regnum ſuum, & ad hæreticos. (Sic vocant Chriſti Eccleſiam, eiuſque membra) extirpandos. Tale autem fuit Concilium Tridentinum, in quo 3. Patriarchæ, 7. Cardinales, 33. Archiepiſcopi, 235. Epiſcopi, 7. Abbates, 7 Generales Ordinum, 146. Theologi, conuenerunt. Hoc concilium hodie nobis obiiciunt Sophiſtæ proterui, tanquam Gorgonis caput. Cæterum hæc tentoria poſuit Papa *ad montem ſanctum & inclytum*, hoc eſt, ad Septentrionem, vnde rumor ille exortus eſt, quique effectus eſt mons ſanctus. Conſtat autem Tridentum vergere ad hæc loca Septentrionalia, ſi quis ex Italia iter faciat. Præterea Pontifex hæc tentoria plantauit *inter maria*, hoc eſt, populos principes, quales ſunt Germani & Itali. Tridentum autem inter Italiam & Germaniam ſitum eſt. Quod vero per maria populi ſint intelligendi, demonſtrari poteſt ex *Apocal.* 17. *v.* 1. vbi aquæ, ſuper quibus reſidet meretrix, dicuntur eſſe populi multi. Sequitur cataſtrophe his verbis: *Sed venit ad terminum ſuum, nec ei quicquam opitulabitur.* Hoc de Concilio illo vere pronunciare poſſumus. Nam in fumum abiit conatus Pontificis, & deinceps cum Deo plane recidet in nihilum. Hæc volui dicere ad locum Danielis, qui recte intellectus multum illuſtrat hiſtoriam ſacram. Colophonis loco libet adiicere dictum *Irenæi lib.* 4. *cap.* 43. *Omnis prophetia, priuſquam impleatur, ænigma eſt: Quando autem impleta fuerit, manifeſtam habet expoſitionem.* Hoc idem dicamus de modo allata prophetia Danielis, quæ poſtquam impleta eſt, non amplius obſcura eſſe poteſt. Quod autem impleta ſit in Papa, inde conſtare poteſt, quia illi ſoli, non Antiocho, non Mahomedi omnia iſta competunt, quæ Daniel hic coniunctim de vno enunciauit. Demonſtrationes ſolidas huius interpretationis vide *in hiſtoria Antichriſti* viri vndecunque doctiſſimi *Cunradi Graſeri*, cuius opera nos vſi ſumus.

Restat vnicus locus apud *Danielem cap.*12. ad quem tribus verbis adiiciam quædam. *Vers.* 11.

A tempore autem, quo oblatus fuerit iugis cultus, & posita detestatio desolans, dies erunt mille ducenti nonaginta.

*Vers.*12. *Beatus qui præstolabitur, & peruenerit ad dies mille trecentos triginta quinque.*

Cap. 9. Daniel prædicere voluit Ecclesiæ statum futurum, Ecclesiæ dico, non solum Iudaicæ, sed etiam Ecclesiæ. Hunc statum diuidit in tria interualla. Primum est ab instauratione templi secundi vsque ad desolationem. Hoc spatium complectitur septimanas 70. hoc est, annos 490. qui incipiunt ab anno secundo Darii Nothi, & terminantur excidio Hierosolymitano, quod incidit in annum Christi 69. Iam hoc capite sub initium differit de fine mundi, hoc modo:

*Vers.*1. Consolatur Danielem consternatum visione calamitatum, quæ manere debebant Ecclesiam. Deus igitur sic alloquitur Danielem hoc versu: *Tempore autem illo adstabit Michael, princeps ille maximus, qui stat pro popularibus tuis, cum fuerit tempus angustiæ, qualis non excutit, ex quo fuit gens vsque ad tempus istud, & tempore isto eripietur populus tuus, quisquis inuentus fuerit scriptus in libro illo.* Hic versus cohæret cum versu vltimo capitis vndecimi: Intelligitur itaque tempus illud, quo Pontifex Romanus in summas redigetur angustias. Tum etiam conuertentur Iudæi, & contra hunc Antichristum pugnabunt. *Tandemque* (vers. 2.) *Multi ex dormientibus in puluere terræ expergiscentur.* Hoc est, postquam victus fuerit Antichristus, subsequetur monarchia sanctorum in cœlis.

Hunc esse sensum genuinum patet ex *vers* 7. vbi Angelus iurat per viuentem, *fore vt ista*, de quibus modo fuerat institutus Daniel, *omnia absoluantur post constitutum tempus, constituta tempora, partemque temporis, & cum absoluet dissipare vires populi sui.* Hic totum illud tempus diuidit in tria interualla, videlicet tempus constitutum, tempora constituta, partemq; temporis. Iam videamus vbi fiat mentio temporis constituti apud Danielem. Fit autem mentio *cap.*9. *Septuaginta septimanæ decisæ*, id est, constitutæ sunt. Hoc igitur est tempus constitutum, annorum 490. Quænam autem sunt tempora constituta? Hoc explicatur *cap.*12. *v.*11. *A tempore autem illo, quo ablatus fuerit iugis cultus, & posita detestatio desolans.* Quando hoc factum? Tempore excidii per Titum, non tempore Antiochi. Hic enim easdem phrases adhibet Daniel, quas supra *cap.* 9. vsurpauerat. Ab isto igitur tempore, hoc est, anno Christi 69. completo, *erunt dies mille ducenti nonaginta.* Intelligit autem dies propheticos, hoc est, totidem annos, vt patebit, si quis ad scopum antea à nobis indicatum attendat. Hos annos vocat tempora respectu 70. Septimanarum; quia videlicet anni 490. ad annos 1290. se habent vt tempus se habet ad tempora. Iam hosce dies 1290. adde annis Christi

Christi 69. quo anno vrbs est excisa, prodibit annus Christi 1359. Hoc tempore cœpit docere Iohannes Wiclefin Anglia, contra Pontificis Romani decreta. Ab anno illo Christi sexagesimo nono, Draco & bestiæ persecutæ sunt Ecclesiam. Draco quidem inde ab anno sexagesimo nono, vsque ad trecentesimum septimum. Ab anno trecentesimo septimo vsque ad sexcentesimum Ecclesia respirauit. Ab anno 600. vsque ad 1359. seu 1600. Ecclesia fuit pasta in deserto. Tum Wiclefus bestiam illam conficere cœpit spiritu oris Dei. Hunc Wiclefum Gregorius II. anno Christi 1378. persecutus est. Inde mox consecutum est seculum Iohannis Hussi, anno 1400. Illius opera & scriptorum Wiclefianorum adminiculo veritas Euangelii diffundi cœpit: & altiores radices egit superiori seculo decimo quinto, quod inchoauit annus Christi 1500. Hoc autem seculo decimo sexto, cuius annus decimus quartus iam currit, ad maturitatem perueniet. De hoc enim seculo accipi debet *vers.* 12. huius capitis: vbi mentio fit dierum 1335. qui, si adiiciantur ad dies, de quibus in versu proxime antegresso, efficiunt dies, siue annos 2656. Sed quia hoc tempus est longius, quam ferat tota Apocalypseos ratio, patet aliam synthesin horum dierum adferendam esse, & quidem hoc modo: Diebus 1359. à desolatione vrbis, addendi sunt dies 335. Habebis annum Christi 1694. circa quod tempus Iudæi conuertentur, & sancti emergent è paraxysmo tribulationum. Quod autem hæc synthesis sit congrua, probari potest ex ipso textu. Dicitur enim *vers.* 7. huius temporis, *post partem temporis*: Quæ verba omnino tertium interuallum denotant. Iam vero anni 335. collati cum 490. & 1290. sunt pars temporis. Verum de his dicemus plura paulo post.

Aphorismi ex Apocalypsi.

I. Sicut Romani inferiorem Hierosolymam oppugnarunt: ita iidem oppugnarunt superiorem, hoc est, Ecclesiam Catholicam. Vide *Apocal.* 16. & 17. Vbi non potest alia vrbs intelligi, nisi Roma.

II. Bestia, quæ portat meretricem, est Romanum Imperium. *Apocal.* 17. *vers.* 7.

III. Bestia illa habet septem capita, & decem cornua. *ibid.*

IV. Septem capita sunt. 1. Septem montes. 2. Septem reges. *ibid.*

V. Mulier septem montibus insidens & ciuitas Romana, olim ἑπτάλοφος Græcis, Varroni septiceps, aliis septem collis dicta.

Septem quæ vna sibi muro circumdedit arces. *Georg.* 2. & *Æneid.* 6.

VI. Septem reges, hoc est septem Principes, qui Ecclesiam persecuti sunt. Ex illis 5. ceciderant, cum Iohannes hæc scriberet, vnus adhuc erat, & 7. venturus erat. Septem illi principes sunt 7. Imperatores, hoc ordine: Augustus Cæsar, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Domitianus,

Traianus. Sic numerandos esse Imperatores istos, hoc argumento docemus. Iohannes describit bestiam, hoc est tale imperium, quod Ecclesiam Christi instar bestiæ affligit. Iam vero Ecclesia inde à natiuitate Christi vsque ad annum, quo Iohannes ista scribebat, qui est 94. Monarchia Romana quinque persecutores Ecclesiæ Noui Testamenti aluit, videlicet Herodem Ascalonitam, qui necauit pueros; Herodem Antipam, qui occidit Iohannem; Agrippam maiorem, qui interfecit Iacobum Apostolum; Neronem denique qui primam persecutionem, in qua Petrus & Paulus trucidati, tanquam incendium quoddam exuscitauit. Obiicis: Cur tu reges Iudæorum adducis loco Imperatorum antea recitatorum? Resp. quia reges illi Herodes à Romanis Imperatoribus fuerunt constituti, ideoque causa ministerialis ad principalem reuocanda. Herodes Ascalonita sub Augusto, Antipas sub Tiberio, Agrippa sub Caligula & Claudio, vixit. Rursus obiicis: Ergo sunt duntaxat quatuor capita, quæ fuerunt, cum Iohannes scribat, fuisse quinque. Resp. Quinque sunt. 1. Augustus, sub quo Ascalonita. 2. Tiberius, sub quo Antipas. 3. 4. Caligula & Claudius, sub quibus Agrippa. 5. Nero. Sextum autem caput, est Domitianus. Nam Vespasianus & Titus filius non debent referri in catalogum persecutorum Ecclesiæ Noui Testamenti. Sub isto Domitiano persecutio secunda contigit. Domitianum secutus est Cocceius Nerua. Sed nec ille persecutus est Ecclesiam. Iam sequitur Princeps septimus, videlicet Traianus, sub quo cœpit persecutio tertia: & hic breue tempus mansit. Bestia autem octaua est reliquum corpus huius monarchiæ vsque ad Constantinum Magnum. Hæc bestia è septem illis est, hoc est, complectitur Cæsares paganos, quales erant septem illi. Illa erat ad tempus, sed non est illo tempore scilicet, quo meretrix cœpit exaltari. Tunc illa bestia in exitium abiit, & in eius locum successit meretrix. Hanc statuimus genuinam esse huius loci interpretationem, quam firmat potissimum euentus. Nam collabente imperio Romano, dominatum exercere cœpit Antichristus. Ergo Romano Imperatori prius debuit adimi, deinde Antichristo subiici. Huius rei protasis fuit sub Constantino Magno, & ab eo vsque ad Phocam, quos Imperatores non adnumeramus corpori bestiæ. Sub Phoca, anno Christi 600. meretrix euecta est in thronum suum, & ab eo tempore creuerunt decem cornua. *vers.* 12. quæ sunt decem reges, seu decem regna, quæ Pontifici subiecta sunt. Regna ista sunt. 1. Hispania. Sub qua continentur 13. ferme alia. 2. Hungaria. 3. Anglia. 4. Dania. 5. Croatia. 6. Dalmatia. 7. Arragonia. 8. Bohemia. 9. Suedia, sub qua Norwegia. 10. Dacia. Hæc regna potestatem suam Papæ tradiderunt. Pendebant enim tributum Papæ, adeoque meretricem illam sustentabant, ita vt illa facta sit veluti Rex Romanorum. Hac de re dilucide scribit Arethas Scholiastes Græ-

stet Græcus: τὰ δὲ δέκα κέρατα δέκα βασιλεῖς εἶναι φασίν, ἐκ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς ἐν τοῖς ἐσχάτοις καιροῖς ἀνασταμένους, ὧν ἐν μέσῳ ὁ Ἀντίχριστος ἀναστήσεται. Atque in his decem regnis facies quædam antiquæ Reip. emicuit. Augustus enim tum, cum Iohannes hæc scriberet, Europam, teste Strabone, in decem στρατηγίας partitus fuerat: & ipsum imperium Romanum complexum esse decem prouincias, notum est ex historia Romana. Hoc imperium, etsi firmissimum visum est, euersum tamen est propter Imperatorum paganorum vitam belluinam, inprimis vero ob decem persecutiones, quibus illi innumeros martyres fecerant. Dominus itaque noster Iesus Christus cum illis gessit bellum, sanctis martyribus sub altari positis, & clamantibus ad Seruatorem suum, vt vindicet sanguinem suum. Subsecutus itaque fuit equus rufus, cuius sessori datus est gladius magnus, cum mandato tollendi pacem è terra, vt alii alios mactarent. Bella ista subsecuta est fames, quæ immissa fuit à sessore equi nigri. Quid vero aliud potuit quam mors, quam equi pallidi sessor immisit. Hæc sua iudicia, λιμὸν, λοιμὸν καὶ πόλεμον, Deus statim immisit post tempora Diocletiani: quæ etiam notarunt ethnicorum meliores. Verum non fuit eis hominis cor nec intelligentia, vt pœnas has propter immanem in Euangelii professores crudelitatem immissas diuinitus animaduerterent. Hoc tempore illi, qui sibi videbantur, Sol, Luna, stellæ, & montes orbis, dominique omnium Insularum, ceciderunt, quando Constantinus & Constantius pro Christo pugnarunt. Nam omnino de profani istius imperii ruina phrases istas accipere oportet. Sic ergo caput octauum belluæ mortuum fuit, & non est.

Equus albus primũ & quintũ sigillum.

Equus rufus & 2. sigillum.

Equus niger & 3. sigillum.

Equus pallidus & 3. sigillum.

Sigillum sextum.

VII. Constantinus exosus idololatricam Romam, Imperii sedem transtulit Bizantium, & νέαν ῥώμην vocauit. Imperio ibi stabilito, antiqua Roma deinceps parui fit ab omnibus, iustissimoque Dei iudicio sæpius deuastata est. Alaricus enim & Gothi eam spoliarunt, adeoque in iis locis præualuerunt, vt antiquata veteris vrbis memoria, Gothiam nominare decreuerint. Gensericus Vandalus eam quatuordecim dies integros cædibus & incendiis depopulatus est. Rursus Odoacer cum miscellanea turba maxima eam inuasit, annisque pluribus obtinuit. Tandem Totilas Gothus eam incendio prorsus deleuit.

VIII. Mortuum hoc caput sanatum est per Pontifices. Etsi enim in Pontificatu illa veteris imperii magnitudo non plane renata est, species tamen non multum dissimilis restituta, qua gentes omnes ab ortu & occasu non secus Romanum Pontificem venerantur, quam omnes olim nationes veteribus Imperatoribus obtemperabant. Hoc caput, siue hæc bestia non solum dignitatem veteris imperii restaurauit, sed etiam idolorum cultu, & ceremoniarum varietate, viuam ethnicorum Imperatorum imaginem retulit & adhuc refert.

IX. Hæc bestia ascendit è terra sine tumultu bellico, habens duo cornua similia agni, sed loquens vt Draco: hoc est, obscure, & hominibus non obseruantibus tale quid, est nota, sub ouilla pelle lupum occultans. Nam etsi Papa agnum se simulat, & seruum seruorum appellat: illud tamen ore Draconis iactitat: *Papa est Deus in terris.* Tunc autem exeruit se hæc blasphemia, cum Bonifacius III. à Phoca parricida *Primatum* mercatus est.

Tyrannus est pater Papa.

X. Sed mysterium illud iniquitatis exeruit se vlterius, ad viuificandum bestiam emortuam, luctuosissimis illis Gregorii III. temporibus. Ille enim vt idololatriam stabiliret, Leonem Imperatorem Græcum, propter deiectas imagines (etsi id statuente Concilio) excommunicauit. Hæc excommunicatio fax fuit seditionum, qua bellum Longobardorum contra Imperatorem accensum est. Imperator Exarchatu Rauennæ exuitur, & cum tempore, artibus ac perfidia Pontificis, totius Italiæ imperio. Nam cum Longobardi maiores tumultus in Italia excitarent, & Imperatores Græci domi occupati seditionibus ortis propter imagines, non possent rebus Italiæ & Romæ prospicere: Carolus Magnus motus iniuria sibi à Desiderio Longobardorum Rege illata, bellum eis infert, quo Desiderium Italiæ inhiantem exuit Longobardia, & ipse Italiam inuasit, quam sibi, etsi Imperatoris esset, retinuit. Carolus literarum studia promouere conatus est, multis bonis collatis ad Scholarum fundationem & conseruationem; quem postea non pauci Imperatores hac in re sunt secuti: Sed Pontifices omne id, quod Imperatorum munificentia studiis conseruandis erat tributum, ad stabiliendam superstitionem & omnipotentiam suam, (hoc est, illorum verbum, quo hodieq; vtuntur,) conuertunt.

XI. Stella, quæ de cœlo decidit, est lux Euangelij. Quo facto, Ecclesia maximum damnum accepit à Papa & Mahomede. Papæ seditio est ardens illa fax: corruptio Scripturarum, est absynthium, quo aquæ dulces amaræ factæ sunt. Idem Papa acceptis clauibus abyssi, emisit inde densissimum fumum hæresium, quo obscuratus est Sol & aer, hoc est, omnis Scripturæ perspicuitas & splendor.

XII. Ex fumo illo, quem Papa excitauit, exiit. 1. Clerus, qui venit nomine locustarum, ob multitudinem & otium quo torpent γαστέρες ἀργαί. 2. Mahomed: id quod admodum notabile est. Nam de Mahomedis ortu sic scribunt authores: Mahomed gente Ismaelita, tenuissimæ fuit fortunæ, donec viduam locupletem, Chaidam nomine, vxorem duceret.

Filius Papa est Mahomed.

Cum autem & à dæmone exagitaretur, & comitiali morbo laboraret, vxorem suam, (quæ grauem ex ea re capiebat dolorem, quod nobilis ipsa, egeno & dæmonis vexationibus obnoxio homini nupsisset,) ita demulsit, quod diceret, se ad conspectum Gabrielis sibi apparentis concidere.

dere. Erat amicus ei mulieri monachus quidam, qui ob falsam fidem relegatus ibi viuebat. Huic mulier rem totam aperit, Angeli etiam nomine prolato. Is autem monachus vt opinionem eam prorsus in animo mulieris confirmaret, vere Mahomedem hæc dicere ait. Eum enim Angelum ad quemuis vatem mitti. Mulier fidem verbis illius impostoris monachi habens, aliis suis gentilibus mulieribus fabulam narrauit: ab his porro ad viros ea manauit, & sic successu temporis pro vero Deo impostor propheta est habitus. Vide *Cedrenum in compendio historiarum*. Lepidus ille filius iactitauit se habere claues Paradisi, vt & pater ipsius Papa facit. Vtriusque successus fuit prosperrimus. Papa primo deiecit stellas, id est, veros Dei seruos de cœlo, quibus deiectis Mahomed facillime potuit suam doctrinam popello persuadere in densissimis illis tenebris. Certe Mahomed ille prodiit, anno Christi 622. circa tempus illud, quo primatum Papæ cœpisse cœpimus annis aliquot ante, videlicet anno 600.

XIII. Papa accendendo bellum Hierosolymitanum, siue sacrum, res Ecclesiæ fregit mirum in modum. Nam eo bello, quod ducentorum annorum fuit, vires totius Occidentis fractæ & attritæ sunt miserrime. Qua ratione factum est, vt Imperatores & reges attenuati, seruis seruorum seruire coacti sint. Deinde ob illud bellum exarsit feruentius odiũ Saracenorum in Christianos Orientales, cum ex eo intelligerent idololatricas & superstitiosas Occidentalium ceremonias.

XIV. Duo igitur habemus capita hostium Christi, Gog & Magog. Gog Hebræis significat tectum, Magog apertũ. Nempe vt intelligamus, Draconem duobus præcipue hominum generibus rabiem suam exercere in Ecclesiam Christi, hypocritis, & manifestis hostibus. Papa est Gog. Mahomed est Magog. Papa est ὁ ἀντίχριστος; Mahomed est huius antichristi partus.

XV. Hostes isti circumeunt adhuc castra sanctorum, (hi enim sunt milites Christi.) & vrbem illam dilectam (Ecclesiam) sed descendet ignis à Deo è cœlo, qui deuorabit eos: qua de re sic statuimus. Manebit Dei Ecclesia militans, ad finem vsque mundi. Hæc enim est cor mundi, primum in mundo viuens, & vltimum in mundo moriens. Huius cordis anima est Christus, alimentum, est verbum Dei. Quo magis igitur alimentum illud accrescit, eo magis Ecclesiæ res prosperantur. Iam vero verbum Dei hoc tempore dilucide proponitur, & veluti Phosphorus discutit errorum tenebras. Quare Ecclesia præualebit aduersus Gog & Magog, quibus abolitis & gentibus conuersis ipse quoque Israel seruabitur. Nam sicut circulus iudiciorum Dei à lapsis primis Hebræis trahi est cœptus, ita in vltimis Hebræis finietur. Sicut in lapsis Hebræis primis illis nostris parentibus, est initium Ecclesiæ in terris militantis: ita in erectis vltimis Hebræis finis Ecclesiæ militantis. Et vero huius victoriæ & reformationis præ- *Apocal. 19.*

 ludia

Iudia iam sunt in omnibns ferme regnis, exceptis quatuor, in quibus adhuc sunt Eclipses: duæ occidentales in Hispania & Italia, & duæ Orientales in Græcia & Iudæa, cum vicinis remotioribusque regionibus. Breui itaque futurum, vt Sol ille iustitiæ suum circulum absoluat, sicut ergo cœpit in Oriente radios suos diffundere; ita ad idem redibit initium. Rem hanc tali schemate liceat adumbrare.

Circulus iudiciorũ Dei.

ORIENS.



SEPTENTRIO.

MERIDIES.

OCCIDENS.

Nouum orbem, quem dicunt Americam, etiam conuertet summus ille ouium Pastor, & iam huius rei initium fecit per Belgas & Britannos. Collocauimus autem in centro hunc orbem, quod nollemus nouum huic rei spatium assignare. Hæc autem omnia breui fient. Quanquam autem solus Deus hunc terminum nouit, tamen nostri officii est, ex S. literis & aliis virorum doctorum & piorum scriptis subinde petere argumenta, quibus persuadeamus nobis ipsis, illustrem illum Dei aduentum esse præ foribus. Argumenta ista, licet sint στοχαστικὰ, si spectemus designationem termini mundi, tamen ἀποδεικτικὰ sunt, si maneas in hac thesi: *Breui venturum Seruatorem nostrum*. Id nos sequentibus argumentis ostendimus.

I. *Daniel.* 2. & 7. describuntur quatuor monarchiæ, & additur, Deum temporibus istorum regum, (id est, absoluta periodo singularum monarchiarum (suscitaturum regnum æternum. Quod autem monarchia Romana

mana istam periodum ferme absoluerit, patet ex illius diuisione miserãda, & infirmitate omnium oculis exposita; quam Daniel per pedes ferroluteos prædictam voluit.

II. Signa, quæ fuerunt tempore diluuii, & paulo ante excidium Hierosolymitanum, etiam hodierno die deprehenduntur: vt patebit consideranti. *Vide Matt. 24.*

III. Christus & Apostoli prædixerunt, diem Domini instare, & fore vt dies abbreuientur propter electos.

IV. Supra ex Daniele, vt & ex Apocalypsi ostẽdimus, quod in hoc nostrum seculum decimum sextum cõferendus sit terminus tyrannidis Antichristi. Hanc excipiet reformatio Catholica, signum certissimum supercœlestis VNIONIS, & Sabbati perpetui.

His firmamentis subdimus sequentia vel ornamenta, quibus illa, quasi expoliuntur.

1. Enoch septimus ab Adam translatus est viuus in cœlum. *Genes. 5. & Iud. v. 14. 15.* Sic & Elias fuit septimus ab Adam, nõ gradu generationis, vt Enoch, sed ætatum. Nam 1. Adami ætas se extendit vsq; ad Mathusalem. 2. Mathusalemi vsq; ad Sem. 3. Semi, vsq; ad Iacobum. 4. Iacobi, vsq; ad Amrã. 5. Amrami vsq; ad Ahiam. 6. Ab Ahia ad Eliam. Elias est septimus. Sicut ergo Enoch & Elias, septimi illi ab Adam, tranlati sunt in cœlum: ita probabile est, mortem 6000. annis dominaturam in mortales, ita tamen vt abbreuientur dies propter electos.

2. Deus spatio sex dierum creauit cœlum & terram, septimo quieuit. Septem illi dies primi videntur totum durationis tempus Ecclesiæ & mũdi quasi præfigurasse; ita vt Ecclesia in mundo, qui spatio sex dierum creatus est, hospitium suum sit habitura totidem dies, id est, millenarios: septimo autem die, id est, tempore vel potius æternitate post sex istos millenarios, æternum in cœlis Sabbatum celebratura. Et hanc coniecturam probat collatio trium temporum, quæ expressa sunt in ipsis Scripturis, videl. ante legem, sub lege & sub Euangelio. Sicut autem tempus ante legem durauit 2000. annis, lex totidem, ita & Euangelium totidem annos duraturum verisimile est. Necesse autem est, vt tempus legis numeremus ab eo anno, quo Abrahamo facta est promissio prima; quod spatiũ est annorum 2023. Non igitur ineptum est dictum domus Eliæ: *Sex millia annorum mundi, & postea destructio. Duo millia inane; duo millia lex; duo millia Christus.* *Accipe hoc 2000. numero rotundato.*

3. Christus in his terris vixit ann. 34½. Totidem Iubilæis viuet in his terris. Isti Iubilæi faciunt annos 1725. In hac sententia nos confirmat egregius consensus huius numeri cum illo, quem supra expressimus ex Daniele, videlicet cum 1694. Iam detrahe annis illis 1725. annos 34½. quibus Christus vixit in his terris, restabunt 1691. quæ harmonia non *Melanchthon & Peucerus.*

est.

est vilipendenda. His addo & hoc. Christus post resurrectionem suam, in his terris egit 40. diebus. Totidem Iubilæis, in his terris aget Ecclesia. Hi Iubilæi efficiunt annos 2025. Sed dies decurtabuntur.

4. Conuersio Iudæorum antecedet censorium illum diem Domini, vt colligere possimus ex *Rom.*11. Illa autem incidet circa annum Christi 1691. vt ex Daniele probauimus. Conuersis Iudæis cito superueniet Dominus, quia tum circulus ille Iudiciorum & beneficiorum Dei erit reuolutus. Sed quid multis? Peccata multifaria & atrocia, in quæ ruunt homines nostri temporis pleno impetu, nobis certo annunciant diem illum magnum Domini, qui nos transferet in cœlestem Hierosolymam, cuius structuram paucis indicemus ex mysteriorum Archipræsule Iohanne *Apocal.* 21. Fundamenta huius ciuitatis sunt duodecim gemmæ, quæ conspiciuntur in pectorali Aharonis nostri Iesu Christi, hoc est amor ipsius omnibus gemmis pretiosior. Hic est noster Iaspis, noster Smaragdus, &c. Has gemmas nobis annumerarunt duodecim Apostoli. Portæ sunt duodecim, singulæ ex singulis margaritis, in quibus portis sunt Angeli duodecim & nomina 12. tribuum Israel. Angeli duodecim sunt Doctores Ecclesiarum ab Oriente & Occidente, Meridie & Septentrione. Duodecim tribus Israel sunt partim veteris, partim noui Israelis. Harum fidem habeat, oportet, qui hanc ciuitatem ingredi volet. Throni bis duodecim, sunt pro omnibus gentibus quę fidem duodecim tribuum Israel, & duodecim Apostolorum habuerunt. Ciuitas est quadrata, quam nemo euertet. Agnus templum eius est, in quo erit oblectatio nostra. Deus sedet in medio illius, qui sitienti dat ex fonte aquæ vitæ gratis, & Victorem instituit hæredem omnium bonorum suorum. Tu igitur Iesu Christe, tu illumina mentes nostras, vt cognoscamus quæ sit voluntas tua; tu largire nobis prudentiam & fortitudinem, vt contra hostes tuos & nostros pugnemus alacriter, & iis superatis seruiamus tibi in sancta tua regia, cum Angelis psallentes: Laus, gloria, sapiētia, gratiarum actio, honor, robur, & potentia, sit Deo nostro in secula seculorum, Amen.

Nunc colligamus breuiter temporis gratia præcipua puncta, vt loquuntur, vt ita vno velut intuitu possit quilibet cognoscere insigniora, de quibus hactenus diximus.

SYNO-

SYNOPSIS CHRONOLOGIÆ
Noui Testamenti.

A.M.	A.Ch.	A.Cæs.	A. Herod.	A. Præsidū	
3960	1	*Augustus.* 43	*Herodes Ascalonita* 36	*Cyrenius* 5	*Christus nascitur circa æquinoctium autumnale.*
			Hic fuit vltim. an. Herodis. Huic succedit Antipas, cum cuius anno I. coincidit an I. Philippi Tetrarchæ	*Hic fuit Præses Syriæ Deinceps sequuntur Præsides Iudææ.*	
3971	12	54	11	*Coponius. an.* 2	*Christus docet in templo.*
				Huic successit Marcus Ambius qui an. 2. itidē Præsidē egit. Tū Annius Rufus an. 4 Tū Valer. Gratus. an. 11.	
3989	30	*Tiberius 15.*	29	*Pilatus* 1	*Christus baptizatur à Iohanne, anno 30. ad finem vergente.*
3909	31	16	30	2	*Pascha primum.*
3991	32	17	31	3	*Pascha secundum.*
3992	33	18	32	4	*Pascha tertium.*
3993	34	19	33	5	*Pascha quartum.*

An. Mun.	Anni Chri.	A. Cæs. Rom.	A. Præsi. Iud.	A. Herodum	An. S. Pauli.	RES GESTAE.
3994	35	Tiber. 20	Pont. Pilat. 6	Hero. Antip. 34		Christus patitur.
	36	21	7	35	1	Paulus conuertitur.
	37	22	8	36	2	Paulus docet Damasci.
	38	23	9	37	3	Philippus tetrarcha obit anno 37. gubernationis. Coincidit
3998	39	Caligula 1	10	Hero. Agrip. 1	4	enim eius gubernatio cum Herodu. Pilatus sibi mortem consciscit.
Iste Herodes fuit nepos Herodu M.	40	2	Marcellus 1	2	5	Euangelium Matthæi scriptum. Christianorum nomen. Act. 10.
	41	3	2	3	6	Agabus prædicit famem.
4001	42	Claudius 1	Petronius. 1	4	7	Fames sub Claudio.
	43	2	2	5	8	Simon Magus versatur Romæ.
4003	44	3	3	6	9	Iacobus ab Agrippa occiditur.
	45	4	Cusp. Fadus. 1	7	10	Herodes Agrippa percutitur ab Angelo. Act. 12.
	46	5	2		11	
	47	6	3		12	Huius Herodis Agrippæ frater fuit Herodes Agrip-

Ann.

Ann. Chri.	Anni Cæsar.	A. Præsidum	Anni Herod	Anni Pauli.	RES GESTAE.	An. Mundi
48	7	Alexand. 1		13	pa rex Chalcidicæ, qui mortuus est anno 8. Clau-	
49	8	2		14	dii. Huic successit Herodes Agrippa iunior, prioris Agrippæ filius.	
50	9	3		15	Synodus Apostolorum. Act. 15. Gal. 2.	4009
51	10	Cumanus.	Hero. Agrip. iun. 1	16	Simon Magus adhuc viuit, & Nicolaitæ.	Iste Herodes dicitur etiam Agrippa secundus. Fuit filius Agrippæ & rex Chalcididis.
52	11	Felix. 1	2	17	Paulus Athenis disputat.	
53	12	2	3	18		
54	13	3	4	19	Paulus Ephesi manet per biennium.	
55	Nero. 1	4	5	20	Paulus Ephesi pugnat cum bestiis.	4014
56	2	5	6	21	Agabus Paulo prædicit vincula.	
57	3	6	7	22	Paulus biennium captiuus detinetur Cæsareæ.	
58	4	7	8	23		
59	5	P. Festus. 1	9	24	Agrippa pro Paulo pronunciat. Act. 25.	
60	6	2	10	25	Euangelium Marci scribitur. Paulus Romam venit.	
61	7	3	11	26	Paulus Romæ biennium docet.	

An. Mund.	Ann. Christi.	Anni Cæsarum.	Anni Præsidum.	Anni Herod	Anni Pauli.	RES GESTAE.
	62	8	4	12	27	Iacobus frater Domini lapidatur.
	63	9	Albin. 1	13	28	Paulus liberatur ex ore leonis, id est, Neronis.
	64	10	2	14	29	Prima persecutio Christianorum.
	65	11	Gess. et Flor. 1	15	30	Latrones grassantur in Iudæa.
	66	12	2	16	31	Oriuntur bella inter Iudæos & Romanos, quæ du-
	67	12	3	17	32	rant integro triennio.
	68	13	4	18	33	Petrus & Paulus occisi. Alii conferunt mortem Pauli in 13. Neronis.
4028	69	Flavius Vespas. 1	Titus Vesp. 1	19		Hierosolyma euersa. 7. Septemb. cum 14. April. essent obsessa.
	70	2	2	20		
	71	3	3	21		Ebion statim post excidium Hierosolym.
	72	4	4	22		
	73	5		23		
	74	6		24		
	75	7		25		
	76	8		26		
	77	9		27		

Anni Christi.	Anni Cæsarum.	Anni Herodum.	RES GESTÆ.
78	10	28	
79	Titus Vesp. 1	29	
80	2	30	
81	Domitianus 1	31	
82	2	32	
83	3	33	
84	4	34	
85	5	35	
86	6	36	
87	7	37	*Diotrephes. Iohan. epist. 3.*
88	8	38	
89	9	39	
90	10	40	*Iohannes Euangelista in Pathmon relegatur. Persecutio secunda.*
91	11	41	
92	12	42	

Anni Christi.	Anni Cæsarum.	Anni Herodum.	RES GESTÆ.
93	13	43	
94	14	44	*Apocalypsis scripta.*
95	15	45	
96	Cocceius Nerua 1	46	
97	2	47 Obit.	*Cerinthus hæreticus.*
98	Traianus. 1		

99	2	*Iohannes moritur.*
100	2	*Persecutio tertia.*
101	3	*Iohannes Apostolus reliquit tres insignes discipulos Papiam, Polycarpum, & Ignatium.*
125	Adriani an. 9	*Persecutio quarta.*
167	7	*Persecutio quinta sub Antonino anno illius* 7.
202	10	*Persecutio sexta, sub Seuero: anno illius* 10.
238		*Persecutio septima.*
252		*Persecutio octaua, sub Decio.*
258		*Persecutio nona, sub Valeriano.*
302		*Persecutio decima, sub Diocletiano.*

Anno Chr.	Anno Caſ.	RES GESTÆ.
307		Conſtantinus Magnus, primus Imperator, qui Eccleſiam à perſecutionibus liberat.
602		Phocas tyrannus Bonifacio 3. primatum ſuper omnes Eccleſias concedit.
622		Mahomed, ſeu Machomed floret.
801		Carolus Magnus incipit.
1259		Iohan. VViclef docet.
1400		Iohan. Huß, & Hieronymus Pragenſis docent.
1500		Hoc ſeculo incipit reformatio.
1600		Continuatur reformatio.
1694		Hic eſt t.rminus prædictus à Daniele cap. 12.

NE desim studio Theologico adiiciam Calendarium Biblicum, in quo dies præcipuis gestis nobilitatos recenseba.

Calendarium Biblicum.

Dies mensis Hebr.	*I. Mensis Nisan. Dierum XXX.*	Dies mensis vsitati. Martius.
I.	HIc dies erat principium anni sacri, adeoque festorum: item Regum Iudæ & Israel. Mortui sunt filii Aaron. Terra retecta fuit ab aquis. *Gen.* 8. Tabernaculum erectum, *Exod. vlt.*	XII.
III.	Ezechias instaurat templum. 2. *Paral.* 29.	XIV.
V.	Christus excitat Lazarum. *Iohan.* 11.	XVI.
VI.	Iosua traducit populum per Iordanem.	XVII.
VII.	Ezechiel vaticinatur contra Pharao. *cap.* 30. *v.* 20.	XVIII.
VIII.	Iesus Sabbato quiescit in Bethania. *Iohan.* 12.	XIX. ♄
IX.	Christus die Palmarum asinæ insidens ingreditur vrbem sanctam, & ex templo eiicit ementes & vendentes. *Luc.* 19. Circa vesperam rursus exit extra vrbem & pernoctat in Bethania.	XX. ☉
	Hic est primus dies creationis, quo Deus produxit materiam cœli & terræ, lucem videlicet & Chaos.	XXI. ☽
X.	Secundus dies creationis, quo Deus creauit cœlum. Mortua est Maria, soror Mosis. *Num.* 20. Agnus Paschalis segregabatur. *Exod.* 12. Christus mane rediens Hierosolymam, maledicit ficui. Ingressus templum, compescit principes Sacerdotum. *Matth.* 21. Obturat os Sadducæis & Pharisæis. *Matth* 22. Acerrime inuehitur in Scribas & Pharisæos. *Matth.* 23. toto capite. Deinde egressus in montem olieti, sumta occasione à magnifica structura templi, prædicit excidium Hierosolymitanum, & consummationem seculi. *Matth. cap.* 24. & 25. Pernoctat in monte olieti.	XXII. ♂
XI.	Tertius dies creationis, quo Deus produxit terram. Populus in Gilgal occiditur. *Ios.* 3. Christus cœnat Bethaniæ, in domo Simonis leprosi, vbi mulier vnguento pretiosissimo perfundit illius caput. *Matth.* 26. *Marc.* 14.	
XII.	Quartus dies creationis, quo Deus produxit stellas. Christus consueto more mane docet in templo, & vespere egressus ex vrbe, in monte olieti pernoctat, abstrahens se à turba, vt possit vacare precibus.	XXIII. ☿

Pon-

Nisan.	Pontifices & Pharisæi interea temporis paciscuntur cum Iuda Iscariote, & vrgent maturari proditionem. *Matth.* 25.	Martius.
XIII.	Quintus dies creationis, quo Deus produxit pisces & reptilia. Ahasuerus promulgat edictum, de interficiendis Iudæis. *Esther.* 3. *v.* 12.	XXIV. ♃
XIV.	Sextus creationis dies, quo Deus produxit hominem. *Genes.* 1. PASCHA celebrabatur hoc die. *Exod.* 12. Fermentum exterminabatur. Hoc die, nocte videlicet antecedente diem Veneris (nam dies Iudaicus incipiebat à vespera) Christus manducauit Pascha cum discipulis. Eadem nocte Christus proditur: & die noctem insequente crucifigitur, moritur, & sepelitur. Qui spectant modum computandi dies Romanum, dicunt Christum celebrasse Pascha a. d. 24. Martij. Æquinoctium vernum tempore Iulii Cæsaris & Augusti incidebat in hunc diem. De hoc die vide supra carmen, *ad titulum de natali mundi.* Hoc die putant Adamum lapsum. Nostram sententiam vide supra *ad titulum de Chronologia* πρωτοκτισίας.	XXV. ♀
XV.	Septimus creationis dies, quo Sabbatum institutum. Azyma, seu primus azymorum. Christus celebrat Sabbatum in sepulchro.	XXVI. ♄
XVI.	Fasciculus primitiarum, seu manipulus frugum offerebatur. *Leuit.* 23. Christus resurgit hoc die, qui inde dictus est dies Dominicus, siue dies Domini. *Apocal.* 1. Δευτέραι τοῦ πάσχα. Ἡμέραι πεντηκοστῆς. Ἑβδομὰς δευτεροπρώτη, siue secundus azymorum.	XXVII. ☉ Aprilis.
XXI.	Solennitas. Finis azymorum, siue septimus azymorum.	I.
XXII.	*Isruchag*, festum vincite, quo absumebantur reliquiæ Paschatis. Sic Iudæi vocant hoc festum ex *Psal.* 118.	II.
XXIII.	Ἑβδομὰς δευτεροδευτέρα. Postrema visio Danielis de regnis. *Dan.* 10. *v.* 4.	III.
XXV.	Euilmerodach exaltauit Ioachim. *Ierem.* 52.	V.
XXVI.	Mortuus est Iosua, filius Nun.	VI.
XXX.	Ἑβδομὰς δευτεροτρίτη.	X.

Iiar.	*II. Mensis Iiar. Dierum XXIX.*	
I.	A Mose numeratus populus. *Num.* 1.	XI.

IV. Vrbs obsidetur à Tito. XIV.

V. Iacta sunt fundamenta templi secundi. *Ezr.* 3. XV.

VII. Ἑβδομὰς δευτεροτετάρτη.

X. Moritur Eli Pontifex Maximus, & ambo filii eius. XX.
Capitur arca testimonii.

XIV. Ἑβδομὰς δευτεροπέμπτη. Pascha immundorum. XXIV.
Hic dies mensis secundi erat destinatus iis, qui iusto tempore, hoc est, die decimoquarto, mensis superioris, vel non fuerant mundi, vel profectione aliqua necessaria impediti, comedere Pascha cum aliis non potuerunt. *Num.* 9. Quidam hoc Pascha referunt in diem 15. huius mensis, qui scilicet Pascha illud primum coniiciunt in 15. Nisan. Pascha immundorum celebrauit Ezechias. 2. *Paral.* 30. Alii tamen sic hac de re sentiunt. Ezechias celebrauit Pascha primum hoc mense, quod superiori debuerat. Cum enim ipsius antecessores infinitis cultibus idololatricis occupati, hoc Pascha non celebrassent, & ille primo mense totis 16. diebus templum vix purgare à sordibus, & expiare posset solenni ritu, cum item Sacerdotes magna ex parte tunc immundi essent, & denique plurimi ciues abessent peregre, habita deliberatione hic dies mensis secundi ad Paschæ celebrationem visus est conueniens; quem Deus ipse instituerat immundis.

XVII. Aquæ diluuii cœperunt, & pluit 40. die, Noah XXVIII.
iamiam ingresso in arcam.

XIX. Iudæi celebrant memoriam collectæ Mannæ. XXIX.
Exod. 16. Vocant Lagbeomer. Manna autem primo
pluit 16. huius mensis. Maius.

XXI. Ἑβδομὰς δευτεροέκτη. I.

XXII. Accensus est ignis in castris populi murmurantis. II.
Num. 11. Circa hoc tempus nascitur Ioh. Bapt.

XXIII. Simon Maccabæus capit Gazam, arcem Ierusalem. III.
1. *Maccab* 13. *v.* 51.

XXV. Christus ascendit in cœlos, quadragesimo die post V.
resurrectionem. *Actor.* 1.

XXVII. Noah egreditur ex arca. Ergo diluuium durauit annum & 10. dies. *Genes.* 7. & 8.

XXVIII. Ἑβδομὰς δευτεροεβδόμη. Moritur Samuel Prophe- VIII.
te. Plangitur ab omni populo.

III. Men-

Siuan. *III. Mensis Siuan. Dierum XXX.*

I. Populus ad montem Sinai peruenit. *Exod.* 19. X.

VI. Πεντηκοστὴ. Πλήρωμα τῶν ἡμερῶν τῆς πεντηκοστῆς. שבועות. XV.

Exod. 34. Hoc die Apostoli acceperunt Spiritum sanctum. *Actor.* 1. Iunius.

XXIII. Prius edictum Ahasueri abrogatum, quod Haman I.
regi extorserat. Fit potestas Iudæis, omnes inimicos vim tentantes interficiendi. *Esth.* 8. Desistunt ferre primogenita & primitias Hierosolyma, in diebus Ieroboam, filii Nabat.

IV. Mensis Tamuz. Dier. XXIX.

V. Ezechiel videt maiestatem Domini. *cap.* 1. XIII.

X. Vrbs Hierosolymorum, post 18. mensium obsi- XVII.
dionem à rege Babyloniorum capta est. Rex Sedekias fugiens è fuga retractus est, & Babylonē deductus. *Ier.* 39. *& vlt.* 4. *Reg. vlt. Ioseph. l.* 10. *c.* 11 Ieremias ad hunc vsque diem in carcere detentus à Sedekia, liberatur à Babyloniis, & ipse deportatur in exilium. *Ier.*

XVII. 39. Franguntur tabulæ legis à Mose. *Exod.* 32. Hic XV.
dies à Iudæis creditur inauspicatus, propter tres calamitates, qui hoc die euenerunt. 1. Quod Moses iratus propter aureum vitulum hoc die tabulas fregerit. 2. Quod hoc die reuersi XII. exploratores, & in concionem introducti, populum consternatum reddiderint, commemorata potentia Chananæorum, & munitione vrbium. 3. Quod Nebucadnezar cœperit obsidere Hierosolymam. Seruant igitur hoc die ieiunium: & totas sequentes tres septimanas, quæ in caniculares incidunt, sibi periculosas esse credunt: ideoq; abstinent à carnibus & non vino, & inchoant aliquod arduum negotium his 21. diebus, numeratis ab hoc die vsque ad 9. diem mensis Ab. Et hoc totum interuallum è threnis Ieremiæ vocant בין המצרים, h. e. inter afflictores, velut ipsi interpretantur, intra terminos, *Thren.* 1.

XXIIII. Huic diei respondent Kalendæ Iulii. Iulius.
I.

Ab. *V. Mensis Ab. Dierum XXX.*

I. Aharon moritur in monte Hor. *Num.* 33. Ezra VIII.
hoc die, impetrata potestate ab Artaxerxe Longi-

 mano

mano redeundi in patriam, cum magna multitudine Iudæorum summa cum lætitia excipitur à suis conciuibus.

IX. Decretum contra Iudæos, ne ingrederentur in terram Iudæam. In hunc diem incidit desolatio templi prioris & posterioris. Eodem enim die vrbs incensa est à Nebucadnezare & Tito. Quare Iudæi hoc die ieiunium strictissime seruant, incedentes nudis pedibus, & humi sedentes, & cum alias Bibliorum partes recitant, continentes tristem aliquam historiam, tum threnos Ieremiæ ter perlegunt. Sed cum è Iosepho constet, 8. die Augusti ab iratis militibus, contra edictum Titi, templum esse incensum, alii hunc diem 9. Ab connectunt cum 8. Augusti. Verum non video quomodo hæc talis connexio defendi possit. XVI.

2.Reg. 25. Ioseph. l.6. cap. 26. & 27.

X. Ezechiel obiurgat populum. Ezech. 20. XVII.

XXV. Huic diei respondent Kalendæ Sextiles: circa quod tempus concipitur Iohannes Baptista. Luc. 1. August. I.

Elul. *VI. Mensis Elul Dier. XXIX.*

I. Haggæus obiurgat populum ob neglectam instaurationem templi. *Hagg.* 1. VII.

V. Ezechieli monstrantur abominationes Hierosolymorum. *Ezech.* 8. IX.

XVII. Moriuntur exploratores, qui diffamauerant terram. XXIII.

XXIV. Haggæus vaticinatur de Messia venturo. *Hag.* 2. XXX.

XXV. Nehemias absoluit muros Ierusalem. *Neh.* 6. XXXI.

XXVI. Huic diei respondent Kalendæ Septembris. Septem.

Tisri. *VII. Mensis Tisri. XXX. Dier.* I.

I. Principium anni politici, à quo ducuntur Semitæ, siue anni Sabbatarii, & iubilæi. Hoc die celebratum fuit festum tubarum; quod etiam dicitur clangor tubarum. Vide *Leuit.* 23. & *Num.* 29. Hebræi recentiores vocant memoriam clangoris: item ראש השנה, *initium noui anni.* Decem primos huius mensis dies vocant עשרת ימי תשובה, *decem dies pœnitentia*, quibus dant multas eleemosynas, & alia faciunt, quibus putant se placaturos iram Dei. V.

III. Hoc die celebrant Iudæi צום גדליה, *ieiunium Godoliæ*, quo Iudæi lugent interitum Godoliæ filii Ahi- VII.

cam

Tisri- Septem.

cam vna cum Iudæis, qui cum eo erant in Mizpa: qui interitus præbuit Iudæis causam nouæ migrationis in Ægyptum. 4. *Reg vlt. Ier.* 41. 42.

IV. Tota vrbs à Tito direpta & incensa conflagrauit. VIII.

X. צום כפור *ieiunium Kippurim*, hoc est, dies expiationis. *Leuit.* 23. vocatur, *dies longus Iudaorum*. XIV.

XI. Hoc die per clangorem buccinæ sanctificabatur annus quinquagesimus in Iubilæum. *Leuitic.* 23. *vers.* 9. XV.

XV. סוכות Σκηνοπηγία, festum tabernaculorum: quod durabit 7. dies continuos, vt repeteretur memoria diuinæ protectionis populi in deserto. *Leuit.* 23. *Ioh.* 7. XIX.

XXI. Ἡ ὀσχοφορία, festum palmarum, seu septimus dies tabernaculorum, Iudæi vocant *Hosanna Rabba* q. d. Litaniam magnam. *Leuit.* 23. Hoc die populus recensitus pecuniæ collectam faciebat pro sacrificiis. *Numeror.* 39. *Iohan.* 7. *vers.* 37. In hunc diem incidit æquinoctium autumnale, tempore Iulii Cæs. *Plin. lib.* 18. *cap.* 31. XXV.

XXII. Octaua scenopegias. Post cuius meridiem Iudæi exeuntes è tabernaculis redeunt in domos. XXVI.

XXIII. Festiuitas seu gaudium legis. שמחתתורה. Hoc die exultant Iudæi, quod illo in Synagogis finitur lectio quinque librorum Mosis, & inchoatur primus liber Mosis, eaque nocte singuli accendunt suos cereos. XXVII.

XXVI. Circa finem Septembris nascitur Iesus Christus. Hoc etiam mense baptizatur, anno ætatis 30. ferme completo. XXX.

Octob.

XXVII. Huic diei respondent Kalendæ Octobres. I.

XXVIII. } ——— { II.
XXIX. } ——— { III.
XXX. } ——— { IV.

Post hos dies nos saluo meliore iudicio numeramus dies XI. quos vocant Epactas, q. d. ἐπαγόμενες. Connexio talis.

Epact.	Octob.
1.	5.
2.	6.
3.	7. Circa hoc

4.———————————8. *tempus*
5.———————————9. *circumci-*
6.———————————10. *ditur Chri-*
7.———————————11. *ſtus.*
8.———————————12.
9.———————————13.
10.———————————14.
11.———————————15.

Iam redimus ad menſes.

Marcheſuan. *VIII. Menſis Marcheſuan Dier. XXIX.* Octob.

I. Cum hoc die connectimus Octobr. diem 16. Circa hoc tempus Magi offerũt Christo munera. *Matt.* 2. XVI.

VII. Excæcatus eſt Sedekias in captiuitate Babylonica, & filii eius coram eo iugulati ſunt. XXII.

XV. Dies ſolennis à Ieroboamo inſtitutus, ad colendum aureos vitulos. 1. *Reg.* 12. *v.* 32. XXX.

XVII. Huic die reſpondent Kalendæ Nouembres. Nouem. I.

IX. Menſis Cisleu. Dier. XXX.

IV. Zacharias docet de recta ieiunii ratione. *Zach.* 7. XVII.

XV. Abominatio deſolationis collocatur in templo, hoc eſt, Antiochus Epiphanes Iouem Olympium collocat in altari templi Hieroſolymitani. 1. *Maccab.* 1. XVIII.

XVIII. Cum hoc die connectimus Kalend. Decembr. Decem. I.

XX. Ezra ſegregat mulieres alienigenas ethnicorum à filiis populi ſui. *Ezr.* 9. III.

XXV. Encænia, Renoualia Hebræis חנוכה, inſtituta primum & celebrata à Iuda Maccabæo, cum is hoc die repurgatum templum Hieroſolymitanum ſacrificio diuinitus inſtituto dedicaſſet, quinquennio poſtquam id 15. die & ſequentibus ab Antiocho Epiphane profanatum fuerat. Hic velim te obſeruare dictionem illam Hebraicam eſſe compoſitam ex חנו quieſcite & כה quæ literæ ſignificant 25. quem diem obtinet hoc feſtum in menſe Cisleu. Durat autem feſtiuitas octo continuos dies. VIII.

Cisleu.

XXVIII. Ioiakim rex combuſſit librum Baruch ſcriptum ex ore Ieremiæ. *Ier.* 36. XI.

X. Men-

X. Mensis Tebeth Dier. XXIX.

Decem.

Tebeth. Cum hoc die connecte Decembris 14. XIV.

V. Ezechiele nunciatur desolatio ciuitatis. *Ezech.* 33. XVIII.
vers. 21.

VIII. Biblia Græce versa diebus Ptolomæi Philadel- XXI.
phi.

X. Obsidetur Ierusalem à rege Babylonis. *Ierem.* 52. *v.* XXIII.
4. *Ezech.* 24. *v.* 1.

XV. Iohannes Euangelista hoc die moritur Ephesi. XXVII.

XVIII. Circa finem Decembris, & initium Ianuarii XXXI.
concipitur IESVS in vtero Mariæ ἀειπαρθένου. *Luca* 1.
& 2.

Ianuar.

XIX. Cum hoc die connectimus Kalendas Ianua- I.
rias.

XXIII. Christus putatur fecisse primum miraculum in V.
Cana. *Epiphan.*

Epiphan. vult Christum natũ 5. Ianuar.

Sebat. *XI. Mensis Sebat. Dier. XXX.*

I. Hic dies cohæret cum 12. Ianuarii. XII.

V. Moriuntur Seniores, qui fuerunt æquales Io- XVI.
suæ.

XI. Noah die quadragesimo post conspecta cacumi- XXII.
na montium emisit coruum exploratorem ex arca,
& post illum, columbam, quæ eodem die reuersa est.
Genes. 8.

XV. *Rosch haschana Leisanos*, vt Iudæi pronunciant, id est, XXVI.
principium anni reuirescentium arborum, iuxta se-
ctam Hillelis. Secta Schameai ponit in primo die Se-
bat. Hoc die celebrant conuiuia, quod tunc incipiat
noua pars anni, qua redit succus in arbores.

XVIII. Noah iterum emisit columbam, quæ circa vespe-
ram ad arcam rediens, decerptam oleæ frondem ro-
stro attulit. *Gen* 8.

Februar.

XXI. Cum hoc die connectimus Kal. Februarias. I.

XXIV. Noah postremam emisit columbam non reuer- IV.
sam. Visio Zachariæ facta eodem hoc die. *Zachar.* 1.
vers. 7.

Adar. *XII. Mensis Adar. Dier. XXIX.*

III. Secundum templum completum est, anno sexto XIII.
regni Darii. 1. *Ezr.* 6.

Moses.

Adar.

VII. Moses mortuus est. XVII.

X. Ezechiel vaticinatur contra Ægyptum. *c.29.v.1.* XX.

XIII. תענית אסתר *ieiunium Esthera.* Hoc die celebrant Februar.
Iudæi triste festum. Nam is dies destinatus fuerat deletioni gentis Iudaicæ, missis edictis regis Assueri in omnes prouincias, quę mandabant deleri vniuersum nomen Iudæorum. *Esth.3.* Sed postea impetratis per Mardochæum aliis edictis regiis, eodem die permissu regis Iudæi interfecerunt ethnicos vim parantes in iisdem ciuitatibus: id 75000. *Esth.9.* Idem dies celebris factus est insigni victoria Iudæ Maccabæi, occiso exercitu Antiochi vna cum duce Nicanore. *2. Maccab. vlt. Ioseph.l 12.c.17.*

XIV. פורים א, purim magnum, seu primum: seu festum XXIV.
sortium, quod 2 *Maccab.vlt.* vocatur Μαρδοχαικὴ ἡμέρα. Hæc sunt Iudæorum Bacchanalia. His diebus legunt Iudæi historiam Esther, vbi quoties fit mentio Haman, pugnis & malleis pulsant scamna in synagogis. Hoc die Iudæi extra Susa habitantes, epulis se recrearunt, læti propter insperatam conuersionem extremi periculi in summam tranquillitatem. *Esth.c.9.* פורים ב. Alter dies Purim, quo Iudæi in Susis habitantes biduum occupati in trucidandis, ex permissu regis, hostibus suis in eadem vrbem commorantibus arma deposuerunt, ad epulas & conuiuia conuersi. Quem diem cum priore Iudæi hodie quoque omni lætitiæ genere transmittunt. *Esth.9.* Vocatur etiam *Schusan Purim, & purim paruum.*

XIX. Hunc diem nos connectimus cum Martii Kal. & Martius. I.
ita 29. huius mensis Adar cum Martii 11. Iudæi post hunc mensem, ante initium anni, siue ante mensem Nisan, inserunt decimum tertium mensem embolymæum, tertio quoque, aliquando etiam altero anno, collectum ex vndecim epactis, vocantque eum ואדר, *& Adar*, q.d. alterum Adar. Verum nos computum Iudaicum hic non curauimus, sed de Calendario Biblico agentes, conati sumus menses sacros cum Iulianis connectere, de qua connexione cum eruditis conferre parati sumus.

Si placet connectere dies Calendarii Iudaici moderni cum Iulianis, obseru-

obſerua lunationum initium, hoc eſt, neomenias ſiue nouilunia, à quibus incipiunt menſes Iudaici.

Hæc ſunt, quæ Chronologiæ ſacræ illuſtrandæ commentati ſumus. Ea ſubiecta volumus bonorum iudiciis. Non enim adeo nobis placemus, vt Chronologiam ſacram digne à nobis tractatam eſſe dicamus. Minime. Picturam hanc noſtram non Apelleam ſcimus, ſed nec à ſutoribus iudicari volumus. Hos expetimus iudices, qui has res docti, quique candorem & ingenuitatem, hoc tempore rariſſimas literatorum dotes, adferunt ad aliorum opera cenſenda.

CAP. CXVII.

Character Symbioticus.

Expedito charactere Chronographiſtorico, expediendus eſt Symbioticus, qui eſt de numis, ponderibus & menſuris, de quibus ſacri libri agunt.

Hoc agimus in his præcognitis, vt Theologiæ candidatis exhibeamus explicationem eorum, quæ in S. literis occurrunt; & ita quidem exhibeamus, vt illi hoc ſcripto inſtructi non neceſſe habeant hinc inde petere variorum locorum expoſitionem. Cum igitur multa in ſacris ſit mentio nummorum, ponderum & menſurarum, nemo non videt, de iis omnino ſuſcipiendam eſſe aliquam ſaltem tractationem, quam nos hic meditamur. Vocamus autem hunc characterem nomine Græco ϛυμβιωτικὸν, quia ἐν τῇ ϛυμβιώσει, *in conuictu*, eæ res, quas explicandas ſumimus, cumprimis poſitæ ſunt, vt quotidie experimur.

Numi quorum mentio fit in ſacris.

I. Λεπτὸν, apud Græcos fuit moneta ærea, quæ Romanis dicta fuit *minuta*, & *minutia*. Valor eius fuit æſtimatus dimidio obolo, ſiue grano hordeaceo dimidio. Videris de hoc numo *Marc. 12. v. 42. Luc. 12. v. 59. & c. 21. v. 2.* dicitur alio nomine χαλκὸς, q. d. *areola*. *Numus Græcorum*

II. Κοδράντης, fuit moneta Romanorum, vſitata Iudæis ſub iugum illorum redactis. Romanis dicebatur *Quadrans* q. d. quarta oboli Italici pars. Valor eius fuit æſtimatus obolo noſtrate, ſiue grano hordeaceo. Illius mentio fit *Matth. 5. v. 26. & Luc. 12. v. 59.* *1. Numus Romanor.*

III. Ἀσσάριον, de quo *Matth. 10. v. 29.* fuit numus Romanorum, quibus dictus eſt *aſſarius*, *aſſarium*, *aſſiculum*, *as minutus*; & *obolus Italicus*, qui quatuor granis fuit æſtimatus, id eſt, dimidio crucifero, vti nos loquimur, ſeu duobus obolis noſtratibus. *2. Numus Romanor.*

IV. *As ſemuncialis*, fuit numus Romanorum, octo granis æſtimatus, id eſt, crucifero, ſeu 4. obolis noſtratibus. *3. Numus Romanor.*

Sequentes numi sunt Hebraeor.

V. *Gerah*, fuit numus argēteus pendens tantum argenti, quantum pēdunt 16. grana hordei, siue duo cruciferi, qui faciunt album nostratem, & obolorum. Vide *Exod.30.v.13.Leuit.27.v.25. Num.3.v.47.c.18.v.16. Ezech.45.v.12.* Sic autem dictus est numus à גרך *Gerar, recidere*, seu *concidere*, q.d. recisam, seu concisam, hoc est, minutam argenti portiunculam. Fuit enim hoc λεπτόλεπτον νόμισμα.

VI. *Agorah*, itidem fuit minutus numus argenteus Hebræorum, eiusdem cum Gerah valoris, 16. scilicet granorum, siue duorum crucigerorum. Illius mentio fit *1.Sam.2.v.36.1.Reg.2.v.26.2.Reg.23.v.9.* Sic dictus est ab אגר, *Agar, colligere, coaceruare*; quia plures characteres in hoc numo collecti fuerunt, sicut hodie videre est in numis minutis Arabicis, Turcicis, Moscouicis & Indicis.

VII. *Keschitah*, fuit numus eiusdem cum *Gerah* & *Agorah* valoris. Illius mentio fit *Gen.33.v.19.Ios.24.v.32.& Iob.42.v.11.* His locis *agnos*, vel *agnas*, multi interpretes intelligunt, tanquā si ditiores in animalibus quā numis, res emtas agnis permutarint. Fuit enim apud Hebræos & Chananæos olim omne peculium à gregum numero putatum. Verum probabilius videtur, istis locis metonymice per *Keschitoth* intelligi numos agni, vel agnæ imagine signatos. Radix est קשט *Kaschath*.

VIII. *Zur*, vel *Zura*, (vel vt alii legunt *zuz*, siue *zuza*,) de quo *Tob.5.v.21.* fuit quarta pars sicli sacri argentei, eiusdem valoris cū drachma Græcorum, pendens tantum argenti, quantum pendit ducatus Vngaricus, ein quintlein, quæ est quarta pars lothonis, vti vocant. Moneta nostrate *zur* fuit decem crucigerorum: sed Romana fuit eiusdem valoris cum denario, qui sic dictus fuit, quod contineret 10. asses semunciales.

IX. *Adarcon*, siue *Darcemon*, fuit numus aureus, valens ducato Vngarico. Illius mentio fit *1.Paral.29.v.7.Ezr.2.v.69.& Neh.7.v.70.* Sic fuit dictus à Græco δραχμὴ. Hinc Iunius Nehemiæ.d.l. recte vertit, *auri drachmas mille*, & In annotationibus addit, *quasi mille ducatos*, siue aureos Vngaricos. Dicitur etiam *darcon*.

Siclus numarius.

X. Siclus Hebraice שקל *Schekel* à radice שקל, pendere; quia scil. apud Hebræos, Chaldæos & Syrios moneta fuit ponderata, id est, ex pondere summa eius collecta, & pondus siclis examinatum. Fuit enim hic numus præcipuus & nominatissimus apud Hebræos, sicut apud Græcos Drachma, Mina, & Talentum, apud Latinos Denarius & Sestertius fuerunt præcipuæ & vsitatissimæ monetarum species. Cæterum siclus & numi, & ponderis habuit rationem. Hoc loco siclum considerabimus tanquā numum, paulo post de eodem dicturi tāquam pondere. Alio nomine siclus fuit dictus *argenteus*, Hebraice כסף *Ceseph*, Græcæ ἀργύριον, & ἀργύρεος. Siclus fuit *integer*, & *diuisus in partes. Siclus* integer alius *Hebraicus*, alius *gentilis* seu *ethnicus. Siclus Hebraicus*, apud populum Dei, ex instituto il-

lius

lius fuit in vsu; isque duntaxat argenteus, ex argento videlicet percussus. Fuit duplex, *sacer & communis*. *Siclus sacer* dicitur alias *siclus sanctuarii, argenteus sanctus*, item *siclus Ecclesiasticus & duplus*. Hic fuit à Deo institutus ad res sacras siue Ecclesiasticas: videl. ad tabernaculi & templi structuram & ornatum, ad sacri ministerii apparatum & perfectionem, ad Dei propitiationem, suique cuiusq; redemtutam. Profitebantur enim hac sicli pésione, quotquot eam præstabant, ceu publico testimonio, Dei peculium se esse, neque habere alium Dominum præter Deum, qui se totum illis obstrinxerat: & ideo etiam *sanctus Israelis* dicebatur. *Ier. 51. v. 9* Fuit æstimatus 20. geris, de quibus paulo ante, hoc est, semisse thaleri Imperialis: vnde bini tales sicli thalerum efficiunt integrum. Moneta Græcorum siclus sacer æstimatur τετράδραχμον seu statere. Hic nota regulam: *Sacra fuerunt duplo maiora prefanis*. Huius sicli mentio fit *Levit. 27. v. 3. 4. 5. 6. 7. 16. Iudic. 9. v. 4. & 17. v. 10. Num. 3. v. 47. 50. & 18. v. 16.* Probabile quoque est, Christum venditum esse 30. siclis sacris, hoc est, vnciis argenti quindecim, siue totidem thaleris imperialibus. Porro duæ fuerunt imagines & inscriptiones sicli sacri. Prior effigies est ista.



Hic à parte prima videre est formam vrnulæ illius aureæ quæ mensuram עמר *Homer* plenam mannæ capiens, primum in tabernaculo, postea in templo ante arcam asseruanda fuit reposita. *Exod. 16. v. 33. & Heb. 9. v. 4.* (Melanchthon putat fuisse formã vasculi, quo tus adolebatur) cum hoc lemmate, quod Hebraicis literis (nam literæ inscriptæ Siclo fuerunt Samaritanæ) sic exprimi debet: שקל ישראל *Schekel Israel*, Siclus Israelis. Ab altera autem parte est virga virens Aharonis, de qua *Numer. 17. vers. 8.* cum ista inscriptione ירושלים קרושה *Ieruschalaiim Kedoschah*, Ierusalem sancta. *Theodorus Beza in annotat. maioribus ad Matth. 17. v. 24.* existimat hunc fuisse Siclum simplicem seu communem: duarum videl. drachmarum, idque probat ex superposita litera Aleph, quæ conspicitur in prima parte super vrnula aurea. His autem duobus Symbolis fuit significatum, priori quidem, Sacerdotii dignitatem & splendorem fore perpetuum vsque ad Christum, posteriori autem, Rempublicam Iudaicam fore florentissimam. *Philippus Melanchthon* paulo aliter explicat imagines illas, tali carmine:

Siclus sacer.

Iusta Sacerdotum designat munera Siclus,
Cuius in Hebrais Vrbibus vsus erat.
In quo florescens insculpta est virga Aharonis,
Quæ monet, vt doceant dogmata pura Dei.

Explicatio Symboli, quod fuit expressum in Siclo.

Parte calix alia est, impletus thure Sabæo,
Hic offerre preces, vt noua tura, iubet.
Attamen ante alios summus facit ista Sacerdos,
Filius æterno de genitore satus.
Ipse sinu profert nobis decreta parentis,
Restituit vitam quo velit ille modo.
Hic Aharonæi cœtus est florida virga,
Ac Euangelii semina prima ferens.
Hic & consilio mirando victima factus,
Iustitiæ soluit debita λύτρα patris:
Cumque cruor tota manaret corpore, supplex
Vulnera pro nobis obtulit atque preces.
Et sibi perpetuum doctrina colligit agmen,
Viuificans verbo pectora nostra suo.
Quanquam autem ad dextram cœlesti in sede parentis,
Ipse dat hæc semper maxima dona piis.
Doctores tamen adiungit sociosque laborum,
Organa quos vocis præcipit esse suæ.
Cura sit his fontes doctrinæ nosse salubres,
Fundere & in populo flumina pura Dei.
Cumque sacerdotis Christi coniungere votis,
Assiduos gemitus cura sit, atque preces.

Et quidem in Siclo sanctuarii expressæ fuerunt literæ Samaritanæ vsque ad defectionem, qua Samaritani nouum cultum & templum instituerũt derelicto cultu diuino & templo Hierosolymitano. Tum enim Iudæi odio istius secessionis, literas hodie quoque vsitatas inscripserunt Siclo. Non autem miraberis, quod literæ Samaritanæ olim adeo vsitatæ fuerũt. Fuit enim Samaria vrbs, inde à temporibus Mosis ad Elisæi tempora literarũ cultrix studiosissima, vnde & filii Prophetarũ ibi maxime floruerunt.

Posterior effigies Sicli sacri sic habet:



In prima parte est effigies & nomen Seruatoris nostri *Ieschu*: altera leguntur ista verba Hebraica, *Maschiach melech ba beschalom, veor Meadam Ngasui Chai*, hoc est, Messias siue vnctus, Rex venit cum pace, & lux de homine facta est vita. Pro verbis tamen posterioribus etiam hæc leguntur in quibusdam numis: *Elohim Adam Ngasui*, Deus homo est factus. Sic autem statuo de hoc tali numo. Post mortem Christi quidam Iudæi receperunt Euangelium. Hi igitur talem numum loco veteris illius Sicli substituerunt.

Siclus communis, qui etiam *vulgaris, politicus, ciuilis, prouincialis, & regius*, item *argenteus communis*, dictus fuit, ad res ciuiles & politicas fuit adhibitus. Hic pondere & valore duplo minor erat Siclo sacro. Æstimabatur enim decem *Geris* Hebraicis, hoc est, granis hordei 160. moneta nostrate, quarta parte Imperialis, Ein Reichsort/ siue quinque baciis, si Imperialis constet 20. baciis: moneta Græcorum διδράχμῳ, hoc est, duabus drachmis, vel vt Germani nostri loquuntur, ein halb Loth/ moneta Romanorum, duobus denariis. Hac de re *VVaserus*, vir doctissimus, amicus honorandus, (cuius liber de antiquis numis Hebræorum nobis fuit singulari vsui in hac materia) sic scribit *d.l.c.5. Moneta deinde Germanica Imperiali quadrantem argenteæ vncialis, siue thaleri, constituit hic Siclus: vnde quaterni Sicli tales thalerum efficiunt integrum, hoc est argenti vnciam.* De hoc Siclo vide *Genes.20.v.16.c.23.v.16.c.37.v.28.Exod.21.v.32.Ios.7.v.21.Iudic.16.v.5.c.17.v.3. 2.Sam.18.v.11.12.c.24. 2.Reg.15.v.20. 1.Reg.10.v.29. 2.Reg.6.v.24.Ierem.32.v.9. Hos.3.v.2.*

Porro hic Siclus ante legem non videtur fuisse signatus, sed pondere duntaxat distinctus, non nota: post legem autem accessit signatura seu inscriptio, quæ tempore Dauidis & Salomonis fuit huiusmodi. In vna parte est hæc inscriptio: *Ieruschalaim Ngir hakkodesch*, Ierusalem vrbs sanctitatis, hoc est, sanctissima: altera parte, *Dauid hammelech vbeno Schelemoh hammelech*, h.e. Dauid rex, & filius eius Salomon rex. Effigies est talis:



Sequuntur iam partes Sicli, quas docendi causa vocare possis *semissem, trientem & quadrantem Sicli*: quæ fuerunt distinctæ monetæ.

Semissis Sicli Hesychio dicitur ἡμισίκλιον, *semisiclus*: Hebræis בקע, *Bekang Genes.24.v.22. Exod.38.ver.26.* & alibi item חצי שקל *Chazischekel*, &

מחצית שקל *Machazith schekel. Exod. 30. v. 13. 15. & 38. v. 26.* à radice חצה & הצה *scindere, dimidiare*, q. d. Siclum in duas partes dissectum. Semisiclus erat *sacer*, & *politicus*. *Sacri* mentio fit *Exod. 36. v. 13. & 38. v. 25. 27.* Hunc mares soluebant, à quibus Deus exigebat capitationem. Durauit iste mos vsque ad tempora Titi euersoris Hierosolymorum, qui Iudæis imperauit vt hoc tale didrachmum penderent Ioui Capitolino. *Ioseph. lib. 7. de bell. Iud. c. 26. & Dio in Vespasiano.* De hoc semisiclo accipe locum *Matt. 17. ver. 24.* vbi mentio fit didrachmi, scil. Attici. Græcorum enim munus ibi intelligi debet, quibus Romani tum temporis imperabant, ideoque illorum moneta vtebantur, sicut hodie Turcæ numis Arabicis. Hic igitur Semisiclus valebat quadrante thaleri Imperialis. *Semisiclus politicus* valebat drachma. De hoc accipe locum *Gen. 24. v. 22.* Tum enim Siclus sacer nondum erat in vsu. Cæterum effigies semisicli sacri didrachmi fuit eadem, quæ Sicli sacri tetradrachmi, excepta altera parte, cuius verba aliquantillum diuersa sunt à titulo altero integri Sicli.

Effigies est ista:



Hic vna parte virga florens Aharonis exprimitur, cum eadem inscriptione Sicli integri: altera vero vrnula aurea mannæ plena, sed hac nonnihil diuersa inscriptione: חצישקלישראל *Chezi schekel Israel*, dimidius Siclus Israelis.

Triens Sicli. *Triens Sicli sacri* fuit tertia pars Sicli tetradrachmi. Hebræis שלישית, *Schelischith*, à שלוש *Schelosch*, hoc est, tribus, dicitur. Græcis τρίτον δίδραχμον, per δίδραχμον quidem abusiue intelligentibus, vt sæpe alias, Siclum τετράδραχμον. Hunc trientem Nehemias reducibus è Babylonia Iudæis indixit, ad templi cultusque sacri instaurationem & conseruationem. *Nehem. 10. v. 32.* Valebat hic numus tres bacios Imperiales & dimidium. Effigies illius fuit eadem cum Sicli integri tetradrachmi, excepta altera parte, vbi leguntur hæc verba:

שליתהשקל ישראל *Schelischith haschekel Israel*, triens Sicli (Ecclesiastici) Israelis.



Figura est talis.

Quadrans Sicli. *Quadrans Sicli*, dictus fuit רבע *Rebang*, Græce τέταρτον, à numero quaternario. Illius mentio fit 1. *Sam. 9. v. 8.* Fuit eiusdem valoris cum Zura, de qua supra, hoc est, baciorum duorum cum semisse, seu decem cruciatorum siue crucigerorum. Eius inscriptio cum superioribus conuenit, excepta altera parte,

parte, vbi hæc verba leguntur: רבע השקל ישראל *Ribang-hasschekel Israel*: Quadrans Sicli Israelis.

Figura talis fuit:




Siclus gentilis, vt de hoc obiter aliquid dicam, fuit *Ægyptius & Persicus*. *Ægyptius* in auro valebat 8. obolos Atticos, in argento sedecim istiusmodi obolos. *Persicus* erat argenteus, habens pondus octo obolorum Atticorum.

XI. *Maneh*, siue *minah*, & in statu constructo *meneh*, sic dicitur à מנה *Manah*, numerauit, quia hæc moneta erat paulo maior, ideoque in grandiori summa facilem præbebat numerandi rationem. Græcis μνᾶα, contracte μνᾶ, Latinis mina dicitur. *Maneh* seu *minah*, erat *vulgaris* seu regia, & *sanctuarii*. *Mina sanctuarii*, quæ & *vetus* dicitur, continebat Siclos vulgares didrachmos centenos, hoc est sacros Siclos quinquaginta; in argento thaleros Imperiales viginti quinque; in auro ducatos 200. De hoc numo vide 1. *Reg*. 10. *v*. 17. *Ezr*. 2. *v*. 69. 2. *Paral*. 9. *v*. 16. *Nehem*. 7. *v*. 71. 72. *Minah vulgaris*, quę & *noua* dicitur, continebat Siclos communes quinquaginta, hoc est, thaleros tredecim & semis. *Ezech*. 45. *v*. 12. & *Luc*. 19. *v*. 18. Alii sic subducunt valorem Minæ Hebraicæ. Minah sanctuarii valebat 60. Lothones, siue 30. thaleros Imperiales: minah vulgaris valebat 30. Lothones, siue 15. Imperiales: Cæterum Minah non fuit certus numus, sed summa certa. *Maneh numaria.*

XII. *Cicar*, siue *Kikar*, vt alii scribunt, Hebræis sic dicitur à ככר כור *Cor*, quæ vox significat corum: quod vt corus fuit maxima mensura in aridis: ita in re numaria *Cicar* fuit maxima. Verti debet τάλαντον, *talentum*, & quidem externum. Nam Græci talentum Græcum vocabant id, quod erat in Græcia vsitatum, vt Atticum, Euboicum, &c. eique opponebant externum, puta Hebraicum, Syriacum, &c. Porro Cicar, seu talentum, fuit duplex, ponderale & numarium. Hoc loco de numario. *Cicar* numarium erat *sacrum* vel *commune*. *Sacrum* continebat Siclos sacros ter mille; ideoque in auro 12000. ducatos; in argento thaleros 1500. *Cicar commune*, quod & *congregationis* dicebatur, & regium, continebat Siclos communes ter mille; ideoque in auro 6000. ducatos; in argento 750. thaleros Imperiales. De talentis communibus argenti vide 1. *Reg*. 16. *ver*. 26. 2. *Reg*. 5. *v*. 23. 2. *Reg*. 18. *v*. 14. *c*. 15. *v*. 19. 1. *Paral*. 29. *v*. 4. 7. *c*. 22. *v*. 14. De talentis sacris argenti vide *Exod*. 38. *v*. 25. *Ezr*. 8. *v*. 26. De talentis communibus auri vide 1. *Reg*. 9. *ver*. 14. *cap*. 10. *ver*. 14. 2. *Reg*. 18. *ver*. 14. 2. *Paral*. 3. *ver*. 8. 1. *Paral*. 29. *ver*. 4. 7. *cap*. 22. *v*. 14. De talentis sacris auri vide *Exod*. 39. *ver*. 24. *Kikar seu talentum numarium.*

Ponde-

Pondera, quorum mentio fit in ſacris.

I. *Zura*; drachma Attica, ſeu denarius, hoc eſt, decem aſſes minuti, ein Quintlein.

Siclus ponderalis. II. *Siclus*; qui habuit rationem ponderis in auro, argento, ære, ferro, & aliis metallis. *Siclus ſacer in auro*, ponderauit aureos Vngaricos quaternos: *communis* binos. De ſacro videris *Num.7.v.50.c 31.v.52.* De communi *Geneſ.24.v.22. Ioſ.7.v 21. 2.Paral.3.v.9. Iudic.8.v.26. 1.Reg.10 v.16. 2.Paral. 9.v.6. 2.Reg.5.v.5.* *Siclus ſacer in argento*, ponderauit dimidium Imperialem: *communis*, quadrantẽ thaleri Imperialis. Sic verbi gratia vicem Sicli ſacri in argento tantum argenti ponderant, quantum ponderare debent decem vnciæ, ſeu imperiales totidem: & rurſus viceni Sicli communes tantum, quantum ponderant quinque vnciæ. *Siclus regius*, ponderauit τρίδραχμον, ſiue tres drachmas, drey Quintlein, ſiue quartam partem Imperialis & ſemis, vt loquuntur. De Siclo ſacro in argento vide *Num.7.v. 13.* De communi *2.Sam.14.v.27.* *Siclus ſacer in ære & ferro* ad ſemunciarum rationem exigi debet: *communis* ad didrachmorum, vt & in ſuperioribus factum. Vide *2.Sam.21.v.16. 1.Sam.17.v.5.7.*

Maneh põderalis. III. *Maneh, vulgaris*, ponderauit didrachmos 60. ſiue 15. thaleros Imperiales: *regia*, tridrachmos 40. *ſanctuarii*, drachmas Atticas 240. hoc eſt, 60. lothones, ſiue 30. Imperiales. Loca Scripturæ modo citata vide.

Kikar ſeu talentum ponderale. IV. *Kikar vulgare minus*, ponderauit drachmas Atticas 6000. hoc eſt, lothones 1500. Imperiales 750. *maius*, drachmas Atticas 10000. ſeu lothones 2500. Imperiales 1250. *regium*, drachmas Atticas 9000. hoc eſt, lothones 2250. ſiue 1125. Imperiales: *Sanctuarii*, minas Atticas 120 ſiue drachmas Atticas 12000. hoc eſt, lothones 3000. ſiue Imperiales 1500. Adi loca modo citata.

Menſuræ, quarum fit mentio in ſacris.

Menſuræ ſunt duplices; alia continuorum, alia diſcretorum.

Menſuræ continuorum, ſunt quibus longitudo, latitudo, & altitudo corporum, ſiue interualla menſurantur.

Menſuræ continuorum.

Digitus. I. *Digitus*, Hebræis אצבע *Ezbang*, eſt menſurarum minima, pars videlicet decimaſexta pedis. Huius quidem non meminerunt libri ſacri: interpretes vero ſæpiſſimè, præſertim Rabbini.

Palmus. II. *Palmus*; eſt menſura quatuor digitorum cohærentium, ſiue coniunctorum, vt explicat R. Dauid. Hebræis dicitur טפח *Tophach. Exod.25. v.24. & 37.v.13.* Item טפח *Tephach. 1.Reg.7.v.26.* Plurali forma fœminina טפחות *Tephachboth*, parui breueſque, vt menſura quatuor digitorum, q.d. palmares. *Pſal.34.v.6.* Hinc eſt verbum טפח *Tippeach*, metiri palma, vel quatuor digitis. *Eſa.48.v.13.*

Spithama. III. *Dodrans*; Hebræis זרת *tſereth*: Græcis σπιθαμή; conſtabat palmis tribus,

tribus, seu digitis duodenis, vel nouem pollicibus, vt R. Dauid notat, continens tantum interuallum, quantum est digitis extensis inter pollicem & digitum minimum. Vocatur Latinis palmus maior, & spithama, voce Græca translata in agrum Latinum. Illius mentio fit *Exod.* 28. *v.* 16. vbi Aharonis pectorale dicitur fuisse huius mensuræ in longitudine & latitudine. Vide etiam 1. *Sam.* 17. *v.* 4. & *Ezech.* 43. *v.* 13.

IV. *Cubitus*, vel Cubitum; Hebræis גמד *Gomed*, vel אמה *Ammah*. Hæc mensura fuit olim vsitatissima & veluti princeps, vt Siclus in re numaria. *Cubitus.*

Fuit autem *cubitus* duplex, alius *communis*, seu vulgaris, alius *sacer*, siue legalis & Ecclesiasticus. *Cubitus communis*, etiam dictus fuit profanus, ciuilis, notus, & cubitus vasorum seu instrumentorum. Hoc vsi sunt architecti in rebus ciuilibus dimetiendis; vnde & *cubitus architectorum* dictus est; item *cubitus vulgi*. *Cubitus fuit communis & sacer.*

Hic cubitus quinis constabat palmis, hoc est, vicenis digitis, vt volunt Hebræi. Alii tamen hunc cubitum duplo faciunt minorem sacro, hoc est, definiunt palmis tribus, prout sacer, qui duplo maior fuerat, palmos continebat sex. De hoc cubito vide *Genes.* 6. *v.* 15. in structura arcæ: item *Genes.* 7. *v.* 20. *Num.* 11. *v.* 31. *c.* 33. *v.* 4. *Deut.* 3. *v.* 11. *Iud.* 3. *v.* 16. 1. *Sam.* 17. *v.* 4. *Esth.* 5. *v.* 14. *c.* 7. *v.* 9 1. *Reg.* 7. *v.* 2. *Paral.* 3. *v.* 15. 2. *Reg.* 14. *v.* 13. *Matth.* 6. *v.* 27. *Cubitus sacer*, fuit adhibitus structuris sacris: vnde *cubitus sanctuarii*, & *cubitus veritatis* seu *verus*, item *cubitus ædificii*, hoc est, templi, fuit dictus. Hic fuit maior communi digitis quaternis, siue palmo. Vt igitur communis cubitus fuit quinorum palmorum, hoc est, 20. digitorum: ita hic fuit palmorum sex. *Ezech.* 40. *v.* 5. *c.* 43. *v.* 13. *Exod.* 25. 26. 27. 30. 36. *capp.* 1. *Reg.* 6. 7. *capp.* & 2. *Paral.* 3. 4 6 *cap. Ezech.* 41. 42. *capp. Zachar.* 5. *v.* 2. Hic cubitus 2. *Paral* 3. *v.* 3. appellatur mensura princeps, seu primaria; eo quod ad structuras primarias, vt erant sacræ, tabernaculi nimirum & templi, adhiberetur.

V. *Arundo*; Hebraice קנה *Kaneh*: fuit calamus mensorius, siue pertica, vel virga mensoria. Hoc instrumentum fuit dimetiendis structuris & agris idoneum, sex cubitos sacros longum. Alij malunt appellare *decempedam*. Huius instrumenti mentio fit *Ezech.* 40. *v.* 3. & *Apocal.* 11. *v.* 21. & 21. *v.* 15. quo regulam Scripturæ sacræ vterque significat mystice; per quam Christus, hæres omnium à Patre constitutus, pios, tanquam templum suum, illorumque cultum metitur. *Arundo.*

VI. *Funiculus*; Hebraice חבל *Chebel*, funis. Hoc Hebræi & alii orientales terram hæreditariam solitisunt partiri. *Amos* 7. *v.* 17. *Ios.* 17. 2. *Sam.* 8. *v.* 2. Metonymice vsurpatur pro regione. *Deut.* 3. *v.* 4. *Sophon.* 2. *v.* 5. Cæterum illius instrumenti longitudo apud varios fuit varia, ita vt non possit illa à nobis definiri. *Funiculus.*

Stadium.

VII. *Stadium*; Græce σάδιον. Hanc vocem non semel vsurparunt Euangelistæ. In Veteri Testamento nulla illius mentio. Dictum autem est σάδιον ἀπὸ τῆ σάσεως, & hinc vox Latina stadium, quam non recte à stando deducunt, cum descendat à Græca. Sic autem dictum est stadium, quod Hercules tanto spatio confecto sub vno spiritu constiterit & respirarit. Complectuntur autem octo stadia vnum milliare Italicum, siue passus 125. siue pedes 625. *Luc.* 24. *v.* 13. dicitur, quod Emaus ab Hierosolyma distiterit stadiis 60. quæ faciunt milliaria Italica $7\frac{1}{2}$. *Iosephus lib.* 7. *de bell. Iudaic. cap* 27. hanc distantiam falso definit 30. stadiis. *Iohan.* 6. *ver.* 19. fit mentio stadiorum 25. aut 30. quæ faciunt 3. mill. Italica & tres quadrantes: vbi notandum mare Galilææ, seu lacum Tiberiadis seu Genesareth, cuius ibi fit mentio, longum fuisse stadia 100. hoc est, $12\frac{1}{2}$. mill. Italica, vt author est *Ioseph. l.* 3. *de bell. Iud.* 12. *v.* 8. Bethania dicitur fuisse prope Hierosolymam fere stadiis 15. quæ faciunt duo milliaria Italica, minus tribus quadrantibus. Stadia mille & sexcenta, quorum mentio fit *Apocal.* 14. *v.* 20. faciunt milliaria Italica ducenta. Stadia 12. *Apocal.* 21. faciunt sesquimilliare.

Parasanga.

VIII. *Parasanga*; hoc est vocabulum Persicum. Complectitur stadia triginta, quæ faciunt quatuor milliaria.

IX. *Milliare*, seu *milliarium*; Græcis μίλιον, & μιλιάριον; est spatium mille passuum populi cuiusvis. Hebraicum igitur milliare mille Hebraicos, Chaldaicum mille Chaldaicos, Græcum mille Græcos continebat passus. Erat autem *milliare* aliud *minus*, quod bis mille minoribus passibus constabat: aliud *maius*, quod mille maioribus passibus constabat. Porro milliaris mentio fit *Matth.* 5. *v.* 41.

Iter Sabbati.

X. *Iter Sabbati* est tantum spatii, quantum milliaris est: hoc est, milliaris maioris Hebræorum, quod ἰσόμετρον est milliari veteri Romano, continens passus Hebraicos mille maiores, qui faciunt bis mille minores, quos appellant *gressus* proprie, *cubitos* improprie. De hoc videris *Actor.* 1. *ver.* 12. Atque tantum spatii, non plus, licebat Iudæis die Sabbati per traditionem conficere. Tanto spatio Hierosolyma distabat à monte Olíueti, nempe milliari, pauxillo minus, hoc est, septem circiter stadiis, quorum octo faciunt milliare, vt dictum est. Est enim stadium octaua pars milliaris. Mendosus igitur est locus *Iosephi*, qui *lib.* 20. *antiq. cap.* 16. scribit, montem Oliueti quinque tantum stadiis distare ab vrbe. Hic occurrit dubium. *Luc. cap* 24. *v.* 50. dicit, discipulos ductos fuisse à Domino in cœlum ascensuro ἕως εἰς Βηθανίαν, in monte scilicet oliueti sitam, vnde in cœlum ascenderit: *Iohannes* autem *cap.* 11. *v.* 18. testatur, Bethaniam ab Hierosolyma abfuisse stadiis fere XV. hoc est, duobus circiter milliaribus. Hic sciendum est, montis olíueti extrema, siue radices ab Hierosolyma abfuisse stadiis fere septem; Bethaniam vero, in illo monte sitam fuisse retro, ita

tro, ita vt quindecim fere stadiis ab vrbe distaret. Sic dubium hoc soluit ocellus Philologorum, *Caspar. VVaserus*, amicus honorandus *lib.* I. *de antiq. mensur. cap.* 12. cuius labor nobis fuit oppido vtilis in hac de mensuris tractatione contexenda.

XI. *Iugerum*; est dimidia pars milliaris. Hinc 1. *Sam.* 14. *v.* 14. dimidium iugerum exponitur quadrans milliaris. *Iugerum.*

Mensura discretorum, sunt quibus vtuntur mercatores, atque adeo omnes ementes & vendentes. *Suntque vel aridorum, vel liquidorum.*

Mensuræ aridorum, de quibus in sacris literis.

I. *Kabus*, Hebraice קב *Kab*, Græce κάβος; erat mensura aridorum minima definita ouis viginti quatuor. Solent enim Rabbini mensuras aridorum ouis definire. Iidem tradunt Kabum capere tantum rei aridæ vel siccæ, quantum continere possunt testæ ouorum gallinaceorum 24. Æquat choenicam militarem seu quinque librem Græcorum; quatuor sextarios Romanorum; qui sextarii vncias Romanas 60. in tritico pendebant. Illius mentio fit 2. *Reg.* 6. *v.* 25. vbi quarta pars Kabi facit sex ouorum testas. *Kabus continebat sextam partem Sea, vel Sati; cuius proinde sextarius appellatur Gomer.*

II. *Homer*, alias *Gomer*. Vtroque modo scriptum inuenias. Ratio diuersitatis est; quia in Hebraico עמר est ע; quam literam alii per H. strangulatum, vti vocant, exprimunt, alii per G. Hæc fuit decima pars Ephæ: vnde עשרון *Hissaron*, decima vocatur *Num.* 15. & scilicet pars. *Leuit.* 5. *ver.* 11. *Num.* 28. Huius mensuræ capacitas definitur *Exod.* 16. *vers.* 37. Ex his efficitur, cum Epha definiatur 18. Kabis, siue capacitate testarum ouorum Gallinaceorum 432. Homer capere Kabum & semis, cum quinta parte Kabi, siue quantum capiunt testæ ouorum 43. & quinta oui pars. Æquat sextarios Atticos sex, & tres quintas sextarii. Nam Epha continet sextarios Atticos 66. qui diuidendi sunt per decem. Homer enim est pars decima Ephæ. Æquat sextarios Romanos septem, & quintam sextarii partem; qui libras Romanas tritici nouem pendebant. Nam Epha continebat 72. sextarios Romanos, siue libras Romanas 90. quas eadem mensura in tritico pendebat: qui numeri diuidendi sunt per decem ob causam modo dictam. Hinc constat, quam largiter Deus sustentauerit populum suum in deserto. Nam olim Choenica, quæ bilibris capiebat duas libras Romanas, erat diarium, seu cibus diurnus in agro degentium, vt opilionum, & similium apud Romanos. Hunc autem cibum Deus populo suo quintuplicauit. Nam choenix, siue choenica quintuplo fere minor fuit Homere. Choenix siquidem nonnisi duas, vt dictum est, Homer vero nouem capiebat libras Romanas. Fuit & alia choenica quadrilibris, quæ capiebat quatuor libras Romanas; dicta vinitorũ; quod demensum existeret diurnum vinitoribus. Eadem dicta fuit Valica; quia *Choenicis mentio fit in Apocal.*

eo loci recepta fuit. Fuit & alia, cognominata *militaris*, quod demensum diurnum existeret ingenuis militibus; pendens vncias Romanas 80. cum Italica penderet vncias Romanas 45. Ex his constat, Deum populum suum non seruorum instar choenica bilibri nutriuisse, sed copiose & largiter nouem libris suppeditatis.

Satum. III. *Seah*, siue *Satum*; Hebraice סאה *Seah*, & in regimine סאת, *Seath.* Hæc fuit tricesima pars Cori, & tertia Ephæ. Triginta namque Sata Corum, & tria Epham præcise ceperunt: singula vero tres Homeres, & Homeris trientem, siue sex Kabos, vel quantum capiunt testæ ouorum gallinaceorum 144. Æquat sextarios Græcorum 22. numero rotundato posito pro decurticato videlicet 22. pro $21\frac{1}{2}$. 22. Modium Romanorum cum dimidio, hoc est, libras 30. Modius siquidem pendebat tritici libras viginti. Interpretes Latini hanc vocem vulgo reddunt *modium*. Nam Satum capit modium Atticum, vel Syriacum, vel Babylonium, vel Arabicum; vt sesquimodium Romanum. Huius mensuræ mentio fit *Genes.18. v.6. 1.Sam.24. ver.18. 1.Reg.18.ver.32. 2.Reg.7. v.1.16. Matth.13. ver.33.* vbi tria Sata efficiunt Epham, siue tres modios Atticos. Porro Satum in certas partes fuit diuisum. Hinc *Leu.1.22.v.14.* Doctores Hebræorum intelligunt quintam Sati partem: vnde concludere licet, satum in quinas pluresve partes fuisse subdiuisum; quarum singulæ comprehenderint tantum tritici, vel rerum eiusmodi aridarum, quantum capiunt testæ ouorum gallinaceorum 28. & quatuor quintæ partes testæ.

Ephah. IV. *Ephah, vel Ephi*, tantum in aridis capiebat, quantum in liquidis bathus. *Ezech.45.* Continebat autem Epha tria Sata, quæ faciunt decem Homer, siue octodecim Kabos. Æquabat Metretam, vel Cadum Græcorum, vel Amphoram Atticam siue Atheniensem, quæ mensuræ omnes eiusdem sunt capacitatis, & singulæ capiunt 66. sextarios Atticos. Iuxta Romanorum rationem mensurariam Epha capiebat quatuor modios & dimidium. Modius namque Romanus rasus præcise pendebat 20. libras Romanas tritici. Si dicas Epham cepisse hydriam Romanam, res eodem recidet. Nam hydria mensura in liquidis, poterat in aridis capere pondus librarum 90. quæ libræ sunt ἰσόμετροι quatuor modiis & dimidio. Mentio huius vocis fit *Iudic.6. v.10. non Ruth 2. ver.17. 1. Sam.1.v.14.*

Panes apud Orientales fuerunt lati. *1.Sam.17.v.7.* Hic ad locum posteriorem velim te obseruare, panes olim apud Orientales fuisse latos & subtiles placentarum in formam, quos facile frangere poterant, non eleuatos, vt sunt apud nos, qui vtimur cultris. Hinc illud tritum in Scripturis: *frangere panem*. Veterem istum morem hodie in quibusdam Scotiæ locis adhuc obtinere nonnulli tradunt. Porro sciendum est, communissimam & notissimam Hebræorum mensuram fuisse Epham, ac reliquarum mensurarum quasi rationes continuisse. Hinc qui illius rationem intelligebat, aliarum singularum capacitatem facile

facile poterat statuere: perindè vt apud Græcos & Romanos in sextario multum erat situm ad totam mensurarum rationem cognoscendam. Atque hinc in sacris literis, vbi agitur de aridorum mensuris vel æquis, vel iniquis, mentio fit Ephæ, tanquam exemplaris, & Epha pro mensura generatim ponitur: vt, *Leuit*. 19.*v*.36. vbi Hin ponitur pro mensura in liquidis. *Deut*. 25.*v*.14. *Prov*. 20.*v*.10. *Amos*. 8.*v*.5. *Mich*. 6.*v*.10.

X. *Semicorus*; Hebraice לתך *Lethech*, vnde Latinum illud *Lethica*; capiebat Ephas 5. vel Sata 15. vel Homeres 25. vel Kabos 40. Æquabat 15. modios Atticos, vel Syriacos, vel Babylonios; Romanos autem modios viginti duos cum semis. Satum enim tritici rasum pendebat libras Romanas 30. vt supra dictum. Huius mensuræ mentio fit. *Hos*. 3.*v*.2. *Semicorus*

VI. *Corus*; Hebraice כור, *Cor*, item חמר, *Chomer*; fuit amplissima Hebræorum mensura, qua in aridis vsi sunt. Hæc duas capiebat lethecas, siue decem Ephas, siue 30. Sata. Si reducas ad Græcorum rationem, comperies corum præcise cepisse modios Atticos 30. qui, vt sæpe iam dictum, modiis Syriacis, Babyloniis, Arabicis, vel Satis Hebræorum prorsus sunt ἰσόμετροι, & singuli continent libras 30. hoc est, sesquimodium Romanũ. Hinc apparet, Corum cepisse modios Romanos 40. Mensuræ huius multa in Scripturis fit mentio: vt, 1.*Reg*.4.*v*.22. 1.*Reg*.5.*vers*.11. 2.*Paral*.27.*v*.5. *Luc*.17.*v*.7. quibus quidem locis occurrit vox *Corus*. At sequentibus locis legitur vox *chomer*. *Leuit*. 27.*v*.17. *Num*. 11.*v*.32. *Esa*.5.*v*.10. *Hos*.3.*v*.2. Hic velim te notare, vocem istam חמר *chomer*, descendere à חמור *chamor*, quæ vox significat asinum: vt sit mensura tantum frumenti capiens, quantum asinus portare possit. R. Moses Lethecam siue semicorum definit iustum asini onus. Hanc diuersitatem sententiarum quidam sic conciliant. Chomer est onus muli, Lethech vero asini. Constat enim mulum baiulare posse grauius onus, quam asinum; ita vt mulus libras 590, asinus 324. portare possit. Ad extremum notabis, Hebræorum doctores æstimare mensuras, tam in liquidis quam in aridis, ouis gallinaceis communibus & mediocris amplitudinis; cuiusmodi ouum Capellus circumfinit tribus pollicibus Hebræis latitudinis, & totidẽ lõgitudinis, altitudinis vero triente pollicis, & amplitudinis itidẽ tribus pollicibus: ex qua capacitate ei nomẽ indit *cyathi Hebraici*; quia videlicet tot capit pollices Hebræos, quot cyathus Atticus pollices capit Atticos, & cyathus Romanus pollices Romanos. Aridarum rerum mensura etiam fuit cophinus, de quo *Matth*. 14.*vers*.20. *Marc*.6.*v*.43. *Luc*.9.*v*.17. & *Ioh*. 6.*v*.13. Verum exacta mensura non videtur intelligenda: sed vas rusticum è vimine contextum, seruandis frumentariis rebus idoneum.

Mensuræ liquidorum in sacris literis.

Mensuræ liquidorum sequuntur; de quibus agimus loco postremo, quia

posterior earum inuentio. Etenim prior fuit cultura frugum, posterior vini & olei. Fuerunt autem tres principes harum mensurarum species apud Hebræos, quas ordine exequemur.

Logus. I. *Logus*; Hebraice לוג *Log*; fuit minima liquidorum seu humidorum mensura. Continebat vigesimam quartam partem Sati, siue duodecimam Hinis, adeo vt 24. Logi fuerint æquales sato, vel duodecim Logi Hini. Capiebat præcise Sextarium Romanū; qui capiebat vncias Romanas olei octodecim, vini viginti, mellis viginti septem. Hinc colligere est, Logum ὡς ἔγγιστα accessisse ad capacitatem Sextarii Attici, qui capiebat, seu pendebat, vncias olei 20. & mellis 30. ita vt Logo fuerit maior, in oleo quidem vnciis duabus, in melle vero tribus. Aliquoties huius mensuræ fit mentio. *Leuit.* 14.

Hin. II. *Hin*; Hebraice הין, *Hin*, & interdum *Hine*; fuit sexta pars siue sextarius Bathi, capiens duodecim Logos, siue tantum humoris, quantum capere possint septuaginta duorum ouorum gallinaceorum testæ. Æquabat vndecim Atticos, Romanos vero duodecim, prout singuli Logi, quibus Hin definitur, totidem sextarii sunt: Romani quidem duodeni, ὡς ἀκριβέστατα, Attici vero ὡς ἔγγιστα. Duodecim autem sextarii Romani, siue 12. Logi, per quos Hin definitur, pendebant libras 18. olei, & 15. mellis: siue vncias, 216. olei, & 180. mellis, quot etiam siue libras, siue vncias pendebant duo congii Romani. Nam congius Romanus pendebat libras Romanas, olei nouem, mellis septem & semis. Eius expressa fit mentio *Exod.* 29. *v.* 40. *c.* 30. *v.* 24. *Leuit.* 19. *v.* 36. *Num.* 17. *v.* 9. *Ezech.* 4. *v.* 11. *c.* 45. *v.* 24. *c.* 46. *v.* 5. 7. 11. 14.

III. *Bathus*; Hebraice בת *Bath*, Græce βάθος; fuit amplissima Hebræorum mensura in liquidis; eiusdem in liquidis capacitatis, cuius in aridis fuit Epha. Iuxta liquidorum mensuras continebat 6. Hinas, siue 72. Logos. Æquabat Græcorum metretam, aut amphoram, aut cadum Atticam, quæ capiebat sextarios Atticos 65. siue 66. Romanorum Hydriæ respondebat, quæ continebat sextarios Romanos 72. Huius mentio fit 1. *Reg.* 7. *v.* 26. 2. *Paral.* 4. *v.* 5. 1. *Reg.* 7. *v.* 38. 2. *Paral.* 2. *v.* 10. *Ezr.* 7. *v.* 22. Ex his constare potest, quid sentiendum sit de Aqualibus illis, de quibus apud Iohannem, *cap.* 2. Aquales fuerunt sex, qui capiebant metretas duodenos, vel octodecim, hoc est, totidem Bathos. Bathus siquidē præcise amphoram, seu metretam, seu cadum capiebat. Si fuerunt duodecim metretæ, ita vt singulæ hydriæ ceperint binos, habebis libras Romanas 1458. in aqua; in vino vero libras 1440. quæ libræ vini duodenum metretarum faciunt ohmas nostrates quatuor cum dimidia. Si vero fuerunt octodecim metretæ siue amphoræ, habebis libras Romanas 2187. in aqua, in vino vero 2160. quæ libræ vini faciunt ohmas nostrates sex, quas vocamus culeū, ein Fuder, plus minus. Et posterior quidē computus nobis probatur,


Aquales apud Iohan.

ita vt dicendum sit singulas hydrias respondere singulis ohmis. Hanc sententiam ita firmamus. Verba textus apud Iohanem, *cap.* 2. *vers.*6. sic habent: *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ amphoras binas aut ternas.* Spiritus S. non loquitur ἐφεκτικῶς, *dubitatiue*, aut *suspensiue*: sed hoc vult innuere, singulas hydrias ea fuisse quantitate, vt nulla ceperit infra 2. & nulla vltra 3. metretas; quæ loquendi formula coincidit cum illa, qua dicimus rem ὡς ἔγγιστα sic se habere.

Nunc vno atque altero typo placet adumbrare, quæ hactenus diximus de numis, ponderibus & mensuris, vt ita ex tempore de illarum reductione & æquatione constare queat.



NVMO-



NVMORVM, QVORVM IN S. LIteris fit mentio, collatio cum moneta alia.

Hebræorum.	*Græcorum.*	*Romanorum.*	*Germanorum.*
	Λεπτὸν.	*AEreola.*	Ein halber Heller.
	Κοδράντης.	*Quadrans.*	Ein halber Pfen.
	Ἀσσάριον.	*As minutus.*	Ein halber Creutz.
		As semuncialis.	Ein Creutzer.
Gerah.		*16 gran. hordei.*	2. Creutzer/ oder 1. Albus.
Agorah.		*Eiusdem valoris.*	Eben so vil.
Keschitah.		*Eiusdem valoris.*	Eben so vil.
Zur, vel Zut.	Δραχμή.	*Denarius.*	10 Creutzer.
Adarcon.	*Eiusdem va*	*loris.*	Eben so vil
Siclus sacer.	Τετράδραχμον.	*320. gran. hord.*	Ein halb. Reichsthaler.
Siclus vulgaris.	Δίδραχμον.	*160. gran. hord.*	Ein Reichsort.
Semisiclus sacer.	Δίδραχμον.		Ein Reichsort.
SemiSicl. vulgaris.	Δραχμή		10 Creutzer.
Triens sicli sacri.			3. Batzen vnd ein halber.
Quadrans sicli sacri.			2. Batzen vnd ein halber.
Maneh sanctuarii.	μνᾶ.	*Mina.*	25. Reichsthaler/ oder 50. Loth.
Maneh vulgaris.	μνᾶ.	*Mina, libra, pondo.*	12½. Reichsthaler oder 25. Loth.
Kikar sanctuarii.	Τάλαντον.	*Talentum.*	1500. Reichsthal. oder 3000. Loth.
Kikar vulgi, seu congregationis.	Τάλαντον.	*Talentum.*	750. Reichsthaler oder 1500. Loth.

Ponde-

PONDERVM, QVÆ IN SACRIS OCCVRrunt, collatio & æquatio.

Hebræorum.	Græcorum.	Romanorum.	Germanorum.
Zura.	Drachma Attica.	Denarius.	1. quintlein/ oder halb Reichsort.
Siclus sacer in aureo.	Τετράδραχμον.	Semuncia auri.	4 quintlein oder 1. Loth/ oder 4. Ducaten.
Siclus sacer in argento.	Τετράδραχμον.	Semuncia argenti.	Ein halber Reichsthaler.
Siclus sacer in ferro, ære, &c.	Τετράδραχμον.	Semuncia ferri.	1. Loth Eisen/ etc.
Siclus vulgaris in auro.	Δίδραχμον.	Duæ drachmæ.	2. quintlein/ oder 2. Ducaten.
Siclus vulgaris in argento.	Δίδραχμον.	Duæ drachmæ.	Ein halb Loth/ oder 1. Orth eines Reichsthal.
Siclus vulgaris in ferro, &c.	Δίδραχμον.		2. Quint. Eisen.
Siclus regius.	Τρίδραχμον.		3 quint. oder anderthalb reichsort.
Maneh sanctuarii.	Drachmæ Atticæ 240.	Vnciæ 30.	60. Loth/ oder 30. Reichsthaler.
Maneh regia.	Tridrachmi 40.	Vnciæ 15.	30. Loth/ oder 15. Reichsthaler.
Maneh vulgaris.	Didrachmi 60.	Vnciæ 15.	15. Reichsthaler.
Kikar vulgare minus.	Drachmæ Atticæ 600.	Semunciæ 1500. seu vnciæ 750.	1500. Loth/ oder 750 Reichsthal.
Kikar vulgare maius.	Drachmæ Atticæ 100000.	Vnciæ 1250.	2500. Loth / oder 1250. Reichstha.
Kikar regium.	Drachmæ Atticæ 9000.	Semunciæ 2250.	225 . Loth/oder 1125. Reichstha.
Kikar sanctuarii.	Minæ Attic. 220. vel Drachm. Att. 12000.	Semunciæ 3000. siue vnciæ 1500.	300. Loth/oder 1500. Reichsth.

MENSVRÆ CONTINVORVM, collatæ & æquatæ.

Digitus.	*Pars 16. Pedis.*	
Palmus.	4. *Digitorum.*	
Dodrans.	3. *Palm. seu digit.* 12.	*Spithama.*
Cubitus sacer.	6. *Palmorum.*	
Cubitus vulgaris.	5. *Palmorum. seu* 20. *digit.*	
Arundo.	6. *Cubitos sacros longa.*	
Funiculus.	*Varia longitudinis.*	
Stadium.	*Passuum.* 125. *seu Pedum.* 625.	
Parasanga.	*Stadiorum* 30.	*Milliar.* 4.
Milliare.	100. *Passuum populi cuiusuis.*	
Iter Sbbbati.	*Milliari est* ἰσόμετρον.	
Iugerum.	*Semissis milliaris.*	

Huc pertinent versus memoriales:

Quattuor ex granis digitus componitur vnus.
Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus.
Quinque pedes passum faciunt, passus quoque centum
Viginti quinque & stadium dant, sed miliare
Octo facit stadia, & duplatum dat tibi leuca.

MENSV-

MENSVRÆ ARIDORVM ÆQVATÆ.

Hebræorum.	Hebræorum.	Græcorum.	Romanorum.
Kabus.	Oua gallin. 24.	Chœnix militaris.	IV. Sextarii, seu vncia 60.
Homer.	1½. Kabus seu 43. oua.	VI. Sextarii Attici.	VIII. Sextarii Romani, seu libræ 9. tritici.
Satum.	30. Pars Cori seu 3. Ephæ.	XXII. Sextarii Attici.	Modius Romanus cum dimidio, seu libræ 30.
Ephah.	18. Kabi. seu 3. sata, seu 10. Homer.	Metreta, seu Amphora.	4½. Modii.
Semicorus.	40. Kabi. seu 5. Ephæ.	XV. Modii Attici.	22½. Modii.
Corus.	10. Ephæ. seu 2. Semicori,	XXX. Modii.	40. Modii.

MENSVRÆ LIQVIDORVM Æquatæ.

Hebræorum.	Hebræorum.	Græcorum.	Romanorum.
Logus.	24. Pars Sati siue 12. Hinis.	Sextarius Atticus.	Vnciæ olei. Mellis 30.
Hin.	12. Logi.	XI. Sextarii.	XII. Sextarii Vnciæ 216. olei. Mellis 180.
Bathus.	6. Hines. siue 72.	Metreta Attica siue sextarii 65.	Hydria, siue sextarii 72.

CAP. CXVIII.

Character Pentateuchi.

EXpositus est character externus librorum Biblicorum, nunc exponetur internus, qui respicit illos ita, vt reciprocetur cum illis.

Character externus non fuit æqualis ambitus cum libris illis, quorum characterē esse diximus. Sic verbi gratia Chronologicus character Exodi non est proprius sed externus; quia hic idem character (non quidem numero, sed tamen specie) etiam est aliorum librorum. At character internus verbi gratia Geneseως, reciprocatur cum illo, & non conuenit Exodo.

Character internus est alius librorum Canonicorum, alius Apocryphorum.

Tres classes librorum Biblicorũ. Theologi quidam constituunt tres classes siue ordines illorum librorum, qui appellantur Biblici. Prima classis complectitur ψευδώνυμα, siue ψευδεπίγραφα, hoc est ea volumina, quæ ab hominibus otiosis aut hæreticis conscripta, & Sanctis Apostolis falso attributa fuerunt: vti sunt, Euangelium Petri, Thomæ, & Matthiæ, Acta Andreæ, Iohannis & Pauli, Apocalypsis Petri, Proteuangelium Iacobi, Euangelium Nicodemi, & similia, de quibus *Euseb. lib. 3. hist. Eccles. cap. 25.* Secundæ classis sunt libri ἐμμέσοι, *intermedii*, vel apocryphi, qui egregias quidem commonefactiones proponunt, ideoque vtiliter, & legi, & allegari possunt, non quidem ad fidei articulos inde probandos, sed ad morum instructionem. Tertia & suprema classis habet libros à Deo inspiratos, qui dicuntur ὁμολογούμενοι, *in confesso existentes*, ἐνδιαθήκοι, *Testamentarii*, & Canonici, ἀπὸ τοῦ κανόνος, quod structura fidei ad horum præscriptum non aliter atque normam sit aptanda. Vide plura hanc in sententiam apud *Euseb. lib. 3. cap. 25 Hieron. in Epist. ad Paulin. Damascen. lib. 4. c. 18.* Nos missis libris ψευδωνύμοις, tractabimus de canonicis & apocryphis.

Character librorum Canonicorum est Testamenti Veteris & Noui.

Character librorum Vet. Test. est vel historicorum, vel poëticorum, vel propheticorum.

Character librorum historicorum est vel pentateuchi, vel triteuchi, vel octateuchi.

Pentateuchus. Pentateuchus complectitur quinque libros Mosis; triteuchus continet libros tres sequentes, nempe Iosuæ, Iudicum, & Ruthæ. Primum vocabulum est vsitatissimum. Secundum occurrit apud *Athanasium in Epistola ad Marcellinum, de interpretatione Psalmorum.* De tertio vocabulo est controuersia. Lexicographi communiter sic annotant de voce hac. *Octateuchon* vocant octo priores Veteris Testamenti libros. Hinc colligere licet, Pentateuchum & triteuchum coniunctas (nam ἡ πεντάτευχος dicẽdum, subaudito fœminino βίβλος) constituere octateuchum. Alii octateuchũ

Triteuchus.

Octateuchus.

defi-

definiunt numero librorum sequentium librum Ruthæ, quales sunt duo libri Samuelis, duo libri Regum (alii coniungunt hos libros, & vocant quatuor libros Regum) duo libri Chronicorum. Ezræ vnus, Nehemiæ vnus. Sed quia iuxta hunc calculum sunt nouem libri, librum Nehemiæ coniungunt cum libro Ezræ, idque non inepte. Hanc sententiam nos sequimur, & docendi causa libros historicos V. T. partimur in pentateuchum, triteuchum, & octateuchum: in qua diuisione memoriæ consulitur affinitate nominum perelegunti.

Character Pentateuchi siue תורה *Thorah, vt Hebræi vocant, consideratur vniuersim, ratione legis totius, & speciatim ratione singulorum librorum.*

Vniuersim in charactere pentateuchi considerare oportet velamen Mosis, eiusque detractionem.

Velamen Mosis, est quadam obscuritas legis, per quam stat, quo minus verum & primarium ipsius sensum & scopum homo perspicere possit. *Velamen Mosis quid*

Velamen Mosis est duplex. Aut enim est in ipsa lege, aut in corde hominis non sit renati.

Velamen in ipsa lege, est partim à rebus illis, de quibus loquitur, partim à sermone, quo Lex eloquitur res istas. Nam primo Lex nobis proponit res tales, quarum consideratione corrupta nostra caro in longe alias cogitationes abducitur, quam quas nos concipere decet. Videtur lex nobis proponere putamen, omisso nucleo. Deinde lex tali sermonis charactere magna est, vt nos primarium illius scopum prima fronte ex verbis non possimus elicere, id quod per partes ostendam, sed paucis aphorismis, è quibus tres sunt generales.

I. Lex ita loquitur, tanquam ipsa sit suprema domina conscientiæ, nec vllum doctorem superiorem agnoscat, qui possit decreta, promissiones, aut comminationes ipsius mutare, mitigare, vel dispensare, ampliare item, vel restringere.

II. Lex ita loquitur, de regno suo, quasi illud futurum sit perpetuum, omnemque sui abrogationem silet, adeoque nullum videtur agnoscere successorem.

III. Dum hominem iubet illa vel illa facere, videtur stabilire liberum arbitrium.

Hi tres aphorismi sunt generales, è quibus deriuari nullo negotio possunt speciales, de lege iudiciali, ceremoniali & morali.

De lege iudiciali sunt hi aphorismi. *Velamen Mosis in lege iudiciali.*

I. Lex iudicialis sic describit politiam Mosaicam, tanquam illa perpetuo sit mansura: cum Deus solum illam politiam voluerit esse veluti nidum Ecclesiæ ad certum tempus, hunc in finem, vt liquido sciri posset vbi ille natus esset, quibus maioribus, quando, qua ratione. Atque hinc

illi magnifici tituli, qui tribuuntur politiæ isti; non quod illa debuerit esse perpetua, sed quia erat domicilium Messiæ, & Ecclesiæ.

II. Lex iudicialis multa præcipit, quæ sunt iuris particularis, quæ nostræ rationi videntur absona, cum illa statuat hæc talia præcipi, tanquam si essent iuris communis. Ius autem particulare dicitur, quod illam politiam, qua talem, hoc est tanquam domicilium Messiæ, & typum vitæ æternæ, concernit. Nam Chanaan inferior fuit typus Chanaan superioris. Non igitur statim illa, quæ fuerunt iuris in illa politia, trahenda sunt extra territorium, vt ita dicamus, & alii politiæ accommodanda.

Velamen Mosis in lege ceremoniali.

De lege ceremoniali sunt hi aphorismi.

I. Ceremoniæ & pompæ natura fere sua & pulchritudine ad se alliciunt homines, quorum natura prona est ad tales ritus, & eos detinent, ne quid vlterius, altius & spiritualius cogitent. Hinc progressu temporis factum, vt ceremoniæ Mosaicæ fulgore suo ita perstrinxerint animos Iudæorum, vt illi nucleum, quem ceremoniæ in intimis suis recessibus occultabant, amiserint; idque eo magis, quia nusquam dicit lex ceremonialis, ceremonias esse typos tantum & vmbras futurorum bonorum.

II. Lex ceremonialis tribus illis titulis, λαὸς, νόμος, ναὸς, sic Iudæorum animos occupabat, vt illi statuerent se solos esse populum Dei, quem nunquam posset repudiare; se solos habere legem, quæ nunquam posset antiquari; se denique habere templum æternum.

Velamen Mosis in lege morali.

De lege morali hi sunt aphorismi.

I. Lex moralis in se detinet hominem non renatum, vt ille existimet, se omnia illa præstare posse, quæ exiguntur. Sermo enim talis est, vt videatur proponere ea, quæ homo possit præstare suis viribus. Accedit, quod lex ita loquitur, quasi ipsa possit communicare cum sui obseruatoribus vitam & omnis generis bona.

II. Lex moralis nusquam diserte tradit de superiore doctore, videlicet de Messia, quod nimirum ille sit Seruator noster, implens omnem iustitiam legis. Non etiam facit mentionem fidei in Christum. Quamuis enim vsurpet ista verba, *fidere, confidere, expectare, sperare*, & similia: tamen illa ipsa prima fronte operum iustitiam videntur flagitare, non Euangelicam.

Atque his modis lex tegit faciem suam, vt homines non possint sua natura videre, quorsum tandem faciem oculosque suos Moses direxerit, & in quo desinat ipsa lex.

Velamen in corde hominis non renati, est quo ille tenebris sic inuolutus est, vt non posit etiam id assequi, quod in lege dictum est satis clare. Hanc internam cæcitatem, quam homo ex vtero secum adfert, consuetudo, praua institutio, & dominium Satanæ augent. Nimirum sicuti lumen Solis meridianum

num fulgore suo noctuarum oculos obscurat, & tantum non excæcat: Sic Moses, si faciem suam detexisset, suis radiis carnales Israelitarum oculos magis excæcasset. Mirare igitur, quisquis es, iuxta mecum, mirabile illud temperamentum, quo Deus legem suam ita proposuit populo suo, vt illius infantiam certis veluti crepundiis proueheret. Vide *Exod.* 24. & 2 *Corinth.* 3. vbi Apostolus explicat, quid sibi voluerit tegminis Mosaici impositio, & amotio.

Hæc sic accipi velim, vt aliquid velaminis huius tribuatur ipsis etiam Prophetis, qui vtuntur tam multis figuris, picturis, & locutionibus à regno rebusque corporalibus sumtis, vt spiritualis ruditas ipsos etiam Apostolos initio ad regnum carnale traxerit. Hoc tamen discrimen inter libros Veteris testamenti obseruandum est. Sicuti aliter infantes, aliter adultiores informantur: ita & Deus aliter instituit Ecclesiam in infantia, aliter in progressu, aliter in virili & perfecta ætate, quam assecuta est tempore Christi, & post. Deinde sicut lumen Solis aliter afficit aerem quando oritur, aliter quando meridianum attingit: ita & Sol iustitiæ illuminauit aliter Ecclesiam tempore matutino, aliter meridiano; quorum illud Veteri Testamento, hoc Nouo tribui debet. Obiiciat hoc loco aliquis: Quid audio? Num lex est vsque adeo obscura, & inuoluta? Resp. Lex dicitur obscura & inuoluta homini non renato. Ergo secundum quid, non simpliciter. Ais: At supra contrarium fuit dictum; quod lex sua natura sit talis. Aio: Et hoc verum est, si nempe lex conferatur cum Euangelio. Ergo non absolute, sed comparate ista accipias oportet. Replicas: Ergo fideles Veteris Testamenti non crediderunt in Christum. Resp. Inepta hæc est consecutio, nec è verbis nostris elici potest. Hoc enim volumus. Lex est χειραγωγία & pædagogus ad Christum, scilicet iis quibus Deus nucleum legis aperuit, quique viderunt diem illum Domini, sicut Abraham illum vidit. *Iohan.* 8. Itaque hoc velamen non detrahit maiestati legis, sed legem ita æstimare docet, vt ne Euangelio anteferatur.

Velamen Mosis in libris Propheticis.

Detractio velaminis istius est duplex, prout ipsum velamen duplex esse diximus, externum in lege, & internum in corde nostro.

Primum fit detractio, allata clariore legis expositione. *Deinde*, diuina illuminatione mentis tenebræ discutiuntur, vt videre possit diuiniorem illam doctrinam, & fracto putamine ad nucleum penetrare. De vtraque detractione adferemus paucos aphorismos.

De priori detractione velaminis sunt aphorismi.

I. Velamen Mosis detractum est à Prophetis, à Christo, & Apostolis.

II. Prophetæ detraxerunt legi hoc velamen, eiusque veram & natiuam faciem hominibus commonstrarunt, quando à ceremonialibus ad moralia suos auditores retrahere conati sunt, cordis humani malitiam acrius

actius insectando, & ostendendo, Deum non probare cultum externum sine interno.

III. Christus detraxit hoc velamen multo clarius quam Prophetæ. Legi iudiciali quidem, dum ipse natus est pauper, in paupertate vixit, & docuit regnum suum non esse de hoc mundo. Legi ceremoniali autem; dum ipse baptismum & sacram cœnam instituit; dum docuit lotiones & ceremonias internas nihil facere ad salutem; dum denique ipse mortem oppetiit, & paulo post aboleuit iuge sacrificium, misso Imperatore Romanorum, qui templum & vrbem funditus euertit, & politiam Mosaicam plane dissipauit. Legi denique morali Christus detraxit velum, dum ostendit legem non esse colendam externa & Pharisaica iustitia, sed requirere totum hominem, externum & internum; dum item monstrauit ex lege ipsa, omnes homines esse malos; dum docuit se esse viam ad salutem; dum denique demonstrauit, Abrahamum, de cuius dignitate gloriabantur Iudæi, illam dignitatem accepisse ab ipso tanquam hærede Patris sui cœlestis. Adde, quod Spiritum sanctum misit in festo Pentecostes.

IV. Apostoli detraxerunt velum legi ceremoniali, dum publico decreto ceremonias abrogarunt *Actor.* 15. quod decretum hinc inde in scriptis suis repetitum confirmarunt variis documentis. Inter omnes autem Apostolos Sanctus Paulus ingens lumen intulit Veteri Testamento, dum sequentibus modis detraxit velum legi.

I. Expresse docuit, ceremonias esse mortuas post Christum, & reuera mortiferas, si quis aliquid eis tribuat. Cumprimis hoc egit in epistola ad Hebræos, vbi ferme perpetua est antithesis, inter Sacerdotem vmbratilem, & vere æternum; inter sacerdotium terrenum, & cœleste; inter tabernaculum Mosis, & Christi, &c.

II. Adduxit Abrahamum, & ostendit eum fide iustificatum in Christum. Non potuit exemplum illustrius adducere. Iudæi enim magnopere gloriabantur de hoc suo patre.

III. Ostendit impossibilitatem legis, ipsius austeritatem & rigorem summum, atque ita acuit faciem ardentesque oculos Mosis, & legis Mosaicæ, vt ipsius acies quouis gladio ancipiti penetrantior appareat, non tantum feriens & vulnerans externa hominis, sed etiam interna.

Methodus Paulina explicandi legem.

IV. Vtitur hac methodo in explicatione legis. Primo, affert verba legis. Deinde, illa explicat, adferendo hypothesin, qua docet, quomodo hac vel illa in re lex sit obseruanda. Tertio, instituit antithesin, qua docet hominem id non posse præstare, quod iubetur lege. Quarto, addit causam antitheseως, cur scilicet homo non possit præstare. Quinto, commonstrat fontem siue originem tanti mali. Denique, adiicit vsum & finem legis, idque vt plurimum per solutionem prolepseως.

Dum enim homo audit, se non esse præstando, cogitatio hæc oboritur: Quid ergo est, quod Deus tam rigidam formulam mihi proponit. Huic obiectioni occurrit Paulus, & respondet, hunc esse finem legis, hanc vtilitatem, vt hac connexione conclusionum, velut adamantinis catenis omnes concludat sub peccatum, & hac ratione ad medicum nos ducat, non directe, sed oblique. Ergo iuxta hanc Isagogen Paulinam sic explicabis decalogum. 1. *Dilige Deum*, sunt verba legis. 2. Explicatio est: *Dilige perfecte*: Hypothesis est, *Dilige in hac vel illa re*. 3. Antithesis est: *At tu non diligis Deum hoc modo, ô homo, quisquis es*. 4. Causa antitheseωs est: *Quia totus es malus*. 5. Origo istius mali: *Hoc omne est ex lapsu primi hominis*. 6. Vsus legis est: *Monstrare tibi tuam iniustitiam*, & ita docere, medico esse opus, quem medicum tibi perfecte monstrat Euangelium. Hinc constat, qualis Harmonia, quale iam discrimen sit legis & Euangelii, quod vere clauis est, & veluti Sol totius sacræ Scripturæ, sine quo nec sensum, nec vsum illius assequi potes. Sic enim vides, vtra doctrina sit architectonica & superior, vtra inferior, vtra alteri cedere, eamve interpretari debeat, & quomodo altervtra alteri subseruiat. *Conueniẽtia & differentia legis & Euangelii est clauis Scripturæ.*

De posteriori detractione velaminis sunt hi aphorismi.

I. Detractio velaminis innati est duplex. Aut enim est à diuina illuminatione principaliter, aut ab institutione ministerialiter.

II. Deus sic illuminat mentes nostras, vt primo, in nobis operetur sensum peccatorum, & contritionem ob illa: deinde, largiatur fidem, qua intuemur solem iustitiæ, à quo stricturæ radiorum emanant in corda nostra, vt ita decidant tegmina oculorum.

III. Institutionis illius, quæ detrahit velamen Mosis, debet esse hic modus. Primo inculcandum est diuinum illud γνῶθι σεαυτὸν. Deinde finis legis est ostendendus, & eximenda illa persuasio, qua homines sic statuunt: omnes leges dari ad hoc vt fiant, & legislatorem iustum non præcipere impossibilia, & hinc concludunt, se posse præstare legem, quam Deus dedit. Hæc, inquam, opinio eximenda est, & monstrandus vsus legis verus, qui est, vt sit speculum, norma, obex, & calcar, & vt Germani nostri eleganter loquuntur, daß das Gesetz sey ein Spiegel / Regell / Riegel vnd Geissel. *Est speculum*, in quo cognoscimus maculas animæ. *Est norma*, secundum quam vita instituenda. *Est obex*, qui ponitur, vt ne pleno impetu, & effractis foribus ruamus in peccata. *Est denique calcar*, quando torpentes excitat ad currendum cursum pietatis & probitatis. Ex his colligere licet, quibus gradibus Iudæi deflexerint à vera iustitia ad externam. Primo à cognitione suæ prauitatis paulatim recesserunt. Secundo disciplina morali externa contenti fuerunt. Tertio ad solam iustitiam ceremonialem progressi sunt. Quarto à ceremoniis in lege præceptis ad humanas traditiones deflexerunt. Hic fuit vltimus gradus, & veluti sentina *Quatuor vsus legis.*

& cloaca impietatis. Oportet autem hos gradus vel hoc nomine ob oculos ponere, vt videamus, verum esse illud tritum: *Nemo fit repente pessimus*: & vt videamus, quanam ratione cum Iudæis sit procedendum, si forte cum illis nobis intercedat disputatio. A primo scilicet gradu incipiendum, & malitia cordis humani ostendenda. Hoc principio præsupposito facillimum erit, sequentes gradus demonstrare.

Character pentateuchi iam speciatim ostendi debet ratione singulorum librorum, qui sunt, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Considerabimus autem in his libris, vt & sequentibus,

1. Rationem nominis.
2. Causam efficientem.
3. Finem seu scopum.
4. Summam.
5. Diuisionem.
6. Principalia capita.
7. Regulas speciales.

Character Geneseus.

Primus liber Mosis dicitur Græco vocabulo γένεσις; quia describit ortum, & veluti generationem mundi, item generationes Patriarcharum tanquam stirpium generis humani. Hebræis à prima voce dicitur ברא-
Ratio nominis. שית *Bereschith*: ספר יצירה *Sepher Iezirah*, liber creationis. Græcis quibusdam dicitur βίβλος εὐθέων, *liber rectorum*, siue iustorum; quæ appellatio videtur profluxisse è fonte Caballistarum, qui Abrahamum, Isaacum, & Iacobum, peculiari ratione vocant rectos. Germanis dicitur, das Buch der Schöpffung. A quibusdam vocatur *liber sacrarum originum*; satis apposite; quia primam rerum originem aperit. Vnde apparet, nos carituros præcipua sapientia, si hoc libro careremus. Nam causas rerum ignoraremus.

Causa efficiens. Hunc librum scripsit Moses filius Ammon, è tribu Leui, cui Deus historiam hanc à creatione mundi ad mortem vsque Iosephi dictauit.

Finis. Finis libri huius aut communiter cum cæteris sacris libris considerandus est, aut singulariter. Finis communis, est Dei creatoris gloria, & Ecclesiæ inter homines ædificatio. Singularis est, vt tum ex principiis naturæ & gratiæ, tum ex progressu aliquot annorum gloria Dei ostendatur, & ædificetur Ecclesia. Aliud enim est Dei gloriam testari communiter, aliud singulariter.

Summa. Summa est; describitur ortus mundi & Ecclesiæ Dei, illiusque mirifica gubernatio per annos mille trecentos sexaginta octo, & præcipui Ecclesiæ φωστῆρες, *lumina*, commemorantur, Patriarchæ scilicet priores & posteriores.

Supra

Supra proposuimus tabulas mnemonicas singulorum librorum. Hic adferemus diuisiones vel ab aliis traditas, vt illæ cum superioribus conferri possint, vel easdem, sed aliquo modo illustratas. *Diuisio.*

Liber hic diuidi potest in sex partes principales, secundum sex illustres personas, quarum historias continet.

I. Describitur Adam. *à cap. 1. ad 6.*

II. Noe. *à cap. 6. ad 12.*

III. Abraham. *à cap. 12. ad 20.*

IV. Isaac. *à cap. 20. ad 28.*

V. Iacob. *à cap. 28. & 37.*

VI. Ioseph. *à cap. 37. vsque ad finem libri.*

Præcipua capita in Genesi sunt ista.

Præcipua capita Geneseωs.

I. *Initium mundi:* vbi nota, quod sex dies creationis insinuent sex ætates, quibus genus humanum in hoc seculo per temporum successiones mutatur. Prima ætas est ab Adam, vsque ad mundi renouationem per diluuium. Secunda, à Noe vsque ad Abraham. Tertia, inde ad Mosen. Quarta, à Mose ad captiuitatem Babylonicam; vbi disseminatio fidei inter gentes cœpit. Quinta vsque ad Christum. Sexta, à Christo ad finem vsque mundi.

II. *Lapsus primorum parentum*, adeoque ianua mortis.

III. *Proteuangelium*, seu prima promissio Euangelica.

IV. *Antiquitas ciuitatis Dei, & Diaboli.* Ciuitatis Dei protomartyr fuit Abel; ciuitatis Diaboli patriarcha & veluti primus lapis fuit Cain.

V. *Diluuium*; quod fuit figura baptismi & vltimi iudicii.

VI. *Geographia sacra*, qua origines & propagationes gentium in varias terras describuntur.

VII. *Institutio circumcisionis.*

VIII. *Patriarcharum virtutes, & peccata.*

Regulæ speciales, quæ faciunt ad explicationem Geneseωs, sunt hæ insigniores.

Regulæ præcipuæ ad lectionē Genesis cōducentes.

I. Moses in describenda rerum creatione egit populariter, *συγκαταβατικῶς, attemperate*, non *ἀκριβῶς*.

II. Deus in creanda natura nō egit contra naturā, sed supra naturam.

III. Deus benedicit homini vel aliis rebus, dum beneficia confert, vel res segregat ab vsu communi: nos benedicimus Deo, quando beneficia cognoscimus, & ea verbis & opere celebramus.

IV. Anticipatio historica est crebra in hoc libro.

V. Impiorum posteritas vel non recensetur, vel saltem διεξοδικῶς non recensetur.

VI. Cum legimus de vitiis sanctorum hominum in sacra historia, non debemus illa excusare, vel imitari, sed argumentari à maiori ad minus.

seu à minus probabili ad magis probabile, hoc modo: Si Abraham est lapsus, tibi erit opus cauto, vt ne & tu labaris.

VII. Nomina propria, etiam sola, si recenseantur in historia sacra, non contemnantur. Nam vel ponuntur, vt constet de genealogia Christi, vel continent significationem, quæ nos alicuius rei admonet.

VIII. Nomina quædam propria aliter scribuntur Græcis & Latinis, quam Hebræis. Ratio, quia Græci fuerunt delicatiores, ideoque asperitatem nominum Hebraicorum voluerunt mitigare. Græcos hac in parte imitati sunt Latini.

IX. Mos paciscendi veterum erat, occidere animalia, in duas partes diuidere, & per frusta transire: quibus ritibus fœdifragus morte dignus censebatur.

X. Mutationes nominum continent aliquod mysterium. Sic Abram dictus est Abraham. Accessit litera ה ex nomine tetragrammato, vt significaretur, non omnis multitudinis patrem fore Abrahamum, sed solum multitudinis credentium in ה hoc est verum Deum. Nam ה ponitur pro nomine יהוה.

XI. Sancti scribuntur fuisse perfecti, perfectione partium, non graduum.

XII. Pœnitentia dum Deo tribuitur, significat effectum, non affectum. Estque duplex super bono, & malo. Super bono, cum Deus beneficia commutat in iudicia. Super malo, cum iudicia mutat in beneficia. Nam verissima est regula: Dei promissiones terminantur hominum inobedientia; comminationes, obedientia.

Exodus.

Ratio nominis. Secundus liber Mosis dicitur Hebraice ואלה שמות *Veelleh schemoth* à duabus vocibus initialibus. Hanc inscribendi rationem quidam modestiæ veterum & religioni tribuunt, qui noluerint sibi tantum sumere, vt titulos aut nomina imponerent libris, quos ipsi authores anonymos reliquissent. Græcis dicitur ἔξοδος; quia hic describitur exitus Israelitarum ex Ægypto. Latinis dicitur *Exodus, liber Exodi, & liber secundus Mosis.*

Author. Authorem habet Mosen, qui *cap.* 1. *&* 2. scripsit singulari Dei reuelatione, sequentia iussu & directione Dei, non etiam reuelatione. Nam illorum, quæ in istis capitibus narrantur, ipse fuit αὐτόπτης. Quod Moses sit author, tum ipse testatur, tum Christus. Nam cum locum ex hoc ipso libro sumit, Mosen appellat aliquoties.

Scopus. Scopus proprius huius libri est, ostendere veracitatem Dei in promissionibus præstandis, officium hominis erga Deum conferentem beneficia, & malitiam cordis humani, etiam in vere seu æstate operum Dei, non solum in hyeme illorum, vt ita dicamus, hoc est, cum Deus mera benefi-

beneficia confert, vel illa temperat iudiciis, sicut in vere & æstate est tempus sincerum, amœnum scilicet & acceptum, in hyeme mixtum.

Summa est, Deum inde à morte Iosephi ad secundum vsque annum, quo tabernaculum ex lege institutum est, postquam Israelitæ ex Ægypto egressi essent, prouidentiam suam & administrationem mirificam, tum in Israelitis augendis benedictione, defendendis à malo, atque liberandis, tum in præceptis, & documentis salutaribus tradendis, toto illo 142. annorum tempore potentissime explicasse. *Summa.*

Partes libri summæ omnino duæ sunt; prior est historia, ad cap. 19. vsque; posterior dogmatica, seu διδασκαλική, inde ad finem libri pertenditur. *Oeconomia libri.*

Historia est rerum gestarum, primo ante exitum ad cap. 11. vbi est occasio liberationis. c. 1. & præparatio mediorũ cap. seqq. deinde in exitu ipso & ab exitu, donec Israelitæ ad montem Sinai, vbi lex data est, peruenerunt, ad cap. 19.

Pars dogmatica exponit leges à Deo traditas, vbi est I. Præparatio. c. 19. II. Legum traditio & sanctio; moralium c. 20. iudicialium ad cap. 25. ceremonialium ad 32. III. Obsequium legibus præstitum à c. 32. ad finem vsque.

Hic liber proponit tria capita insignia; quorum primum est de miseria populi Israelitici; secundum de liberatione diuina; tertium de modo exercendæ gratitudinis, cuius proponitur norma, quæ est lex, & exemplum populi obseruantis legem. *Præcipua capita Exodi.*

His adde I. Historiam de agno Paschali. c. 12. II. Canticum Eucharisticum c. 15. III. Decalogum. c. 20.

IV. Politiam Mosaicam. V. Insignem Dei descriptionem. c. 34.

Regulæ hic notentur istæ: *Regulæ speciales facientes ad Exodi explicationem.*

I. Diaboli opera possunt nobis esse mira, & sua natura non sunt miracula.

II. Aliud est mentiri, aliud celare veritatem.

III. Sancti sæpe imposuerunt liberis suis nomina tanquam μνημόσυνα beneficiorum Dei.

IV. Distinctio Iudæis approbata & authentica est, non ea quæ fit per פתוחה *Pethuchah* שׁשרמה *Sethumah*, sed quæ fit per *Sophpasuk*.

V. Sabbatum est sanctum, cum nos sumus sancti.

VI. Sabbati præceptum est μικτόν, ceremoniale & morale.

VII. Miracula Mosis, fuere typi miraculorum Christi. Hi duo fuerũt similes, non pares. Huc pertinet comparatio Mosis & Christi.

Moses.	*Christus.*
I. Lætum nuncium attulit Israe-	I. Lætum nuncium attulit omnilitis,

litis, de ipsorum liberatione. *Exod.* 4.*v.*28.*c.*6.*v.*2.	bus electis, de ipsorum liberatione ex Ægypto spirituali. *Matth.* 4.*v.*17. *Luc.*4.*v.*16.
II. Multa fecit miracula in Ægypto, in transitu per mare rubrum, & in deserto.	II. Christus innumera fecit miracula. *Matt.*11.*v.*45. *Ioh.*3.*v.*1.2. *Heb.* 2.*v.*14.15.
Moses fuit mediator typicus. III. Legem à DEO accepit, & fuit N.T. mediator. *Exod.c.*31.*v.vlt.* *c.*34. *Act.*7.*v.*38. *Gal.*3.*v.*19.	III. Legem nouam inscripsit cordibus nostris, & fuit Mediator noui fœderis. *Ioh.*1.*v.*17.18.
IV. Fuit fidus in tota domo DEI.	IV. Fuit fidus in domo Patris sui. *Hebr.*3.*v.*2.
V. Sacrificia instituit.	V. Sacrificauit seipsum.
VI In deserto exaltauit serpētē.	VI. Christus exaltatus est. *Ioh.*3.
VII. Carnes impetrauit populo.	VII. Pauit aliquot millia hominum paucis panibus & piscibus.

Semper tamen obseruetur hæc differentia; Christus est architectus domus Dei, est Deus, est filius, atque hæres & Dominus domus: at Moses est tantum lapis in domo, est merus homo, est seruus. *Hebr.*3.

VIII. Induratio actiua est pœna peccati antegressi, ideoque bona; passiua, est ipsissimum peccatum

IX. Deus delet aliquem de libro vitæ, cum illum ibi non scriptum esse declarat.

X. Mandata Dei non ostendunt quid possimus, sed quid debeamus.

XI. Cum ponitur ab initio capitis formula ista: Et factum est verbum Domini: vocula *&*, vel connectit illud caput cum superiori, vel denotat post visionem in corde scribentis, factum esse verbum Dei ad illum.

Leuiticus.

Nomen. Hebræi hunc librum ab initio vocant ויקרא *Vaiikra*, aduocauit: Græci & Latini Leuiticum ab argumento appellarunt; quia sacerdotium tribus Leuiticæ hic describitur. Germani vocant librum tertium Mosis ab

Author. ordine & authore, quem esse Mosen constat.

Finis. Hic liber est descriptio iuris sacri & legitimi, quod Deus priscæ Iudæorum Ecclesiæ imperauit, dum complementum illarum rerum omnium exhiberetur in Christo. Finis itaque Mosi propositus, fuit populum manuducere ad sacrificium Christi. Huic accedit ille, qui est *Leuit.* 11.*v.*44. Sancti estote, quia ego sanctus sum. Vide *cap.*20.*v.*26.

Summa. Argumentum libri huius est, Mosem hoc loco totum ius rerum diuinarum, sacrarumque ceremoniarum, ad personas, res & actiones pertinentium in prisca Dei Ecclesia complecti hoc libro, prout singula ipsi à Deo fuerant imperata, mensis vnius spatio, donec Deus ad instituendam Remp. Israelitarum transiret, quod factum est inde à primo die primi mensis,

mensis, ad primum vsque secundi mensis, anno secundo ab exitu ex Ægypto. Continet igitur hic liber historiam vnius mensis.

Tres sunt huius libri partes. I. est de rebus sacris 7. capitibus. II. de iure sacro personarum, inde ad cap. 15 nempe 8. capitibus. III. de actionibus ad res & personas sacras communiter pertinentibus inde à cap. 16. ad finem vsque libri. *Dispositio.*

Præcipua doctrinæ capita in hoc libro, sunt de obedientia, quam Deo debemus, qualiacunque etiam ille nobis imponeret; de discrimine V. & N. T. de vsu legis ceremonialis in veteri populo; de gradibus consanguinitatis. *Præcipua capita.*

Regulæ facientes ad interpretationem huius libri sunt. *Regulæ.*

I. Epistola ad Hebræos, est commentarius in Leuiticum.

II. Non omnium legum forensium & ceremonialium ratio est scrupulosius inquirenda. Interdum tamen potest adferri ratio probabilis.

III. Deus illa animalia prohibuit Iudæis, quæ vel non erant salutaria, vel gentilibus erant in delitiis.

IV. Singulæ Leuitici syllabæ spirant cœlestia sacramenta, teste Hieronymo. Ratio; quia proponuntur typi, vmbræ, figuræ, & picturæ sacerdotii Christi.

V. Ea quæ in Leuitico recitantur ad tres classes reduci possunt. In prima classe sunt sacrificia expiatoria, quæ significant sacrificium Christi. In secunda classe sunt sacrificia eucharistca, sanctificationes Leuiticæ, & aliæ ceremoniæ, quæ docent hominem sua natura esse immundum. In tertia classe sunt varii ritus de vsu & esu certorum animalium, de decimis, & similibus, quibus Deus voluit populum suum à gentibus discernere. Omnia autem illa huc tendunt: Voluit Deus Israelitas per hanc externam disciplinam continere in officio pietatis. *Tres classes eorum, quæ in Leuitico recitantur.*

VI. Israelitæ necesse habuerunt frænari ceremoniarum multitudine & difficultate. Nam in Ægypto viderunt ceremonias Ægyptiorum, qui omnium gentium fuere superstitiosissimi. Harum memoria se titillabant Israelitæ, qui & ipsi proni ad idololatriam. Deus igitur voluit illos demere. Accedit & hæc causa. Isto tempore fuit quædam quasi infantia Ecclesiæ, quæ talibus crepundiis fuit demulcenda. Viderint ergo Papistæ, quid faciant, quando ceremonias Leuiticas reuocant. Prope dixerim illos Iudaizare. Sed st?

VII. Deus separauit Israelitas ab omnibus aliis gentibus; quia Messias ex illis nasci debebat.

VIII. Quæ occurrunt de ceremoniis, sunt explicanda allegorice, si commode fieri possit. Exempli gratia, animalia ruminantia sunt munda, quia puris vescuntur cibis; at illa, quæ non ruminant, vt plurimum sordibus pascuntur: ita & illi, qui non ruminant verbum Dei, sunt immundi.

IX. Quæ

IX. Quæ in Leuitico occurrunt, possunt vel ad Christum referri, vel ad Christianos, vel ad Christum & Christianos simul. Sic verbi gratia, multa quæ de Sacerdotibus dicuntur, de Christo, tanquam capite, & de nobis, ceu membris, exponi possunt mystice. Nam & nos sumus sacerdotes Dei.

Numeri.

Inscriptio. Inscriptio huius libri apud authores variat. Hebræis nunc *liber quartus Mosis* ab ordine & authore fuit appellatus: nunc à voce quinta primi versus במדבר *Bammidbar*, in deserto; quia res in deserto gestas, Moses hoc libro complexus est, ad illud vsque tempus, quo pedem posituri Israelitæ in possessionem terræ Chanaan videbantur. Apud Græcos ex argumenti potiore parte factum est, vt Ἀριθμοὶ, *Numeri*, vel Numerorum liber diceretur, eo quod & frons libri, & bona pars eius in recensionibus consumatur.

Author. Author est Moses, qui & rogante populo Israelitarum, id est, Ecclesia vniuersa *Exod.* 20. & *Deut.* 2. & Deo probante atque sanciente ἀρχιγραμματεὺς, siue notarius publicus institutus est, cuius scripta, Deo authore & assistente facta & sancita, authoritatem diuinam in Ecclesia obtinerent.

Finis. Finis singularis est, vt ex historia tota triginta octo annorum hoc libro comprehensa, tum veritas Dei in beneficiis iudiciisque recognoscatur constantissima, tum & ex Ecclesiæ illius, quæ nostræ typus est, historia, conditionem & modum Ecclesiæ nostræ, & nostrum omnium recognoscamus, eoque cognito, iudicia Dei fide & resipiscentia præuertentes, in gratia & veritate illius conquiescamus, tanquam populus ipsius.

Summa. Summa est, Deum constituta Repub. Israelitarum, qua in rebus humanis, qua in sacris diuinisque, libro Exodi atque Leuitici, ordinem hoc libro instituisse ad profectiones populi sui necessarium, profectionibusque singulis præfuisse singulariter, nec non rationem præscripsisse earum rerum omnium, quas præstitui necesse fuerat, antequam filios Israel in possessionem terræ promissæ mitteret: quæ res gestæ sunt inde à principio mensis secundi anno secundo, postquam exiuissent Israelitæ ex Ægypto, ad ineuntem vsque mensem vndecimum anni quadragesimi. Prior enim terminus huius περιοχῆς principio huius libri, posterior principio Deuteronomii expressus est.

Dispositio. Partes tres sunt. 1. est iusta dispositio ad profectionem ex deserto Sinai, vbi Resp. & Ecclesia Israelitarum erat constituta: primis decem capitibus. 2. est historia profectionum à monte Sinai ad solitudinem vsque Moab & confinia Chanaan: vndecim sequentibus captibus ad cap. 21. vsque. 3. est dispositio Israelitarum in adeunda hæreditate, rebusque omnibus ad leges hæreditatis illius capessendę pertinentibus: ad finem libri.

Præcipua Res gestæ nobiliores, sunt transgressiones & murmurationes populi,

item pœnæ consecutæ; bella contra hostes; hostium conatus, inprimis Bileami; Mosis fortitudo & cōstantia. Doctrinæ illustriores sunt duæ, de Ecclesia, & Politia. De Ecclesia quidem, quod crescat mirabiliter, etiam in mediis afflictionibus: quod sit ambulatoria, quod ordinis & legum amans, quod cum variis confligetur hostibus, & variis exornetur victoriis; denique quod laboret variis infirmitatibus. De politia vero, quod circa Ecclesiam debeat castra metari, & suam ab ea salutem sperare. *capita.*

Regulæ huius loci sunt. *Regulæ.*

I. Praxis libri Numerorum, est argumentatio à minori ad maius: Dominus in numerato habet omnes homines. E. multo magis electos suos. Ille est liber prouidentiæ, iste prædestinationis.

II. Non numerantur mulieres, non pueri, non Ægyptii, vt significetur, instituta muliebria, puerilia, & Ægyptiaca, hoc est, impia, Deo non probari. Sic *Rabanus*.

III. Preces sanctorum sunt armatæ.

IV. Pseudoprophetæ sæpe inuiti vera prædicunt, vt videre est in Bileam, cuius Prophetia *cap.* 24. est προφητικωτάτη. Et hæc prophetia annotata videtur à discipulis Magorum in Chaldæa, & ab iis transmissa ad Persas, qui ex illa collata cum stella collegerunt Messiam esse natum.

V. In Ecclesia Dei omnia fieri debent εὐτάκτως καὶ εὐσχημόνως.

VI. Deus est medicus mirabilis. Nam per quod vulnerat, per idem sanat. Adam & Eua vulnerati sunt per serpentem. Serpens in deserto erectus, fuit typus Christi, idemque medicina extitit omnibus iis, qui illum adspexerunt. Sic per mulierem virginem (nam verisimile est, Euam virginem lapsam esse) intrauit mors, & per mulierem venit vita.

VII. Formula solennis benedictionis, qua vti debent ministri verbi Dei, est *cap.* 6. breuissima illa & plenissima.

Deuteronomium.

Hebræi hunc librum, ex ordine dixerunt librum legis, seu Pentateuchi quintum. A principio libri appellarunt אלה הדברים *Elle haddebarim*, aut breuitatis causa, דברים *Debarim*. Ex argumento vocarunt משנה, *Mischneh*, id est, repetitionem legis: quemadmodum & ab eodem quoque argumento Græci δευτέρωσιν, δευτερώσεις, δευτερόνομον & δευτερονόμιον nuncuparunt. Latinis vocatur deuteronomus, & vulgo deuteronomium, voce Græca assumta in ciuitatem Latinam. Rabbini vocant etiam interdum ספר תוכחות *Sepher Thochechoth*, hoc est, librum reprehensionum, increpationum, quia Moses ab initio increpat populum. *Inscriptio.*

Author huius libri fuit Moses, tanquam notarius & actuarius publicus à Deo principe, & ab Ecclesia contrahente constitutus. Historiam mortis Mosis videtur Iosua addidisse, vel Moses spiritu Prophetico conscripsisse. *Author.*

Scopus. Finis singularis huius libri perscribendi tradendique est, vt lex ante à Deo tradita, hac noua iteratione amplius cōfirmaretur, declararetur, & præsenti Israelitarum conditioni applicata in hoc libro à Mose habeteretur. Quæ res etsi facto particularis Israelitarum fuit, iure tamen, & ratione communi ad Ecclesiam catholicam pertinet, membraque singula ipsius.

Summa. Argumētum huius libri est, Deum per Mosen præparare populum repetitione beneficiorum ipsi collatorum, & exponere officium ipsius ex lege, quam obseruarent in terra promissa; & hortari promissionibus ac minis; atque confirmare, adeoq; amplius obstringere, noua fœderis, stipulationum, sponsionumque redintegratione per Mosen, donec ex viuis per voluntatem Dei excederet.

Partitio. Partitio huius libri duplex esse potest, vna à tempore, altera ab argumento. A tempore hoc modo. Historia Deuteronomii pauculorum fuit dierum. I. Pars continet historiam diei primi mensis vndecimi, an. 40. ab exitu ex Ægypto, quatuor primis capitibus. II. historiam diei 2. inde ad cap. vndecimum. III. historiam dierum, vt probabile est, ad summum quatuor, inde à cap. 12. ad 26. IV. historiam diei vnius. c. 27. 28. V. item diei vnius. c. 29. 30. VI. item diei vnius. c. 31. & seqq. VII. historiam luctus. c. vlt. Huius rei probatio ex historia Iosuæ petitur, si diuerso ordine à die Paschatis retro ascenderis. Nam in terra Chanaan primum Pascha celebratum est anno 41. ab exitu ex Ægypto, die 14. mensis Nisan. *Ios. 5.* Ante fuerant circumcisi Israelitæ, & quatriduum credibile est occuparit: dies vnus in transitu Iordanis: tum biduum in præparatione. His iungatur tempus explorationis: postremo 30. dies luctus: & sic diuerso ordine progredientes, certo deprehendemus, historiam Deuteronomii pauculorum dierum fuisse. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Iudæi putant hunc librum prælectū fuisse populo XI. diebus, ideoque illum in XI. lectiones diuiserunt.

Ex argumento partes huius libri constitui possunt quatuor. I. Est repetitio beneficiorum Dei, quibus populus conuincitur ingratitudinis, & officii monetur, quatuor primis capp. II. Repetuntur leges; morales, ceremoniales & iudiciales, ita vt à c. 5. ad 20. tabula prima cum legibus ceremonialibus ad eam pertinentibus explicetur; à 20. cap. ad 26. tabula secunda, vna cum legibus iudicialibus, de rebus bellicis, de libello repudii, & similibus, quæ explicant secundam tabulam. III. Est confirmatio rerum antecedentium, signis, promissionibus, comminationibus, redintegratione fœderis, & certa vsus eius explicatione, inde à cap. 27. ad 31. IV. Historia reliqua, ad & post mortem Mosis: inde ad finem vsque libri.

Præcipua capita. Præcipua huius libri capita sunt. I. De repetitione & ruminatione verbi Dei. II. De magistratu. III. De bello. IV. De gratitudine Deo debita. Historiæ insigniores sunt, occupatio terræ Chanaan, & carmen Mosis

sis προαγώνιον, quo agit gratias Deo, & benedicit singulis tribubus, & denique mors Mosis.

Regulas hoc loco nota istas. Regulæ.

I. Deuteronomium est veluti Testamentum Mosis, quod ille, tanquã fidelissimus Dei seruus, & intimus quasi consiliarius, populo reliquit. Nã multi non viderant omnia gesta Dei per 40. an. multi non satis attendebant. Est etiam commentarius, leges repetens & explicans.

II. Ingenium humanum tale est, vt illi Deo imputent, quod ipsi cõmittant. Deus talis videtur nobis, quales nos sumus. Cũ nos simus fœdifragi, id Deo imputamus.

III. Promissiones temporales intelligendæ sunt cum exceptione crucis.

IV. Deus tentat hominem, sed ad bonum: Diabolus tentat hominem, sed ad malum.

V. Deo libera est suæ legis dispensatio, seu exceptio, semper tamen sancta.

CAP. CXIX.

Character Triteuchi.

C*Haracter Triteuchi est libri Iosuæ, Iudicum, & Rutha.*

Liber Iosuæ.

Liber Iosuæ quibusdam videtur scriptus ab ipso Iosua, quia inscribitur eius nomen. Sed hæc ratio nulla est. Nam liber Iudicum, itemque libri Samuelis & Regum sic inscribuntur, neque tamen ab illis authoribus scripti sunt. Alii statuunt ab Eleazaro, summo Sacerdote, collectas fuisse rerum summas, è quibus volumen hoc fuerit confectum. Propriæ enim illius partes fuerunt, non solum Ecclesiam suæ ætatis viua voce docere, sed etiam ad posteros testatam facere Dei gratiam in conseruanda illa Ecclesia. Et certe antequam degenerassent Leuitæ, fuerunt ex illo ordine actuarii, qui in perpetua monumenta referrent, quidquid memoratu dignum erat in Ecclesię gubernatione. *Inscriptio & author.*

Finis huius libri est, ostendere, Dei fidem nunquam intercidere. Ipse enim seruauit promissionem, quinque Patriarchis factam. *Finis.*

Hoc libro narratur, quomodo Iosua populum deduxerit in terram promissionis, & eam expugnatis vrbibus hostium, & hostibus profligatis, distribuerit inter Israelitas; quibus additur historia mortis Iosuæ. *Summa.*

Continet hic liber historiã de rebus gestis in populo Dei à morte Mosis vsque ad mortem Iosuæ: vbi I. est præparatio populi ad possessionem terræ Chanaan adeundam, à cap. 1. ad 6. & nominatim describitur vocatio & confirmatio Iosuæ, emissio exploratorum, transitus Iordanis, nouũ *Diuisio.*

circumcisionis intermissæ per 40. annos mandatum & Paschatis celebratio. II. Est historia, de expugnatione multarum vrbium, multorumque regum deletione, à cap. 6. ad 13. III. Describitur diuisio terræ Chanaan, à cap. 13. ad 23. IV. Describitur oratio Iosuæ ad populum, & mors illius duobus capitibus postremis.

Præcipua capita. Præcipuæ huius libri historiæ, sunt de vocatione Iosuæ, de transitu per Iordanem, de occupatione & diuisione terræ promissæ, & denique de morte Mosis. Doctrinæ illustriores sunt, de veracitate Dei, de timore Dei, de bello & iure belli, de anathemate, de sortibus.

Regulæ. Regulæ facientes ad huius libri intelligentiam, sunt.

I. Politia Israelitica fuit conseruata propter Messiam.

II. Deus pugnat pro suo populo, quando populus Dei pugnat contra hostes Dei.

III. Iosua fuit typus Christi, vt vel solum nomen arguit, & inprimis duo illa miracula, diuisio Iordanis, & ruina mœniorum Hierichuntis, & denique introductio in terram. Moses non introduxit populum sed Iosua: sic lex Mosis nos non introducit in requiem æternam, sed Euangelium Christi.

IV. Verisimile est, reges Hierosolymorum dictos fuisse Adonizedek, ita vt æmulati sint terminationem nominis Melchisedek. Ita reges Ægypti primitus appellati fuerunt Pharaones, postea Ptolemæi, ita tamen vt habuerint nomina Διακριτικά, vt Pharao Necho, Ptolemæus Philadelphus, vel Philopator, vel Philometor.

V. Eclipsis quædam interdum videtur obscurare fœdus Dei, sed illa non est totalis, neque perpetua. Hic locum habet illud. Quod differtur, non aufertur.

VI. Terra Chanaan est typus cœlestis illius patriæ.

VII. Sortitio facta in diuisione terræ comprobauit vaticinium patriarchæ Iacobi. *Genes.* 49.

LIBER IVDICVM.

Inscriptio. Dicitur liber iudicum, non à causa efficiente, sed à materia circa quam.

Author. Hebræi hunc librum à Samuele conscriptum esse volunt; quæ sententia non est absurda.

Finis. Finis huius scripti est ostendere, quod Ecclesia Dei sua halcyonia habeat à magistratu pio, quodque Deus irascatur ob idololatriam.

Summa. Describitur progressus Reip. Israeliticæ à Iosua vsque ad Samuelem; & is quidem satis felix, ita tamen vt amaroris aliquid habuerit admistum.

Diuisio. Diuidi hic liber potest in tres partes, ita vt tres constituantur classes

iudicum. Prima classis complectitur iudices à Iosua vsque ad Deboram, fœminam, à cap. 1. ad 6. Secunda classis continet iudices à Debora vsq; ad Simsonem, à cap. 6. ad 13. Tertia classis continet historiam Simsonis, & alia quædam, à cap. 13. ad finem vsque. Placuit autem sic informare hanc τριχοτομίαν, quia interualla ista deducuntur à personis notissimis.

Historiæ illustriores, sunt Deboræ, Gedeonis, Iephte & Simsonis. Loci communes præcipui sunt de gubernatione Ecclesiæ, de idololatria, de ira & misericordia Dei. *Præcipua capita.*

Regulæ huius loci præcipuæ sunt istæ.

I. Liber iudicum non abre vocari potest liber de ira & misericordia Dei. Docet enim, Deum grauissime puniuisse idololatriam & scortationem, sed ita, vt pœnitentes adspexerit oculis immensæ misericordiæ suæ. *Regulæ.*

II. Exempla non sunt trahenda in regulam, præsertim si sint extraordinaria & singularia, quale est illud, de regimine Deboræ.

III. Simson fuit typus Christi, hoc modo.

Simson.		Christus.
I. Habuit hostes { *Leonem.* / *Vxorem.* }	*Philistæos.*	*I. Habuit hostes* { *Mundum.* / *Iudam.* / *Satanam.* }
II. Vicit hostes in { *Vita* { *Dictis.* / *Factis.* } / *Morte.* }		*II. Vicit hostes in* { *Vita* { *Dictis.* / *Factis.* } / *Morte.* }
III. Victis iis triumphauit.		*III. Victis hostibus triumphauit.*

Simson etiam fuit typus Ecclesiæ. Nam I. Ecclesia floruit, quam diu retinuit comam auream, h. e. Sacram scripturam. Huc pertinent 7. Ecclesiæ Asiaticæ, de quibus in Apocalypsi. II. Postquam coma illa aurea decidit, incurrit manum Philistæorum, siue Antichristi, atque oppressa fuit longo tempore, vincta vtroque crure. III. Tandem incipit renasci coma, & Ecclesia recuperat robur Simsonium, domumque Antichristi subuertere conatur, etiam prodiga vitæ suæ ad instar Simsonis.

Liber Ruth.

Hic liber nomen habet à Ruth Moabitide, muliere gentili: Moab siquidem fuit filius Lothi. *Genes.* 18. Hebræi hunc librum scriptum esse contendunt à Samuele. *Inscriptio & author.*

Finis huius libelli, est ostendere genealogiam Christi. *cap.* 4. *ver.* 17. itemque salutem ad gentes quoque pertinere *cap.* 1. Nam hic continetur pars genealogiæ Dauidis & Christi, qui ex peccatoribus & peccatricibus nasci voluit, vt illi hoc ipso se erigerent. *Finis.*

Describitur hic miseria Ruthæ, & liberatio.

Partes constitui possunt duæ secundum summam modo indicatam.

Præcipua capita. Loci communes insigniores sunt, de industria œconomica, de castitate viduali & coniugali, de patientia, & de vocatione gentium.

Regulæ. Regulæ hic notentur istæ.

I. Legis & Prophetarum finis est Christus. Hinc illius genealogia quam diligentissime texitur, vt etiam certo libello fœmina illustris Ruth describatur. Dico fœminam illustrem; quia illa est speculum singularis misericordiæ Dei, qui iam tum curam habebat gentium. Nam Ruth gentilis iuncta fuit semini Abrahæ.

II. Virum, cuius nomen celatur, nominatur פלוני *Peloni*; vel etiamsi maxime notus sit illi, qui ipsius meminit, nomine tamen suo si ipsum appellare non libeat, vocant illum *Peloni*. Hæc est obseruatio *R. Dauid* Kimchi in libro radicum, in themate פלא.

CAP. CXX.

CHARACTER OCTATEVCHI.

Character octateuchi iam ordine videndus est.

SAMVELIS LIBER PRIMVS.

Inscriptio & author. Liber hic dicitur Samuelis, non à causa efficiente, sed à parte prima, quæ continet historiam Samuelis. Putant tamen Hebræi Samuelem esse huius libri, vt & seq. authorem quæ sententia falsa est. Vocatur etiam lib. primus regum, quia historiam primi regis, videl. Saulis, continet.

Finis. Finis huius libri est, docere hominum mutabilitatem, & Dei immutabilitatem quæ vtraque in administratione familiæ & regnorum abolitione & constitutione conspicitur.

Summa. Summa describitur, quanam occasione Aristocratia seu potestas iudiciaria sit commutata in monarchicam, seu regiam, & quomodo primus rex constitutus se gesserit.

Dispositio. Partes constitui possunt tres. I. Est historia Samuelis, ad cap. 9. II. Describitur Saulis vita, & ea quidem satis laudabilis, à cap. 9. ad 16. III. Describitur catastrophe regni Saulis, & impia illius vita cumprimis in persequendo Dauidem ad finem libri.

Præcipua capita. Historiæ præcipue sunt de Hanna, de filiis Heli, de Samuele, de Saule, & Dauide. Loci communes principales sunt, de virtutibus matronarum, de educatione liberorum, de rege & subditis, de persecutione & liberatione piorum.

Regulæ. Regulæ hic obseruentur istæ.

I. Samuel est alter Moses. Institui igitur potest collatio vtriusque.

II. E

II. Ex historia huius libri, vt & sequentium, discimus Dei prouidentiam esse gubernatricem omnium rerum, magnamque esse hominum imprudentiam.

III. Carmel Hebræis significat, vel certum montem, vel quemlibet locum montanum cultum & arboribus consitum.

IV. Qui non faciunt Dei voluntatem, de iis fit Dei voluntas.

Liber secundus Samuelis.

Dicitur secundus liber Samuelis, non quod à Samuele sit conscriptus, vt existimant Hebræi, sed ab vno ex discipulis Samuelis, vel à summo Sacerdote, qui honoris ergo nomen magistri imposuit. Dicitur etiam liber secundus regum, quia rationem regni sub Dauide secundo rege enarrat. *Inscriptio & author.*

Finis, est confirmare veracitatem Dei in suis liberandis & ostendere piorum felicitatem in hac vita temperari multis calamitatibus. *Finis.*

Recitatur hic historia de translatione regni à familia Saulis in familiam Dauidis, Regis & Prophetæ piissimi, & illius vita publica describitur. *Summa.*

Partes constitui possunt tres. I. Est de vocatione & felici successu Dauidis ad cap. 11. II. De peccatis Dauidis, & pœna peccatorum, inde ad cap. 22. III. De præparatione Dauidis ad mortem à cap. 22. ad finem. *Partitio.*

Historiæ præcipuæ sunt de electione Dauidis, de adulterio & homicidio ipsius, de Nathane Propheta, & Absolomo, & numeratione populi. Doctrinæ illustriores sunt de immutabilitate Dei in promissis seruandis, de officio & idea regis boni, de imperfecta electorum regeneratione, & de paternis castigationibus illorum. *Præcipua capita.*

Regulæ hoc loco sunt istæ. *Regulæ.*

I. Liber secundus Samuelis est egregius commentarius de vicissitudine misericordiæ & iræ Dei Patris nostri cœlestis.

II. Qui volunt cadere cum Dauide, cum eo quoque debent surgere.

III. Dauid est idea regis pii, & typus Messiæ. Vtiliter itaque instituitur collatio Dauidis & Messiæ: Dauidis item & Mosis.

IV. Dauid Herosolymam delegit regiam & metropolim. 1. Q. erat in medio tribuum. 2. Q. erat loco excelsiori. 3. Quia Sem sub nomine Melchisedec olim ibi regnauerat. 4 Q. præuidit, Messiam olim ibi regnaturum in ligno & corona spinea.

V. Dauid vngitur in regem mille annis ante baptismum Christi. Regnauit annis ferme totidem, quot vixit Christus. Vngitur in regem natus annos 30. sicut Christus anno 30. ætatis est baptizatus.

Liber primus Regum.

Liber primus regum sic dicitur, quia de regibus Iudæ & Israelis tractat.

Inscriptio & author. ctat. Primus dicitur, si antegressos duos vocemus libros Samuelis. At vero si illos placeat appellare, vt vulgo fit, libros regum, hic dicetur tertius regum. Hunc librum Hebræi scriptum volunt à Ieremia. Et certe probabile est, summos Sacerdotes & Prophetas fuisse publicos actuarios, qui historiam Ecclesiæ in archiua, vt sic dicamus, retulerint. Probabile etiam est hunc & sequentes libros à pluribus esse collectos.

Finis. Scopus libri est, ostendere rerum humanarum inconstantiam, & vicissitudinem mirabilem.

Summa. Describitur regnum vnicum adhuc sub Salomone, scissum post eius mortem. Complectitur autem res gestas quinque regum Iudæ, à Salomone ad Iosaphatum inclusiue, & octo regum Israelis, à Ieroboam ad Achab itidem inclusiue.

Partes. Duobus modis œconomia huius libri potest institui. Primo duæ partes constitui possunt, quarum prima sit de morte Dauidis, ad v. 12. c. 2. Secundo de rebus gestis post Dauidem, & iis quidem vel ante regni diuulsionem, sub Salamone ad cap. 12. vel regno iam diuulso ad finem libri.

Deinde potest diuidi in historiam. I. Ante ædificationem templi, vbi de Dauidis senio & morte, de Salamonis inauguratione, sapientia, iustitia & gloria, ad c. 5. II. In ædificatione templi, vbi de materia & forma illius. à cap. 5. ad 8. III. Post ædificationem, vbi sunt facta Salomonis, Roboami, Abiæ, Asiæ, Iosaphati & Achabi, &c. ad finem libri.

Præcipua capita. Historiæ insigniores sunt de Salomonis magnificentia, de templo, de peccatis Salomonis, de separatione regni Israel à regno Iuda, de Achabo & Iesabele, de Propheta Elia. Loci communes præcipui sunt de solicitudine quam Reges gerere debent, vt idoneus hæres succedat, de præparatione ad mortem, de modo acquirendi sapientiam, de regeneratione piorum, in hac vita imperfecta, de idololatria, de mutationibus regnorum, de idea Prophetæ boni.

Regulæ. Regulas hic adscribere placet istas.

I. Salomon fuit typus Messiæ, si spectes nomen & præclara ipsius facta.

II. Rebus in obscuris quod minimum est, sequimur. Cum igitur obscura sit quæstio, de conuersione Salomonis, nostrum fuerit id sequi, quod minimum est, videlicet illum resipuisse ante obitum.

III. Huc referendæ sunt regulæ Chronologicæ, de quibus supra: vt conciliare possimus discrepantias de annis regum.

Liber secundus Regum.

Nomen & author. Dicitur liber secundus regum, si antecedens dicatur primus; at quartus regum dicitur, si liber primus Samuelis dicatur primus Regum. Hunc librum Hebræi à Ieremia scriptum esse tradunt, vt & superiorem.

Finis huius libri est, ostendere miram vicissitudinem rerum humanarum sub directione Dei, per quem reges regnant. *Finis.*

Describuntur hic res gestæ sedecim regum Iudæ, à Ioramo vsque ad Sedekiam, & duodecim regum Israel, ab Achazia vsque ad Hoseam. *Summa.*

Partes possunt esse hæ. I. De regno Iudæ & Israelis simul florente, ad cap. 17. II. De captiuitate Israelis Assyriaca & perpetua cap. 17. III. De regno Iudæ post captiuitatem Israelis; & eo quidem ante captiuitatem Babylonicam ad cap. 24 in captiuitate priore cap. 24. & posteriore cap. 25. *Oeconomia.*

Historiæ nominatissimæ huius libri sunt de abductione Israelitarum in captiuitatem Assyriacam, de Elia & Elisæo, & de abductione Iudæorum in Babyloniam. Doctrinæ præcipuæ de seuero Dei iudicio in impios, de rara pietate magnatum, de idololatria, de pietate heroica quorundam regum. *Præcipua capita.*

Regulæ præter Chronologicas supra allatas, sunt: *Regulæ.*

I. Ecclesia Dei in his terris militans non semper floret, nunquam tamen extinguitur.

II. Peccata non sunt paria. Sunt enim varii illorum gradus. Sic in hoc libro describuntur reges impii, vt plerique reges Israel, & impiissimi, vt Ioas & Manasses. Sic etiam sunt gradus pietatis. Ita Iosias & Ezechias fuerunt piissimi, quidam reges Iudæ fuerunt pii.

III. Manasses est speculum peccatoris in summo gradu mali, sed in gratiam recepti.

IV. Prophetæ multi sub regibus Israel sunt martyrio coronati. Ergo martyrii corona est nota Ecclesiæ potius, quam amplitudo & felicitas.

Chronicorum liber prior.

Hic liber dicitur primus Chronicorum, q. d. annalium. Hoc sensu Hebræis appellatur hoc titulo: דברי הימים *Dibre haiamim*, verba dierum, quia est quasi diarium, in quo consignata sunt gesta & facta regum. Quidam putant hunc librum vna cum sequenti esse illum, de quo fit mentio in libris Regum: *Nonne* hæc sunt scripta in libro verborum dierum regum Iuda? Dicitur etiam liber paralipomenon; quia tractantur ea, quæ in libris Regum sunt relicta seu omissa. De authore nihil certi potest tradi. Ab Ezra, vel summo sacerdote scriptus videtur. *Inscriptio & author.*

Hoc nomine liber hic est traditus Ecclesiæ, vt de genealogia Messiæ aliquid certi posset sciri, & vt haberemus Chronologiam sacram. *Finis.*

Hic liber est Chronicum Geneseos, Exodi, reliquorum librorum Mosis, Iosuæ, Iudicum, & duorum librorum Samuelis. *Summa.*

Partes libri sunt duæ. I. Recensentur Patres & Patriarchæ ab initio mundi, & familiæ duodecim tribuum Israel, ad cap. 12. II. Texitur historia Dauidis; à c. 12. ad finem vsque libri. *Partitio.*

Præcipua capita. Historiæ præcipuæ ſunt de catalogo Patrum, Iudicum & 12. tribuum. Doctrina principalis eſt de linea ſeu genealogia Chriſti.

Regulæ. I. Nomina propria & illorum recenſiones in hoc libro arguunt Dei prouidentiam & paternam curam, qui ſuorum electorum tam accuratam habuit rationem. vt illorum nomina voluerit conſignare non ſemel, ſed iterum iterumque.

II. Ordo XII. tribuum Iſrael notari debet propter Apocalypſin. Peculiariter hic notetur, clauſulam orationis Dominicæ deſumtam videri è *cap.* 29. *v.* 11.

Chonicorum liber Poſterior.

Inſcriptio & author. De inſcriptione & authore huius libri, vide quæ diximus ad priorem.

Finis. Hic liber eſt Chronologia ſacra, è qua diſcere debemus prouidentiam Dei eſſe architectonicam omnium rerum bonarum & malarum; è quibus illas efficit & dirigit, has non efficit quidem, ſed dirigit.

Summa. Hoc libro Ezra, vel quicunque tandem illius author fuerit, percurrit progreſſum & finem regni Iudæ, inde à Salomone vſque ad annum reditus à captiuitate Babylonica ſub Cyro.

Partitio. Partes ſunt duæ. Prima eſt hiſtoria regum à Salomone vſque ad captiuitatem Babylonicam, à cap. 1. ad vltimum. Secunda eſt de captiuitate & eius ſolutione cap. vltimo.

Hiſtoriæ, doctrinæ & regulæ ſunt eædem, quæ fuerunt in libro 1 & 2. Regum.

Maioris tamen lucis ergo paulo clarius proponam quaſdam regulas Chronologicas, quam ſupra factum.

I. Tempus incompletum nonnunquam vocibus completis exprimitur: vt anni nominantur integri, cum eis plures menſes deſint. vide 1. *Reg.* 15. de Abiam & Ieroboam.

II. Interdum filius regno maturus cum patre iam ſenio confecto & imbecillo communiter regnum adminiſtrauit: illudque communis regni tempus iam patri, iam filio tribuitur. Vide 2. *Reg.* 1. *&* 3. de Ioram.

III. Nonnunquam tempus interregni, & præcedenti, vel ſequenti regi tribuitur. 1. *Reg.* 16. de Amri.

Liber Ezræ.

Inſcriptio & author. Hic liber Ezræ Hebræis dicitur primus, & liber Nehemiæ illius dicitur Ezræ ſecundus: qui duo in vnum librum apud Hebræos coarctantur. Iuſto autem ordine hi duo libri ſequuntur libros Regum & Chronicorum. Vbi enim hi deſinunt, ibi illi incipiunt, & recitant geſta in populo Dei poſt captiuitatem Babylonicam. Nam Ezra & Nehemias, quos tradunt fuiſſe ſcribas Ieremiæ, reducunt populum è captiuitate Babylonica,

& instaurant ciuitatem & templum. Incipit autem hic liber iisdem verbis, quibus desinit secundus Chronicorum, vt vel idem vtriusque author indicetur, vel ordo historiæ ob oculos ponatur. Pars autem huius libri, vt & sequentis, fuit scripta lingua Chaldaica, vt & Babylonii legere possent. *Qui fuerit Ezra indicatur c. 7. v. 1. 10. 11.*

Hic liber scriptus est, vt ex illo Ecclesia certior redderetur de veracitate Dei, qui longe ante promiserat, se populum suum reducturum è Babylone. Res erat incredibilis, Babylonem, quæ caput orbis erat, aliquando capiendam esse. Sed cum tempus fatale appeteret, Deus nullo negotio id perfecit, & populum suum liberauit. *Finis.*

Hic liber continet historiam Iudæorum reducum inde ab edicto Cyri vsque ad decimum nonum annum Artaxerxis Mnemonis. *Summa.*

Partes libri tres sunt. I. Est historia de edicto Cyri & illius executione. c. 1. 2. 3. II. Est de impedimentis, quæ Iudæis obiecta sunt c. 4. III. De impedimentis amotis, ad finem libri. *Diuisio.*

Historiæ nobiliores sunt de Cyro Zorobabele, Dario Notho, & Ezra. Doctrinæ sunt de veritate & certitudine promissionum Dei, de summa difficultate qua res diuino cultui dicantur, de Antichristo, & de reformatione Ecclesiæ. *Præcipua capita.*

I. Liberatio populi è Babylonico exilio, & reditus in patriam, typus fuit liberationis Ecclesiæ per Christum, sicut & eductio ex Ægypto. Itaque & Cyrus gessit typum Christi. *Regulæ.*

II. Magistratus debet esse nutritius Ecclesiæ, vti Cyrus fuit.

III. Ezra fuit idea veri reformatoris Ecclesiæ.

IV. Vnius afflictio est alterius liberatio. Iudæi fuerunt abducti in captiuitatem. Hæc erat illis afflictio. At Gentibus profuit. Notetur igitur hic mirabile Dei iudicium erga Iudæos, & beneficium erga gentes per captiuitatem illam. Nam gentes multa didicerunt à Iudæis. Fuerunt hæc præludia vocationis gentium Catholicæ.

V. Stylus libri Ezræ bonam partem est aulicus. Habentur enim hic multa edicta, responsa & rescripta regum Persidis, & Iudæorum.

Liber Nehemiæ.

Hic liber dicitur Nehemiæ, ab authore: itemque Ezræ secundus, quia ab Ezra cœpta historia hic continuatur. Nehemias primo fuit pincerna regis Artaxerxis Mnemonis in Persia. Postea missus est à rege, vt ciuitatem instauraret. *Inscriptio & author.*

Scopus libri est, pingere faciem Ecclesiæ, quod illa in mediis tribulationibus stet immoto pede, quodque in rebus secundis suos etiam experiatur angores. *Finis.*

Describitur instauratio Hierosolymorum, correctioque reducis populi, & labentis cultus. *Summa.*

Partitio. Partes libri tres sunt. I Oratio Nehemiæ ad Deum pro Iudæis cap. 1. II. Dimissio Nehemiæ in Iudæam. c. 2. III. Facta in Iudæa; videlicet restauratio ciuitatis, cultus diuini reformatio, legis prædicatio, & fœderis renouatio à c. 3. ad finem.

Præcipua capita. Loci communes præcipui sunt, de officio magistratus pii, de reformatione Ecclesiæ, & de hostibus populi Dei.

Regulas notabis hoc loco istas.

Regulæ. I. Sine religione & verbo Dei omnia replentur erroribus.

II. Hostes, qui subinde populi Dei conatum laudabilem impediverunt, sunt typus Antichristi.

III. Nehemias est idea veri reformatoris Ecclesiæ.

Liber Estheræ.

Inscriptio & author. Liber Estheræ sic dicitur ab Esthera, cuius historia hic præcipue commemoratur. Videtur scriptus ab Ezra, vel Nehemia. R. Moses contendit ipsum esse scriptum à viris synagogæ magnæ, Philo putat esse compositum à Sacerdote Ioachim. R. Abraham vult, ipsum Mardochæum esse authorem, idque probat è c. 9. v. 10.

Finis. Hoc libro commonstratur prouidentia Dei exerto quasi digito, in liberanda Ecclesia sua, & perdendis illius hostibus.

Summa. Commemorantur hic ea, quæ Iudæis tempore Assueri memorabilia acciderunt: puta euectio Estheræ, Hamanis exitiale in Iudæos consilium, liberatio Iudæorum, & Mardochæi administratio.

Dispositio. Hic liber potest diuidi duobus modis. Primo ratione personarum, quæ sunt Assuerus. c. 1. Esther. c. 2. Haman. c. 3. Esther & Mardochæus, inde ad finem. Deinde hæc historia ad instar comœdiæ potest diuidi in certos actus. I. Actus est c. 1. de conuiuio. II. De puellarum delectu. c. 2. III. De Hamanis dignitate. c. 3. IV. De luctu Mardochæi & Estheræ intercessione. c. 4. 5. V. De regis solicitudine. c. 6. VI. De Hamanis & sociorum ipsius internecione. c. 7. 8. 9. VII. De Mardochæi dignitate. c. 10.

Præcipua capita. Historiæ præcipuæ sunt de conuiuio Assueri, de Hamanis superbia & pœna. de euectione Estheræ & Mardochæi. Loci communes sunt, de miseria & liberatione Ecclesiæ, hostiumque illius euersione.

Regulæ. *Regulæ hoc loco sunt istæ:*

I. Propter Christum conseruata est Ecclesia & politia Iudæorum.

II. Hoc libro non continetur nomen Dei; id quod factum videtur ob Persarum ἰδίαν ἀποθέωσιν. LXX. tamen interposuerunt nomen Dei, vbi argumentum postulare videbatur, vt ne Græci offenderentur, si legerent nomen Dei omissum esse in historia rerum consilio diuino gestarum.

Hic ὡς ἐν συνόψει colligamus præcipuas regulas, quas hactenus commemorauimus.

1. In historiis diuinis primam causam efficientem, & vltimum finem oportet respicere.

2. In sacris historiis duo regna cum suis administris coniunguntur, regnum Dei & regnum Diaboli.

3. In historiis sacris diligenter distinguenda est doctrina sanctorum hominum ab eorum vita. Doctrina illorum est perfecta, quia tantum à Deo. Vita est imperfecta, quia partim à Deo, partim ab ipsis, & fragilitate humana, à qua aliquid impuritatis contrahit.

4. Facta sanctorum à nobis non possunt interdum satis intelligi, ob particulares circumstantias nobis ignotas, vt polygamia, peregrinationes, deceptio Iacobi.

6. Præcepta Dei in Scripturis sunt vel generalia, & veluti theses, quæ ad omnes attinent, vel specialia, & velut hypotheses quæ ad circumstantias alligantur.

6. Prophetæ, & sancti homines alia dixerunt & præceperunt, vt ministri Dei, alia vt priuati homines.

7. Narrat scriptura non tantum bona, sed etiam mala sanctorum facta, vt agnoscamus humanam fragilitatem, vt nosmet ipsos his narrationibus consolemur, vt misericordiam Dei, & satisfactionem Christi agnoscamus.

8. In historiis debemus typos obseruare, qui non sunt absurdi vel coacti: vt diluuium significauit baptismum, vt & transitus maris rubri.

CAP. CXXI.

Character librorum Poeticorum.

HIc quædam paulò altius sunt repetenda de diuisione librorum V. Testamenti. Prisca illa scriptura Iudæis tradita, in N. Testamento passim vocatur *scriptura sacra:* & κατ' ἐξοχὴν *Scriptura:* item *Lex;* quia scriptura illa in prisca Iudæorum Ecclesia, certa lex fuit & canon doctrinæ morum, fideique à Deo traditæ. Sic appellatur à Christo. *Matth.* 5. *v.* 17. *&* 18. *Luc.* 16. *v.* 17. *Iohan.* 10. *v.* 24. *&* 12. *v.* 34. *&* 15. *v.* 25. *Confer Actor.* 23. *vers.* 29. Dicitur etiam à Paulo metonymice, *Testamentum vetus*, pro eo, quod est liber Testamenti Veteris, 2. *Corinth.* 3. *v.* 12.

Partes huius Scripturæ Veteris variis modis proponuntur. *Nam alia distribuuntur latius, alia angustius. Diuisio latissima est*, qua Vetus Testamentum duabus partibus definitur, Lege & Prophetis. *Matth.* 5. 17. *& c.* 7. *v.* 12. *& c.* 11. *v.* 13 & alibi passim. Per legem intelliguntur Libri Mosis. Nam hi sunt omnium Prophetiarum canon, & Prophetæ legis interpretes. Huius autem legis variæ sunt appellationes in Scriptura. Nam appellatur proprie liber Mosis. *Dan. v.* 9. 11. & liber legis Domini. *Ios.* 29. *vers.* 25. & liber legis Mosis *Ios.* 8. *vers.* 21. *&* 23. *vers.* 6. Metonymικῶς lex Iehouæ. *Leuit.* 4. *vers.* 22. *Scriptura sacra variis modis distribuitur.*

27. Lex Dei cœli. *Ezr.* 7. *v.* 12. 21. Lex Mosis. *Iof.* 8. *v.* 31. & 1. *Reg.* 2. *v.* 3. *Luc.* 2. *v.* 22. & denique maxime figurate appellatur Moses *Luc.* 16. *v.* 29. 31. & 24. *v.* 17. *Actor.* 21. *v.* 21. 2. *Corinth.* 3. *v.* 15. Reliqui libri veniunt communi appellatione prophetarum, vt modo diximus. *Diuisio angustior est varia.* Nam ex ratione vel modo scriptionis in duas aut tres classes distingui solent prophetæ. In duas classes distinxit Christus. *Luc.* 24. *v.* 44. *Hi sunt sermones, quos dixi vobis, cum adhuc essem apud vos, oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis, Prophetis, & Psalmis de me.* Nam Prophetarum alii soluta oratione scripserunt, alii vero structa atque numerosa. Et sic tres partes erunt V. Testament. videlicet Lex, Prophetæ, & Psalmi. Rursum vero, quia Prophetarum, qui oratione soluta scripserunt, alii res ante gestas scriptis tradiderunt, alii etiam futuras cum præsentibus coniunxerunt, propterea factum est, vt horum quoque classes duæ instituerentur: prophetarum priorum, qui res ante gestas, & posteriorum, qui futuras scriptis consignarunt. Sic quadripartitum est V. T. in legem, Prophetas priores, & posteriores, & Psalmos. Et sic Hebræi commoditatis causa cum libris Psalmorum maximam partem eorum scriptorum coniunxerunt, quæ post transportationem Babylonicam fuerunt exarata.

Numerus librorum Biblicorũ ab aliis aliter recensetur.

Diuisiones magis angustæ fiunt secundum libros singulos. Quapropter alii, in quibus Hebræi, libros XXII. V. T. secundum numerum literarum alphabeti sui statuerunt; alii, in quibus Hieronymus, XXIV. alii, quorum in synopsi meminit Athanasius XXVII. alii denique XXXVI. partes statuerunt, id est singulares libros.

Ordo autem in horum librorum coagmentatione ; partim ex argumento, partimque ex temporum consequentia, & serie confectus est, si libros poeticos exceperis, qui à Christo Psalmorum appellatione donati sunt. Ex docendi modo quidam libros V. T. ita diuidunt: vt primo libros legis, dehinc Prophetarum posteriorum, denique historicos seu Prophetarum priorum, recenseant. Et hi quidem hac ducuntur ratione. Cum triplex sit modus docendi, autoritas cui credendum est, ratio, & exemplum, similiter libros V. T. in tria genera distinguunt. Nam authoritas est legis; ratio librorum dogmaticorum, vt sunt Prophetæ posteriores: exempla historicorum. Verum nos hic sequimur ordinem, quo libri V. T. in Bibliis Latinis & Germanicis commemorantur. Itaque ab historicis ad poeticos transimus.

Character librorum poeticorum, est Iobi, Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastis, & Cantici Canticorum.

Character Iobi.

Inscriptio

Liber hic nomen habet à Iobo, cuius historiam continet. Illius mentio

tio fit *Ezech.* 14. Quando vixerit supra indicauimus in Chronologia sacra. Author libri putatur esse Moses. Vid. Theol. propos. p. 346. *& author.*

Finis huius libri est, vt Dei prouidentiam & paternam erga electos curam etiam in mediis afflictionibus cognoscamus, & celebremus ex c. 1. v. 21. *Iehoua dedit, & Iehoua recepit; sit nomen Iehouæ benedictum.* Nam videmus hanc quæstionem tractari hoc libro: An etiam pii à Deo affligantur, & si affligantur, an iusto Dei iudicio? *Finis.*

Describitur conditio Iobi felix & afflicta, variaque illius colloquia cū amicis & Deo habita. *Summa.*

Partes principes sunt tres. I. Status Iobi ante afflictionem. c. 1. ad. v. 6. II. Afflictio: à v. 6. cap. 1. ad vers. 20. cap. 42. III. Status post afflictionem cap. 42. *Partes.*

Historiæ insigniores sunt de Iobi diuitiis, de variis rebus naturalibus, vt tonitru, elephanto, &c. de Leuiathan, & Behemoth. Doctrinæ sunt hæ: de calamitatibus filiorum Dei, de Dei prouidentia, sapientia & iustitia, de patientia & impatientia electorum, de mala muliere, de amicitia solida & fucata. *Præcipua capita.*

Regulæ, quæ in lectione huius libri obseruandæ, sunt istæ. *Regulæ.*

I. Iudicia Dei sunt occulta, iniusta minime.

II. Ex calamitatibus filiorum Dei non est iudicandum de illorum pietate, vel impietate.

III. Dicta sanctorum, quæ ipsis extorsit impatientia, non sunt ad viuum resecanda.

IV. In Iobi historia habemus imaginem controuersiarum huius seculi.

V. Bonis sæpe male, & malis sæpe bene est, idque ideo, vt appareat superesse aliam post hanc vitam.

VI. Iobi liber est commentarius in Genesin. Nam illa quæ ibi disseruntur de rebus naturalibus, explicant primum caput Geneseωs, reliqua de Iobo & amicis explicant historiam lapsus, vbi de peccato & pœna peccati.

Character libri Psalmorum.

Liber hic Hebraice dicitur ספר תהלים *Sepher Tehillim*, id est, liber laudum, à summo illius argumento. Posterior vox est origine Hebraica, sed forma seu terminatione est Chaldaica. Nam Hebræi dicunt *Tehilloth.* Sed Iudæi posteriores, qui nomina libris indiderunt, Chaldæam terminationem corrupto iam sermone Hebraico amplexi sunt. Græce inscribitur ψαλμοί, atque etiam apud veteres ὕμνοι. Vtrumque autem dicitur synecdochικῶς. Nam commune genus est ᾠδὴ, oda, scilicet spiritualis, vt Paulus ait *Coloss.* 2. *vers.* 16. Huic generi Psalmi, & Hymni, vt species subiiciuntur. *Nomen libri Psalmorum.*

ciuntur. Nam Psalmus proprie est, qui instrumento musico stringitur & carpitur: hymnus, est cantio sacra, quæ cantatur voce. Psalmum Hebræi vocant מִזְמוֹר *Mitsmor*; hymnū שִׁיר Schir. Antiquitus hic liber vocatus est *soliloquium*; quia solius hominis Christiani cum solo Deo colloquium habetur. Vocarunt etiam *parua Biblia*, quia breuiter omnia, quæ in Bibliis habentur, continet: vt historias, legem, promissiones, fidem, consolationes, pœnitentiam, bona opera.

Author. Authoris nomen est homonymum. Nam author dicitur, tum qui primus inuenit fecitque scriptum aliquod, tum qui excerpta, aut etiam exscripta comportauit. Hac de re sic sentiunt Iudæi; authorem qui scripserit, non vnum esse, sed vnum qui collegerit. Authores, qui scripserint, putant esse decem. Adamum, Melchisedecum, Abrahamum (quem volunt esse Ethanem) Mosem, Asaphum, Hemanem, Ieduthunem, & tres filios Korachi, Assirum, Elkannam, & Ebiasaphum. Authorem vero, qui in vnum omnes collegerit, fuisse Dauidem, & propterea Dauidis appellari. Sed hæc sententia falsa est. Ratio 1. Quia multi Psalmi à Dauide sunt conscripti. 2. Q. Psalmus 92. quem Adamo tribuunt, est Dauidis. 3. Q. Psalmus 100. quem Melchisedeco tribuunt, itidem est Dauidis, Christo teste. 4. Q. Psalm. 91. quem Abrahami esse volunt, itidem est Dauidis. 5. Q. Ethan Ezrachita non fuit Abraham. 6. Reliqui non tam fuerunt authores, quam Musici ministrantes in domo Dei. Interim non negamus illos potuisse conscribere quosdam Psalmos, sed omnes ab illis scriptos esse negamus. Quare sic statuendum. Psalmis quibusdam præfixa sunt authorum nomina, quibusdam non item. De illis certo constat; de his iudicium suspendendum est, nisi ex aliis Scripturæ locis confirmantur, aut euidentissimo illorum argumento.

Collectorem Psalmorum non vnum fuisse, probant eruditi ex varietate argumentorum. Cum enim argumenta Psalmorum tam varia sint, & ad tempora tam varia pertineant, probabile est, eos non fuisse ab vno homine collectos. Hinc liber Psalmorum in quinque volumina pro ratione temporum videtur distributus: vt coniicere licet è *Psalm.* 72. vbi hæc verba adiiciuntur: *hic terminantur orationes Dauidis, filii Isai.* Duo priora volumina à Dauide collecta volunt. Postremum volumen temporibus Iudæ Maccabæi concinnatum fuisse credibile est. De reliquorum voluminum tempore non ita facile est iudicare. Neque vero hæc sententia absurda est. Nam similiter historiarum libri, maxime autem Samuelis & Regum, cum variorum authorum opera conscripti, tum à variis collecti sunt: quod ex verbis Ezræ 1. *Chronic.* 29. & quam plurimis 2. Chronicorum capitibus facile colligitur. De libro Prouerbiorum idem paulo post dicetur. Hebræorum tamen nonnulli contendunt, Ezram collectorem esse

omnium

omnium Psalmorum: alii viros magnæ synagogæ, seu Sanhedrin. Hic liber datus est Ecclesiæ à Deo, vt homo Dei precatione obtineat illa, quæ *Psalm.* 1. dicuntur, videl. vt non ambulet in consilio impiorum, &c. sed in lege Dei meditetur dies noctes. Hinc iam de vsu Psalmorum facile est iudicare.

Vsus iste est communis; & singularis.

Communis, qui & aliorum librorum sacrorum est, ostenditur ab Apostolo 2. *Tim.* 3. Estque quadruplex, διδασκαλία, ἔλεγχος, ἐπανόρθωσις, παιδεία. De hoc vsu infra plenius dicturi sumus. Placet tamen hoc loco aliquid prægustare. Διδασκαλία itaque est doctrina, tum ad rectam nostri ipsorum, tum ad salutarem Dei cognitionem pertinens, & mysteriorum, quæ nobis ad salutem voluit explicata. Ἔλεγχος, est redargutio doctrinæ illius, quæ nos à vera nostri ipsorum conscientia, à Dei notitia, & à mysteriorum salutarium fide abducere potest. Ἐπανόρθωσις, est correctio, hominem à vita praua, & malo vitæ instituto reuocans. Παιδεία, est institutio hominem in via bona erudiens secundum promissionem illam gratiosissimam, fœdus, testamentum, & conditiones singulas in Scriptura nobis per Dei gratiam expositas.

Vsus singularis libri Psalmorum est item quadruplex.

Quatuor vsus Psalmorum.

1. Sunt pandectæ Bibliorum Hebraice ספר כל בו *Sepher colbo.*

I. *Quod breues Pandectæ sunt totius Scripturæ.* Nam aliis quidem Scripturæ libris singula ferme argumenta traduntur, siue doctrina, siue exemplis: hic autem liber omnia documentorum exemplorumque genera complectitur. Quamobrem optime ab orthodoxis Patribus obtinuit paruorum *Bibliorum appellationem*, & *Bibliorum epitomes*; quia nulla doctrina, redargutio, institutio, correctio est, legalis aut Euangelica, verbis aut exemplis constans; cuius vestigia non sint in hoc Psalmorum libro exposita. Hinc cum Augustino dicere possis: Complectitur liber Psalmorum omnis generis doctrinam, ex Lege, ex Historiis, ex Prouerbiis, denique ex omni Scriptorum sacrorum penu: vt quidquid alibi præclare dictum est, repetitum hic videatur, atque vnus hic liber iusta quædam omnium sacrorum librorum Epitome agnosci possit. Quocirca qui hunc legit, omnes legit: & qui hunc mediocriter intelligit, stratam apertamque habet viam, quam ad reliquos intelligendos ingrediatur. Ex his patet, eum, qui in Psalmis sese exercere cupit, in tanta varietate argumentorum & breuissime quidem expositorum recte exploranda, præter ardentem Dei inuocationem omnes ingenii neruos debere intendere.

2. Sunt anatome conscientiarum.

II. *Est anatome conscientiarum.* Hac de re Iohan. Caluinus in præfat. in Psalm. sic ait: Librum hunc non abs re soleo vocare ἀνατομὴν omnium animæ partium: quando nullum in se affectum quisquam reperiet, cuius in hoc speculo non reluceat imago. Imo omnes hic dolores, tristitias, metus, dubitationes, spes, curas, anxietates, turbulentos denique motus

quibus iactari solent humanæ mentes, Spiritus sanctus ad viuum repræsentauit. Reliqua Scriptura continet quæ Deus seruis suis mandata iniunxit ad nos perferenda. Hic vero Prophetæ ipsi cum Deo loquentes, quia interiores omnes sensus retegunt, quemque nostrum vocant aut trahunt ad proprium sui examen, ne quid ex tot infirmitatibus, quibus sumus obnoxii, totque vitiis quibus sumus referti, occultum maneat. Sic ille. Hinc patet, amplissimum hunc esse vsum, quod conuenientissima rerum accommodatio, & singularis velut applicatio ad omnes personas, res, tempora, & circumstantias pertinens, aut si qua alia sunt eiusmodi, quæ in publico & priuato vsu Christianis hominibus solent contingere, quod inquam talis accommodatio in libro Psalmorum reperitur. Nam in aliis quidem Scripturæ libris traduntur documenta Ecclesiastica, & politica, aut per modum pure didascalicum, aut per exempla & typos: liber autem Psalmorum non solum materiam omnem ac veluti syluam dispositam omnium documentorum complectitur, sed etiam rationem accommodandi & applicandi eas materias omnes ad ea, quæ piis euenire possunt. Quare ab aliis recte appellatur *panacea* siue panarium, id est, panchrestum medicamentum, & instructa officina remediorum omniũ, si ad Dei beneficia respexeris: ab aliis *speculum perfectißimum*, in quo & humanæ infirmitates accuratissime retegantur, & diuina beneficia omni ex parte emicant, tenebras nostras dispellentia, morbos curantia, næuos delentia, denique de omni bono piorum mentes confirmantia. Sic igitur versaberis in lectione Psalmorum, vt induas personam loquentis, teque quasi medio illi negotio, de quo agitur, immisceas. Absque hoc si fuerit, frigide minimoque cum profectu diuinissimum hunc librum legeris. Non sine causa Psalmi tanta varietate ac vehementia affectuum sunt cõscripti: sed vt pii eos in sua corda illabi patiantur, suosque animos veluti transforment ac transfigurent in habitum formamque mentis Psalmistæ. Quare cum legimus Psalmum, quo author illius confitetur peccata, ac petit condonationem: ita eum legamus, & sic, vel illa verba ad nos nostrasque res, vel nostras res ad verba Psalmi attemperemus, ac si nos simus loco illius authoris. Sic cum Eucharisticum Psalmum legimus, induamus personam illius, qui composuit, vel illum Psalmum continere nostra verba statuamus. Ita cum Psalmum consolatorium legimus, ita eum accipiamus, ac si nos iam Deus coram ipse illis verbis consolaretur, confirmaretque. Et hæc est viua Psalmorum praxis.

3. Psalmi sunt speculum communionis sanctorũ.

III. *Pia sanctorum communio velut oculis subiicitur in hoc libro.* Communicatio autem primum apud ipsos cum animis suis, & conscientia, dum se explorant ipsi: secundo cum Deo, vt ab illo documenta ad salutem percipiant, cum illo rerum suarum difficultates communicẽt petitionibus, & illi gratias agant: postremo vero cum Ecclesia & piis omnibus, cum alii

alios hortantur atque instituunt exemplo & verbo, vt monet Apostolus *Coloss.3.* Cum enim documentis, petitionibus, & laudibus, tanquam stellis micantibus, luminibusque saluberrimis hic liber refertus sit, pia illa sanctorum communicatio, velut amœnissimorum florum vbique excerpendorum commoditas omnibus exponitur.

Nam aliis quidem in libris aut traduntur res didascalicæ cuiuscunque generis, aut petitiones & laudes proponuntur inspersæ potius quam confertæ: sed in hoc libro omnia genera omnibus modis traduntur, & pia sanctorum atque fidelium communicatio quasi oculis fidelium subiicitur. Atque hinc porro dependet illa vtilitas, quod liber Psalmorum sit *ars rite precandi, & oratorium, vt ita dicam, diuinissimum.*

Sane non aliunde melior ac certior precationis regula peti potest, quã ex hoc libro: vt quisque in eius intelligentia optime profecerit, bonam cœlestis doctrinæ partem erit assecutus. Seria precatio ex necessitatis nostræ sensu primum, deinde ex promissionum fide nascitur. Hic tam ad mala sua sentienda optime expergefient lectores, quam de quærendis remediis admonebuntur. Atque adeo quidquid ad nos animandos facere potest, vbi orandus est Deus, in hoc libro monstratur.

IV. *Quartus vsus* huius libri concernit eruditos, & est positus in genere scriptionis, quod est numerosa huius scriptionis forma. Nam alii quidem libri oratione prosa siue soluta singula sua & sui generis documenta exponunt piis: sed in hoc libro numeri memoriam, mentes animosq; adiuuant, tum stricta illa & numerosa compositione, tum cantu illius. *4. Psalmi sunt subsidium memoriæ.*

Etenim memoriam adiuuant numeri, quia proprie sic compingunt verba, vt eorum compages memoriæ longe facilius adhærescat: mentem vero docendo, animum delectando atque permouendo optime cantus afficit: quæ tria in hos Psalmorum libros videmus concurrere. Quamuis autem hæc ita sint: tamen non debemus scrupulose inquirere in numerorum istorum rationem aut cantum. Id quidem certum est, *Eusebium libro vndecimo de præparatione Euangelica, capite quinto, Hieronymum & Epiphanium* multis in locis tradere, Psalmorum alios esse conscriptos hexametro versu, vt *Psalm.*119. alios hexametro & pentametro: alios denique, vt plerumque odæ atque epodæ sunt, ex variis versuum generibus esse concinnatos, quod numerorum genus Hebræis dicitur Sigaion. Verum rationem numerorum istorum laboriose quærere, & superstitiose obseruare velle, non est praxin Psalmorum habere sibi, vel aliis tradere. Nos dicamus cum *Cicerone libro secundo de legib.*

Assentior Platoni, inquit, nihil tam facile in animos teneros atque molleis influere, quam varios canendi sonos: quorum dici vix potest quanta sit vis in vtramque partem. Namque & incitat languenteis, &

languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit. Quapropter Athanasius Marcellino scribens, profitetur se vix in vniuersam reliquam Scripturarum sic fuisse affectum ex animo, vt in volumen Psalmorum. Et quibus pietas fuit cordi, hi omnes semper hoc, tanquam vtilissimo iucundissimoque horto mirifice affecti & recreati sunt lectione eius.

Inter hos etiam est *Basilius* ille *Magnus:* qui hunc in modum scribit de libro Psalmorum: Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, διὰ τοῦτο συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ πνεύματος, ἵν', ὥσπερ ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ, πάντες ἄνθρωποι τὸ ἴαμα τοῦ οἰκείου πάθους ἕκαστος ἐκλεγώμεθα. Ἴαμα γὰρ καταπαύσει ἁμαρτίας μεγάλας. Ἄλλα μὲν οὖν προφῆται παιδεύουσι, καὶ ἄλλα ἱστορικοί, καὶ ὁ νόμος ἕτερα, καὶ ἄλλα τὸ εἶδος τῆς παροιμιακῆς παραινέσεως. Ἡ δὲ τῶν ψαλμῶν βίβλος τὸ ἐκ πάντων ὠφέλιμον περιείληφε. Προφητεύει τὰ μέλλοντα, ἱστορίας ὑπομιμνήσκει, νομοθετεῖ τῷ βίῳ, ὑποτίθεται τὰ πρακτέα, καὶ ἁπαξαπλῶς κοινὸν ταμιεῖόν ἐστιν ἀγαθῶν διδαγμάτων, τὸ ἑκάστῳ πρόσφορον κατὰ τὴν ἐπιμέλειαν ἐξευρίσκουσα. Τά τε γὰρ παλαιὰ τραύματα τῶν ψυχῶν ἐξιᾶται, καὶ τῷ νεοτρώτῳ ταχεῖαν ἐπάγει τὴν ἐπανόρθωσιν, καὶ τὸ νενοσηκὸς περιποιεῖται, καὶ τὸ ἀκέραιον διασώζει, καὶ ὅλως ἐξαιρεῖ τὰ πάθη καθ' ὅσον οἷόν τε, τὰ ποικίλως ταῖς ψυχαῖς ἐν τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων ἐνδυναστεύοντα.

Hoc est, Omnis Scriptura diuinitus inspirata, & vtilis est: quippe hanc ob causam à Spiritu sancto conscripta, vt inde velut ex communi animarum sanandarum officina, omnes homines, quisque pro sui morbi ratione, pharmacum diligeremus. Medicamentum enim magna peccata compescit. Atque alia quidem Prophetæ tradunt, alia historici, alia vero lex, & rursus alia exhortationis prouerbialis forma: sed Psalmorum liber, quæcunque ex omnibus vtilia sunt, in se continet. Futura prædicit, commemorat historias, leges aut regulas vitæ præscribit, modumque rerum gerendarum subiicit. In summa, est commune quoddam promtuarium doctrinarum, quod cuiuis apte vtilia suppeditat. Nam & vetera sanat animarum vulnera, & recens vulnerato præsentissimum remedium adfert, morbida tuetur, sincera conseruat, denique omnes affectus, quales variis modis hominum animis in hac vita dominatur, tollit. *Idem ait:* πάντα ὥσπερ ἐν μεγάλῳ τινὶ καὶ κοινῷ ταμιείῳ τῇ βίβλῳ τῶν ψαλμῶν τεθησαύρισται: Omnia bona in Psalmorum libro tanquam in magna & communi quadam penu recondita sunt. Sed summatim colligamus ea, quæ hactenus de vsu Psalterii diximus.

Psalterium est.

I. *Theatrum* Dei, operum eius, & piorum. Illa enim spectanda exhibentur. O beatam animam, quæ se oblectat in hoc theatro!

II. *Pratum* suauissimum, & amplissimum *rosarium*, vbi plurimos inueniemus flores.

III. Para-

III. *Paradisus*, non solum nudam habens fragrantiam florum, sed etiam ipsos fructus.

IV. *Pelagus* patentissimum; in quo margaritæ pretiosissimæ latent; quę nonnisi ab illis, qui tempestatum procellas patiuntur, inueniri queunt.

V. *Cœlestis illa schola*; in qua Deum alloquimur Doctorem nostrum.

VI. *Vniuersæ Scripturæ compendium.*

VII. *Gratiæ diuinæ speculum*; in quo facies amœnissima benignissimi Patris nostri relucet,

IIX. *Anatomia animæ nostræ artificiosissima*; indicans omnes animæ affectus, motus, & motuum illorum remedium.

Liber Psalmorum continet cantiones sacras, quæ in Ecclesia vetere fuerunt conscriptæ vsque ad funesta tempora Antiochi Epiphanis: ac propterea est quædam veluti epitome V. T. continens omnis generis documenta de miseria nostra, de nostri liberatione, & gratitudine, quam Deo pro liberatione illa debemus. *Summa.*

Variæ circumferuntur Psalmorum diuisiones, è quib. quasdam attingemus. Apud Hebræos Psalterium diuiditur in quinq; volumina, seu libros qui terminantur, aut p̄cationibus singularibus אמן ואמן *Amez Voamen* aut laudationibus Dei. Primum volumen est, à psalmo primo ad 42. Secundum volumen continet 31. psalmos, à Psalm. 42. vsque ad 73. Tertium continet 17 psalmos à 73. ad 90. Quartum continet itidem 17. Psalmos, à Psalm. 90. ad 107. Postremum à 106. ad finem libri complectitur psalmos 45. E quibus postrema hæc duo volumina laudatione, tria vero illa, precatione concluduntur. Primi voluminis Psalmi omnes sunt Dauidis. Secundi voluminis Psalmi ab initio sunt filiorum Choræ, vt quidam volunt, reliqui sunt Dauidis, præter vnum Assaphi, & vltimum Salomonis. Tertii voluminis Psalmi vndecim Assapho, tres filiis Choræ, vnus Dauidi, & duo postremi duobus aliis cantoribus adscribuntur. In quarto volumine primi nouem Psalmi à quibusdam tribuuntur Mosi, reliqui Dauidi. In quinto volumine quidam Psalmi sunt Dauidis, plurimi tamen ἀδέσποτοι.

Secundo loco Psalmi sunt vel ab homine ad Deum directi, vel à Deo aut ministro eius ad homines. In priori classe sunt precatorii & eucharistici. In posteriori, sunt exhortatorii, consolatorii, & didactici, qui vel simpliciter docent, vel insuper prophetias habent additas.

Tertio Psalterium diuiditur in præfationem, & ipsum corpus. Præfatio totius libri habet Psalmum 1. & 2. Primus continet summam legis, secundus summam Euangelii. Corpus ipsum continet precationes, gratiarum actiones, consolationes, prophetias, & doctrinas.

Præcipua capita. Diximus supra, librum Psalmorum complecti omnis generis documenta, quæ redigi possunt ad quatuor capita: videlicet de Dei misericordia & iustitia, de persona & officio Christi, de hominis miseria, & gratitudine Deo debita.

In lectione huius libri velim obseruari has regulas.

Regulæ. I. Diligenter expendantur inscriptiones Psalmorum. Nam ferme adferunt secum argumentum, vt *Psal.* 3. 7. 18. 22. 51. Si vero sint ἀνεπίγραφοι, ex historia V. T. colligatur inscriptio, si fieri possit.

II. Non proficiet in lectione Psalmorum, qui non versatus est, vel adhuc versatur in Schola crucis.

III. Dauid hinc inde iustitiam causæ suæ vrget, non personæ.

IV. Cum Dauid videtur imprecari hostibus suis, non tam sunt diræ, quam prædictiones Propheticæ.

V. Diligenter expende primos versus cuiusque Psalmi, & habebis summam illius.

VI. Legantur commentatores in Psalmos ii, qui experti fuerunt tentationes, quique non tam disputant, quam praxin ostendunt.

Liber Prouerbiorum.

Inscriptio. Liber Prouerbiorum Hebræis dicitur, משלי *Mischle*, à משל *Maschal*, dominari. Significat enim illa vox omnis generis illustres sententias, quæ in oratione dominantur, eamque veluti stellulæ illustrant: quo pertinent παροιμίαι, ὑποθῆκαι, παραβολαί, γνῶμαι, παραινέσεις, νουθεσίαι, χρεῖαι, ἀποφθέγματα, ἀπομνημονεύματα, κρίσεις, προλήψεις ἠθικαί; quæ omnia in hoc libro occurrunt. Ab Hebræis refertur hic liber inter eos, quos ipsi vocant כתובים *Cetubim*, Græci ἁγιόγραφα, in quibus tres sunt principales, videl. liber Iob, Psalmorum, & Prouerbiorum, quos in *Rascht Teboth* vocant אמת *Emeth*.

Author. Hic liber variis temporibus fuit compositus. Primum enim capita nouem, Salomonis sunt γραφῇ & συμπήξει simul, hoc est, ab eo scripta & collecta: deinde capita 15. à 10. ad 25. Salomonis quidem authoris sunt, sed non collecti Salomonis opera, vt ostendit ipsa capitis 10. inscriptio. Tum sequentia capita disertis quidem verbis dicuntur esse Salomonis, veruntamen collecta à seruis regis Ezechiæ, id est, à Prophetis & viris bonis, qui Ezechiæ temporibus vixerunt. De 30. & 31. capite idem iudicium. Putant autem multi Prouerbia à Salomone esse composita pro iuuenili ætate, Ecclesiasten pro virili, & Canticum pro senili.

Nam liber Prouerbiorum continet doctrinam de obedientia, de bonis operibus & moribus, quibus ornata esse debet Christiana iuuentus. Ecclesiastes continet doctrinam de cruce, & consolationes in tentationibus, quibus in religione & pietate prouecti affliguntur. Canticum

canticorum suaues gratiarum actiones, quibus pii hinc in plena senectute migraturi, Deo totum acceptum referunt hoc, vnde sunt sustentati.

Deus hunc librum nobis reliquit, vt sententiarum rotunda breuitate memoriam nostram iuuaret, ad discendum sapientiam & eruditionem, vt habetur *cap.1.v.2.3.4.5.6.* Quare si diligenter legimus sententias ethnicorum, quam diligentissime has legere debemus, quæ conscriptæ sunt à rege omnium sapientissimo. *Finis.*

Hic liber est Ethica Christiana, continens præcepta moralia de hominis pii officio erga Deum, erga seipsum, & erga proximum. *Summa.*

Duo summa capita partitionis constitui possunt. Primo quædam sententiæ inter se cohærent, primis nouem capitibus. Deinde reliquæ sententiæ ἀφοριστικῶς sunt collectæ, nec ordinem aliquem seruant. Et harum tres classes constitutæ sunt à collectoribus libri. Prima est à cap. 10. ad 25. Secunda à cap. 25. ad 30. quæ sententiæ collectæ dicuntur à ministris Ezechiæ. Tertia est à c. 30. ad finem. Alii sic diuidunt librum. Duæ sunt illius partes. Prima nouem capitibus persequitur præcepta moralia, quæ lex naturæ adumbrauit in nobis. Secunda cæteris capitibus persequitur ea, quæ Deus expressit verbo. Denique alii ad locos certos, Theologicos, Ethicos, Politicos &c. reuocant has sententias. *Partitio.*

Salomon hic docet præcipue timorem Dei, fidem in Deum, honestos mores in vita, & clarissimam habet orationem nomine Sapientiæ, de λόγῳ illo æterno Iesu Christo, quo omnia condita sunt & gubernantur in cœlis & in terris. *Præcipua capita.*

Regulæ ad hunc librum legendum & intelligendum conducunt istæ. *Regulæ.*

I. Vtile fuerit sententias Salomonicas cum aliis Scripturæ locis, & gnomis ethnicorum conferre.

II. In hoc libro dominatur antitheseως schema: quod est efficacissimum ad rem plenius describendam, iuxta illud Logicorum. *Contraria iuxta se posita clarius elucescunt.*

III. Quia liber hic maximam partem sine ordine conscriptus est, vtile fuerit illum redigere ad quinque capita Catechismi: si forte reuocatio ad titulos Theologicos, Ethicos &c. alicui non allubescat. Illa est magis popularis & Ecclesiastica; hæc Scholastica.

VI. Remedia debent attemperata esse morbis. Cum igitur hic liber conscriptus sit, ad vitam nostram emendandam, & vero morbi animarum sint varii, ita vt vnus alium excipiat, vt in mari turbulento fluctus fluctum, voluit Spiritus sanctus varia remedia & consilia hoc in libro præscribere.

Ecclesiastes.

Hic liber Hebræis dicitur קהלת *Koheleth*, Concionator: Græcis Ecclesia-

cleſiaſtes; vel quia loquitur ad multitudinem, vt faciunt concionatores; vel propter ſapientiam, qua copioſe donatus fuit; vel quia prædicat beneficium Dei, quod videl. redierit ad gremium Eccleſiæ. Nam hunc librum ſcripſit in extrema ſenecta. Et hæc videntur eſſe facta ipſius poſteriora; de quibus 2.*Paral*.9.*v*.19 ita vt ibi per facta priora videatur intelligenda vita impia, per facta poſteriora, ipſius reſipiſcentia.

Finis. Scopus libri habetur initio capitis primi. Voluit Salomon hoc libro docere, omnia præter timorem Dei eſſe vana. Confer cum *Iere*.9.*v*.23,24.

Argumentum. Eccleſiaſtes habet diſputationem de ſummo bono, quod definit eſſe coniunctionem cum Deo, atque Dei perpetuam fruitionem. Quocirca confutat omnes eos, qui in bonis animi, corporis, vel fortunę illud ponebant.

Partes. Partes libri quatuor ſunt. Nam Salomon I. exponit rationem vitæ & ſtudiorum ſuorum, duobus primis capitibus. II. Oſtendit omnes occupationes, quibus homines ſe dedunt, & impias cogitationes, quibus ſe implicant, eſſe vanas, à c. 3. ad 8. III. Diſſerit de vana adminiſtratione hominum, & conſtantiſſima adminiſtratione Dei, à c. 8. ad 10. IV. Aſſerit Dei maieſtatem, & homines intuitu vanitatis ad publica & priuata humanitatis & pietatis officia reuocat, à cap. 10. ad finem. Alii ſic diſponunt hunc librum, eiuſque partes.

Primo Salomon confutat; deinde hortatur. Confutat à cap. 1. ad 8. & oſtendit ſummum hominis bonum non conſiſtere in ſcientia. ca. 1. non in voluptate. c. 2. 3. non in honoribus c. 4. non in diuitiis c. 5. 6. non in bonis animi, corporis, & fortunæ cap. 7. quod caput eſt velut ἀνακεφαλαίωσις antegreſſorum. Hinc ad finem vſque libri de vita pie & iuſte tranſigenda, quo tandem cum Deo coniungamur, concionatur.

Præcipua capita. Duo ſunt ſumma huius libri capita. I. eſt de ſumma vanitatis omnium rerum fluxarum. c. 1. v. 2. II. eſt de ſumma remedii cap. 12. v. 15. Summa eſt reuereri Deum. Siue, docetur hic de impedimentis & mediis ſummæ felicitatis. Impedimenta ſunt ſapientia carnis, auaritia, voluptas, & ſimilia, de quibus diſſerit à c. 1. ad 8. Media ſunt timor Dei, obedientia ſuperioribus debita, humilitas, fides, cogitatio mortis. à c. 8. ad finem.

Regulæ. Regulæ, quæ partim ex hoc libro colliguntur, partim ad illius lectionem conducunt, ſunt iſtæ.

I. Vana ſunt omnia abſque timore Dei.

II. Lætitia duplex eſt, effrænis & pia.

III. Quædam in hoc libro dicuntur ex vulgi & inſipientum hominum iudicio. Seu: Quædam hic dicuntur κατὰ δόξαν πολλῶν, non κατ' ἀλήθειαν.

IV. Alia intelligenda ſunt ἁπλῶς, alia κατά τι.

V. Quædam dicuntur de homine κατὰ τὰ ἔσω, quædam κατὰ τὰ ἔξω. Secundum tres haſce regulas poſteriores oportet explicare *verſ*.19.*cap*.3.

Canti-

Canticum Canticorum.

Canticum Canticorum est tertius liber ἐνδιάθηκος, qui Salomoni tribuitur. Composuit quidem Salomon multa cantica, nempe mille & quinque. 3. *Reg.* 4. Sed quia hoc canticum cæteris omnibus fuit excellentius, à Deo traditum est Ecclesiæ, vnde & Canticum Canticorum, ob excellentiam suam, dicitur. Nam explicat summum mysterium, videl. coniugium Christi cum Ecclesia *Ephes.* 5. *Inscriptio & author.*

Finis duplex hoc in libro adnotari debet. Nam hic liber est primo carmen Eucharisticum, quo Salomon Deo agit gratias, quod ornauerit politiam Iudaicam maximis beneficiis, regno scilicet & sacerdotio. Deinde est scriptum typicum & Propheticum. Quo adumbratur regnum siue coniugium Christi. *Finis.*

Oportet igitur ad hunc vtrumque scopum respicere, videlicet quod Deus Ecclesiam Iudæorum sibi desponsauerit, itemque Ecclesiam Catholicam. Sunt tamen, qui sub coniugio Salomonis cum filia Pharaonis inito describi putant coniugium Christi: hoc sensu: Sicut Salomon duxit vxorem gentilem: ita Christus Ecclesiam gentium sibi delegit sponsam.

Hic liber continet sub metaphora sponsi & sponsæ, arcana mysteria de coniugio capitis Christi, & membrorum ipsius: adeoque pingit nobis faciem Ecclesiæ modo lætam, modo tristem, prout sponsus vel accedit, vel abscedit. *Summa.*

Creber est lapsus styli ex alio in aliud in hoc libro, prout amor exprimit verba varia. Potest tamen diuidi secundum numerum colloquiorum inter Christum & Ecclesiam. *Dispositio.*

Hic liber continet præclara encomia de regno Dei, de ministerio verbi, de varietate donorum Spiritus Sancti, de perpetua & mutua communione Christi cum Ecclesia, de statu Ecclesiæ militantis. *Præcipua capita.*

I. Carnalem exuat affectum, qui cum fructu cupit legere hunc librũ. Mentem autem defigat in res spirituales, & perpendat vehementem amorem Christi, quo ille charissimam suam sponsam Ecclesiam complexus est, propter quam homo factus est, & passus plurimum; pro qua adhuc intercedit apud patrem, quam defendit sceptro omnipotente. Vno verbo cogitet, in toto hoc scripto vnam esse allegoriam. Nisi hoc cogitetur, hic liber sine profectu & affectu pietatis legitur. Hinc prisci Hebræi talem traditionem suis successoribus reliquerunt: Nisi quis ætatem sacerdotalis ministerii, id est, annum trigesimum impleuerit, nec principia Geneseωs, nec Cantica canticorum, nec Ezechielis exordium & finem legere debet, vt ad perfectam scientiam & mysticos intellectus plenum naturæ humanæ tempus accedat. Vide *Gregor. Nazianzen. in apologia*, & *Hieron. in prologo super Ezechielem.* *Regula.*

II. Per ſponſum Chriſtus, per amicos Angeli, per ſponſam Eccleſia intelligitur.

III. Sponſus abit, dum exercet Eccleſiam calamitatibus, redit, cum placidam faciem exhibet videndam.

IV. Sponſa dicitur nigra propter calamitates & peccata, pulchra propter iuſtitiam & felicitatem: quærens, cum Chriſti reditum gemitibus ardentibus deſiderat.

V. In Thalmud Hebræorum talis eſt regula: vbicunque in libro Canticorum ponitur nomen Salomoh, ſub illo nomine intelligitur Deus, magnus ille Salomoh, qui facit pacem & concordiam in creaturis. Nos meliora docti de aduentu Chriſti, ſic immutare poſſumus regulam iſtam: vbicunque in libro Canticorum ponitur nomen Salomoh, ſub illo nomine intelligitur Chriſtus, magnus ille Salomoh; qui fecit pacem inter Deum & hominem.

VI. Spiritualis exercitatio huius libri eſt, ſi ſtatuas, animam tuam eſſe illam ſponſam.

CAP. CXXII.

Character Prophetarum.

SEquuntur libri Prophetici, numero XVI. Hebræi vocant נביאים אחרונים *Nebiim Acharonim*, hoc eſt, prophetas poſteriores: ſicuti Ioſuam, librum Iudicum, & quatuor libros regum accenſent prophetis, quos vocant נביאים ראשונים *Nebiim riſchonim*, id eſt, prophetas priores. Ratio appellationis eſt; quia illi res futuras, iſti ante geſtas deſcripſerunt.

Duo ſunt neceſſaria ad explicationem prophetarum.

Ad prophetarum poſteriorum libros explicandos duo cumprimis diligenter notanda ſunt, hiſtoria & methodus.

Hiſtoria eſt rerum, perſonarum, & temporum. Hac de re eſt hic canon:

„ [*Hiſtoriam temporum Prophetæ ſubinde indicant in titulo, dum nomina regum,*
„ *ſub quibus prophetarunt, exacte indicant. Cognita hiſtoria temporum, hiſtoria rerum*
„ *facile repeti poteſt è prophetis prioribus, ſiue octateucho, vti nos vocauimus.*] Itaque regum & paralipomenon libri maxime conferent ad expoſitionem prophetarum. Poſſunt autem tres claſſes prophetarum ſtatui ratione temporis, quo vixerunt.

Prima claſſis habet prophetas, qui vaticinati ſunt à templo Salomonico vſq; ad deportationem X. tribuum in Aſſyriam: quales ſunt Nathan, Ionas, Amos, Hoſeas, & Eſaias. Secunda claſſis complectitur eos, qui à transportatione Aſſyriaca X. tribuum ad tranſportationem Babylonicam floruerunt: vti ſunt Nahum, Ieremias, Ioel, Sophonias, & Habacuc in Iudæa, Ezechiel in Chaldæa. Tertia claſſis continet eos, qui poſt captiuitatē Babylonicam vixerūt: vti ſunt Daniel, Haggæus, Zacharias, & Malachias.

Methodus, quam Prophetæ obseruarunt, his circumscribi potest regulis.

I. Clauis Scripturæ Propheticæ est historia Euangelica. Veteres dixerunt scripta prophetarum esse librum clausum. Hæc clausura aperitur scripturis N. T. cumprimis historia Euangelica tanquam claue. Neque est quod quis dicat, nullum esse prophetiarum harum vsum in N. Testamento, cum iam sint impleta, quæ prædixerunt prophetæ. Nam primo nondum omnia sunt impleta, vt sunt illa de postremis temporibus, & de vltimo iudicio. Deinde alius fuit vsus prophetiarum ante Christum, alius nunc est. Nam nunc collatio instituenda est N. T. cum oraculis prophetarum; quæ quidem collatio apprime seruit fidei nostræ. In hunc finem ipse Christus, Euangelistæ & Apostoli hinc inde citarunt testimonia prophetarum. Huc accedit, quod præter vaticinia etiam occurrunt alia in prophetis, quæ maxime ad nos pertinent, vt iam dicetur. *Clauis scripturæ propheticæ quæ nā sit.*

II. Obseruetur summa & scopus doctrinæ Prophetarum. Hic autem fuit multifarius. Nam 1. Promissionem de benedicto semine, eiusque aduentu & beneficiis studuerunt illustrare, hominesque in eius expectatione & fiducia confirmare. 2. Instantes pœnas, tum suo populo, tum exteris regnis nomine Dei prædixerunt. 3. Sui temporis idololatriam redarguerunt, & contra veram de Dei cultu doctrinam confirmarunt. 4. Secundæ tabulæ vitia taxarunt. 5. Aliquando politica mandata habuerunt, tempore belli aut difficultatum aliorum. 6. Responsa dederunt, si quando à quibusdam consulti fuerunt. 7. Historias quasdam insperserunt, sed ὡς ἐν παρόδῳ.

Hac de re paulo plenius sic accipe. Nullum compendium interpretandi Prophetas erit melius, quam si Prophetas ad legem referamus, vnde doctrinam suam, veluti riuos è fonte duxerunt. Eam enim veluti regulam sibi proposuerunt, vt merito eius interpretes dici ac censeri possint. Lex autem tria potissimum continet. I. Doctrinam vitæ. II. Minas & promissiones. III. Fœdus gratiæ, quod fundatum est in Christo. Prophetæ quomodo hæc tria explicent, videamus. I. Doctrinam vitæ latius explicant: & quæ duæ tabulæ paucis comprehendunt, plenius interpretantur, & quid à nobis Deus potissimum requirat ostendunt, videlicet tabulam primam non solas ceremonias exigere, & secundam non solum externa.

II. Minas & promissiones, quas in genere Moses promulgauerat, ipsi accommodant suo tempori, easque in specie designant, quasi digito. Minatur Moses: Bello te persequetur Deus, foris hostes, domi te intestina vexabunt dissidia. Prophetæ vero: En, inquiunt, Deus aduersus te, ô rex, ô popule, armabit Assyrios, Babylonios accerset &c. In exilium rapietur Israel, Hierosolyma vestabitur, templum exuretur. Ait Moses: Si obseruaueris mandata, benedictus eris in agro &c. Prophetæ vero nominatim denunciant: Hoc te beneficio Deus ornabit. III. Gratuitum fœdus,

quod olim cum Patriarchis percuſſum, Prophetæ multo clarius illuſtrant atque in eo populum magis confirmant. Nam ſummam omnium promiſſionum referunt ad Chriſtum, qui eſt fœderis fundamentum, & vinculum mutuæ inter Deum & populum coniunctionis. Hinc colligere licet quomodo tractanda ſit doctrina verbi Dei, atq; imitandos eſſe prophetas, qui generalia tranſtulerunt ad nunc & tunc, vt loquuntur: qua in re conſiſtit praxis miniſterii ſacri.

III. Prophetæ docebant magna cum authoritate. Poſteaquam enim concionem habuerant ad populum, breuem eius ſummam colligebant, quam valuis templi affigerent, vt omnib. pateret, ac melius innoteſceret prophetia. Quæ cum per aliquot dies ſatis patuiſſet, auferebatur à miniſtris templi, atque reponebatur in theſaurum, vt perpetuum eius rei monumentum extaret. Hinc confecti ſunt libri Prophetarum. Itaque deinceps vbi dicemus de authoribus Prophetiarum, intelliges ſcriptores, non autem collectores. Nam collectores fuerunt procul dubio Sacerdotes, quorum officium fuit prophetias colligere, non eo quidem ordine, quo habitæ ſunt, ſed vt ferebat oportunitas inde conflare volumen.

IV. Prophetiæ noſtris temporibus & hominibus optime congruunt, ſi ſpectemus corruptelam morum. Nullum enim fere eſt ſcelerum genus, contra quod Prophetæ pugnarunt concionando, quod non ad ſummum apud nos quoque venerit. Omnia tantum non ſunt deplorata. Itaque miniſter verbi Dei Iudæorum res non tam attinget, quam ſui æui, ſi velit cum fructu explicare & applicare Prophetas.

V. Multum profuerit, Prophetas eo ordine legere, quo vaticinati ſunt. Et hic quidem ordo ſic habet.

Ionas. Amos.	Sub Vſia rege Iudæ, & Ieroboam rege Iſrael.
Hoſeas. Eſaias. Ioel. Micha.	Sub Vſia, Iotham, Achas & Ezechia, qui fuit Mœcenas Prophetarum.
Ieremias. Sophonias. Obadias. Nahum. Habacuc.	Sub Ioſia.

Daniel.

Daniel. }
Ezechiel. } In captiuitate Babylonica.

Haggæus. }
Zacharias. } Post populi reditum ex Babylone.
Malachias. }

VI. Nouem capita & decem speculationes seu potius locos communes, in quos prisci Patres partiti sunt Prophetas, oportet quam diligentissime expendere: nempe 1. doctrinas. 2. speculationes. 3. exhortationes. 4. minas. 5. luctus. 6. consolationes. 7. preces. 8. historias. 9. prædictiones. Prædictiones has subdiuiserunt in 10. speculationes: ita vt sint 1. de reiectione legis secundum carnem. 2. de Euangelio, seu Nouo Testamento. 3. de prioris populi depositione. 4. de vocatione gentium. 5. de promissionibus ad Patres factis. 6. de Christo. 7. de Ecclesia. 8. contra certas prouincias. 9. contra certas personas. 10. contra omnes in vniuersum impios. Videris hac de re *Epiphanium*, qui author est, *lib. de mensuris & ponderibus*, priscos solitos esse discriminis ergo quasdam notas appingere Prophetis, quarum aspectu admonerentur lectores, quid quoque loco tractaretur.

V. Mos est Prophetis, quædam futura denunciare apertis verbis, quædam tantum signis siue visionibus, quædam actionibus. Primi generis exempla extant multa, de Christo, de Antichristo, de Ecclesia, & similibus. Secundi generis multa sunt apud Ezechiel. & Danielem. Hæc autem vel habent additam interpretationem, vt *Dan.* 2. vel non habent *Ezech.* 1. Tertii generis est, quod Ionas demissus est in mare, & deuoratus à pisce; item quod Ezechiel bibit aquam, coxit placentam, &c.

VII. Prophetæ in prædictionibus futurarum rerum, verbis præteriti temporis vtuntur, vt tam certo euenturas credamus, ac si iam euenissent.

Sed iam percurramus singulos Prophetas, & enarremus authorem, *finem*, *summam*, *partes*, *præcipua capita & regulas*. Nam de inscriptione hic nulla difficultas. Illud solum hic notetur de titulis, alios existimare illos additos fuisse ab ipsis Prophetis, alios ab Ezra.

Prophetæ sunt vel maiores vel minores.

Sic dicuntur, non quod maioris vel minoris authoritatis sint, sed quia maiores, vel minores prophetias ab illis habemus: vbi nota, nos non habere omnes & singulas prophetias, sed fragmenta, quæ Deus voluit tradere Ecclesiæ. Sic Euangelistæ non omnes & singulas historias de Christo annotarunt, sed eas, quas iussi sunt conscribere à Deo. *Prophetæ diuiduntur in maiores & minores.*

Prophetæ maiores sunt quatuor, Esaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel.

Esaias.

Author. Esaias primò collocatur loco, non tam quia præcessit alios vaticinando (nam Ionas & Amos antecesserunt, & Hoseas fuit σύγχρονος) quam quia de Christo luculentissime vaticinatus est, vt non immerito veteribus sit dictus Euangelisticus Propheta, & Propheticus Euangelista, item Euangelista & Apostolus V. T. Hinc *Hieron. ad Paul.* sic scribit: Vir nobilissimus Esaias, cui Deus maiori gradu res futuras reuelauit, vt non tam Prophetæ, quam Euangelistæ nomen mereatur. Videtur enim non futura prædicere verborum inuolucris, qui mos est reliquis prophetis, sed aperte detecteq; præterita enarrare. Sic Hieronymus. Et N. Testamenti Scripturæ satis arguunt, quanti Christus & Apostoli fecerint prophetiam Esaiæ. Non enim est aliquis V. T. liber, excepto libro Psalmorum, vnde plura testimonia citata legamus. Lx. loci ex hoc libro citati sunt, ex Psalmis Lxiv. Æthiopes etiam in pretio habuisse hunc Prophetam, constat ex *Act.* 8. Præterea coniunctus fuit Christo non solum fide, sed etiam propinquitate sanguinis. Putatur enim Amos, pater Esaiæ, fuisse frater regis Azariæ, vel vt alii volunt Amaziæ, è cuius linea Christus est natus. Primú itaque tenet locum tres ob causas. 1. Q. clarissimæ sunt illius prophetiæ de Christo. 2. Q. plures sunt, quam reliquorum prophetarum. 3. Q. ipse fuit homo nobilis. Prophetauit annos 60. plus minus, à Manasse serra lignea dissectus; cuius socerum fuisse Esaiam Iudæi tradunt.

Esaias fuit stirpis regiæ

Finis. Finis huius prophetiæ habetur *cap.* 1. Estque, conuincere hominem miseriæ, & ita docere de remissione peccatorum per & propter Christum.

Summa. Hoc libro ostenditur discrimen Legis & Euangelii, sic tamen vt hinc inde adspergantur historiæ. Hinc illæ prophetiæ legales & Euangelicæ, hinc exhortationes ad Iudæos & Gentes, hinc consolationes, hinc orationes, & gratiarum actiones.

Oeconomia. In duo prophetiarum genera hic liber quam rectissime diuidi potest; quarum aliæ sint veteres & legales, aliæ nouæ & Evangelicæ.

Præcipua capita. Præcipui loci communes sunt de agnitione peccati, de Christo, & de vocatione gentium.

Regulæ. Regulæ facientes ad faciliorem huius prophetiæ intelligentiam, sunt hæ.

I. Quia Esaias & Hoseas fuerunt σύγχρονοι, alter ad alterius cognitionem multum conferet.

II. Quia sæpissime citatus est Esaias in N. T. multum proderit concordantias illas inspicere.

III. Stylus huius prophetæ est floridus, complexus multas illustres paronomasias.

Ieremias.

Ieremias fuit oriundus è vico Anathoth, qui ab vrbe distabat tribus milliaribus. Iuuenis admodum cœpit fungi munere prophetico, vt ipse testatur. Vaticinatus est annis 40. vel 50. in Iudæa & in Ægypto, vbi à rege Apry lapidatus est ob παῤῥησίαν. *Author.*

Scopus libri est, ostendere duplicem circumcisionem, duplicem captiuitatem, duplicem liberationem, duplicem scortationem, & duplex templum. *Scopus.*

Ieremias accusat peccata seculi sui, idololatriam, auaritiam, perfidiã, fraudes, crudelitatem, & luxum. Inuitat ad pœnitentiam. Fidem in Deum docet. Vitæ officia præscribit. Prædicit captiuitatem, & captiuos solatur. Vaticinatur de Messia. Gentibus denique excidium prædicit. *Summa.*

Partes huius libri sunt duæ; prior est prophetica, eaque tum legalis, tum Euangelica: posterior, historica, vbi de Iudæis & Ægyptiis, apud quos perfunctus est suo munere. *Dispositio libri.*

Præcipuæ doctrinæ sunt de vocatione ministrorum verbi Dei, de illorundem calamitatibus multiplicibus, de cultu Dei externo & interno, de ira & iustitia Dei, de Christo. *Præcipua capita.*

Regulæ. I. Stylus Ieremiæ est facilior stylo Esaiæ, & magis ad vulgarem sensum inclinat. *Regulæ.*

II. Versus XI. cap. X. Chaldaice est scriptus; quia tractatur ibi de tali materia, quam Gentes intelligere debebant.

III. Quatuor fuerunt deportationes populi Dei. 1. In Ægyptum à Pharaone Nechone. Reliquæ tres à Nebucadnezare in Babylonem. In prima fuit abductus Daniel, anno 4. Ioiakimi: in media deportatus fuit Iechonias, & Ezechiel, & hæc fuit maxima, in vltima vrbs euersa, templũ exustum, & horribilis populi strages ab hostibus edita. A tertia ista putandi sunt anni captiuitatis Babyloniæ.

IV. Liberatio è captiuitate Babylonica est typus nostri liberationis. Satan est Nebucadnezar: Mundus impius est illa Babylon, hoc est, confusio. Sed & Roma est illa mystica Babylon. Babylon itaque sic fuerit subdiuidenda:

- Realis illa.
- Mystica
  - Vniuersalis regnum Satanæ.
  - Particularis; Roma, vbi omnia sunt confusa.

Threni Ieremiæ.

Hic libellus Hebræis dicitur קינות *Kinoth*, lamentationes: & à prima voce איכה *Echah*. De hoc libello paucis dicemus.

I. Pro-

I. Propheta annisus est summa cura populum Dei exorbitantem ad cancellos pietatis reuocare: quod quia non successit, composuit hanc θρηνωδίαν, in qua deplorat peccata populi sui, & pœnam ob peccata iusto Dei iudicio immissam, videlicet subuersionem vrbis & templi per Chaldæos factam. Nam quod Hieronymus tradit, hoc esse carmen lugubre, quod Ieremias cecinerit super morte Iosiæ regis, nimis infirmum habet fundamentum.

II. In lamentationibus non ars, sed affectus tenet primas; ideoq; ordo accuratus in iis quæri non debet. Est tamen ordo alphabeticus, memoriæ causa obseruatus. Hic velim te notare, alphabetum memoriæ causa adhibitum tricies bis occurrere in S. Scripturis V. T. Semel *Psal.* 25. Bis *Psal.* 34. Ter *Psal.* 37. Quater *Psal.* 3. Sexies *Psal.* 112. Octies *Psal.* 119. Semel *Ps.* 145. In threnis sexies. Semel *Prou.* 31.

III. Propheta sic deflet extremam populi cladem hoc libello, vt tamen admisceat doctrinam pœnitentiæ & fidei. Nam ostendit populum iuste pœnas dare tot peccatorum: deinde gustum aliquem præbet misericordiæ Dei, vt in ipsa morte Iudæi adspirent ad vitam; & tandem exemplo suo ad precandum eos inuitat.

Ezechiel.

Author. Ezechiel fuit oriundus è sacerdotali prosapia, sicut & Ieremias. Habuit vxorem, vt colligitur ex ca. 24. Deportatus est tempore mediæ captiuitatis. In Chaldæa accepit Spiritum prophetiæ, vt & captiuis suis conciuibus, & exteris gentib. prophetaret. Lapidatus est in Babylone à duce populi Israel ob παῤῥησίαν, qua reprehenderat ipsius idololatriam.

Finis. Finis prophetiæ huius fuit, vt captiui Iudæi & acciperent consolationem à Propheta, & haberent normam recte instituendi vitam inter idololatras. Nos igitur hoc vtrumque ex hac prophetia possumus petere, & consolationem in calamitatibus, & instructionem vitæ sanctæ & Deo placentis.

Summa. Deus excitauit hunc Prophetam in Babylone, vt confirmaret prophetiam Ieremiæ, quam Iudæi iam ante audierant Hierosolymis, & captiuos consolaretur. Itaq; impietatem Iudæorum reprehendit, iudiciaq; diuinitus euentura pronunciat. Deinde illos consolatur, prædictione liberationis è captiuitate, & plenæ liberationis per Christum, itemque perditionis hostium ipsorum denunciatione.

Partes. Partes sunt tres. 1. Continet conciones directas ad Iudæos; vbi primo sibi conciliat authoritatem, deinde illos increpat ob peccata, & pœnas comminatur à c. 1. ad 25. 2. Complectitur conciones, quibus denunciat cladem postibus Iudæorum. à c. 25. ad 33. 3 Continet rursum cōciones ad Iudæos; quos primo reprehendit, deinde consolatur fiducia restitutionis

promissa; inde ad finem libri. Cum vero duo restitutionis genera futura essent, vnum inchoatum, quando populus reuersus est è Babylone; alterum perfectum, per Messiam; postquam de prima restitutione disseruit, ostendit non propterea calamitates desituras esse, sed Ecclesiam Iudæorum grauissime ab hostibus plurimis infestatum iri.

Præcipua capita.

Ex hac prophetia discimus cognitionem misericordiæ iustitiæ, veritatis, & omnipotentiæ diuinæ: item regna funditus excindi propter contemtum Dei & verbi ipsius, propter falsos cultus, cædes iniustas, corrupta iudicia, & vagas libidines. Ad hæc colligimus ex hoc libro, quod imminentibus pœnis impii confidentiores sunt & securiores. Vltimo loco discimus, quanta sit rerum humanarum vicissitudo & inconstantia. Magna enim imperia, & vrbes magnæ interierunt, ita vt vix nomina adhuc teneamus.

Regulæ.

Regulæ I. Ezechiel capite primo describit gubernationem diuinam in hoc mundo, capite vltimo describit gubernationem diuinam in futuro seculo.

II Signum (תו *Thau*) cuius meminit Propheta c.9. est nouum illud nomen, de quo in Apocalypsi.

III. Oraculum de Gog & Magog, non est simplex, sed compositum. Non enim simplicem habet impletionem, vti simplicia oracula habent. (Vide *Esa.7.*) sed geminam habet impletionem, constans typo, & veritate typi. Typus fuit Antiochus Epiphanes. Veritas incepit in Nouo Testamento.

IV. In tradenda doctrina cœlesti ordo seruandus est. Non igitur quilibet anniculus Theologus debet sibi sumere hoc, vt interpretetur dificiles Prophetarum visiones. Atque hanc methodum prudentiæ spectasse videntur prisci Hebræi, quos supra diximus cauisse, ne quis ante annum ætatis 30. (quod hæc ætas perfecta adferat perfectionem iudicii) priora capita libri Geneseωs, Canticum Canticorum, item primum & octo postrema capita Ezechielis legeret.

Daniel.

Author.

Author primarius, archetypus Prophetiarum omnium, est Deus Pater in Filio per Spiritum S. secundarius, siue notarius, cuius manum, linguam & oculos ille αὐθέντης, *primarius*, rexit & adhibuit est Daniel, quem de regia stirpe fuisse multi colligunt è *cap.1.v.3.*

Libri hagiographi qui dicantur, & quot modis?

Authoritatem huius libri oppugnant partim athei, quibus accensemus apostatas, in quib. princeps est Porphyrius: partim Iudæi, qui negant hunc librum ἁγιόγραφον esse. Hos vt conuincamus erroris, euoluenda prius est ambiguitas vocis *hagiographus.* Accipitur hæc vox tribus modis. Primo liber ἁγιόγραφος dicitur, quicunq; ad S. Scripturam pertinet.

Secundo hagiographi libri singulariter dicuntur, quos Hebræi vocant כתובים Cetubim, nempe διαθηκικῶς, qui post illud tempus fuerunt exarati, quo Iudæi in captiuitatem sunt abducti; nimirum vt discernerentur ab iis libris, qui ante captiuitatem fuerant ἐνδιάθηκοι, & coram arca fœderis asseruati, & confirmati externa significatione & approbatione signorum & responsorum per Ephod, Vrim & Thummim. Nam qui libri à captiuitate sunt scripti, ii singularib. istis signis caruerunt, neq; tamen minus sancti sunt habiti. Tertio libri apocryphi quandoq; dicuntur hagiographi ab Hieronymo & August. qui etsi à Deo non fuerunt imperati Ecclesiæ, tamen iudicio Ecclesiæ postea in numerum librorum sanctorum, id est non profanorum, sunt relati; h. e. vt clarissime dicam, qui additi sunt canonicis, non vt diuinam obtinerent authoritatem, sed vt in Ecclesia & Schola Christiana aliis profanis anteferrentur. Iudæi asserunt librum Danielis esse tertio modo hagiographum, ac proinde apocryphum. Sed hæc sententia est impia, & vel ex eo refellitur, quod Christus hunc librum allegat in Nouo Instrumento.

Iudæi librum Danielis non habent pro Canonico.

Finis. Deus particulariter voluit hanc Prophetiam dare Ecclesiæ Iudæorum, vt illa de gloria Dei, salute sua, & singulari ductu prouidentiæ diuinæ, vsque ad aduentum Christi esset informata. At si spectemus Ecclesiam N. T. voluit Deus, veritatem huius prophetiæ in perpetuam memoriam apud Ecclesiam esse depositam, vt veritas Dei in verbis operibusque ipsius extaret, eiusque testimonio nos ad obsequium præstandum adduceret, & denique doceret afflictiones & liberationes Ecclesiæ, ad finem vsque mundi.

Summa. Deus per Danielem reddit certiorem Ecclesiam, de statu ipsius inde à tempore Nebucadnezaris vsque ad Christum, & à Christo ad finem vsq; mundi.

Partitio. Bipartita est hæc prophetia. 1. Pars est historica, de rebus gestis sub imperio Babylonico à c. 1. ad c. 6. & Persico cap. 6. 2. Pars complectitur prophetias à c. 7. ad finem libri.

Præcipua capita. Historiæ præcipuæ sunt de captiuitate Babylonica, de somnio Nebucadnezaris, de ipsius exilio, de conuiuio Balthasaris, de occupatione Babylonis. Doctrinæ præcipuæ sunt, de gubernatione Ecclesiæ in hoc mundo, de luxu, tyrannide & superbia regum, de bono principe & nutritio Ecclesiæ, de Antichristo.

Regula. Regulæ I. Prophetia Danielis est diuinus commentarius, de fatis omnium regnorum. Solus Daniel vere pingit res Babyloniorum, Persarum, Græcorum & Romanorum. Hinc recte dicunt, Danielem tenere clauem temporis.

II. Periodus 490. annorum, seu numero rotundato 500. est fatalis rebuspublicis, regnis, & Ecclesiæ Dei.

III. Danielis prophetia non terminatur aduentu Christi, sed vsque ad extremum iudicium extendi debet. Merito itaque Hieronymo Daniel dictus πολυίςωρ q. d. multa sciens. Merito sapientiæ laude celebratur. Huc pertinet prouerbium, Daniele Sapientior: de quo vide *Ezechiel.* 28.

IV. Quædam Chaldaice in Daniele sunt enarrata, vt hac ratione huic prophetiæ conciliaretur authoritas. Voluit enim Deus, gentes exteras, illarumque annales producere testes huius rei. Somnia Nebucadnezaris & similia à Daniele exposita, actis publicis annalibusque regum Babyloniorum & Persarum insinuata sunt sermone Chaldaico. Deinde ex actis illis depromta sunt à Daniele eodem sermone, vt & fides rei integra permaneret, & gentes illæ gloriam Dei admirabilem agnoscerent & prædicarent. Qua eadem ratione responsa & rescripta principum Chaldaice sunt in librum Ezræ relata, & bona pars libri Estheræ lingua Chaldaica exarata est.

Sequuntur duodecim Prophetæ minores.

De his in genere hæc sunt notanda.

I. Hi Prophetæ dicuntur minores, non quod sint minoris authoritatis quam maiores: sed quia scripta illorum sunt breuiora. Quanquam enim Hoseas plura habet capita, quam Daniel, illa tamen non sunt adeo prolixa vt Danielis. *Prophetæ hi dicũtur minores, ad alios comparati.*

II. Duodecim Prophetæ in vnum volumen sunt redacti, vt ne successu temporis aliquid de iis periret. *Hoc* volumen *Hebræi* vocant ספר תריטר *Sepher teresar*, voce contracta; item תרי עשר *Tere tgasar*, hoc est, duum & decem, appellant; Græci βίβλον δωδεκαπρόφητον.

III. Duodecim Prophetæ minores diuiduntur à quibusdam in priores & posteriores. Priores vocant, qui ante deportationem Babylonicam prophetarunt; posteriores, qui post vaticinati sunt, vt Zacharias, *Haggæ*us, & Malachias. Reliqui ad prius illud genus pertinent.

IV. Non liquet, à quo duodecim Prophetæ fuerint congesti in hoc volumen. *Hebræi* authores sunt, Esaiam collegisse prouerbia Salomonis, & Ecclesiasten; Ieremiam, libros regum; viros magnæ Synagogæ comportasse visiones Ezechielis, Danielis, & librum 12. Prophetarum vna cum volumine Estheræ & Psalmorum.

V. Regula Rabbinorum est: Cum Prophetæ præfantur, se hoc vel illo patre natos fuisse, patres illorum fuerunt homines aliqua authoritate prædití. *Huic* addunt & illam: Quoties additur nomen Patris, ille ipse fuit *Propheta*.

VI. *Hieronymi* regula est: In quibus titulus non prefertur, sub illis ii regibus prophetarunt, sub quibus & hi, qui ante eos habent titulos regum.

VII. Solent etiam hanc tradere obseruationem: Quoties ad X. tribus

bus dirigitur Prophetia, designantur illæ nominibus Ephraim, Samariæ, Israel, Iosephi, Iezraelis, Bethel, Bethauen, & interdum Iacob: quando vero ad duas dirigitur tribus, occurrunt nomina Iudæa, Hierosolyma, Beniamin, & interdum domus Iacob.

VIII. Prophetæ minores sic diuiduntur à quibusdam, quod illorum alii prophetauerint contra populum Dei, alii contra gentes, vt ex hoc typo disces:

Hoseas
Ioel
Amos
Micheas
} Prophetarunt vel tantum contra X. tribus, seu regnum Israel, vel contra regnum Israel & Iuda simul.

Sophonias vaticinatus est contra Hierosolymam.
Ionas prophetauit contra Nineuen.
Nahum, contra eandem.
Habacuc, contra Iudæos & Babylonem.
Obadias, contra Edom.

Haggæus
Zacharias
Malachias
} Ad & contra populum Dei.

Nunc videamus Prophetas minores, & in iis obseruemus authorem, occasionem, summam, diuisionem, & præcipuas doctrinas.

Hoseas.

Author. Quando vixerit Hoseas, docetur in titulo. Fuit tersi eloquii viri, styli succinctioris & Laconici, vnde paulo est difficilior. *Occasio.* Deus offensus sceleribus Iudæorum, misit illis hunc concionatorem. *Summa.* Prophetauit maxime contra X. tribus Israel; quanquam & regnum Iuda alicubi etiam perstringit. Increpat scelera sacerdotum, principum & populi. Nam οὐδὲν ὑγιές in illo corpore. Suadet illis pœnitentiam, ni perire malint. Disserit etiam de vocatione gentium. *Partes.* Duæ sunt partes. Prima est parabolica, in qua proponuntur duo typi c. 1. 2. Pars secunda habet quinque conciones simplices, quæ fere sunt comminatoriæ, vsque ad finem. Fuit enim hic propheta, idololatriæ & peccatorum acerrimus insectator, iustitiæque & pietatis constans & fortis defensor. *Doctrinæ insigniores.* Dicta illustriora huius prophetiæ vide c. 2. à v. 8. ad finem. c. 4. v. 11. c. 10. v. 12. c. 11. v. 4. c. 12. v. 7. c. 13. v. 14. c. 14. v. 12. Docetur de fornicatione spirituali, hoc est, de idololatria; de captiuitate temporali & spirituali; de regno & victoria Christi; de liberatione per fidem in misericordiam Dei propter Christum. Regula hic notetur: Quia Esaias & Hoseas fuerunt coætanei, collatio vtriusque multum lucis adferet ad solidiorem intelligentiam.

Ioel.

Author. Ioel fuit filius Petuel; quem volunt fuisse Samuelem, qui sic dictus sit, quasi persuasus Iudæis: quia precibus suis, quidquid à Deo petebat, impetrabat. *Occasio.* Occasione sumta ex immissis insectis, grauissimæ famis prænunciis, populum Iudaicum ad sensum præsentis mali cohortatur. *Summa.* Hortatur Iudæos ad pœnitentiam, proponit horrendam diem Domini, & miseriam omnium eorum, qui in peccatis perseuerant. Deinde lætiora promittit, differens de charismatibus Ecclesiæ, de quibus Petrus *Actorum* 2. *Partes.* Diuidi potest in duas conciones. In prima describit læsum terræ prouentum, & populum nondum resipiscentem admonet, vt ad iudicium Dei attendat. cap. 1. In secunda reprehendit impios, eosque ad resipiscentiam cohortatur, & consolatur resipiscentes promissione vberis benedictionis. *Doctrinæ insigniores.* Illustriora loca sunt c. 1. v. 5. & 13. c. 2. v. 13. 25. 27. 29. 30. 31. Vaticinatur de regno Christi, de Spiritu Sancto, & de cœlesti Ierusalem. Meminit etiam vallis Iosaphat, quæ videtur esse typus extremi iudicii, vel Ecclesiæ, in qua Spiritus Sanctus arguit mundum de peccato, seu in qua Gentes iudicantur esse peccatores. Alii appellatiue accipiunt nomen יהושפט *Ichoschapad*, q. d. iudicium Dei.

Amos.

Author. Amos fuit homo plebeius, vtpote pastor pecoris. Nihilominus culta, acri, & vehementi oratione decem tribubus prædicat, inculcans, vt reliqui prophetæ, pœnitentiam. Putatur interfectus ab impio Sacerdote Amasia. *Occasio.* Deus offensus peccatis hostium Ecclesiæ, & ipsiusmet Ecclesiæ, Amosum segregauit ad hoc munus. *Summa.* Concionatur aduersus idololatricos & superstitiosos cultus; item aduersus peccata hostium populi Dei; & prophetat de vocatione gentium. *Partes.* Post inscriptionem, quæ est vers. 1. partes duæ sunt. I. habet comminationes, easque tum contra hostes Ecclesiæ Dei. ca. 1. tum contra Israelitas à c. 2. ad v. 11. cap. 9. ita vt primo tribum Iuda coniungat, deinceps seorsum agat contra regnum Israel. II. habet promissionem, à v. 11. c. 9. ad finem. *Doctrinæ insigniores.* Dicta illustriora sunt. c. 4. v. 13. c. 5. v. 4. 6. 14. 15. c. 6. v. 3. 4. 5. 6. 13. c. 8. v. 11. 12. Notentur loci de auaritia, de oppressione pauperum, de pœnis diuinis, de regno Messiæ.

Obadias.

Author. Obadias quis fuerit in Scripturis non exprimitur. *Occasio.* Edomitis afflictio Israelitarum magnæ erat voluptati. In hos itaque inuehitur. Edomitæ siue Idumæi illi erant posteri Edom, siue Esau. Sicut autem Esau odio habuit Iacobum fratrem: sic tota posteritas eius odio habuit Iacobitas, atq; vbi vbi potuit, malum ipsis intulit, adiungens se ho-

stibus ipsorum. Confer *Psal.* 137. *Summa*. Differi contra Idumæam. *Partes*. Est caput vnicum, cuius tres sunt partes. I. Comminatio ruinæ Idumæis impendentis ob mala Iudæis illata ad v. 12. II. Interdictio, qua Deus prohibet illa mala contra Ecclesiam ad v. 17. III. Promissio de liberatione, reliquo capite. *Doctrina*. Quamuis hic propheta sit omnium breuissimus, summatim tamen omnia veræ religionis capita comprehendit, Deum scilicet esse colendum in spiritu & veritate; proximum sincere esse amandum; salutem esse in Sion in ipso videl. Christo, & ipsius Ecclesia. Hinc patet hic contineri summam Legis & Euangelii.

Ionas.

Author. Prosopographia prophetæ est. v. 1. Vocatur à Doctoribus Ecclesiæ, *Propheta & Apostolus gentium*. *Occasio*. Deus in V. Testam. non solum Iudæorum, sed etiam Gentium habuit rationem. Itaque Ionam delegit, qui habitatores Nineues, quæ potentissima Assyriorum regia primum & metropolis fuit, ad resipiscentiam inuitaret. *Summa*. Narratur hic vocatio Ionæ duplex; describitur natura Dei, denique concio Ionæ habita ad Nineuitas, & concionis effectus. *Partes*. Post inscriptionem v. 1. sunt actus duo cum Iona. In actu primo est præceptio Dei, inobedientia Ionæ, pœna inobedientiæ, & resipiscentia. c. 1. & 2. In altero post inscriptionem cap. 3. v. 1. 2. est secunda Ionæ vocatio, cuius expendi debent antecedentia, modus, & consequentia. c. 3 4. *Doctrina*. Ionas typum gessit Christi morientis & resurgentis. Depingitur hic natura Dei, quod sit iustus, potens, misericors, & etiam Deus gentium. Ostenditur, quæ sit vera pœnitentia, quantaque hominis etiam renati superbia, qua vult suam existimationem saluam, licet id cum multorum detrimento coniunctum sit maximo. Occurrit etiam doctrina de ieiunio.

Micheas.

Author. Micheas vixit eodem tempore, quo Esaias, cuius videtur esse imitator. Multum itaque huius Prophetiæ collatio cum Prophetia Esaiæ conducet. *Occasio*. Deus hunc Prophetam excitauit, cum in vtroque regno omnes omnino ordines & status essent quam corruptissimi. *Summa*. Prophetat præcipue contra duas tribus, deinde contra decem illas: & reprehendit vtrobique reges, iudices, sacerdotes, & pseudoprophetas. *Partes*. Quinque hic sunt conciones. *I.* est c. 1. 2. contra regnum Iuda & Israel, exaggerans peccata & pœnas. *II.* est. c. 3. contra magistratus iniustitiam. *III.* est c. 4. 5. consolatoria, de misericordia Dei & aduentu Messiæ. IV. est c. 6. de beneficiis Dei, & ingratitudine populi. V. est expostulatio cum populo, & consolatio c 7. *Possunt* & tres partes constitui. *I.* Est comminatio generalis. c. 1. 2. Specialis c. 3. *II.* Est promissio c 4. 5. *III.* Est iterum comminatio c. 6. 7. ita vt sub finem sit consolatio addita. *Doctrinæ præcipua*: De officio

ctio magistratuum, pastorum & auditorum; de aduentu veri pastoris Iesu Christi; de vocatione gentium.

Nahum.

Author. Prosopographia authoris est c.1. v.1. *Occasio.* Est eadem, quæ dicta ad Prophetiam Ionæ, nisi quod Deus Nineuitis post prædicationem Ionæ ad impietatem relapsis, suam gratiam denuo hic offert per Nahumum. *Summa.* Prophetat contra Nineuitas, hunc in modum. Fingit à Deo feciales literas scribi, & mitti Assyriis, quibus bellum indicatur, ostendaturque quis & quam potens sit Deus ille Nineuitarum hostis, quas ob causas delere statuat vrbem tantam, & regnum vetustissimum, & hypotyposi subiicit, quomodo perditurus sit. *Partes.* Tres possunt constitui partes, prout tria sunt capita. In primo cap. generaliter vaticinatur de regni Assyriorum perditione. In 2. specialiter prædicit ad futurum hostem Babylonium. In 3. causam perditionis indicat, enumerans Assyriorum horrenda scelera, quorum summa genera sunt idololatria, latrocinia, & mendacium. *Doctrinæ.* Finis huius vaticinii est consolatio Iudæorum, quibus annunciat prædicationem pacis, indubie respiciens ad tempus N. T. Sic itaque hæc prophetia nobis non solum exhibet illustre & horrendum exemplum ruinæ imperiorum antiquissimorum & potentissimorum, sed sanguinariorum: sed etiam consolationem eximiam, qua se erigere possunt ii, qui tyrannide premuntur.

Habacuc.

Author. Prophetauit Habacuc tempore Ieremiæ, sub tempus regni Iosiæ desinentis, & sub regno filiorum eius. *Occasio.* Infinita scelera grassabantur in Repub. Iudæorum, adeo vt piis videretur Deus in vtramque quasi aurem dormire. Ideoque illi expostulabant cum Deo. Prodit igitur Habacuc, consolatur afflictos, & territat tyrannos. *Summa.* Vaticinatur contra Iudæos, & Babylonios; vltimo loco consolatur populum Dei. *Partes.* Post titulum v. 1. sunt tres partes. *I.* Est querela prophetæ de impietate Iudæorum ad v. 6. c. 1. *II.* Est responsio, in qua est comminatio de excidio Iudæorum per Chaldæos; & consolatio, qua Iudæis promittitur liberatio, Chaldæis deletis vsque ad c. 3. *III.* Est oratio Prophetæ c. 3. *Doctrinæ præcipuæ;* de vsu legis, de Christo & fide, de precatione primario fidei partu. Hinc patet prophetam hunc vrgere doctrinam legis, de qua cap. 1. & Euangelii, c. 2. 3.

Sophonias.

Author. Quis fuerit Sophonias, indicat titulus. v. 1. Fuit coætaneus Ieremiæ, & eadem ferme quæ ille, sed breuius & succinctius prophetauit. *Occasio.* Cum Iosias rex iusta reformatione restituisset religionem, erãt inter principes & è plebe non pauci, qui expectabãt restitutionẽ idolomaniæ.

Horum

Horum igitur per fidem impietatem hic accusat. *Summa.* Perstringit impietatem populi; denunciat vrbis & totius politiæ interitum, quem etiam Babyloniis denunciat; consolatur Iudæos liberatione per Christum prædicta. *Partes.* Tria sunt membra huius prophetiæ, prout totidem sunt capita. I. Prædicit impiis Iudæis interitum per vicinas gentes ob peccata, c.1. II. Iudæos hortatur ad pœnitentiam, & vicinis gentibus excidium minatur. cap.2. III. Iudæos partim obiurgat, partim consolatur præclarissima concione de Christi regno in vniuersum mundum propagando. c.3. *Doctrinæ insigniores:* de ingenio hominum, posteaquam tenebræ quæ occupauerunt Ecclesiam sunt discussæ; de regno Christi, & ipsius augusta maiestate.

Haggæus.

Author. Prosopographia authoris est c. 1. v. 1. *Occasio.* Populus è captiuitate Babylonica liberatus, segnior erat quam oportebat in restituendo templo. Hanc ingratitudinem Propheta accusat. *Summa.* Seuere perstringit populi ingratitudinem & auaritiam, atque ipsis minatur egestatem & calamitates varias, vt qui proprias quidem domos magnifice exædificarent, ad templi vero restitutionem nihil, vel certe parum conferrent. *Partes.* Partes sunt duæ; prima est legalis, de peccatis populi, & pœnis ob illa. c. 1. & 2. ad v. 5. altera est Euangelica, de Messia: reliquo capite. *Doctrinæ insigniores;* de ingenio hominum, quando aliquid conferendum est ad rerum sacrarum conseruationem; de regno Christi, & vera templi gloria, quæ est, si Christus in illo habitet.

Zacharias.

Author. Vide titulum v. 1. Eodem tempore cum Haggæo prophetauit. *Occasio.* Est eadem, quam diximus ad Prophetiam Haggæi. *Summa.* Tractat idem argumentum cum Haggæo, hortans populum, & maxime duces ad ædificium templi. Plura tamen habet de Christo, videlicet quod asino & pullo asinæ petiturus sit Hierosolymam, quod triginta argenteis sit vendendus & prodendus; quod latus ipsius sit perfodiendum. Plurimas etiam habet visiones, quas vt rite intelligas, confer hanc prophetiam cum Daniele. *Partes.* Capita hic liber habet quatuordecim, quorum duæ sunt summæ partes, prima est typica, altera didascalica. Typica complectitur typos hortatorios. c. 1. 2. 3. 4. monitorios. c. 5. consolatorios. c. 6. Didascalica est I. Simplex, de statu præsente. c. 7. 8. II. Prophetica, de Christo. à c. 9. ad finem. *Doctrinæ insigniores:* de resipiscentia; de maiestate Christi, apud Patrem intercedentis; de misericordia Dei, Ecclesiam restituentis; de Christi & Ecclesiæ bonis; de Ecclesiastica animaduersione in impios; de sanctificatione piorum in Christo, etiam cum degunt inter impios,

impios, de ieiunii vsu; de regno Christi, & Ecclesia ex Iudæis & Gentibus collecta.

Malachias.

Author. Quidam putant hoc non esse nomen proprium, sed appellatiuum, q.d. Angelum. Volunt autem vel Zachariam, vel Ezram intelligi hoc nomine. *Occasio.* Cum populus pergeret in peccatis post liberationē è captiuitate Babylonica, Deus hunc suum Angelum misit, qui illos in viam reuocaret, partim comminationibus legalibus, partim promissionibus Euangelicis. *Summa.* Acerbe admodum accusat sacerdotes, ipsorum inexplebilem auaritiam, ignauiam socordem, & libidinem fœdissimam taxans. Accusat item populum blasphemiæ. Postremo vaticinatur de tēporibus Messiæ. *Partes.* Duæ sunt partes. I. Est legalis, vbi agit in specie de corruptione status Ecclesiastici, & in genere de peccatis populi. c. 1. 2. II. Est Euangelica de Christo & præcursore ipsius Iohanne. c. 3. 4. *Doctrinæ insigniores:* de Ecclesiæ statu in his terris, quod semper habeat admistos hypocritas; de duplici aduentu Christi, in carnem, & ad iudicium; de ingratitudine erga ministros verbi; de timore Dei.

Atque hi sunt prophetæ, oratores illi, poetæ, & philosophi diuini, concionatores sacri, vitæ magistri, morum censores. Hi omnes omnia sua dicta, ad communem Bibliorum scopum, qui est Christus, dirigunt. Nam in historiis proponunt exempla fidei & vitæ; in orationibus accusant peccata contra primam & secundam tabulam, vt hominem conuincant miseriæ; in consolationibus respiciunt ad Christum, in quo omnes promissiones sunt Etiam & Amen.

CAP. CXXIII.

Character Euangelistarum.

SEquitur *character librorum Noui Instrumenti*; vbi in genere quædam notanda sunt.

Codicem SS. literarum appellamus Testamentum, Græce Διαθήκην, quæ vox hoc loco accipitur pro συνθήκη, vt ab Aquila vocem Hebraicam בריה *Berith*, versam esse testis est Hieronymus. Sumitur itaque pro fœdere; quia libris illis, quos Biblia appellamus, fœdus illud declaratur: quomodo nimirum Deus, violato per homines naturæ fœdere, aliud fœdus, quod gratiæ dicimus, in Filio suo Iesu Christo cum electis icerit, promissa illis remissione peccatorum, & legis suæ inscriptione in corda eorum. *Testamentum alias dicitur Instrumētū.*

Dicitur aliter *Instrumentum*; de qua appellatione duplex est sententia. Alii volunt, Scripturam dici instrumentum κατ᾽ ἐξοχὴν, quod sit instrumentum excellentissimum, quo Deus salutem procurat nostram quam

 effica-

efficacissime. Et hæc est Logica appellatio. Alii accipiunt hanc vocem politice, ita vt instrumentum sit idem, quod dispositio voluntatis. Et hoc sensu Sacrum Instrumentum erit idem plane, quod Testamentum Sacrum. Hoc *Testamentum*, siue Instrumētum sacrum, duplex est; *Vetus*, quod datum est populo Dei ante Christum ad fœdus Evangelicum seu gratiæ explicandum, modo isti populo conueniente: *Nouum*, quod veteri illi illustrando est additum, & Ecclesiæ post Christi tempora commendatum, tanquam fideli depositariæ. Vna ergo & eadem doctrinæ substantia continetur in vtroque hoc Testamento; discrimen in eo est, quod obscurius in V. clarius in N. hæc doctrina est proposita. Nouum etenim est complementum promissionum in V. T. factarum.

Quadruplex ordo librorum N.T.

Notatur autem quadruplex ordo librorum N.T. ab *Eusebio l.3.c.25.* I. Quidam erant indubitate canonici, vt 4. Euangelia, Acta Apostolorum, Epistolæ Paulinæ omnes, excepta illa ad Hebræos, prima epistola Petri, & prima Iohannis. II. De quibusdam fuit aliquando dubitatum, vt de epistola ad Hebræos, de epistola Iacobi, 2. Petri, 2. & 3. Iohannis, de epistola Iudæ, & de Apocalypsi. Hi libri tamen tandem sunt admissi, & quidem epistola ad Hebræos maturius à Græcis, quam Hebræis. III. Libri quidam nothi & adulterini sub Apostolorum nomine commendati sunt Ecclesiæ. Hi ab Ecclesia non quidem recepti, neque tamen etiam magnopere damnati fuerunt. Tale fuit Euangelium secundum Hebræos seu Nazarenorum, quod Hieronymus aliquoties citat, liber Pastoris seu Hermæ, Acta Pauli, Apocalypsis Petri. IV. Præter hos hæretici aliquos adhuc proferebant libros prorsus absurdos. Nos hodie admittimus XXVII. hoc modo: IV. Euangelia, Acta Apostolorum, XIV. Epistolas Pauli, Epistolam Iacobi, II. Petri, III. Iohannis, I. Iudæ, & Apocalypsin Iohannis. Hos sic diuidimus:

Libri N.T. sunt historici, didascalici, & vnus propheticus.

Historici, sunt 4. Euangelia & Acta Apostolorum.

Didascalici, sunt Epistolæ Apostolorum.

Propheticus, est Apocalypsis S. Iohannis.

Hi libri omnes sunt authentici in lingua Græca, quam Deus diuulgandis suis mysteriis delegit, vt ex angustis Iudææ finibus Euangelium suum in conspectum totius mundi cito proferret, cum nulla lingua isto tempore inter homines esset Græca vulgatior.

De quatuor Euangeliis hæc in genere notentur.

Vox Euangelium explicata.

Vox Euangelium est ambigua, sumitur late & stricte. *Late* accepta significat tria. 1. Rei lætæ annunciationem. 2. Præmium, quod rei lætæ nuncio solet exhiberi. Germani vocant Botenbrot. Sic Cicero ad Atticum ait: O suaues epistolas, quibus euangelium deberi fateor. 3. Sacra & supplicationes pro re benegesta. Duæ posteriores acceptiones apud profanos sunt

sunt vsitatissimæ. Prior in sacris locum habet, & notat synecdochice lætum illum nuncium, seu doctrinam de fœdere Dei, nobiscum inito in Filio ipsius. Et hoc sensu Euangelium etiam in V. T. fuit. *Stricte* significat doctrinam de vita, dictis & factis Christi, vt hoc in loco. Priori modo etiam epistolæ Apostolorum sunt Euangelia. Nam Euangelium, generaliter accepto vocabulo, est doctrina de Christo, fœderis Dei œconomo, deq; bonis, quæ ab ipso habemus. Hinc *Theophylactus in proœmio in Matth.* sic definit Euangelium, quod nobis nunciet res prosperas, & bene se habentes, vt-puta remissionem peccatorum, reditum in cœlos, adoptionem in filios Dei. Nunciat autem, quod facile & gratis hæc acceperimus, neq; nostro labore assecuti simus hæc bona, sed gratia & misericordia Dei. Porro narrationes Euangelicas habemus quatuor, tanquam quatuor flumina Paradisi, quemadmodum *Hieronymus* ex Origene loquitur, *in præfat. in Euangelistas.* His hortus ille Dei, Eclesia, irrigatur, vt efflorescat. Istis superuenientes epistolæ Apostolorum, doctrinam illam simpliciter narratam auditoribus ad ædificationem in fide & vita applicant, & felicis exitus prædictione Apocalypsis aduersus calamitates Christi nomine perferendas illorum animos erigit. Quod *Ezech.* I. dicitur de quatuor animalibus, veteres accommodarunt ad quatuor Euangelistas, quibus quasi quadrigis Christus vehatur: & quidem Matthæum inde facie hominis, Marcum leonis, Lucam vituli, Iohannem aquilæ, pingunt. Augustinus Matthæo leonem, Marco hominem; Græci Marco aquilam, & Iohanni leonem assignant. Rationem adferunt istam. Matthæus inchoat Euangelium suum à generatione Christi, vt hominis: Marcus à voce clamantis in deserto: Lucas à sacerdote: Iohannes autem assumtis quasi pennis aquilæ ad altiora festinans de verbo Dei disputat. Præter hæc quatuor Euangelia fuerunt & alia supposititia, vt illud iuxta Ægyptios, & Thomam, & Matthiam, & Bartholomæum; item Euangelium XII. Apostolorum, Basilidis, & Apellis. Sed illa non habent characteres & proprietates scriptorum Canonicorum. Quare illa quatuor solum agnoscimus, de quibus *Euseb. l.* 3 *hist. Ecclesiast. c.* 24. sic scribit; Iohannem tradunt vsque ad vltimum pene vitæ suæ tempus absque vllius Scripturæ iudicio Euangelium prædicasse. Sed cum horum trium Euangeliorum etiam ad ipsum notitia peruenisset, probasse quidem dicitur fidem & veritatem dictorum, deesse tamen vidit aliqua, & ea maxime, quæ primo prædicationis suæ tempore Dominus gesserat. Certum est, quod in tribus superioribus Euangeliis hæc videntur sola contineri, quæ in eo gesta sunt anno, quo Iohannes Baptista vel inclusus est in carcere, vel punitus.

August. Quatuor Euangelista sunt quadriga Domini, qua tanquã curru triũphali per orbem terrarũ vectus, odorẽ cognitionis spargat.

Rogatus igitur dicitur Iohannes Apostolus, vt ea quæ prætermierant priores ante traditionem Iohannis, Saluatoris gesta conscriberet. Hoc in loco non debeo præterire verba *Theophylacti in præfation. super Matth.*

Quatuor, inquit, sunt Euangelistæ; duo, Matthæus & Iohannes ex numero & choro duodecim sunt; Marcus vero & Lucas ex LXX. Erat autem Marcus discipulus & comes Petri, Lucas vero Pauli. Igitur Matthæus primus omnium scripsit Euangelium Hebraico idiomate, ad eos qui ex Hebræis crediderant, post octo annos assumti in cœlum Christi. Porro Iohannes ex Hebraica in Græcam, vt ferunt, interpretatus est. At Marcus post decem annos ex ore Petri edoctus conscripsit, Lucas autem post quindecim annos, denique Iohannes post 32. annos. Referunt enim, quod post mortem illorum superstiti allata fuerunt tria Euangelia, vt videret illa & iudicaret. Ad extremum & hæc notentur. I. Euangelistæ vrgent maximopere hosce duos syllogismos. 1. Qui est talis & talis, testibus Prophetis, est verus Messias. At Christus est talis. Ergo 2. Qui fecit miracula sua virtute, est θεάνθρωπος. At Christus. Ergo. Huc ergo omnia referenda fuerint in lectione Euangelistarum. II. Diligenter obseruandum est, quænam historiæ ab vno, quæ à pluribus, quæ ab omnibus simul recitantur: item, num eodem modo ab omnibus recitentur, an vero cum additione vel detractione aliqua. III. Euangelistæ, vt & Apostoli, duobus modis citant dicta V. T. Aut enim διάνοιαν, *sensum*, recitant: aut verba. Et verba quidem duobus modis citant. Nam vel retinent versionem LXX. Interpretum, dantes aliquid consuetudini & imbecillitati Iudæorum ἑλληνιζόντων; vel ipsi exprimunt archetypi Hebraici veritatem. IV. Cum Euangelistæ recitãt parabolas, oportet scopum talium parabolarum spectare. V. Hellenismi obseruari. De his vide appendiculam in *Lexico nostro Theologico*. Sed nunc videamus Euangelistas in specie.

Matthæus.

Matthæus Euangelista quis fuerit?

Author. Hoc Euangelium scripsit Matthæus, qui sic dicitur ab Hebraico *Mathan*, q. d. datus. Alio nomine dictus fuit *Leui*, id est associatus. Hinc quidam colligunt, ipsum ex tribu Leui oriundum fuisse. Binomius ergo fuit. Patrem habuit Alphæum Galilæum. Ante conuersionem fuit publicanus, quod vitæ genus initio fuit honestissimum, auctis deinceps in eos, à quib. tributa colligebant, iniuriis, non modo ignominiosum apud Iudæos, sed & infame apud Roman. fuit. Ab hoc vitæ genere Matthæus subito vocatus est à Domino, quem è vestigio secutus est. Post Christi in cœlos ascensionem, Euangelium docuit apud Iudæos primum, deinde ad gentes abiturus, eandem doctrinam scripto reliquit anno salutis 41. sub Caligula Imperatore. Dehinc in Macedonia, Ponto, & Asia docuit: postea in Ægyptum peruenisse dicitur, & Nadaberæ apud Eunuchum illum reginæ Candaces, de quo *Act. 8.* substitisse, & doctrinam suam miraculis confirmasse, detectis ibi imposturis Magorum. *Euseb. l. 3. c. 1.* Nam regis Ægyptii defunctum filium Euphronymum à morte excitauit. Anno

80. Chri-

so. Christi, cum Euangelium annos 66. docuisset, confossus est gladio à Satellite regis Ægypti, qui regnum vi occupauerat. *Occasio.* Voluit peculiariter hac scriptione inseruire Iudæis, qui Hierosolymis crediderant. *Euseb. l. 3. c. 24.* ait: Primo Matthæus Hebræis prædicauerat. Verum, cum pararet transire ad gentes, patria lingua scripturam composuit, & ea quæ prædicauerat comprehendens, dereliquit his ad memoriam, à quib. proficiscebatur, vt gentib. prædicaret. *Chrysosto. in opere imperf. in Matt.* author est, Matthæum perculsum persecutione in Palæstina scripsisse Euangelium, ne & doctrina, & doctorib. fidei carerent. *Doroth. in synopsi* addit, quod Euangelium suum Iacobo reliquerit Hierosolymis. *Hieron.* refert, suo tempore in bibliotheca Cæsariensi, quam Pamphilus Martyr collegit, Hebraicum textum Matthæi asseruatum fuisse. Verum si Matthæus scripsit Hebraice, hoc non accipiendum est de lingua Hebraica pura, sed de Syriaca, quæ tum fuit vernacula, vti *VVidmanstad.* & *Guido Fabric.* hoc recte explicant. *Athanas. in synopsi* ait, hoc Euangelium conuersum esse in linguam Græcam à Iacobo Apostolo. Sed cum Iacobus & Petrus ea, quæ peculiariter Iudæis inscripserunt, Græce scripserint: probabile est, Matthæum quoque scripsisse Græce. Nam aliquoties iam diximus, linguam Græcam tum temporis fuisse vulgatissimam. Certe Hebraicum exemplar, quod hodieque circumfertur, non est Matthæi. Vt vt autem hæc res se habeat, nos exemplar Græcum habemus pro authentico, cum Apostolis adhuc viuentibus illud fuerit receptum.

Matthæus suum Euangelium destinauit Hebræis, reliqui tres Euangelistæ Gentibus.

Partes. Partes libri duæ sunt. I. De Christi natiuitate. c. 1. II. de Christi nati statu, qui duplex, exinanitionis, & exaltationis. Est autem exinanitio alia ante passionem à c. 2. ad 16. alia ad passionem spectans ad v. 51. c. 26. alia eam secuta, inde ad c. 29. Status exaltationis describitur c. 28. Nota hic versum memorialem, quo historiam passionis Christi in sex actus diuidunt:

Cœna, Hortus, Caiphas, Pilatus, cruxque, sepulchrum.

Marcus.

Author. Marcus sic dictus est nomine Latino, quod à Martio nomen habet. Nam sic dicebantur, qui Martio mense nati, vt vult *Probus.* Alio nomine appellatus fuit Iohannes *Actor. 12. v. 12. c. 15. v. 37.* Mater eius fuit Maria: *Act. 12. v. 12.* De patre nihil habent sacræ literæ. Dicitur Barnabæ consobrinus *Col. 4. v. 10.* Fuit discipulus Petri, genere Leuita, è numero Lxx. discipulorum, vt tradit Hieronymus. Quod si ita est, & vidit Dominum, & audiuit. Communiter tamen ita statuunt, Matthæum & Iohannem fuisse duos auritos & oculatos Christi testes. Sed redeamus ad Marcum. Quod si non fuit è numero istorum Lxx. tamen fuit vir Apostolicus, qui aliquamdiu secutus est Paulum & Barnabam, quorum minister

Prosopographia Marci Euangelist.

dicitur *Act. 12. v. 25. & 13. v. 5.* Postea cum controuersia inter Paulum & Barnabam super Marco orta esset, vixit cum Petro, *1. Pet. 5.* vnde ex ore illius scripsisse fertur Euangelium, idque in Italia.

Occasio. Ecclesia Romana non satiabatur audiendo Petrum, ideoque Marcum eius discipulum exorauit, vti illa, quæ Petrus verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, Scripturæ traderet: quodque Marci illi obsequentis factum Petrus probarit & confirmarit, traditur in *histor. Ecclesiast. Eusebii lib. 2. c. 15. & l. 6. c. 11.* Narrant etiam, quod Marcus in Ægyptum perrexerit, & Alexandrinam Ecclesiam amplissimam constituerit; vbi & sepultus esse traditur. Quod Latine prædicauerit & scripserit suum Euangelium, supra à nobis reiectum fuit. Quidquid horum sit, Marcus nobis reliquit compendium historiæ Euangelicæ. Nam quæ Matthæus copiosius describit, compendiose complectitur, quibusdam hinc inde additis.

Partes. Duæ constitui possunt partes. I. Describuntur ea, quæ Iesus docuit & fecit in Galilæa à c. 1. ad 10. II. Describuntur ea, quæ docuit, fecit, & passus est in Iudæa, à c. 10. ad finem. Sic diuidit *Petrus Palladius in isagoge sua ad libros Propheticos & Apostolicos.*

Lucas.

Lucas Euangelista quis fuerit?

Author. Quidam putant nomen *Lucas* esse Hebraicum, q. d. לוקם *La Kam*, ipsi resurrectio. Sed verisimilius est, nomen Romanum esse, ita vt Lucas sit idem qui Lucius. Sic autem dicebantur, qui Oriente Luce nascebantur. *Hieronymus & Theophylactus* docent, patriam ipsi fuisse Antiochiam Syriæ. Ante vocationem ad ministerium Christi, medicinam fecit, vnde *Col. 4. v. 14.* appellatur medicus. Etiam insignem pictorem fuisse refert Nicephorus *l. 6. c. 16. & l. 15. c. 14.* In initio Euangelii sui testatur, se historiam Euangelicam hausisse ab oculatis testibus, id est, Apostolis. *Theophylactus & Epiphanius* existimant, eum fuisse ex LXX. discipulis: & *Theophylactus* insuper author est, eum cum Cleopha primum occurrisse resurgenti Christo. *Hieronymus, Eusebius & Nicephorus* putant, Lucam à Paulo conuersum esse Thebis, & authoritate Pauli scripsisse Euangelium. *Epiphanius* author est, eum vixisse vitam cœlibem, & docuisse primum in Gallia, Italia, Macedonia, & Dalmatia. *Dorotheus* vult ipsum scripsisse Euangelium ad cohortationem Petri, Acta autem de voluntate Pauli. *Nicephorus* tradit, anno decimo quinto post ascensionem Domini, ipsum scripsisse Euangelium. *Hieronymus* addit, illum scripsisse in partibus Achaiæ. De morte illius variant authores. *Hieronymus* ipsum putat occisum esse in Bithynia. *Dorotheus* ait, Ephesi mortuum. *Nicephorus* suspensum affirmat ex fructiferæ oleæ arbore. *Hieronymus* etiam habet, quod sepultus sit Constantinopoli, quo ipsius ossa sint translata vna cum reliquiis Andreæ Apostoli, anno Constantini 20.

Occasio.

Occasio. Occasio scribendi fuit mandatum Petri, vel Pauli, vt dictum: vel forte petitio Theophili, cui vtrumq; suum librum inscripsit. Hunc virum senatorii ordinis fuisse quidam existimant. Alii id nomen habent pro epitheto cuiusque pii.

Partes. Historiam Euangelicam paulo altius orditur, quam cæteri; nimirum à conceptione Iohannis & Christi, non solum quatenus illa facta, sed etiam prædicta fuit ab Angelo. Hinc illius libri partes post præfationem de fine libri, constitui possunt tres. *I.* De iis, quæ Christi natiuitatem præcesserunt, cap. 1. II. De Christi natiuitate. ca. 2. III. De Christi nati statu, tum exinanitionis, tum exaltationis.

Hic obserua, nonnullis placere hanc methodum, vt Euangelicam historiam partiamur in ea quæ Christus docuit, & fecit: & ea quę docuit, subdiuidamus in simplices, & parabolicas conciones.

Iohannes.

Author. Iohannes alius fuit Baptista, præcursor Domini, ab Herode sublatus: alius Euangelista, vt ille, de quo nos agimus hoc loco. Christus nomen huius, vt & Iacobi, mutauit, illosque vocauit Boanerges *Marc. 3. v. 17.* Patria ei fuit Bethsaida, quę postea dicta est Iulias, à Iulia Augusti filia. Pater ei fuit Zebedæus piscator, mater Salome. Idem vitę genus initio Iohannes cum patre secutus est. *Matth. 4. v. 21.* Post vocationem, Christo ardentissime adhæsit. Cœlibem vixisse tradunt; etsi quidam eum Canæ in Galilæa sponsum fuisse existimant. *Tertullian.* author est, eum Romæ sub Nerone in feruentis olei dolium coniectum fuisse ante portam Latinam, sed illæsum inde exiisse. Domitianus eum in Insulam Pathmon relegauit, vnde sub Nerua tandem reuocatus, Ephesum reuersus est anno ætatis suæ 57. & postea ibi vixit & docuit, ad annum ætatis 99. ferunt, quod sibi suis manibus sepulchrum parauerit. Discipulos reliquit Papiam Hierosolymitanum, Polycarpum Smyrnæum, & Ignatium Antiochenum, Episcopos. Sub finem vitæ scripsisse fertur hoc Euangelium. Scripsit etiam tres epistolas, & Apocalypsin. *Iohan. Euangelista quis fuerit?*

Occasio. Cum ex Pathmo rediisset, fratres Asiatici eum rogarunt, vt historiam Euangelicam scriberet contra quosdam hæreticos, Christi cumprimis deitatem negantes, vt erant Ebion & Cerinthus. Hinc sortitus est nomen Theologi; quia deitatem τȣ̃ λόγȣ præ cæteris asseruit.

Partes. Hoc Euangelium in duas partes diuidi potest, ita vt pars *I.* sit doctrina de persona & officio Christi, vsque ad c. 1. v. 43. *II.* Sit historia rerum, quas Christus egit & passus est. Hæc historia diuidi potest in tempus, quod antecessit quinque illas solennes profectiones Christi Hierosolymam versus ad Pascha celebrandum, à c. 1. v. 43. ad c. 5. & in ipsas profectiones, de quibus vide supra Chronologiam.

Acta Apostolorum.

Author. De authore huius libri Luca diximus supra. Putatur autem Lucas hunc scripsisse Romæ, dum in vinculis teneretur Paulus.

Occasio. Videtur rogatus fuisse à fidelibus, qui erant Romæ, vt hæc acta conscriberet.

Partes. Hic liber post transitionem, qua connectitur cum Euangelio, continet historiam I. Vniuersalem, quæ spectat omnes Apostolos vsq; ad c.13. II. Particularem, de Paulo, inde vsque ad finem. *Hugo Cardinalis* diuidit in tres partes. In prima determinat Lucas quædam communia omnibus Apostolis ad c.9.v.32. In secunda actus Petri, inde vsque ad c.13. In tertia Pauli ad finem.

CAP. CXXIV.

Character Epistolarum.


Sequuntur libri N.T. *dogmatici, qui veniunt nomine epistolarum, quarum characteres videbimus*; ad singulas dicturi, ad quos, quaque occasione scriptæ, quæ sint illarum partes, & præcipui loci doctrinæ. Hic illud in genere notabis, omnes epistolas hunc scopum habere communem, vt doceant de fide. Item illud, Epistolas Apostolorum esse tanquam sigilla & subscriptiones, item testimonia & illustrationes eorum, quæ scripta sunt ab Euangelistis: vt, Ego Paulus sic subscribo Euangelio Matthæi, Ego Petrus sic subscribo.

Epistola ad Romanos.

Antequam in specie de hac epistola dicamus, operæ pretium erit quædam præmittere de Apostolo Paulo. Epistolas scripserunt Apostoli ideo, vt quos ipsi non poterant præsentes in Christianismo informare, vel confirmare, eos hac ratione instituerent. Quo ordine sint conscriptæ, non liquet omni ex parte. Pauli epistolæ, vtpote complures, primum locum sortiuntur. Hic ante conuersionem dictus fuit Saulus q. d. postulatus. Pauli nomen est Romanum. Sic dicebantur Romanis, qui non erant vsquequoque grandioris staturæ. Videtur autem Apostolus hoc nomine delectatus propter Gentes, quib. Doctor erat constitutus. His n. Sauli nomen ignotum erat. Hieronym. & alii quidam existimant, illi hoc nomen impositum esse ex eo, quod Sergium Cypri proconsulem conuertit, vt est *Act.*13. Sed antea illum habuisse hoc nomen constat. *Alii* putant, Paulum mutasse nomen suum ob mutatam religionem. *Alii* rectius sic statuunt, quod Paulus fuerit binomius, sicut omnes Iudæi, qui donati erãt iure ciuitatis Romæ. Itaq; nomen Sauli fuit gentilitium, inditum ipsi à parentibus ad genus & religionem indicandam: Pauli aũt nomen fuit superadditum, vt ius Romanæ ciuitatis testaretur. Nam parentes hunc honorẽ, qui

Nomẽ Paulus vnde?

qui tunc magno æstimabatur, obscurari in ipso nolebant; neque tanti ducebant, vt Israelitici generis nomen abiicerent. Porro patria huic Apostolo fuit Tharsus vrbs Ciliciæ. Natus est ex tribu Beniamin, vsus præceptore Pharisæo Gamaliele. *Actorum 5. & 22.* Artem texendi aulæa calluit, & in faciundis tentoriis pelles consuere doctus fuit, eamque artem etiam post conuersionem exercuit. Hic nota Iudæos olim solitos esse cum exercitio legis coniungere artem aliquam manuariam, vt testatur dictum, quod hodie vsurpant: *Pulchra est doctrina legis cum artificio aliquo coniuncta.* In Christianismo doctorem habuit ipsum Christum, qui ex lupo non solum ouem, sed etiam insuper pastorem fecit, & insignem Christianismi defensorem: vnde per antonomasiam dicitur Apostolus. De ipsius peregrinationibus vide Acta, Eusebium item & Nicephorum. *Clemens Alexandrinus l. 3. Stromatum, Euseb. l. 3. cap. 30. & Niceph. l. 2. c. 44.* tradunt, Paulum vixisse in matrimonio. Alii cœlibem mansisse contendunt. Ipsius opera γνήσια omnia sunt epistolici generis, & sic subdiuidi possunt.



Citatur etiam epistola ad Laodicenses, & liber Actorum Pauli, & alia quædam apud Clementem; & Apocalypsis Pauli, de qua *August. tractat. in Iohan. c. 28.* qua dixerunt contineri ea, quæ Apostolus audierit in tertio cœlo. Sunt etiam in libris Senecæ quædam epistolæ Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. Cæterum, quo ordine sint exaratæ epistolę Paulinæ, in Chronologia indicauimus. Docti quidam viri hoc ordine illas commemorant.

Epistolæ Pauli scriptę sunt vel ante captiuitatem ipsius, vt: 1. & 2. ad Thessal. 1. ad Timoth. 1. ad Corinth. 2. ad Corinth. ad Titum. ad Romanos, vel, in captiuitate, seu libera custodia; Romæ intra biennium scri-

psit ad Philipp. ad Coloss. ad Philemon. ad Ephes. 2. ad Timoth. ad Galat. ad Hebr.

Mors Pauli Apostoli. Nos sequemur ordinem, quo hodie commemorantur in Bibliis. De morte Pauli iam paucis dicendum. Roma sub Nerone truncatus est capite, eodem die (vt quidam tradunt) quo Petrus ibidem crucifixus est. De ceruice Pauli dicitur profluxisse magis vnda lactis, quam sanguinis. Vide *Euseb. l. 2. c. 25. Niceph. l. 2. c. 25. Augustin. de consensu Euangelist. c. 12. & in orat. de sanctis. Marullus l. 6. c.* 16. ait: Pauli Apostoli caput à corpore dissectum, ter per humum prosiliit, ter Iesu Christi nomen inuocauit, tres fonticulos, qua saliendo terram contigit, scaturire fecit &c. Tradunt ipsum sepultum Romæ in via Ostiensi, quod ciuis Romanus esset. *Euseb. l. 2. c. 25.* Nicephorus refert Paulum ante mortem cum Nerone esse collocutum, eique tandem promisisse suum reditum, tertio à morte die, idque ita contigisse, adeo vt viderit expressam Pauli vmbram Nero, eamque voluerit apprehendere, sed non potuerit. Id factum est ad confirmationem innocentiæ Pauli, & veræ religionis.

Nunc in specie videamus singulas Pauli epistolas.

Epistola Pauli ad Romanos. *Epistola ad Romanos* ideo præposita videtur, quia princeps quæstio de hominis salute in ea copiosius, quam in cæteris epistolis tractatur.

Ad quos scripta? Inscripta est Romanis, hoc est, fidelibus, qui tum temporis Romæ ex Iudæis & Gentib. Christo nomen dederant. Hos à Petro ante aduentum Pauli institutos esse volunt. Aliis placet, illos informatos fuisse ab Andronico & Iunia, de quibus cap. 16. v. 7. *Occasio.* Voluit Apostolus fideles, quorum fides erat nominatissima in toto fere mundo, confirmare hoc scripto; quo complexus est summam Christianismi luculentissime, ita vt hæc epistola recte vocata sit *clauis scripturæ*, item *methodus scripturæ.* Ad hoc etiam accessit studium, quo aliæ Ecclesiæ, de quibus cap. 16. ferebantur erga Romanos.

Partes epistolæ præter illa, quæ dicuntur τὰ πρὸ τῆς ἐπιστολῆς & clausulam, sunt quatuor. Nam Apostolus docet. I. De iustificatione ad cap. 6. II. De sanctificatione. c. 6. 7 8. III. De prædestinatione. c. 9 10. 11. IV. De bonis operibus: inde ad cap. 16.

Præcipui loci sunt: de peccato, de cognitione Dei naturali, de iustificatione legali & Euangelica, de fide, de lucta carnis & Spiritus, de amore & gratia Dei, de electione, de conuersione Iudæorum, de studio bonorum operum, de magistratu. Ad summam: Apostolus duas propositiones vrget in hac epistola, legalem & Euangelicam. Legalis est: Omnes homines sunt peccatores. Euangelica est; Homines iustificantur gratis per fidem in Iesum Christum, quæ fides est efficax per bona opera.

Prior ad Corinthios.

Ad quos scripta? Corinthus fuit celebris vrbs Achaiæ, vbi Apostolus ad

ad annum & sex menses subsistit, magnumque numerum fidelium lucrifecit. *Actor.* 18. Cum autem obstinati Iudæi mouissent seditionem, confirmatis in fide fratribus, inde discessit. Ab eo tempore falsi apostoli Corinthios circumuenire studebant & vero à recto tramite abducebant. Quare in viam eos reuocat Apostolus hoc scripto. Accessit quorundam petitio, qui per literas Apostolum consuluerunt. Vnde iam constat, quæ fuerit *occasio* scribendi.

Partes. Diuidi potest hæc epistola in quinque partes.

I. Ab initio vsque ad cap. 5. Apostolus versatur in explicanda prima tabula Decalogi.

II. A cap. 5. ad 8. inuehitur in quædam vitia contra secundam tabulam.

III. A cap. 8. ad 12. disserit de libertate Christiana, illius vsu & abusu.

IV. A 12. ad 15. enarrat Dei dona varia; eius gratiam commendat; & ministerium verbi extollit.

V. A cap. 15. ad finem, disserit de resurrectione mortuorum, agit de collectis, & concludit epiphonemate terribili: *Si quis non amat Dominum Iesum Christum, sit anathema Maran Atha.*

Loci præcipui; de vsu legis (tota enim epistola est legalis) de Philosophia seculari: de simplicitate Euangelii, de dignitate ministerii sacri, de luxu, de coniugio, de cœlibatu, de libertate Christiana, de charismatis Ecclesiæ, de dono linguarum & prophetiæ, de charitate, & de resurrectione carnis.

Posterior ad Corinthios.

Ad quos scripta sit hæc epistola iam diximus. *Occasionem* illi scribendæ præbuerunt pseudapostoli, qui pro sua maleuolentia Pauli sermones & actiones calumniabantur. Nam quod promissionem de aduentu suo factam non impleuisset, leuitatis vitio ei vertebant; quod incestuosum Satanæ tradidisset, ambitionis ipsum, tyrannidis, & indignæ seueritatis arguebant; Legis authoritatem ab eo imminui, atque ita morum dissolutioni ipsum fauere clamabant, in literis quidem gloriosum, cætera contemtum hominem esse criminabantur. Has calumnias euertit hoc loco Paulus, ita vt hæc epistola sit apologia, cui additur consolatio. Differt igitur à priori, vt oleum à vino, seu Euangelium à Lege.

Partes sunt quatuor. I. Complectitur commendationes, quibus Paulus testatum facit suum erga Corinthios affectum, & commendat Euangelii ministerium, ad cap. 6. II. Pars continet adhortationes ad bona opera, patientiam & eleemosynas. ad cap. 10. III. Complectitur inuectiuas varias in falsos apostolos. ad cap. 11. IV. Habet comminationes directas ad Corinthios non resipiscentes cap. vlt.

Loci præcipui; de collatione legis cum Euangelio; de magnificentia Euangelii; de miseriis ministrorum verbi; de prospero prædicationis Euangelii successu; de beneficentia in pauperes; de asserenda propria authoritate; de reuelationibus; de affectu pastoris erga auditores.

Epistola ad Galatas.

Galatæ qui fuerint?

Ad quos scripta? Galatæ, qui & Gallo Græci, fuerunt populi Asiæ minoris, qui ex Gallia Europæa illuc olim ingressi inter Bithyniam & Cappadociam sedes obtinuerunt, vt est apud *Strabonem l. 12. Iustinum l. 25. initio. Liuium l. 8. decade 4. Plin. l. 5. c. 32.* Cum his Apostolus bis fuit: & primo quidem alio vocatus à Spiritu Sancto, illic subsistere fuit prohibitus, vt est *Actor. 16.* Deinde eo reuersus, diuina benedictione constituit Ecclesiam florentissimam.

Occasio. Pseudapostoli post discessum Pauli multa cœperunt innouare; Iudaismum cum Christianismo miscentes, & circumcisionis obseruandæ necessitatem vrgentes. Quare Galatas ab erroribus in viam reuocare hac epistola conatur Apostolus.

Partes tres sunt. I. Initio epistolæ multis agit de vocatione sua, vt authoritatem sibi asserat Apostolicam, quam hostes gratiæ collapsam cupiebant. cap. 1. 2. II. Disputat de iustificatione per fidem in Christum, contra iustificationem legis & operum. c. 3. 4. III. Format vitam iustificatorum fide, tanquam fructum fidei. c. 5. 6. Hinc liquet hanc epistolam esse velut epitomen & compendium eius, quæ ad Romanos scripta est.

Loci præcipui; de iustitia fidei & operum, de pseudapostolis, de hostibus gratiæ, de fructibus fidei, de libertate Christiana.

Epistola ad Ephesios.

Ephesus qualis vrbs?

Ad quos scripta? Ephesus fuit vrbs in litore maris Ionii, spectans ad occasum minoris Asiæ, olim emporium amplissimum, sed magicis artibus deditissimum. Ibi enim erat magna Ephesiorum Diana, illiusque templum. Bis ad huius vrbis incolas venit Apostolus Paulus: primo humaniter exceptus, sed tamen inde Hierosolymam festinans. Interim religionis quædam ibi sparserat semina. Mox eodem reuersus, vltra biennium ibi mansit, & Ecclesiam Christo collegit quam felicissime.

Occasio scribendi hanc epistolam non videtur Paulo data, sed ab ipso quæsita: vt nimirum morti vicinus Ephesios ad constantiam in Christiana professione cohortaretur.

Partes. Hæc epistola est amplificatio loci de Iustificatione & reconciliatione, satis copiosa, per omnes causas. Hinc mirabilis atque profunda Euangelii commendatio, longaque beneficiorum Dei in negotio salutis nostræ commemoratio. Diuidi autem potest in duas partes principales, in ar-

in arborem scilicet & fructus arboris, hoc est, in doctrinam iustitiæ fidei, & bonorum operum.

Summa prioris partis à cap. 1. ad 4. consistit in his beneficiis Dei nobis in Christo exhibitis, per fidem apprehendendis. 1. Benedictio spiritualis. 2. Electio. 3 Adoptio. 4. Beneplacitum Dei. 5. Gloriosa gratia. 6. Redemtio. 7. Remissio peccatorum. 8. Vocatio. 9. Euangelium. 10. Spiritus promissionis. 11. Fides. 12. Spiritus Sapientiæ. 13. Dilectio, qua Deum diligimus. 14. Cognitio vocationis. 15. Cognitio virtutis Dei. 16. Vocatio gentium. 17. Passio Christi. 18. Annunciatio pacis. 19. Charitas Christi. 20. Plenitudo Dei. Hic est verus & summus Christianorum thesaurus, κειμήλιον pretiosissimum, ex longitudine, latitudine, altitudine, & profunditate dilectionis Christi collectum.

Posterior pars à cap. 4. ad finem complectitur fructus fidei, qui sunt numero *XII*. Humilitas, Lenitas, Patientia, Charitas erga proximum in omnibus donis, Nouitas vitæ, Veritas, Iustitia, Benignitas, Misericordia, Castitas, Odium Diaboli, Amor & Timor Dei. Hæ 12. virtutes respondent 12. portis Hierosolymæ cœlestis: & constituunt πανοπλίαν illam militis Christiani; sic possumus illustrare: Militis Christiani

I. Lumbi, habeant baltheum veritatis.
II. Pectus, thoracem iustitiæ.
III. Pedes, calceos Euangelii pacis.
IV. Manus, scutum fidei.
V. Caput, galeam salutis.
VI. Latus, gladium Spiritus.
VII. Cor, sagittas, quæ sunt quinque, videlicet oratio, obsecratio, deprecatio, gratiarum actio, vigilantia.

Loci præcipui quinam sint ex traditis planum est.

Epistola ad Philippenses.

Ad quos scripta: Philippi, vrbs Thessaliæ, primo dicta fuit Dathos; sed postea illam instaurauit Philippus Macedo, & à nomine suo Philippos nuncupauit. Sed hæc vrbs hic non intelligitur, sed altera, quæ hoc eodem nomine fuit in Thracia. *Philippi, duæ vrbes hoc nomine.*

Occasio. Pseudapostoli videntur Apostolo ansam præbuisse, calumniando ipsius vincula, & doctrinam de iustificatione.

Partes, duæ sunt. I. Videtur apologetica, in qua hortatur Philippenses, ne offendantur vinculis ipsius, sed intrepide pergant in cursu cœpto, & caueant à pseudapostolis, legem cum Euangelio confundentibus. c. 1. 3. II. Est didascalica, in qua hortatur ipsos ad humilitatem omninoque studium bonorum operum. c. 2. 4.

Loci præcipui; de scandalo, de patientia, de vtilitate afflictionum, de humi-

humilitate, de iustitia fidei & operum, de vero gaudio, de perseuerantia.

Epistola ad Colossenses.

Ad quos scripta? Colossæ, siue Colossis, fuit oppidum in Phrygia, non procul à Laodicea. *Strab. l.* 10. Hoc sub Nerone, vt author est Orosius, vna cum Laodicea & Hierapoli, terræ motu concidit.

Occasio. Apostolo videtur occasio data à pseudapostolis, qui criminabantur doctrinam de iustitia fidei.

Partes. Hæc epistola est fere eadem cum illa ad Ephesios, nisi quod hæc est breuior. Quemadmodum igitur epistola ad Galatas methodus est siue compendium epistolæ ad Romanos: ita hæc epistola est methodus, siue compendium epistolæ ad Ephesios. Summa est, nihil tam esse aduersum fidei & saluti nostræ, quam si quis ratione sua velit æstimari ea, quæ Dei sunt. Cæterum diuidi debet in duas partes, sicut & Epistola ad Romanos, Galatas & Ephesios, nempe in arborem & fructus, seu in doctrinam fidei & charitatis. Doctrina fidei proponitur c. 1. & 2. Doctrina morum, cap. 3. 4. vbi est œconomica sacra.

Loci præcipui; de fide, de Euangelio, de falsis doctrinis, de nouo & vetere homine, de œconomicis præceptis, de precatione.

Prior ad Thessalonicenses.

Thessalonica qualis vrbs?

Ad quos scripta? Thessalonica fuit vrbs primaria Macedoniæ, olim Therma, vnde sinus, ad quem condita fuit, Thermaicus est appellatus. Mutati nominis hanc rationem adferunt. Philippus in his locis memorabili prælio vicerat Thessalos, in cuius rei memoriam, vicinam vrbem Thessalonicam nuncuparunt, quasi dicat, θεσσαλῶν νίκην. Vendita est Venetis ab Andronico, sed non diu possessa. Nam mox à Turcis, vt alia Græciæ loca, occupata. Quomodo Apostolus venerit ad Thessalonicenses, & quam diligenter eos instituerit, videre est *Actorum* 17.

Occasio, prout ex *Act. d. l.* & c. 2. & 3. huius epistolæ colligitur, fuit ista. Apostolus feliciter instituerat Thessalonicenses, & per tria Sabbata ibi in Synagoga publice docuerat. Verum tumultu per Iudæos excitato, cedere fuerat coactus. Abiens autem Athenas, Timotheum ex itinere remiserat ad eos fidelium confirmandorum causa, vtque omnem statum ad se referret. Quare posteaquam Athenis cognouit ex Timotheo de illis, hanc epistolam exarauit, vt confirmaret ipsos in doctrina, & quosdam illorum næuos emendaret.

Partes sunt duæ, I. Commendatoria, vbi commendat fidem & constantiam Thessalonicensium, & de suis periculis disserit. c. 1. 2. 3. II. Præceptiua (?) deutica, vbi eos dehortatur à vitiis, & ad exercitium bonorum operum hortatur, argumento ducto à resurrectione nostra. cap. 4. 5. nisi velis tertiam

tiam partem facere dogmaticam de extremo iudicio.c.5.id quod videtur rectius.

Loci præcipui, de ratione commendandi auditores, de periculis ministrorum verbi, de patientia, de imitatione Christi & bonorum, de luctu circa mortuos, de vltimo iudicio & præparatione ad illud, de regulis vitæ.

Posterior ad Thessalonicenses.

De iis, *ad quos scripta* sit hæc epistola, modo dictum est. *Occasio.* Apostolus aduentum suum promiserat Thessalonicensibus superiori epistola. c.2.v.17. Insuper de aduentu Domini disseruerat.c.4.& 5. Hinc fluxerat sinistra opinio, Dominum eo ipso seculo venturum. Cum igitur in aduentum suum quædam reiecisset, & vidisset occasionem ad Thessalonicenses proficiscendi sibi denegari, hanc illis erudiendis & corrigendis epistolam inscripsit.

Partes tres sunt, prout tria sunt capita. I. Gratulatur Thessalonicensibus fidem, dilectionem & perseuerantiam, eosq; laudat.c.1. II. Suam sententiam de extremo iudicio explicat.cap.2. III. Parænefes aliquot instituit, cumprimis de labore manuum, & excommunicatione.c.3.

Loci præcipui, de commendatione auditorum, de regno Antichristi, de electione, de labore & otio, de excommunicatione.

Prior ad Timotheum.

Ad quem scripta? Tradunt Timotheum fuisse Lycaonicum patria. *Act.*16. habetur, quod matre Iudæa, patre Græco sit natus: vnde in prima infantia circumcisus fuit ex religione matris. A matre & auia in S. literis à puero institutus fuit. 2.*Tim.*1.*v.*5 *c.*3.*v.*16. Nactus est deinde præceptorem Paulum, qui eum suorum itinerum comitem habuit, interdumque eo vsus est ceu legato. Hinc honorifica illius & operum eius mentio *Act.*16.*v.*19.20. *Rom.*16.1.*Corinth.*4.*&* *c.*16.*Phil.*2.1.*Thessal.*3. Hinc factum, vt in scribendis quibusdam epistolis eum sibi coniunxerit. De morte illius nihil certi refertur. Sunt qui martyrio coronatum dicant. *Hieronymus & Nicephorus* tradunt, ossa illius vna cum reliquiis Andreæ & Lucæ Constantinopolim esse tralata ab Imperatore Constantino. *Timotheus quis fuerit?*

Occasio, prout ex *c.*1.*&* *Act.*10. colligitur, sic habet. *Apostolus* in Macedoniam profecturus, Ephesi Timotheum reliquerat, vt obstaret corruptelis doctrinæ sanæ, & ministros illius Ecclesiæ constitueret. Quare ipsum admonet, quomodo in officio suo gerere se debeat. Hic nota, gradatim in functionum commendatione procedendum esse. Timotheus est primo comes Pauli, mox legatus, dehinc episcopus Ephesinus.

Partes sunt tres. I. Continet varias monitiones, de Iudæorum erroribus,

ribus, de bona militia, de precibus, & officio ministrorum Dei c. 1. 2. 3. II. Complectitur Prophetiam c. 4. ad v. 7. III. Rursus habet varias monitiones ad ministros verbi Dei, ad viduas, ad auaros &c. inde ad finem libri.

Loci præcipui, de absolutissimo exemplari episcopi, seu ministri verbi Dei, de ornatu mulierum, de precatione, de vitandis quæstionibus inutilibus, de signis Antichristi, de conscientiæ cauterio, de viduarum officio, de presbyteris, de mediocritate, de abusu diuitiarum.

Posterior ad Timotheum.

Quis sit, *ad quem scripta* est epistola, iam constat. *Occasio* hæc fuit. Apostolus Epheso abiens, vt dolentem Timotheum consolaretur, & se paulo post rediturum esse promiserat, vt patet è prioris epistolæ c. 3. v. 14. Sed interea Paulus Romam abreptus fuit, vt Ephesum reuerti non posset. Quare hoc scripto eum confirmat & armat contra persecutiones. Scripsit autem in carcere.

Partes, præter inscriptionem & clausulam sunt tres.

I. Continet admonitiones varias, vsque ad c. 3.

II. Habet prophetiam de peruersitate vltimi temporis. c. 3. ad v. 9.

III. Apostolus redit ad admonitiones, inde ad finem.

Loci præcipui; de perseuerantia, de resuscitanda gratia Dei, de afflictione ferenda, de non erubescendo propter Euangelium, de retinenda forma sanorum verborum, de bono deposito custodiendo, de vsu legis & Euangelii, de orthotomia verbi veritatis, de falsis doctoribus, & eorum vbere prouentu, de Antichristo, de bono certamine. Cæterum vtraque hæc epistola debet omnibus ministris Euangelii esse quam commendatissima. Illis enim Spiritus Sanctus per os Pauli in vtroque hoc libro concionatur, quid ipsos deceat, quidque dedeceat.

Epistola ad Titum.

Titus quis fuerit?

Ad quem scripta? Titus natione Græcus fuit, & incircumcisus. *Gal. 2. v. 3.* Præceptorem habuit Paulum, & comes itinerum ipsius, interdum etiam legatus. Mentio eius fit *2. Cor. 8. v. 6. & 16. c. 2. v. 12. c. 6. v. 7. 2. Tim. 4. v. 10.* *Hieronymus* de eo sic refert; Titus episcopus Cretæ, in qua & circumiacentibus insulis prædicauit Euangelium Christi. Ibidem obdormiuit, & sepultus est. Eadem igitur, qua Timotheus, gradatione peruenit ad suum munus episcopale.

Occasio epistolæ est ista. Reliquerat Apostolus Titum in Creta, vt constitueret ibi ministros. Sed magna erat Cretensium in moribus corruptela. Oberrabant etiam isthic Iudæi, legis defensores, qui Tito negotium facessebant. Quare vt circa ista omnia recte se gereret, Apostolus operæ pretium duxit, ipsum adhortari.

Partes. Hæc epiſtola mira breuitate compendium totius Chriſtianiſmi continet. Hic enim Paulus diſſerit de ſtatu Eccleſiaſtico, Oeconomico, & Politico. Oeconomicum in medio collocat, quia eſt ſeminarium vtriuſque. Inſerit autem locum de iuſtificatione. In 1. cap. ſunt præcepta de ſtatu Eccleſiaſtico. In 2. eſt tabula œconomica, Ein Haußtafel. In 3. cap. ſunt monita de ſtatu politico.

Loci præcipui, de officio epiſcopali ſeu idea paſtoris boni, de illuſtri aduentu Chriſti, de magiſtratu, de iuſtificatione, de modo redemtionis noſtri, de familia inſtituenda & regenda.

Epiſtola ad Philemonem

Ad quem ſcripta? Theophylactus author eſt, Philemonem fuiſſe Phrygium; Hieronymus ſpecialius Coloſſenſem. In re lauta fuiſſe & hoſpitalem conſtat ex v. 7.

Occaſio. Seruus Philemonis Oneſimus cum priuatis quibuſdam reb. profugerat, & Romam ſe contulerat. Vbi factum eſt, vt Paulum audierit, & conuerſus illi in vinculis ſeruierit. Cum autem Apoſtolus fugæ cauſam intellexiſſet, iuſſit vt ad herum rediret, vtque ei facilius reconciliaretur, hanc epiſtolam interceſſoriam ſcripſit. Quod autem hæc epiſtola breuis ſit, & ſeruuli fugitiui negotium tractet, non eſt alienum ab Apoſtolica grauitate. Nam res hic ſunt eximiæ. Et licet epiſtola ſit breuis, tamen eſt mire ἐναργής, *euidens*, erudita, & Chriſtianæ charitatis plena: adeoque eſt compendium cœleſtis illius philoſophiæ, quam Paulus Apoſtolus in tertio cœlo didicit, & XIV. epiſtolis nobis reliquit.

Partes. I. Commendat Philemonis fidem & charitatem, proque iis gratias agit Deo. ad v. 8. II. Petitionem ſuam pro Oneſimo ad fidem conuerſo proponit. ad v. 22. III. Familiaribus rebus epiſtolam terminat; vbi obſerua duo, primum, quod Oneſimum iam non amplius vt ſeruum commendet domino ſuo, ſed vt fratrem in Chriſto: deinde, quod vtitur iure præceptoris in Philemonem.

Loci præcipui, de charitate & concordia, de officio ſeruorum, de officio herorum.

Epiſtola ad Hebræos.

Ad quos ſcripta? Hebræi hic intelliguntur illi, qui paulo ante, & poſt Chriſtum in varias terras diſparati ſunt, etiam ante excidium vrbis, vocantur Ἰουδαῖοι διασπορᾶς. Ad hos ſcripſit Apoſtolus, non Hebraice, vt quidam volunt, ſed Græce, ſicut & ad Romanos Græce ſcripſit. Nam eo tempore lingua Græca erat notiſſima. Quod autem Paulus nomen ſuum non præſcripſit, id maturo fecit conſilio, ne Iudæi à Chriſtianiſmo adhuc alieni à lectione illius abhorrerent. Alias ſtyli ſimilitudo arguit Paulum eſſe illius authorem. Quod vero multi dubitarunt de authoritate huius epiſtolæ, id *Epiſtola hæc ſero recepta eſt à Latinis.*

sine ratione idonea fecerunt. Nam si dicant de authore non constare, necesse habebunt dicere quosdam V.T. libros quoque non esse canonicos; quia de quorundam authoribus nil certi traditum est. Si loca quædam producant, quæ euertant fundamentum salutis, ego illos dicam non intelligere ista loca. Esse autem canonicam, probari potest, si requisita librorum canonicorum quis perpendat.

Occasio, prout è temporum ratione colligi potest, sic habet. Data est partim à conuersis Iudæis, qui multum premebantur à reliquis non conuersis, partim ab obstinatis, qui maledicta in Christum spargebant, & Mosen cum lege nimium quantum extollebant. Pii itaq; Iudæi, partim in Iudæa commorantes, partim in toto orbe dispersi egebant consolatione & confirmatione, ne ob blasphemias in Christum, aut persequutiones propter ipsius nomen illis illatas ab agnita veritate deficerent. Obstinati vero admonendi erant, ne contumaciter & malitiose veritati repugnarent, sed complementum veterum prophetiarum & vmbrarum ceremonialium in Christo considerantes resipiscerent. Omnia igitur huc tendunt, vt Iudæi Christum amplectantur.

Partes, præter conclusionem, sunt duæ. I. Est de Christo, vsque ad c. 11. II. Est de Christianorum officio, quod est credere, & sancte viuere, inde ad finem. De fide agitur c. 11. de vita sequentibus. *Loci præcipui*, de persona & officio Christi, de modo procedendi cum Iudæis in negotio religionis, de abrogatione legis ceremonialis, de ratione explicandi Leuiticum, de collatione Mosis & Abrahami cum Christo, de fide, de bonis operibus.

Vidimus XIV. epistolas Pauli; nunc videbimus vnam Iacobi, duas Petri, tres Ioannis, & vnam Iudæ.

Epistola Iacobi.

Hæ epistolæ, exceptis duabus Ioannis, sunt Catholicæ. Itaque non indicabimus ad quos scriptæ, sed à quibus.

Iacobus qui fuerit? *A quo* igitur *scripta* hæc epistola? A Iacobo. Sed quis ille Iacobus? Nam fuit 1. Iacobus, cognomento Iustus, & minor, filius Alphæi, frater Iudæ, & frater, hoc est, consobrinus Domini. Hic fuit Mariæ Cleophæ filius, quæ erat soror Mariæ virginis. 2. Iacobus filius Zebedæi, frater Iohannis. 3. Iacobus è Lxx Discipulis, cognomento Obdias. Sed postremum hoc falsum esse paulo post demonstrabimus. Hæc epistola scripta est à Iacobo Iusto, quem interfecit Herodes.

Occasio hæc fuit. Cum multi essent, qui lingua Christianismum iactabant, moribus autem se ab eo alienos ostenderent, *Iacobus* illos corrigendos esse duxit, & ostendendum, non satis esse profiteri fidem Christianam, nisi etiam vitæ sanctitate ea professio ornetur. Hinc variæ monitiones.

tiones de virtutibus primæ & secundæ tabulæ. Quod autem quidã hanc epistolam non esse canonicam scribunt, eo quod doctrinam de Christo non vrgeat, & multa habeat contraria aliis scripturæ locis, inane est. Nam quod attinet ad illud primum, scopus Apostolo propositus illud diluit. Voluit nimirum illos Pseudo-Christianos corrigere, qui suum nudum *Credo* in ore habebant de sancta vita nequicquam soliciti. Posterior obiectio & ipsa nulla. Nam nulla hic est antinomia, nullum ἐναντίον, sed duntaxat ἐναντιοφανές: e.g.

Paulus dicit	Iacobus dicit
Fide non iustificari, scilicet coram Deo.	Operibus non iustificari, scil. coram hominibus.
Legem seruitutis appellat, sci. ceremonialem, exhibito iam Christo.	Legem libertatis nominat, scil. moralem, secundum quam qui viuit per Christũ, reuera liber est.

Partes certa methodo non possunt adnotari. Nam variæ sunt admonitiones de bonis operibus, ad primam & secundam tabulam pertinentibus.

Loci præcipui, de patientia seu tolerantia crucis, de modo acquirendi sapientiam, de precatione, de tentatione, de veris Christianis & hypocritis, de linguæ vsu & abusu, &c.

Prior Petri

Quis scripsit? Petrus, qui fuit Galilæus, ex oppido Betsaida, patre piscatore natus. Fratrem habuit Andream, cum quo vocatus est ad Apostolatum. *Prosopographia Petri.* *Matth.* 4. Ex circumcisione fuit appellatus Simeon. Id nomen mutauit ei Dominus, & Syriace vocauit *Cepha*, hoc est τὸν Πέτρον. Sic dictus videtur ob fidei robur, quod ostendit alacritate interrogandi Dominum, & pro aliis respondendi. Confer. *Matth.* 16. *&* 18.

Occasio scribendi hanc epistolam, à Syluano data fuit, qui cum in diuersis locis instituisset Ecclesias, ad quas cum redire vellet, Petrum conuenit Babylone, vt videtur, atq; hanc ab eo ad electos nactus est epistolã, quæ ideo dicitur Catholica, quia non vni homini, aut certæ Ecclesiæ inscripta fuit, sed conuersis hinc inde dispersis.

Partes sunt duæ. I. Est de fide. cap. 1. quod est commentarius in illam cõfessionem Petri *Matth.* 16. Tu es Christus, filius Dei viui, & *Iohan.* 6. Verba vitæ æternæ tu habes. II. De vita sancta, cum in genere c. 2. ad v. 11. tum in specie, quoad statum politicum, œconomicum & ecclesiasticum inde ad finem.

Loci præcipui, de misericordia Dei, de regeneratione in spem viuam, de cœlesti hæreditate, de probatione fidei, de gaudio spirituali, de verbo Dei, de sobrietate, de sanctitate, de charitate, de officiis personarum in quolibet statu.

Posterior Petri.

Quis scripserit hanc epistolam, è modo traditis clarum est. Dubitarunt tamen Orientales de hac epistola, & hodie Syri eam non habent. Latini admiserunt, quia habet requisita librorum Canonicorum.

Scripsit autem hanc epistolam Petrus, morti vicinus, & destinauit eam omnibus piis, toto orbe dispersis, tum Iudæis, tum Gentibus, vt eos consolaretur, & cautos redderet aduersus impostores.

Occasio. Tempore Petri erant impostores quidam, & plures futuros ipse præuidit. Contra hos scripsit hanc epistolam.

Partes tres sunt, prout tria sunt capita. Nam I. agit contra hypocritas, qui fidem tanquam laruam obducebant faciei suæ conspurcatæ. c. 1. II. Agit de Antichristo. c. 2. III. Agit contra Epicureos, illusores doctrinæ de vltimo iudicio. c. 3.

Loci præcipui; de viua fide & mortua, de falsis doctoribus, de Epicureismo.

Prima Iohannis.

Quis scripsit? Iohannes ille Euangelista, de quo diximus supra ad Euangelium Iohannis.

Occasio hanc epistolam scribendi videtur Iohanni data ex viuendi licentia, quæ inter Christianos inualuerat, vt doceret non ore solum, sed & facto vitaq; testandam esse Euangelii professionem. Dicitur *Catholica*; quia inscripta est omnibus fidelibus. Dicitur etiam *Canonica*, quia continet regulam Christianismi.

Partes duæ sunt. I. De fide. c. 1. II. De bonis operibus, reliquis capp. vel ita: Docet de charitate, tum Dei erga nos, quæ per fidem apprehendenda, tum nostra erga Deum. Meram spirat charitatem Euangelista & Apostolus, qui in vltima cœna super pectus Seruatoris recubuit.

Loci præcipui; de communione nostri cum Deo, de gaudio perfecto, de iis qui ambulant in luce, & in tenebris, de conformitate nostra cum Christi vita, de victoria fidei, de peccato ad mortem, de puritate conscientiæ.

Secunda Epistola Iohannis.

Quis scripserit? Quidam Iohannem Presbyterum à Iohanne Euangelista distinguunt, quem huius epistolæ & Apocalypsis authorem esse contendunt: alii Iohannem θεολόγον ab istis duobus etiam discernunt. Sed vni Iohanni Euangelistæ omnia scripta ἐνδιαθήκα, quæ Iohannis nomine circumferuntur, tribuenda sunt; ita vt vnus idemque Iohannes, propter grandem ætatem vocetur presbyter, propter scriptum Euangelium Euangelista, propter assertam θεότητα λόγου, θεολόγος; & denique quod fuerit è numero 12. Apostolus appelletur. Doctrina huius epistolæ congruit

superior

ſuperiori, & phraſis eſt Iohannis. Non autem eſt catholica, vt ſuperior, ſed particularis, inſcripta videlic. viduæ cuidam, quam ſine proprio nomine compellat. Lyranus Babyloniam fuiſſe dicit, & Electam habet pro proprio ipſius & ſororis nomine.

Occaſio videtur fuiſſe ex familiaritate, quæ Apoſtolo interceſſit cum pia illa fœmina.

Partes ſunt tres. I. Commemorat ſuum gaudium de pietate liberorum Electæ ad v. 4. II. Hortatur eos communiter ad officia Christiana ad v. 12. III. Concludit epiſtolam ἀσπασμῷ, reiectione rerum ſcribendarum, aduentuſque ſui promiſſione.

Loci præcipui; de ſpeculo matronæ bonæ, de educatione liberorum, de mulierum prærogatiuis.

Tertia Epiſtola Iohannis.

Iohannes Apoſtolus hanc epiſtolam inſcripſit Caio cuidam, qui quibuſdam fuiſſe videtur Corinthius, argumento locorum *Roman. 16. 1. Corinth. 6.*

Occaſionem præbuit beneficentia Caii.

Partes ſunt tres, prout trium perſonarum hic fit mentio. I. Commendatio Caii ad v. 9. II. Querela de Diotrephe Epiſcopo obtrectatore & inhoſpitali ad v. 11. III. Commendatio Demetrii v. 12.

Loci præcipui; de hoſpitalitate, de ratione commendandi pios, de vitiis dedecentibus epiſcopum.

Epiſtola Iudæ.

Quis ſcripſit? Iudas, qui Thaddæus ſeu Thaddai dicitur *Matth. 10. v. 3. Mar. c. 3. v. 18.* Thaddæi autem Syris eſt idem, quod Hebræis Iudas, vocatur etiam Libbai ſiue Lebbæus *Matth. 10. v. 3.* id eſt, egregie cordatus homo, vel vt Rabano placet, corculum. Præterea nominatur filius Alphæi id eſt, ſicut Iudas Iſcariotes dicitur filius Simonis. *Iohan. 6. v. 71. & 13. v. 2. & 26.* Adhæc appellatur Iudas Iacobi frater, vt hic & *Luc. 6. v. 16. Act. 1. v. 13.* quia celeberrimum fuit apud omnes Iacobi nomen, vt qui maximè præfuerit Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, qui frater Domini fuerit dictus, qui iuſtus habitus, qui nuncupatus Oblibam, ſiue vt vulgo ſcribitur, oblias, id eſt, περιοχὴ τοῦ λαοῦ τῇ δικαιοσύνῃ, vt interpretatur Clemens; ſiue τεῖχος τοῦ λαοῦ, *murus populi*, vt Epiphanius: tanquam ſi populum continuiſſet ac circummuniuiſſet doctrinæ ſuæ puritate, morumque ſanctimonia & iuſtitiâ. vide *Act. 12. v. 17. c. 15. & 21. Gal. 2. v. 9.* vbi Iacobi iſtius honorifica mentio. Deniq; etiam κατ' ἄρσιν dicitur, Iudas οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης, non Iſcariotes ille *Iohan. 14. v. 22.* qui ſic dictus fuit non à שֶׁקֶר *Schakar*, mendacio, vt volunt nonnulli, nec etiam à gente ſed à Syriaco *Secar*, recipere, obſeruare, occludere, vnde formatum *Eſcariuta*, quod marſupium haberet,

essetq; velut quæstor ærarii ad conuentum hunc pertinentis. *Iohan. 13. v.* 29. Cæterum Iudas ille noster docuit Euangelium in Mesopotamia, Ponto, Ægypto, & Perside, vbi à Magis dicitur interfectus, quod liberius ipsorum superstitiones reprehenderet.

Occasio. Sumta videtur ex dissolutione morum, qui inter Christianos inualescebat, & ex defectione ad falsam religioné, quam quidam pseudapostoli suadebant. Ideò Iudas hac sua cygnea concione illos admonendos duxit, vt & sinceritatem in dogmatis, & sanctitatem in vita obseruarent. Est igitur calamitoso hoc tempore, quo non solum crux Euangelii, sed etiam perfidia mundi multorum mentes ad defectionem sollicitat, insignis vsus huius epistolæ: de cuius authoritate olim dubitatum, sed male, cum habeat omnia sigilla seu proprietates librorum canonicorum.

Partes. I. Hortatur sanctos ad constantiam. II. Δοξολογία claudit epistolam. Conuenit autem hæc epistola cum secundo capite posterioris Petri.

Loci præcipui sunt, de notis falsorum doctorum, de perseuerantia in fide & nouitate vitæ, de statu Ecclesiæ militantis.

CAP. CXXV.

Character Apocalypsis S. Ioannis.

Super est vltimo loco liber Propheticus Noui Testamenti, Apocalypsis B. Iohannis. Vbi annotabimus quis scripserit illam, qua occasione, quæ libri œconomia, qui loci doctrinæ insigniores, quis scopus, quæ regulæ interpretationis. De I. Narrant veteres, de Apostolorum numero extitisse duos, qui postremi vixerint ad Traiani Imperatoris tempora, Iohannem Apostolũ & Euangelistam, & Iudam: Cum autem Asianæ per illud tempus Ecclesiæ Iohannis operam desiderauissent, vt recensitis libris canonicis exterminaret eos, quos audacia & imprudentia multorum intrudebat, id ab eo summa religione esse factum, suffragantibus Ecclesiarum precibus. Ex eo Ecclesia coluit libros sacros eo ordine, quo diximus. His Iohannes adiecit suam Apocalypsin, & Iudas epistolam, quæ duo scripta cum consentiant cum reliquis libris canonicis, quis negabit illa claudere N.T. libros vt communia diuini canonis signacula à duobus Apostolis, qui vltimi vixerunt, apposita? quod autem Iohannes Euangelista & Apostolus hũc librum scripserit, ex inscriptione & capite primo colligitur quã euidẽtissimè, ita vt argumenta quæ contra hanc sententiã ad ferri solent, nulla sint.

Author Apocalypsis quis?

Apocalypsis qua occasione scripta?

De II. Historia Ecclesiastica tradit, Iohannem sub Imperatore Domitiano relegatum in Pathmũ insulam, ibique hanc Apocalypsin scripsisse. Deinde vero post mortem Domitiani, cum ex insula Pathmo rediisset Ephesum, scripsisse suum Euangelium, contra hæreticos Martioné, Ebioné & Cerinthum. *Occasio* scribendæ Apocalypseos hæc procul dubio fuit: Iohannes

hannes relegatus in insulam intentus fuit precationi & meditationi rerum cœlestium, solicitus item de Ecclesiis sui æui. Quare vt Deus ipsum consolaretur, reuelauit ipsi futurum Ecclesiæ statum, quem descripsit, vt ita vsque ad futurum iudicium de illo membra Ecclesiæ possent aliquid statuere, & se erigere, si videant calamitates illas ipsis euenire, quas euenturas Deus per Iohannem in hoc libro prædixit. Habemus itaq; prophetiam in hoc libro de fatis Ecclesiæ, de quibus etiam Daniel, Paulus, Petrus & Iudas, nonnulla prædixerunt, vt indicauimus ad illorum epistolas.

Oeconomia libri potest esse varia, Nos attingemus hoc loco tres. Quidam librum hunc diuidunt in historiam de septem Ecclesiis. c. 1. 2. 3. & historiam de septem sigillis, quæ illis significant persecutiones quæ inceperunt tempore Apostolorum, & durarunt per 300. annos ad tempora Constantini. c. 4. 5. 6. 7.

Tubis, quæ iuxta illos significant hæreses, vt Arii, Sabellii, &c. à Constantini temporibus, vsque ad tempora Theodosii, per alios 300. ann. siue ad Papismum & Mahometismum: à cap. 8. ad 16. inclusiue.

Phialis; quæ iuxta hos authores significant persecutionem & plagam Antichristi per 900. & amplius annos à tempore Bonifacii Papæ ad nostra vsque tempora à c. 17. ad finem.

II. Diuiditur etiam in VII. visiones, quarum

I. De septem Ecclesiis Asiæ minoris.

II. De Christo exaltato & Ecclesia.

III. De discipulorum Christi sedulitate.

IV. De afflictione Ecclesiæ.

V. De persecutione nouissima sub Antichristo.

VI. De extremo iudicio.

VII. De victoria Christi, & Ecclesiæ.

III. Nobis videtur sic commode diuidi posse.

Tria sunt Apocalypseωs membra, quorum

I. Est procemium, continens titulum, dedicationem libri, & parasceuen ad visiones, sub initium c. 1.

II. Complectitur septem visiones, quarum

1. Est de Filio Dei, 7. candelabris, & 7. Ecclesiis. c. 1. 2. 3.

2. De Deo, sedente in throno, Agno stante, libro clauso, & septem sigillis. c. 4. 5. 6. 7.

3. De septem Angelis. c. 8. 9. 10. 11.

4. De muliere, dracone mulierem persequente, duabus bestiis, vna decipiti, altera bicorni. c. 12. 13. 14.

5. De Angelis effundentibus septem phialas super terram, maxime Antichristum & hostes Ecclesiæ, c. 15. 16.

6. De iudicio magnæ meretricis,& ruina Babylonis.c.17.18.19.

7. De nuptiis Agni,liberatione Ecclesiæ, & cœlesti Hierusalem.c.20. & 21.ad v.6.

III. Epilogus,repetens authorem, commendans dignitatem libri, & sanciens authoritatem illius.à v.6.cap.vlt.ad finem.

Loci præcipui; Argumentum præcipua parte est propheticum de futuro statu Ecclesiæ, de exordio,incrementis, potentia & interitu Antichristi, & Ecclesiæ victoria.Interim habet quoq; multa διδασκαλικὰ, & παραινετικά. Passim enim inspergit insignes doctrinas,correptiones,& consolationes. Confirmat omnes fidei articulos.Nam *I.* Æternam Christi deitatem vix alius liber magis illustrat & demonstrat. *II.* Doctrinam de officio Christi,eiusque beneficiis disserit. *III.* Describit egregie conditionem Ecclesiæ,inde à temporibus Apostolorum ad finem vsque mundi;quod futura sit exposita variis procellis. Monstrat item fontes consolationis, quibus Ecclesia se erigat. *IV.* Describit Antichristi personam,regnum,tyrannidem,artes,interitum. Ex his patet, quam necessarius sit hic liber Ecclesiæ,quam vtilis.

Scopus Apocalypseωs

Scopus libri est quadruplex. Nam Christus dedit hanc Apocalypsin Iohannis,Iohannes Ecclesiæ.

I. Ne Ecclesia sibi fingeret delicias perpetuaque halcyonia, sed sciret sibi proposita certamina ἄσπονδα,cum variis hostibus, maxime hæreticis, *A*ntichristo,& tyrannis.

II. Vt mature se præpararet & præparet adhuc ad certamina fortiter sustinenda,ne animum despondeant. Iacula enim facilius excipiuntur, si præuideantur.

III. Vt possemus cognoscere facilius *A*ntichristum, quem viuis depingit coloribus.

IV. Vt sciremus certamina nostra non fore perpetua.Ideo describit interitum *A*ntichristi & hostium, victoriamque Ecclesiæ.*A*tque ita Spiritus S.nobis etiam suppeditauit arma.

Regulæ obseruãdæ in lectione Apocalypsis.

Regulæ facientes ad ὀρθὴν interpretationis.

I. Discernenda sunt clara ab iis, quæ sunt difficiliora.

II. Illa quæ clara sunt in hoc libro, sunt duplicis classis.

III. Clara & aperta primæ classis sunt illa de Dracone, de pœnis & præmiis malorum, de Christo, de fide, de vita æterna.

IV. Clara secundæ classis sunt, vbi in typis est manifestissima analogia cum suis significatis, vt in 7.candelabris cum 7.Ecclesiis; in Dracone cum Satana, in muliere fugiente cum Ecclesia; in bestia decipite cum Romano Imperio; in bestia bicorni cum Pontifice Romano, qui vendicat sibi vsum vtriusque gladii.

V. Quæ difficiliora sunt, in iis intelligendis triplici vteris adminiculo.

1.Scriptura Prophetica. Nam multa sunt desumta è Prophetis. Ergo institue collationem. *Sic c.5.v.5.* desumtus est à *Zach. 4.v.10.* vbi videmus, septem oculos Iehouæ, qui circumeunt totum terrarum orbem, significare prouidentiam, qua omnia reguntur, maxime autem Ecclesia.

Sic *cap.11*, de duab. oliuis lucem accipit ex eadem Zachariæ prophetia. *2.Historia.* Si enim diligenter voluamus historias, magnam lucem inferemus huic libro. Legimus in Eusebio, & aliis, Ecclesiam post Apostolorũ tempora multis iactatam fuisse persecutionibus, non diu mansisse virginem, post tempora Constantini sub Christianis Imperatorib. factam esse opib. maiorem virtutib. minorem, hoc est ambitione Episcoporum degenerasse. Quod si sequentes historias peruoluamus, videbimus Episcopos Romanos diuiso ac tantum non labefactato Imperio Romano sibi rapuisse duplicem gladium. Hæc & similia facillimè & clarissimè nobis ostendent, quid sibi velit visio de bestiis, & similibus. *3.Experientia*, quæ est quasi speculum temporis illius, quod prædixit Iohannes.

VI. Hisce regulis addetur ardens precatio, assidua lectio, & diligens meditatio, legantur autem commentarii recentiores potius, quam veteres. Nam dies siue tempus multa reuelauit, in quibus enarrandis Interpretes veteres nimiopere hallucinati sunt.

VII. In conspectu sit tabula memorialis, in qua sint notata præcipua interpretationis capita. Talem tabellam confecimus ex *isagog. Palladii*, quã tibi damus, vt habeas modum huius rei, non vt per omnia probes. Nam multa ibi sunt posita, quæ non videntur satis exacta. Tabella ista habet 4. partes. videl. de 7. Ecclesiis, de 7. sigillis, de 7. tubis, de 7. phialis.

I. Pars, de 7. Ecclesiis.

Episcopi septem Ecclesiarum Asiæ minoris vocantur Angeli, candelabra & stellæ, propter ministerium verbi.

Tabella exegetica præcipuorũ capitum Apocalypsis.

II. Pars, de 7. sigillis.

Euangelista per		Intelligit	
	Seniores		Prophetas.
	Animalia		Euangelistas.
	Volatilia		Doctrinam.
	Agnum		Christum.
	Angelos		Ministros verbi.
	Sigilla		Persecutiones.
	Equos		Tyrannos.
	Signatos		Electos ex Iudæis.
	Turbam		Electos ex Gentibus.
	Librum		Ministerium reuelationis.

III. Pars de 7. Tubis.

Euangelista per	Intelligit
Tubas.	Hæreses.
Stellas	Hæreticos.
Angelum	Ministerium verbi.
Librum	Euangelium.
Templ'mē surationē.	Religionem.
Ciuitatem sanctam.	Ecclesiam.
Duos testes	Prophetas & Apostolos.
Mulierem.	Ecclesiam.
XII. stellas.	Duodecim tribus.
Prælium.	Prædicationem Euangelii.
Michaelē.	Christum.
Bestiam	Monarchiam Romanam.
Agnum	Christum.
Vocē tonitrui.	Vocem Euangelii.
Canticum nouum.	Euangelium.
Mulieres.	Idololatras.
Virgines.	Sinceros Christianos.

IV. Pars de 7. Phialis.

Euangelista per	Intelligit
Bestiam.	Monarchiam Romanam.
Meretricem.	Idololatriam Antichristi.
Poculum aureū.	Splendidam hypocrisin.
Characterem.	Certum signum Antichristi.
Phialas.	Plagas Antichristi.
Nuptias agni.	Humanitatem Christi, seu vnionem hypostaticam.
Nomen scriptū.	Diuinitatem Christi.
Cœlum nouum & nouam terrā.	Imaginem vitæ æternæ.

CAP. CXXVI.

Character librorum Apocryphorum.

V*Idimus characterem librorum Canonicorum: videamus nunc characterem librorum Apocryphorum.* Sic aūt primum dicti sunt hi libri, vel quod latere deberent in crypta Ecclesiæ, non autem produci ad confirmandos articulos, vel quod canonicis essent obscuriores. Interdum tamen dicuntur Canonici, quod sic accipies. Libri canonici, vt & hagiographi dicuntur vel

vel proprie, qui plane sunt θεόπνευστοι, à Deo inspirati, datiq; Ecclesiæ; quorum per omnia sancta est diuinaq; authoritas: vel comparatè, per comparationem cum aliis profanis libris canonicis in Ecclesia dicti sunt, qui in vsu fuerunt in Ecclesia, non tanquam diuinæ authoritatis, sed tamen eiusmodi, quæ omnib. aliis humanis scriptis anteponerentur. Quare etiam in Ecclesia & Schola vsurpabantur, non quod diuini canonis essent, sed tantum Ecclesiastici. Sic enim canonici appellabantur, vt hodie videmus apud Pontificios dici horas canonicas, officium canonicum &c. quia in regularem vsum conuersa erant. Atque hinc hi libri dicti sunt *Ecclesiastici*, à canone Ecclesiastico. Sunt tamen, qui libros Apocryphos ab Ecclesiasticis distinguant, vt Pellicanus, & Bibliander. Apocryphos vocant, qui domi legi possunt, at non in conuentibus publicis, vt Euangelium Nicodemi, Apocalypsis Eliæ. At hos de quibus nos agimus, vocant Ecclesiasticos, item hagiographos, quod ab Ecclesia sint recepti, & scripti sint à viris sanctis de rebus sacris. De horum librorum authoribus & argumentis dicam cursim.

Libri Canonici dicuntur ambigue.

Liber Tobiæ.

Primum locum tenet in codicibus fere omnibus hic liber, qui multo felicius Xenophonte & Aristotele tradit œconomiam. Nam & exemplis viuis omnia demonstrat, & præceptis salubertimis, nec minus perspicuis, instituit. Nam Tobias senior est idea boni patrisfamilias; quippe qui in rebus secundis & aduersis nihil indignum pio patre familias commisit. In summa miseria retinuit religionem. Docuit dicto & facto, siue exemplo. Condidit testamentum, vt filio consuleret. Tobias autem iunior est idea filii frugi. Nam est obediens, sedulus, religiosus, & castus. Loci præter dictos etiam hi occurrunt: de honestate & sanctitate nuptiarum & coniugii, de amuleto, vt ita dicam, dæmonis, quod est pietatis studium, de felici euentu crucis sanctorum &c. Cæterum Tobias vixit sub Salmanasser rege Assyriorum, cumq; aliis Israelitis ductus fuit in Assyriam, vbi inter impios vixit. Liber hic est speculum status coniugalis, & exemplum Iesu Siracidæ, pro patrefamilias: formam habet comœdiæ.

Oratio Manassis.

Manasses rex impietate nobilitatus præ suis antecessoribus, fidem suam confirmans à natura Dei, peccata sua confitetur, gratiam & misericordiam petit, & votum laudis nuncupat Deo. Hæc confessio nobis exhibet formulam veræ pœnitentiæ, & iustæ confessionis peccatorum apud Deum instituendæ. Cæterum phrasis est Hebraica.

Liber Iudith.

Hic liber à Synodo Nicæna est relatus inter sacros. Formam comœdiæ habet, sicut liber Tobiæ tragœdiæ.

Nomen habet à præcipua persona Iudith, quæ vixit tempore Nebucadnezaris. Mirificis coloribus pingit impiorum crudelem tyrannidem, fastum arrogantem, luxum perditissimum, & interitum miserrimum. Deinde proponit piorum fiduciam & victoriam, tametsi sub cruce exerceantur.

Liber Baruch.

Liber hic nomen habet ab authore, quem quidam volunt esse eundē, cuius mentio fit *Ierem.* 45. qui fuit scriba Ieremiæ. Sed hoc incertum est. Certum autem hoc, quod scripserit hunc libellum in captiuitate Babylonica. Ideo tribuit Deo iustitiam, qui meritum Iudæis supplicium irrogarit, adeoque confitetur peccata, accusatque gentis suæ ceruicosam inobedientiam atque perfidiam. Præterea veniam orat delictorum, & vt Deus sui populi tandem misertus reducat in patriam. Denique quo fidem in cordibus illorum excitet, promittit restitutionem Iudæorum.

Huic libro adiungi solet *Epistola Ieremiæ*, quæ est oratio euidens & efficax, ne videlicet captiui in Babylone à vero Deo auersi, deos colant Babyloniorum. Iccirco author illius grauissime inuehitur in idololatriam, suadens vt verum Deum adorent, & ei soli seruiant.

Adiectiones in Danielem.

Hoc titulo veniunt tria scripta, videl. Canticum trium sociorum Danielis, historia Susannæ, & Belis.

Canticum illud, est hymnus elegantissimus, continens præconium Dei, & operum eius, & inuitationem ad laudem ipsius.

Historia Susannæ, est elegantissimum exemplum cōiugalis fidei, probitatisq; matronalis: itemque iustitiæ diuinæ, punientis malos, bonos remunerantis.

Historia Belis, singulari cum iucunditate pingit veræ ac falsæ religionis ingenium, huius videlicet pudendas artes, & confusionem probrosissimam, illius vero probam simplicitatem, & victoriam splendidissimam.

Ezræ liber tertius.

Ezræ tertius repetit quædam ex quarto libro Regum, Chronicorum item libris, & retexit pleraq; quæ per librum Ezræ & Nehemiæ exponuntur, nonnulla tamen copiosius explicans. Vnicam historiā addit, de quæstionis illius decisione coram rege Dario, quidnam omnium esset fortissimum. Multa, & illa quidem egregia pietatis exempla suppeditat.

Ezræ liber quartus.

Hic liber est prophetici generis, continēs obiurgationes populi immorigeri, & promissiones Ecclesiæ gloriosæ per doctrinam Euangelii comparandæ Christo; deinde visiones mirabiles subnectens ad concionis

suæ illustrationem ostendit malorum quæ Iudæos opprimebant causas, & signa futurorum vsque ad instaurationem Ecclesiæ per Christum, authorem boni in suos fratres, & pœnæ in aduersarios: atq; ab expectatione illius pios & fideles animos consolatur. Cæterum hic liber illustrat quædam loca Danielis, & complectitur illustrissima vaticinia de Christo.

Adiectiones ad librum Estheræ.

Hæ adiectiones alio nomine dicuntur fragmenta Estheræ, quæ nobis suppeditant elegantia precum exempla, & alia quædam vtilia.

Liber Simonis summi Sacerdotis.

Hic liber vulgo dicitur tertius Maccabæorum. Exponit insignem historiam de grauissimis calamitatibus, quas Ecclesia Iudæorũ à Ptolomæo Philopatore Ægypti rege perpessa est, & mirificentissima liberatione à Deo præstita. Historia est pauci temporis, gesta sub annum quartum Antiochi Magni regis.

Maccabæorum liber primus.

Libri Maccabæorũ sic dicti sunt à Maccabæis seu Asmonæis, qui multa præclare gesserunt pro Dei gloria. Græci vocarunt τὰ μακκαβαϊκά, Synecdochice, à maxima argumẽti parte. Prim⁹ hic liber tanti fit apud quosdam, vt illum inter Canonicos referre non dubitent, cum propter Hebraismos, qui in illo sunt crebri, tum propter res gestas, de quibus ibi fit mentio: præsertim cum sit illorum, quæ Daniel capite duodecimo vaticinatus est, verissima descriptio, nẽpe de persecutione Ecclesiæ per Antiochum. Est autem in hoc libro historia annorum ferme quadraginta, continens ea, quæ à familia Maccabæorum gesta sunt pro aris & focis, Antiocho Epiphane & Eupatore, Demetrio Sotere, Alexandro Epiphane, Demetrio Nicanore, & Antiocho Sedete regibus. Casus in hoc libro sunt varii & admirandi, in quibus vbiq; elucescit Dei veritas, bonitas, sanctitas, & iustitia. Præterea ex hoc libro discant, iustam & religiosam contra infideles militandi rationem &, vt ita dicam, artem, quibus id munus à Deo impositum est.

Secundus Maccabæorum.

Hic liber primo est plane dissimilis quoad stylum, Græcæ eloquentiæ plurimum cõtinens. Huic veteres non tantum tribuerunt, quantum primo. Multas repetit historias, quæ primo libro puriore simplicitate sunt expositæ. Præter illa continet historiã Ecclesiæ annorum ferme quatuordecim, à fine Seleuci Philopatoris ad tempora vsq; Antiochi Eupatoris, quibus Nicanor à Iuda Maccabæo fusus est. Maxime memorabilia adducit piorum exempla, qui pro lege Dei & veritate sibi tradita constanter & sincere hanc vitam contempserunt, vt gloriam Deo cederent, & omnibus pietatis exemplum in seipsis statuerent.

Liber Sapientiæ.

Liber Sapietiæ scriptus est stylo elegantissimo.

Hic liber sermone elegans atque accuratus, argumento non inutilis est. Vocatus fuit olim *Liber Sapientiæ Salomonis*, nõ quod illum haberet authorem, sed quod res quæ ibi traduntur sint dignæ, quæ regi sapientissimo scriberentur. Verus alioquin author putatur Philo Iudæus, homo sapiens apud Iudæos, & eloquentissimus, quem alterum Platonem dicunt, quiq; Iudæorum nomine legatum egit apud Imperatorem Caligulam, contra cuius & similium impiorum principum tyrannidem hunc librum scripsisse videtur. Continet sapientię encomium, & qua in re consistat sapientia docet, nimirum in cognitione Dei & operum eius, itemque sui ipsius, vbi multa de hominis vanitate. Docet etiam de funestissima sapientiæ peste, qui est cultus idolorum, de quo recte Lactantius dixit, ibi nullam esse religionem, vbi cultus simulachrorum est. Quidam tanti fecerunt hunc librum, vt Canonicis accensendum statuerent. Ephiphanius vocavit βίβλον πανάρετον, *omnium virtutum libellum*.

Ecclesiasticus, siue liber Siracidæ.

Hic liber dictus fuit *Ecclesiasticus*, quod contineret rationem disciplinæ Ecclsiasticæ de vita recte instituenda. Ab authore dicitur liber Siracidæ, siue Iesu Sirachi, qui post omnes prophetas, paulo ante Christi aduentum vixit. Appellatur etiam *Sapientia Iesu filii Sirachi*. Et Hieronymus apud Hebræos illum repetit titulo Parabolarum. Pleraque cum Prouerbiis Salomonis habet communia. Ex hoc tractatu quam rectissime peti possunt capita Philosophiæ moralis, quæ congesta sunt hinc inde ex verbo Dei, tanquam flores amœnissimi. Fuit autem hic mos per gnomas docendi vetustus admodum. Continet I. Sententias insignes; qua in parte Iesus Sirach imitator fuit Salomonis. *II.* Veteres quasdam historias de viris Deo probatis. III. Pias orationes & hymnos ad Deum. IV. Historiam de beneficiis Dei in populum ipsius, & de iudiciis in hostes.

Chronologia librorũ apocryphorum.

Et hoc quidem ordine Franciscus Iunius recenset libros Apocryphos, quos iuxta seriem temporis sic dispofueris, non quidem adeo exacte (ut exactus calculus hic haberi nequit) tamen falso.

Liber Tobiæ scriptus videtur circa ann. Mundi 3240. in *Assyria*, quo decem tribus erant deportatę à Salmanassere.

Oratio Manaßis circa ann. Mundi 3290.

Liber Iudith tempore Nebucadnezaris, circa ann. Mundi 3350.

Liber Baruch, in captiuitate Babylonica

Adiectiones in Danielem, item in captiuitate Babylonica.

Adiectiones ad Esthera scriptæ sunt eodē tempore, quo liber Esthera Canonicus, de Chronologia vide supra.

Liber 3. & 4. Ezra, post captiuitatem.

Liber Iesu Syrachi circa annum Mundi 3730.
Libri Maccabaeorum circa annum 3820.
Liber Sapientiae, circa tempora Caligulae.

CAP. CXXVII.
Enarratio sensus inuenti.

HActenus indicauimus modum inueniendi sensum Sacrae Scripturae: sequitur vt indicemus, quanam ratione sensus inuentus sit enarrandus.

Enarratio sensus inuenti est, qua monstratur aliis verbis, sed clarioribus, aut saltem ad captum & intelligentiam eorum, qui docendi sunt, accommodatis, siue illa ex aliis Scripturae locis petita, siue ex vernaculo & auditoribus noto sermone desumtis, sed ad dignitatem & grauitatem Scripturae congruentibus.

Non satis est, mente concepisse orthodoxum & genuinum Scripturae sensum. Oportet insuper illum sensum enarrare, vbi in genere sunt hi canones.

1. [Optima ac tutissima sensum Scripturae enarrandi ratio est, quae fit per alia Scripturae loca.] Adeo sc. perfecta & copiosa est Scriptura, vt nobis suppeditet phrases claras, quae lucem adferre possunt locis obscuris. Loca obscura intellige, non in se, non rõne Dei, sed quae nobis sunt talia.

2. [Phrases vernaculae, quae adducuntur enarrando sensui Scripturae, nõ redoleãt leuitatẽ aut profanitatẽ.] Sicut decorum omnib. in reb. obseruandum est: ita in enarrando sensu scripturae omnium maxime. Cum aũt Scriptura à Deo sit profecta, & tractet de rebus diuinis, quã longissime errant à ianua, qui locutiones ineptas & absurdas adducunt in cõcionibus & homiliis suis super libros sacros.

Enarratio sensus inuenti consideratur generatim & speciatim.

Interpretes S. literarum vel in templo, vel in Schola docent. Hi habent quaedam communia in enarratione sensus inuẽti, quaedam propria. Hinc nota nobis est diuisio modo data.

Enarratio generatim cõsiderata est, quae respicit interpretes Ecclesiasticos iuxta & Scholasticos.

Eius partes duae sunt, Analyseos & Synthe seos *enarratio.* Hinc enarratio diuidi potest in analyticam, & syntheticam.

Enarratio Analytica est, quae à fine ad principia procedit, distinctè enarrans scopũ, thema & argumenta loci propositi.

Ad haec tria possumus reuocare omnia, quae analyticus bonus in quocunque obiecto tractationis suae obseruare debet.

Enarratio Analytica est communis, vel singularis.

Communis est, qua scopus, thema (sub quo summa & partes) & argumenta libri alicuius sacri enarrantur communiter; vbi haec erit methodus. *Enarratio Analytica quae sit?*

I. prin-

I. Principio indicetur causa efficiens ministerialis, id est, scriptor; eius videlicet vita, vocatio, & mors.

II. Indicetur, ad quosnam liber sit scriptus, vbi fuerint, quales tunc fuerint, quales nunc sint. Hoc autem, vt & primum illud ferme ex titulis, & inscriptionibus librorum colligi potest.

III. Exquiratur, quæ scribendi fuerit causa impellens, seu occasio, quo etiam pertinet finis. Hic igitur analyticus indicabit, quis status Ecclesiæ vel Reip. tum fuerit, quib. modis ad illum statum sit peruentum, quid scriptorem ex omnibus potissimum mouerit, quem finem siue scopum scriptor intenderit. Quæ omnia ipsi scriptores vel in initio, vel in progressu, vel in fine operis aliquousque insinuant.

IV. Explicetur status, seu quæstio principalis.

V. Partes indicentur, si quæ sunt: & hæ partes resoluantur in alias minores, donec liber sit totus exhaustus.

VI. Summatim colligantur loci præcipui doctrinæ. Sic enim multo exporrectior & alacrior reddetur auditor. Hic ostendatur; quinam ex illis locis maxime pro tempore præsenti faciant ad doctrinam, redargutioné, institutionem, correctionem, & consolationem. Dici non potest, quantum momentum habeat hæc ratio, si monstretur quanta vtilitas & publice ad Ecclesiam, & priuatim ad conscientias ex cognitione huius vel illius scripti redeat.

VII. Vltimo loco præmittantur regulæ quædam, quæ ad interpretationem scripti faciunt singulariter.

Atque hæc septem capita enarrari debent breuiter & perspicue. Solet quidam prolixe hæc persequi. Sed κακοζηλία illa multis nominibus damnosa est.

Enarratio Analytica singularis est, qua certa librorum Biblicorum loca enarrantur.

Estque tum vocum, tum rerum enarratio.

Enarratio vocum, siue simplices illæ sint, siue coniuncta, est, qua

I. Indicatur, num vox sit propria, vel tropica, iuxta regulas supra traditas. Si sit propria, & tamen obscura, aliis verbis enarranda est. Si sit tropica, tropus explicandus est verbis propriis.

II. Vocis indeterminatæ & generalis significationes variæ excutiuntur, quæq; sit competens indicatur, h.e. quæ præsenti loco conueniat. Quæ vero voces sint indeterminatæ & generales, docebit te prima Philosophia. Illa enim habet terminos transcendentes, qui sunt omnium generalissimi. E.g. *Genes.* 1.v.1. occurrit vox principii. Hæc est Metaphysica. Proin determinata. Ergo determinanda ad locum præsentem.

III. Idiotismus Scripturæ aliis verbis enarratur. Hic velim te repetere quod supra diximus, voces S. literarum non esse obscuras & ambiguas

guas ratione Dei loquentis, vel etiam ratione Scripturæ in se, sed tantum respectu hominum sensum Dei non satis intelligentium.

*Enarratio rerum est qua sententiá (*quæ est vita & anima Scripturæ*) loci propositi eruitur verbis conuenientibus. Estque tum thematis, tum argumentorum.*

Vtraque illa enarratio tum vocum, tum rerum, fit vel breuiter, vel pluribus verbis.

Enarratio vocum quæ fit breuiter, his modis instituitur.

I. Vox ignotior per notiorem declaratur. Sic *Matth.* 1. *v.* 23. Vox Hebraica *Immanuel* explicatur.

II. Vox duas significationes habens, distincte explicatur κατ' ἄρσιν: vt *Iohan.* 11. *v.* 11. Lazarus amicus ille noster dormit. Hic vox dormit non de somno, sed de morte accipi debet.

III. Vox obscura explicatur alia clariore: vt *Psal.* 110. *v.* 1. dicitur Messias sedere ad dextram Patris. Hanc phrasin Paulus 1. *Cor.* 15. *v.* 25. declarat vno verbo, regnare.

Enarratio vocum quæ fit pluribus verbis, tum demum est necessaria, cum vox enarranda habet multas significationes. E g. si velis enarrare locum *Psalm.* 51. *v.* 19. Sacrificia Dei sunt spiritus fractus. &c. hoc modo explicabis vocem sacrificium. Hæc vox 10. modis accipitur in Scriptura. Nam est

1. Sacrificium legale & typicum V. Testamenti proprium. *Sacrificii vocabulũ decem modis accipitur in S. literis.*
2. Sacrificium illud mysticum; hostia salutaris, corpus Christi pro nobis in cruce oblatum.
3. Sacrificium martyrii siue martyrum, qui corpora sua Deo immolatunt.
4. Sacrificium deprecationis, qua culpam coram Deo deprecamur.
5. Sacrificium laudis siue hymni, quo Deo gratias agimus.
6. Sacrificium iustitiæ, cum Deo vitam nostram approbamus.
7. Sacrificium eleemosynæ, quæ offertur pauperibus imo ipsimet Christo.
8. Sacrificium humilitatis seu compunctionis, cor contritum & humiliatum.
9. Sacrificium prædicationis, vox Euangelii, qua offeruntur Deo homines fideles per ministerium hominis.
10. Sacrificium fructificationis, vt est beneficentia in sanctos. Confer *Chrysost. in Psalm.* 59.

Deinde hæc prolixior vocum enarratio est necessaria, quando locus Scripturæ typum, vel parabolam continet: quemadmodum Deus ipse exposuit typum aridorum ossium, apud *Ezech. c.* 38. & Christus parabolam de zaniis. *Matth.* 13.

Enarratio rerum breuiter debet fieri, cum sententia est obuia, vt Maledictus qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt ea faciat.

Deut. 27. Prolixior enarratio rerum fit pluribus verbis secundum certos inuentionis locos Logicos, his modis.

Duodecim modi enarrandi res sacras prolixius.

I. Illustratur explicatio sensus, vel enarratur per indicationem causæ efficientis, à quo scil. verba enarráda, sint prolata: an sint verba Dei, Christi, regis, Apostoli, vel alterius alicuius hominis: addita commendatione authoris, qui protulit: vt, *Prov.* 1. Timor Dei est initium sapientiæ. In horum verborum enarratione indicetur, quod Salomon hanc sententiam nobis reliquerit, qui commendetur ab effectis & adiunctis. De hinc transitus fiat ad explicationem ipsius sententiæ.

II. Ostenditur, cui vel quibus dicta sint verba, quæ præ manibus habemus: vt, *Gen.* 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Hæc verba enarraturus, primo indicet, cui dicta sint, videl. non solum Adamo, sed omnibus omnino maritis. Deinde explicet, quid per sudorem & panem intelligatur.

III. Indicatur, qua de causa aliquid sit dictum: vt *Ier.* 23. *v.* 24. Annon cœlos & terram ego impleo, dicit Iehoua? Cum Deus non sit res corporea, in enarratione huius loci oportet indicare, quo sensu, qua de causa Deus dicatur implere cœlos & terram? Quia videl. sua essentia, potentia & operatione est vbique, vti veteres præclare admodum dixerunt:

Enter, præsenter, Deus hic, & vbique potenter.

IV. Indicari potest causa impellens, seu id, quo motus author aliquid dixit: vt *Matth.* 13. Christus præmittit parabolæ causam, cur Iudæis loquatur per parabolas. *Psalm.* 119. *v.* 29. Viam falsitatis à me amoue. In explicatione huius loci oportet indicare, cur falsitatis mentionem fecerit Dauid, non autem alterius vitii. Sic in enarratione præcepti sexti, *Non occides*; cur Deus homicidium potius, quam odium prohibuerit.

V. Indicatur obiectum, de quo verba accipienda sunt: vt, *Act.* 2. *v.* 25. & seqq. Petrus allegans vaticinium è Dauide, exponit illud ita, vt doceat non de Dauide, sed de Christo accipiendum esse. Idem facit Paulus *Act.* 13. *v.* 35. 36. 37. Sic promissio illa 2. *Sam.* 7. *v.* 12. 13. intelligenda est & de Salomone, tanquam typo, & de Christo, tanquam antitypo. De illo minus principaliter, de hoc principaliter. Iudęi falso exponũt de Salomone.

VI. Videndum est, an locus accipiendus sit de toto, an de parte: vt, *Gen.* 1. & 2. de homine creato ad imaginem Dei quæritur, an homo secundum animam tantum, an insuper etiam secundum corpus sit imago Dei? *Phil.* 2. *v.* 7. de Christo dicitur, quod semetipsum exinaniuerit. Hic quæritur, secundum quam naturam? Resp. Non caro in verbo, sed verbum in carnis assumtione se exinaniuit.

VII. Indicatur tempus, de quo locus accipiendus: vt *Rom.* 7. Si hoc caput sit enarrandum, primo loco indicetur, quod Paulus de se iam regenito loquatur. Ita verba *Phil.* 2. *v.* 6. 7. accipienda sunt de Christo ante assumtam

sumtam carnem. Vnde omnes hæreses contra Deitatē Filii refutantur. Sic multa loca Scripturæ loquuntur de Christo in statu exinanitionis, multa de illo in statu exaltationis. Quædam dicta loquuntur de homine nondum conuerso, quædam de conuerso: quædam de illo in terris, quædam de eodem in cœlis agente.

VIII. Antithesis institui potest, seu remotio dissentanei: vt, *Psalm.* 119. *v.* 68. Doce me statuta tua. Dauid obsecrat Deum, non vt augescat diuitiis & honoribus, non vt affluat delitiis, sed vt proficiat in legis intelligentia & obsequio. Hic enarrationis modus est admodum ἐναργὴς τε καὶ ἐνεργής: vt *Ioh.* 3. *Sic Deus*, non Imperator, non Rex aliquis; *dilexit mundum*, non rem aliquam pulchram & iustam, sed mundum immundum, & hostes suos, quos odisse poterat: *vt Filium suum*, non Angelum, aut aliam aliquam creaturam: *vnigenitum*, non vnum è multis: *daret*, cum non dare posset; *vt omnis*, non solum Abraham, vel Iacob: *qui credit*, non qui iactat opera: *in eum*, non ita nude, vt Diabolus credit eum: *non pereat*, *sed habeat vitam*, cum mors nobis deberetur: *æternam* non ad aliquot annos vel secula.

IX. Enarratio institui potest per remotionem falsæ interpretationis, qua textus à quibusdam corrumpitur, vel corrumpi potest. Sic Christus verba sua *Matth.* 16. *v.* 5. de fermento Pharisæorum & Sadducæorum, à discipulis male intellecta de fermento cibario, explicat κατ' ἀναίρεσιν. *v.* 8. 9. *& seq. Psal.* 119. *v* 94. Tuus sum ego, serua me: quia statuta tua quæsiui. Dauid hic animat se ad fidenter orandum, quod sit in peculio Dei, cuius rei signum adducit, studium pietatis suæ. Non igitur hoc ita oportet accipere, quasi se quicquam promeritum Dauid iactet, sicut apud homines solemus vti hac formula: Ego te semper colui, studui honori tuo & commodis tuis consulere, obsequia mea tibi fuerunt parata. Æquum igitur est, vt quod à te peto impetrem. Non, inquam, hoc modo oportet accipere verba Dauidis. Nam vox *quia* non causam, sed signum notat: vel certe est metonymia q.d. Serua me. Q. statuta tua quæsiui, hoc est, fide saluifica in Christum sum præditus, quæ impulit ad quærendum statuta tua. Sic igitur quoties locus aliquis Scripturæ falsa expositione est ab hæreticis deprauatus & in alienum sensum detortus, deprauatio illa & peruersio est subruenda, vt verus ac genuinus sensus tanto magis constet.

X. Enarratio facienda per comparationem locorum similium vel dissimilium. Collatio locorum similium siue consentientium est, quādo loci propositi enarrantur ex aliis locis apertioribus. Sicut IC. dicunt, interpretationem fieri de similibus ad similia, vbi legum sententia manifesta est, *l.* 12. *ff. de ll.* Et quidem in librorum historicorum V. T. & Prophetarū enarratione semper notanda eorum cum libris Mosis, & inter se conuenientia, vt si quid accidit, ostendendum illud euenisse iuxta promissionem, comminationem & prędictionē illam vel illam, in hoc libro Mosis,

in illo vel illo Propheta propositam. Maxime vero in Prophetarum enarratione omnia diligenter conferenda cum lege; quia Prophetæ sunt interpretes legis. Deinde Vetus Testamentum per Nouum enarrari debet. Collatio locorum dissimilium, hoc est, in specie pugnantium est, quando locus enarrandus confertur cum alio, vel pluribus, qui doctrinam, quæ ibi traditur, euertere videntur. De hac collatione supra præcepimus plus satis.

XI. In enarratione loci monstratur connexio illius cum antecedentibus & consequentibus.

XII. Sæpe plures modi ex his enumeratis coniunguntur.

Enarratio synthetica quæ sit? *Enarratio synthetica, est quæ à principiis ad finem contendit:* hoc est, quâ è textu quem enarramus, varias de eodem dogmate theses seu propositiones, earumque confirmationes distinctè, certoque & ad auditorum captum accommodato ordine in vnum colligimus atque exponimus, pluribus etiam ex aliis Scripturæ locis adductis, si opus sit, illustrationibus aut probationibus.

Enarratio sensus speciatim considerata est duplex, altera popularis seu Ecclesiastica, Scholastica altera.

Enarratio popularis. *Enarratio popularis ad promiscuam multitudinem vsurpatur, & bona ex parte Rhetorum officium redolet.*

Huius capita sunt tria.

I. Natiua perspicuaque sententia paucis iisque perspicuis verbis ostendenda est, atque animis auditorum infigenda.

II. Inde excerpendi loci primarii, quibus diutius inhærendum. Hi loci vel in dato loco exprimuntur, & tum simplex notatio seu indicatio doctrinæ sufficit: vel è textu colliguntur per bonam consequentiam.

III. Vsus locorum ostendendus, & applicatio ad præsentia, vid. tempus, locum & personas, facienda. Hoc enim est primarium in enarratione populari, vt accommodentur omnia præsenti Ecclesiarum statui. In his autem omnibus frequentia in Scripturis adhibenda sunt exempla, illustria dicta, & similia selecta: quæ omnia exornanda sunt tropis & figuris Rhetoricis. Huius enarrationis absolutissima exempla videre est in concionibus Christi, Prophetarum & Apostolorum: & in homiliis Origenis, Basilii, Chrysostomi, Bernhardi & aliorum orthodoxorum Patrum.

Enarratio scholastica. *Enarratio scholastica ad cœtum studiosorum in scholis vsurpatur, & bona ex parte ad Dialecticam breuitatem simplicitatemque adstricta est.*

Huius capita sunt.

I. Ostendi debet scopus authoris in loco proposito.

II. Analysis instituenda, vt ita constet de themate, siue simplex illud sit.

sit siue compositum, itemq; argumentis, quorum tres classes. Sunt enim argumenta declarantia, demonstrantia & amplificantia.

III. Obseruationes theoreticæ colligendæ, quibus explicetur textus, quoad verba & res.

IV. Obseruationes practicæ addendæ, quibus eruantur loci communes, iique scholastica methodo enarrandi.

CAP. CXXVIII.

Accommodatio sensus ad vsum.

Hvcusque tradidimus indicationem sensus: nunc trademus accommodationem sensus inuenti ad vsum.

Supra constituimus duas partes interpretationis, indicationem sensus, & accommodationem illius ad vsum. Primam partem persecuti sumus sat copiose, id quod omnino factum oportuit: altera pars nunc expedienda.

Accommodatio est, qua doctrina recte collecta è loco aliquo Scripturæ, pro ratione loci, temporis, & persona varie accommodatur. Dicitur eodem sensu *applicatio.* De hac insignis est locus *Ezech.34 v.16.22.23 Ego pascam gregem meum, & ego faciam vt recubent, dicit Iehoua. Pereuntem requiram, & depulsam reducam fractamque obligabo. & ægrotam confirmabo. Alios quidem habito delectu commiseramini. Alios vero terrore seruate ex flamma rapientes.* Hæc accommodatio omnis lectionis atque operæ in diuinis positæ caput est. Sic enim scire possimus, quomodo ex iis locis, quorum veram & simplicem sententiam satis fuerimus assecuti, spiritualem fructum possimus capere, atque vel publice ad vniuersæ Ecclesiæ, vel priuatim ad nostrarum conscientiarum vtilitatem & tranquillitatem, quæ obseruauerimus, conuertere.

Accommodationis oportet videre fundamentum, modos & species.

Fundamentum accommodationis est, scire discrimen itemque vsum Legis & Euangelii. Quando itaque nobis constat de genuino alicuius loci sensu, videndum est an locus datus sit sententia legalis, vel Euangelica. Nam in accommodatione loci alia est operatio legis, alia Euangelii Lex quidem hactenus est efficax, quod nobis morbum indicat, & exasperat, sed ex accidenti (nam lex sua natura est norma) remedium vero nullum præbet. Euangelium vero sicut docet quid sit faciendum in Christo, & per illum: ita etiam adiunctam habet efficaciam Spiritus S. vt ita nos iam regeniti vires habeamus, & credendi Euangelio, & quæ iubet præstandi. Hic sunt canones. *Discrimen legis oportet obseruare eum, qui velit recte applicare S. literas.*

1. [*Lex docendi ordine prior est Euangelio.*] Ratio; quia prius oportet morbum agnoscere, quam medicum quærere.

2. [*Legalis sententia concionatur de quatuor punctis, vti loquuntur, siue membris. Prima. De iustitia inhærente perfecta. Secunda. De vita æterna data operibus legis.*

„ 3. *De peccatis contrariis. 4. de maledictione & pœna peccatis debita.*] Vide *Matt.* 5. *v.*10. & *Gal.* 3. *v.*10. His itaque κριτηρίοις sententiam legalem ab Euangelica discernes.

„ 3. [*Sententia Euangelica est, quæ de Christo eiusque beneficiis, deq; fide bonis operibus fructificante præcipit.*] Vide *Ioh.* 3. *v.* 16.

„ 4. [*Sententiæ legales piis propter Christum sunt Euangelicæ, sicut contra sententiæ Euangelicæ impiis extra Christum sunt legales.*] Hinc innumera dicta, quæ loquuntur de bonis operibus sanctorum, non νομικῶς, *legaliter*, sed Euangelice sunt accipienda. *Genes.* 6. *v.* 9. *Noah vir iustus & integer erat in ætatibus suis: secundum Deum indesinenter ambulabat.* Magnifica profecto commendatio, quæ respicit fidem, radicem & scaturiginem istorum operum: quæ Deo placent, quia persona placuit ipsi in Iesu Christo illo accepto. *Genes.* 17. *v.* 1. Dicit Deus ad Abrahamum: *Ego sum Deus fortis, omnipotens, indesinenter ambula coram me, & esto integer.* nimirum fide præuia. *Deut.* 11. *v.* 30. *Mandatum hoc quod præcipio tibi hodie, non est occultum, neque procul positum: sed iuxta est in ore tuo, & in corde tuo.* Hæc sententia est legalis, si spectes hominem, qua homo est. Sed Euangelica est, si spectes hominem, qua est homo Dei, in Christo Iesu, qui *Matth.* 11. pronunciat iugum suum, hoc est, præceptū, esse facile. *Psal.* 119. *v* 1. 2. *Beati integri via, qui ambulant in lege Iehouæ. Beati custodientes testimonia eius ex toto corde quærentes eum.* At nemo est integer via, nemo ambulare potest in lege Iehouæ? Resp. Scil. suis viribus. Sed Christi spiritus qui in nobis habitat, excitat nos, præuenit, comitatur & subsequitur nos *Luc.* 11. *vers.* 28. *Beati qui sermonem Dei audiunt, & custodiunt illum.* Qui vero sunt illi, qui audiūt sermonem Dei vt oportet? Resp. ii, qui sunt Iesu Christi. Eodem modo accipe illud *Ioh.* 14. *v.* 21. 23. de iis, qui obseruant præcepta Christi, vt eum diligant. Verissima itaque Theologorum regula: Omnia legalia filiis Dei sunt Euangelica; omnia Euangelica impiis sunt legalia.

Septem classes auditorum.

Accommodationis modi sunt septem, pro vario hominum statu, qui septuplex est. Nam nobis res est, aut cum infidelibus qui & ignari, & indociles; aut cum iis, qui dociles quidem sunt, sed ignari; aut cum iis, qui cognitione aliqua imbuti sunt, sed nondum humiliati; aut cum humiliatis; aut cum credentibus; aut cum lapsis; aut cum populo mixto.

1. *Infideles, qui & ignari, & indociles.*

Si nobis res sit cum hominibus infidelibus, hi canones obseruentur.

„ 1. [*Infideles præparandi sunt ad recipiendam doctrinam verbi partim disputando, partim arguendo.*] Disputatio sic instituenda, vt ex iis procedamus principiis, quæ illi admittunt. Nam nisi conueniamus in principiis, nihil agemus. Modus ille sic habet. Primo supponatur principium hoc: *Deus est.* Dehinc istud: *Alia est vita post hanc.* Hinc sequentes conclusiones deriuentur: *Ergo est aliquod Dei verbum, de modo Deum cognoscendi, & agnitum colendi, adeoq;*

ad

ad vitam æternam perueniendi. Si enim Deus est summe bonus, & sunt creaturæ, quibus se reuelare potest, vtique erit aliqua religionis formula ab ipso præscripta. Dehinc sit talis conclusio. *Ergo illud verbum, vel illa religionis formula est diuina, quæ habet sanctissimas præceptiones, & amplissimas promissiones.* Ex his consurgit talis Syllogismus. Illa religionis formula est diuina, quæ sanctissimas habet præceptiones, & amplissimas promissiones. Atqui nostra talis. Ergo. Minor variis modis adstruenda est, adducto catalogo præceptionum & promissionum diuinarum, quæ conferendæ sunt cum gentilium dogmatis de religione. Deinde ostendenda est infidelibus harmonia libri naturæ & libri gratiæ; quam Deo dante in Theologia naturali enucleate trademus. Sic Paulus disputauit *Act.* 17. *v.* 22. 23. 24. Præmissa disputatione arguendi sunt infideles ob eximium aliquod peccatum, quod in iis deprehenditur, vt corde compuncti & territi, fiant dociles. Vide 2. *Chron.* 17. Iosaphat misit Leuitas per ciuitates, vt populum doceret, & ab idolis abduceret. Confer *Actor.* 17. *vers.* 17. *Act.* 16. *v.* 27. 28. 29. 30. 31.

1. [*Vbi iam spes est, eos dociles & paratos esse, doctrina verbi Dei generatim communibus quibusdam terminis enuncianda est. Hoc fiet, si summa legis & Euangelii proponatur.*] Vide *Act.* 17. *v.* 30. 31. Primo igitur è lege morali siue naturæ conuincendi sunt miseriæ; quam si agnoscant, de remedio proponenda sunt aliquot dicta Euangelica.

3. [*Si probauerint & admiserint summam legis & Euangelii, distincte singula Christianismi capita illis proponenda sunt methodo prudentia.*] Quid vero factu opus, si manserint indociles? Resp. Relinquendi sunt, iuxta illa theoremata, quæ sunt *Matth.* 7. *v.* 6. *Prou.* 9. *v.* 8. *& Act.* 19. *v.* 8.

2. *Dociles, sed ignari.*

Sicut primæ classis auditoribus proponenda est Theologia naturalis: ita his Catechesis tradenda. *Luc.* 1. *v.* 4. *Act.* 19. *v.* 29. *&* 26. Est autem Catechesis compendium religionis Christianæ, tradens fundamentum & principia illius per quæstiones & responsiones viuæ vocis, memoriæ iuuandæ gratia. Fundamentum religionis est Christus. Principia religionis continentur in quinque capitibus Catecheticis, quorum hæc est summa diuisio:

Principia Christianismi sunt de fidei
- *Satura: Symb. Apostolicum.*
- *Fructibus*
  - *Vita pia: Decalogus.*
  - *Precatione: Oratio Dominica.*
- *Sigillis: Sacramentum*
  - *Baptismi.*
  - *S. Cœna.*

Et hoc est lac illud, de quo Apostolus 1. *Cor.* 3. *v.* 1. *&* 2. *Heb.* 5. *v.* 13. quod à solido cibo, id est, copiosa tractatione religionis non differt specie vel reipsa, sed tantum modo tradendi. Modus quæstionum & responsionum Catecheticarum peti potest ex *Act.* 8. *v.* 37.

3. Co-

3. *Cognitione aliqua imbuti, sed nondum humiliati.*

Hi sunt vel infirmi, vel obdurati.

Si sint infirmi; primo initium resipiscentiæ, id est, dolor quidam, qui est secundum Deum, excitandus est: cui actui succedat prædicatio Euangelii. Canones notentur isti.

" 1. [*Dolor secundum Deum non secundum mundum, est initium resipiscentiæ.*] *2. Corinth. 7. v. 8. 9. 10.* Est autem dolor secundum Deum, tristitia de peccato, ideo quia peccatum est. Enormitas itaque peccati ostendenda est ex lege, vt pauor conscientiæ & contritio cordis excitetur.

" 2. [*Vt legalis contritio fiat, inquiratur in vitam illius, quem humiliare volumus: &*
" *si abnorme quoddam peccatum admisit, illud exaggeretur.*] Sic factum legimus ab Apostolis, *Act. 8. v. 22. Act. 2. v. 25.* Et hæc res nõ abire solet sine fructu. Maxime siquidem compungitur, qui sibi male est conscius. Et dolor siue resipiscentia de vno peccato est dolor & resipiscentia de omnibus, non formaliter quidem, sed consecutiue, quatenus agnito vno peccato descendimus ad cognitionem aliorum.

" 3. [*Si quis cruce & externis calamitatibus pressus, tantum habeat dolorem mundi,*
" *id est, lugeat de peccato, non quatenus peccatum est, sed de pœna peccati, is non statim*
" *erigendus est consolatione, sed cõuertendus est hic dolor in illũ, qui est κατὰ τὸν θεόν.*] Perkinsus huic canoni illustrãdo adducit appositũ simile. Cui ait, fluente per nares sanguine, vitæ periculum est, etiam sanguinis missionem in brachio vel alibi pro re nata fieri iubent (*medici*) vt sanguini è naribus erumpenti remoram iniiciant; vt iam expirantem saluum reddant.

" 4 [*Excitato dolore, qui est secundum Deum, Euangelicæ promissiones adducendæ*
" *sunt.*] Hoc est illud oleum & emplastrum mitigatiuum siue liberantis, quod vulneri infundendum & obducendum.

Si sint obdurati; vrgenda lex, & maledictiones ingeminandæ, vna cum difficultate liberationis, si ita pergant, vsque dum compungantur corde. *Matth. 3. v. 7. c. 23. v. 31. 32. 33.* Quod si forte appareat initium compunctionis, Euangelio statim erigendi sunt.

IV. Humiliati.

Humiliatio est vel inchoata, vel solida.

Humiliatio inchoata & leuior est, cum auditor ex parte suam miseriam agnoscit. Hic esto processus talis. Lex proponatur, sed temperata Euangelio. Si enim mera Euangelica proponerentur, magis obduresceret cor, instar ferri, quod coniectum in fornacem euadit durissimum, vbi deferbuerit. Exempla vide *Gen. 3. v. 9. 13. 15. 2. Sam. 12.* vbi Nathan Dauidem obiurgat. *Act. 8. v. 20. 21. 22. 23.*

Humiliatio solida est, cum auditor plene agnoscit suam miseriam, & misericordiæ Dei fontem sitit. Huic doctrina fidei & resipiscentiæ proponenda,

nenda, & consolationes Euangelicæ promulgandæ. *Luc.4.v.18. Act.2.v.37.38.Matth.9.v.31.*

V. Credentes.

His proponenda. I. Euangelium, de iustificatione, sanctificatione & perseuerantia. II. Lex sine maledictione, quatenus est norma instituendi vitam Euangelio dignam, hoc est, quatenus docet nouę obedientiæ fructus, resipiscentiæ conuenientes edere. *Rom.8.v.1.1.Tim.1.v.9.* Exemplum sit epistola Pauli ad Romanos. III. Maledictio legis vibratur, non in personam, quæ iusta & sancta est apud Deum in Iesu Christo, sed aduersus personæ peccata. Cum enim ex parte sit sanctificatio, vt aboleantur reliquiæ peccati, *à meditatione legis* & sensu peccati *ordiendum*, vt ne fideles misericordia Dei ad licentiam abutantur, sed vt plenius humilientur, *& in Euangelio desinendum.*

VI. Lapsi.

Lapsi sunt, qui à statu gratiæ ex parte deficiunt.

Lapsus est vel fidei, vel morum, seu vitæ.

Lapsus fidei est vel leuior, vel grauior.

Lapsus leuior est in notitia doctrinæ Euangelicæ, puta defectio ad errorem aliquem, qui non euertit fundamentum. Hic oportet errorem demonstrare ex sacris literis, & affectu fraterno vrgere vnitatem Ecclesiæ, quam non oporteat scindere.

Lapsus grauior est, vel defectio ad errorem fundamentalem, vel desperatio.

Deficientibus ad errorem fundamentalem demonstrandus est error ex analogia fidei & charitatis, & admonendi sunt, vt rationem habeant salutis suæ.

Desperatio est lapsus in apprehensione Christi. Hic opus est exploratione, & remedio.

Exploratio est vel causæ tentationis, vel status.

Exploratio causæ commode fit priuata confessione, non tamen auriculari illa. *Iacob.5.vers.17.* Sed ne ex confessione fiat carnificina, his ea cancellis circumscribenda. I. Debet esse libera, non coacta; quia salus non pendet ex ea. II Non omnium peccatorum esse debet (quia hoc impossibile) sed eorum tantum, quæ conscientiam vulnerant. III. Pastoribus præcipuè fiat, ita tamen vt aliis in Ecclesia, qui dotibus quibusdam præpollent, etiam fieri tuto possit.

Exploratio status est, qua disquiritur, an tentatus sit sub lege, vel sub gratia: id est, an magnitudine peccatorum prematur, vel dubitent de satisfactione Christi & amore Dei, vel abutantur doctrina de gratia Dei. Hoc vt liquido appareat, adhibitis quæstionibus primo eliciendum est, an habeant displicentiam sui, quod Deum offenderint, hoc est, odium peccati, quatenus

tenus peccatum est; id quod fundamentum est resipiscentiæ ad salutem: secundo an sentiant in corde desiderium reconciliationis cum Deo, id quod viuæ fidei principium est.

Exploratione facta remedium adhibendum est ex Euangelio, quod duplex. I. Crebrius inculcandæ sunt meditationes Euangelicæ: vt 1. Peccatum esse remissibile. 2. Promissiones Euangelicas, respectu credentium generales esse, & neminem excludere. 3. Velle credere & proficere, esse credere & proficere. *Psalm.* 145. *v.* 19. *Apoc.* 21. *v.* 6. 4. Peccatum non tollere gratiam Dei, sed, Deo omnia in bonum suorum conuertente, potius illustrare. 5. Cuncta Dei opera esse in mediis contrariis. II. Monendi sunt & rogandi tentati, vt in ipso tētationis paroxysmo excitent sopitam fidem, & certo statuant sibi remissa peccata, atque precando, vel seorsum, vel cum aliis, contra sensum carnis, & contra spem humanam luctentur strenue: atque ista vt faciant, & fortius vrgendi, & nolentes pene cogendi sunt. *Psalm.* 13. *v* 1. 2. *Psal.* 77. *v.* 2. *Rom.* 14. *v.* 18. Atque vt hæc remedia vim habeant, ministerialis illa potestas ligandi & soluendi ad pręscriptum verbi vsurpanda est. 2. *Sam.* 12. *v.* 13. 2. *Cor.* 5. *v.* 20. Quod si forte melancholia mentem turbet, medicinæ auxilium à peritis petendum.

Lapsus vitæ seu morum est, cum quis fidelis ad actuale peccatum deficit: vt est adulterium Dauidis. Qui sic labuntur, retinent gratiam & fidem quoad vim & habitum, seu actum primum, amittunt quoad internum sensum & actum secundum. Ideo his proponenda est lex Euangelio temperata: quia noui peccati actus requirit nouum actum & fidei & resipiscentiæ. *Esa.* 1. *v.* 1. 2. 3 4 16. 17. 18.

VII. Populus mixtus.

Mixtus populus sunt Ecclesiarum nostrarum cœtus. Hic requiritur, vt ingenia auditorum singulorum, quoad eius fieri potest, cognoscantur, vt pro ratione pœnitentium, vel impœnitentium, Euangelica vel legalia proponi possint. Hæc omnino sunt singularia, ideoque infinita. Proinde de his certæ præceptiones dari non possunt.

2. *Tim.* 3. *Accommodationis species sequuntur, quas ex Apostolo Paulo, harum rerum magi-*
v. 16. 17. *stro peritissimo sic recensemus.*
Rom. 15. *Accommodatio est vel theoretica* (quæ etiam πιστικὰ dicitur) *vel practica.*
v. 4. *Accommodatio theoretica est, qua respicit mentem, adeoque pertinet ad cognitio-*
1. *Cor.* 10. *nem veri, seu ad fidem.*
v. 4. *Estque, vel* διδασκαλία, *vel* ἔλεγχος; hoc est, confirmatio verorum dog-
1. *Cor.* 14. matum, & confutatio falsorum.
1. *Tim.* 4.

VSVS SCRIPTVRÆ AD DIDASCALIAM.

Ad confirmationem verorum dogmatum accommodatur locus, cum ex verbis, quæ explicantur, confirmantur articuli fidei, seu doctrinæ orthodoxæ, vtpote quæ ex illis necessario consequantur, atque adeo in illis contineantur.

antur. Colligatur itaque ex verbis loci alicuius certa thesis, quam asseueramus aduersus Atheos, Iudæos, Papistas, Arianos, Anabaptistas, & alios hæreticos.

Hic oportet adnotare formulas, & methodum deductionis.

Formulæ insigniores sunt: Hinc colligimus: Ex quo elicimus: Hinc discimus: Hinc discamus: Pertinet hoc ad confirmationem fidei: Facit ad confirmationem istius articuli : Verum est igitur, quod docemus in nostris Ecclesiis: Proinde minime obscurum est: Vt hoc fixum sit: Hinc colligenda est doctrina : Quo docemur: Inde ista documenta colligimus: Quapropter hoc in animis nostris fixum hæreat: Ex his consequitur. Hic Apostrophe talis habebit locum: Hoc considerate mei charissimi, hoc expendite, vt inde discatis, &c.

Methodus deductionis, quæ & certis locis didascaliæ extruendæ sunt, sic habet.

Doctrinæ colliguntur ex præceptis seu hortationibus , ex prohibitionibus seu dehortationibus, & ex petitionibus.

Ex præceptis deducuntur doctrinæ, cum ostenditur, rem ad quam fit exhortatio, probari Deo, esse cultum Dei, esse Deo gratam, esse bonam, vtilem, sanctam, necessariam.

Ex prohibitionibus colliguntur doctrinæ, cum ostenditur, rem quæ prohibetur, esse peccatum, & rem noxiam, illicitam & homine indignam.

Ex petitionibus, seu precationibus , *ad Deum possunt sumi didascaliæ triplici via; vel ex consideratione Dei, cui supplicatur, vel ex consideratione rei; quæ à Deo petitur, vel ex consideratione personæ supplicis.*

Ex consideratione Dei, cui supplicatur, didascaliæ deducuntur hoc modo.

I. Quod quis non habet , aliis dare nequit. Quare cum sancti orent Deum, vt elargiatur hæc vel illa bona, debemus ex illis precationibus colligere naturam & proprietates Dei, vt misericordiam, iustitiam, sapientiā, &c. e.g. Dauid sic orat Deum: *Miserere me*: Hinc concludimus, Deum esse misericordem. Ex eo; quod orat *Psal.* 119. Da mihi intelligentiam, sequitur hæc didascalia: Deum esse intelligentē, imo ipsam intelligentiam.

II. Quia sancti à solo Deo petiuerunt omnis generis bona, colligimus illum solum esse datorem omnium bonorum: vt è *Psal.* 51. *vers.* 12. colligimus, puritatem cordis esse donum Dei in nobis creatum.

Ex consideratione rei, quæ à Deo petitur, hoc modo deriuantur didascaliæ.

I. Quomodo petitur collatio alicuius boni, debemus has doctrinas inde deducere. 1. Rem illam, quam sancti petiuerunt, numerandam esse in rebus bonis & expetendis. 2. Illius boni in nobis naturalem esse defectum. 3. Bonum illud nobis summopere necessarium esse. 4. Bonum illud minime in nostro arbitrio vel potestate esse.

II. Quando petitur liberatio à malo, hæ didascaliæ colligendæ sunt. 1. Malo illi pios etiam obnoxios esse: vt *Psalm.* 119. *vers.* 134. Cum Dauid o-

rat, sibi peccata remitti, hinc colligimus, omnes sanctos in hac vita peccatores esse. 2. Solum Deum nos posse ab isto malo liberare.

III. Quando rei, quæ petitur, causa, effectum, vel aliud argumentum è logicis, additur, didascalia è consideratione istius argumenti petenda: vt, *Psalm.* 119 *v.* 133. Gressus meos dirige verbo tuo. Hinc didascalia: Rectè viuendi norma est verbum Dei.

IV. Quando res plures à Deo petuntur, didascalia sic formanda, vt indicetur, quo ordine, & cur eo ordine petantur, & quæ res inter eas præferri debeat: vt, *Psal.* 119. *v.* 135. Fac vt luceat facies tua super seruum tuum, & doce me statuta tua. Hic Dauid primo petit paternum Dei fauorem, qui est scaturigo omnium bonorum: deinde se doceri rogat. Hinc colligimus, doctrinam cœlestem omnibus rebus merito præferri.

Ex consideratione personæ supplicis didascaliæ petuntur tribus modis.

I. Quando hypothesis transfertur ad thesin: vt *Psalm.* 3. Surge Iehoua, expedi animam meam. Hinc colligitur ista thesis; Fideles in rebus afflictis constituti ad Deum confugiant.

II. Quando argumentamur à maiori ad minus: vt ex eo quod Dauid petit, *Miserere mei Deus*, didascalia hæc colligenda est: Si Dauid tam sanctus propheta opus habuit Dei misericordia, multo magis nos, qui à Dauidis pietate quam longissime absumus, Dei misericordia indigemus. Ex eo quod Dauid à Deo petit se doceri, colligimus, nos multo magis recte facere, qui doceri nos à Deo petimus.

III. Quando argumenta precationis à personis supplicibus adhibita sic cōsideramus, vt ostendamus, qui certi esse possint de exauditione precum, & impetratione bonorum postulatorum: vt, *Psalm.* 16. *v.* 1. Custodi me Deus fortis; quia recipio me ad te. Ex argumento precationis hæc didascalia conficitur: Qui ad Deum fortem se recipiunt, certo persuasi esse possunt, se impetraturos quod ex fide postulant.

Summa, ex quouis loco deduci possunt didascaliæ, cum oppositorum opposita consequentia colliguntur: vt, *Psalm.* 119. *v.* 155. Procul ab impiis est salus. Hinc vi paritatis contrariorum manat hæc didascalia: Prope esse salutē piorum, etiam in mediis tribulationibus. *Ioh.* 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christū. Hinc colligitur hæc doctrina: Ignorare Deum & Christum, esse mortem æternam, ideoq; illos ignorantes Dei circumferre in corde suo infernū.

Vsus scripturæ ad Redargutionem.

Ad confutationem falsorum dogmatum accommodatur locus, cum ostenditur, ad quænam falsa dogmata confutanda faciat. Confutandi autem sunt cumprimis errores, qui hoc tempore turbant Ecclesias, & quidem citra acrimoniam & insectationem personarum.

Hic

Hic considerabimus itidem formulas, & methodum colligendi confutationē è textu.

Formulæ sunt istæ: Cauendum igitur est ab errore illorū: Arceamus ergo ab animis nostris errorem istum: Hinc iudicare licet, quàm perniciosum sit illud dogma: Quo refutatur: Perperam ergò & falso confingitur: Facessant igitur commenta: Hinc refellitur error illorum: Valere hoc debet ad refutandum errorem, &c. Vtile est hic frequenter vti, Apostrophe ad auditores in hunc sensum: Cauete igitur vobis, mei charissimi, à pernicioso errore: Ne igitur vos sinatis seduci ab iis, qui, &c.

Methodus colligendi ἔλεγχον ex loco scripturæ sic habet:

I. Ex quolibet dicto scripturæ thesis ἐλεγκτική colligi potest: vt, *Psal.* 51. v. 12. Cor mundum crea in me Deus. Hinc ἔλεγχος: Mundities cordis non comparatur nostris viribus: vt grauiter errent gentiles philosophi, qui docent, virtutem nostris actionibus comparari.

II. Ex didascalia vniuersali deducitur ἔλεγχος: vt, Quicunque credunt in Iesum Christum, habent vitam æternam. Ergo 1. quicunque non credunt in Iesum Christum, non habent vitam æternam. 2. quicunque habent vitam æternam, non credunt in Iesum Christum.

Accommodatio practica est, quæ respicit vitam & mores, seu actionem boni. Vulgo appellatur *tropologia*, seu *sensus tropologicus*, item, *moralis*.

Estq; ἐπανόρθωσις, παιδεία & παράκλησις.

Vsus Scripturæ ad correctionem.

Ἐπανόρθωσις, est correctio morum prauorum, seu reprehensio peccatorum grassantium, vt illa à cordibus nostris profligentur. Et hæc est maximè necessaria hoc exulcerato seculo. *Formulæ* illius sunt: Quod vtinam bene meminerimus: sed quid? Hic vero reprehendi debet nostra socordia: Sed proh dolor tantum abest, vt hæc faciamus, vt potius contra: Obsecro, fratres, cur nos Christianos appellamus? Hic deploranda venit nostra socordia. Quousque dilecturi estis vanitatem? &c. *Ratio colligendi reprehensiones è loco proposito sic habet:*

I. Cum Scriptura commemorat Dei iustitiam, veracitatem, bonitatem, & cæteras ipsius proprietates, nostra peccata reprehendit. Ostendit enim archetypum, ad cuius imaginem eramus conditi.

II. Cum Scriptura commendat pios, eorumque fidem & bona opera commemorat, nos arguit, qui illos non imitamur.

III. Cum quis in sacris literis reprehenditur, cum alicuius peccata recitantur, nos redarguimur. Nos enim cum Eua aurem illi serpenti antiquo præbemus: nos turrim Babylonicam adhuc ædificamus, nos cum Israelitis tentamus Deum, &c.

IV. Cum Deus conqueritur de suo populo, de nobis eum conqueri cogitemus.

V. Cum præcepta Dei legimus & audimus, ſpeculum peccatorum noſtrorum videmus.

VI. Ex precationibus ſanctorum varias colligimus correctiones. 1. Nos precibus ad Deum non tam ſedulo vacare, vt ſancti illi homines fecerũt. 2. Nos parui facere bona illa, quæ ſancti omnibus aliis prætulerunt: vt, *Pſ.119.v.135.* Doce me ſtatuta tua. Quã pauci hodie ſunt, qui ſic Deũ orãt!

VII. A minori ad maius argumentari debemus: vt, ſi oculorum corporis, ſi valetudinis habenda ratio: peccant igitur, qui vt oculis animi non videant, curant, quique ſanitatem animi negligunt. Querimur de morbis corporis: at merito reprehendendi ſumus, quod non queramur de morbis animi. Conqueruntur multi de paupertate externa: at paupertatem internam non agnoſcunt. Numeramus dies & annos, quibus experimur calamitates: at negligimus numerare beneficia, quæ Deus in nos confert quàm cumulatiſſime, & peccata, quibus iram Dei ſingulis momentis prouocamus.

Quoniam vero homines facillimè exaſperantur reprehenſionibus, mitiganda eſt illarum acerbitas. Mitigatur autem quatuor modis.

I. Precatione ad Deum: vt, Det propitius Deus, vt agnoſcamus, nos in illo vel illo grauiter peccare, &c.

II. Proſopopœia, qua Deus, Propheta vel Apoſtolus aliquis introducitur peccata graſſantia reprehendens: vt, ſi Deus nobis loqueretur, vteretur illis verbis, quibus Iſraelitas allocutus eſt, &c.

III. Communicatione, qua interrogamus auditores, annon ipſimet fateri cogantur peccata hæc vel illa inualeſcere? annon fateri cogantur, officium miniſtrorum Dei eſſe, vt illa vel illa peccata publice priuatimque reprehendant.

IV. Occupatione, qua vel reprehenſioni viam ſternamus, vel factam mitigemus, oſtendentes, nos peccata iſta accuſare non inſectandi ſtudio, ſed corrigendi, nullius odio, ſed amore omnium, & ſtudio eripiendi peccantes ab exitio, ad quod tendunt.

Vſus Scripturæ ad inſtitutionem.

Παιδεία, *inſtitutio*, eſt, qua ex loco propoſito deducimus exhortationes ad officia Chriſtiana, & eas accommodamus ad præſens auditorium.

Eius formulæ ſunt: Dictum nobis putemus, fratres, quod dicit Dominus: Nobis loquitur Dominus per Prophetam, vel Apoſtolum: Nunc ergo colite Iehouam, Exuite veterem hominem: Teipſum examina, & diſpice, annon in ſimili peccato hæreas: Det Deus, vt ſic vivamus, &c.

Methodus exhortandi ſic inſtituatur:

I. Aliorum impietas nos debet meliores reddere.

II. Præſens rerum ſtatus conſiderandus: vt nunc peſtis, fames, bellum, vel

vel similes calamitates nos premant. His perspectis, ostendendum, quomodo auditores seipsos hortari & monere debeant ex præsenti textu.

III. Facta aliorum laudabilia suppeditant hortationes ad illa imitanda.

IV. Reprehensiones peccatorum subministrant exhortationem ad studium bonorum operum.

V. Verbis Dauidis vti possumus, & vero debemus in exhortationibus ad preces & gratiarum actiones: vt, Excitet se vnusquisque, & dicat cum Dauide: Benedic anima mea Iehouæ, &c. Qui ex vobis persecutionem patiuntur, ii cum Dauide sic orent: Iehoua, quàm multi sunt hostes mei, &c.

VI. Cum explicatur precatio vel gratiarum actio, subiungi debet exhortatio.

VII. Exempla pœnarum suppeditant exhortationes varias. Hic notes, quatuor ista, διδασκαλίαν. ἔλεγχον, ἐπανόρθωσιν, & παιδείαν vel simpliciter deduci ex aliquo textu, vti modo ostendimus, vel per anagogen, cum ad Christum & Ecclesiam accommodantur typi veteris Testamenti. Exemplum vide *Hebr.* 13. *v.* 10. 11. 12. 13. 14.

Vsus Scripturæ ad consolationem.

Παράκλησις, *consolatio* est, qua Scripturæ locus ad consolationem accommodatur. Accommodatur autem Scriptura ad consolationem commodissime per syllogismum. Nam consolatio est discursus, quo bonum aliquod opponitur malo alicui, vt consideratione illius boni mitigemus aut tollamus dolorem ex malo, quod premit, ortum. Exemplum illustre est *Esai.* 41. *v.* 26. *& seqq.* Capiuntur autem consolationes ex promissionibus diuinæ liberationis, ex illustribus exemplis sanctorum, qui fuerunt afflicti & liberati, & similibus. Hic expedit, sæpissime vsurpare talem apostrophen: Solamini igitur vos, mei charissimi: Dicite cum Dauide, &c. Item: Potest igitur quisq; nostrûm cum Dauide dicere: Iehoua lux mea, & salus mea est, à quo timerem? Dicamus confidenti animo: Dominus est mihi auxiliator: nec timebo, quid faciat mihi homo?

Atque hoc modo ex Scripturarum locis, quos assequimur, multiplicem fructum spirituale̅ decerpere debemus. Nullus enim in S. literis occurrit locus tam sterilis, quin aliquas saltem huius accommodationis species exhibeat. Imo vero in plerisq; locis tanta est optimaru̅ rerum seges, tam diues prouentus, vt omnes illæ partes simul, & nullo propè negotio demetantur. Quicunque igitur in lectione SS. literarum conabitur colligere, hinc quod pertinet ad doctrinam, inde quod ad redargutionem,

præter-

præterea illinc quod ad correctionem, alibi quod ad institutionem conducit: denique qui passim etiam eruet consolationes, & hæc omnia accommodata vel publice toti Ecclesiæ, vel priuatim suæ suorumque conscientiæ: is profecto homo, tam internus, quàm externus, fide, charitate, & spe ritè imbuetur. Nam accommodatio theorica respicit capita fidei, practica officia charitatis: quam methodum Paulus in omnibus fermè suis epistolis obseruauit, in illis priori loco tradens de fide, posteriori de vita sancta.

CAP. CXXIX.

Ordo Studii Theologici.

Exposuimus vt potuimus modum legendi S. Scripturam dianoeticum principalem: nunc paucis exponendus est modus subsidiarius, qui subseruit principali.

Satis copiose persecuti sumus modum illum principalem; quia persuasi sumus, studiosum Theologiæ oportere omnino hanc χειραγωγίαν amplecti, si velit cum fructu vacare huic diuinissimo studio. Postea quam cognouit linguas & eas Philosophiæ partes, quas necessarias esse diximus, percurret hæc præcognita, quæ partim de natura Theologiæ tractant, partim studii rationem explicant: & antequam certos authores certasque Theologiæ partes percurrat, permittere debet hanc isagogen, quam scripsimus de lectione S. Scripturæ. Absque hâc fuerit, sine principiis didicerit, id quod extremæ dementiæ fuerit.

Modus subsidiarius est obseruatio certi ordinis, & constitutio locorum communium.

Obseruatio certi ordinis est, qua opera Theologica sic distribuuntur, vt certo temporis spatio, quod cuiusque temperamento & conditioni accommodatum sit, absoluantur.

Ordo est anima, inquiunt Physiologi, vniuersi. Dixerim ego, omnium rerum naturalium, & artificialium. Icirco nonnulla tradenda nobis sunt de ordine, quem in studio hoc obseruare conducet.

Ordo est tum rerum, quæ discendæ, tum temporis quo discendum.

Ordo duplex in studio Theologico obseruandus.

Ordo rerum discendarum verus & accuratus hic est. [*Vniuersa Theologia corpus diuidatur in septem membra, quæ sunt, Præcognita, Theologia naturalis, Catechesis, Theologia Scholastica, Soterologia seu Theologia casuum, Prophetica, & Acroematica. Prout hæc membra supra libro primo constituimus & finiuimus in antecessum. Tum percurrantur singulæ istæ partes, ita quidem, vt singulæ seorsum absoluantur, non autem vno tempore plures coniungantur. Primò igitur Procognita in manus sumantur; quibus absolutis ad Theologiam naturalem accedatur, & sic consequenter.*]

Ratio huius præceptionis est manifesta. Cùm enim hominis ingenium facilè obruatur rerum varietate, sic illi prouidendum est, vt rem eandem solidius cognoscat, eaque cognita ad alias accedat. Occurritur hic à quibusdam, hunc modum esse perniciosum. Fieri enim aiunt hac ratione,

vt dediscamus illa, quæ semel impressimus menti. Sed inanis est ille metus. Nam oportet peculiare tempus dicare repetitioni illorum, quæ semel impressimus. e.gr. si versemur in Theologia naturali, necesse habemus subinde repetere quæ didicimus in Præcognitis, vt iam dicetur.

Ordo temporis est, quo dispescimus tempus in certos articulos.

Tempus illud nobis est quadruplex, deuotionis, lectionis, exercitationis, & repetitionis.

Tempus deuotionis vocamus, quo Deum precamur, & legimus Biblia horis matutinis & vespertinis.

Tempus lectionis est, quo legimus authores, qui conscripserunt illas Theologiæ partes, in quibus versamur.

Tempus exercitationis est, quod tribuere oportet exercitiis priuatis & publicis.

Tempus repetitionis est, quo repetimus illa, quæ didicimus.

Horum temporum obseruationem relinquimus cuiusque studiosi arbitrio. Sunt enim hæc singularia. Sed ita relinquimus, vt nihilominus iubeamus illum perpendere hos canones.

I. [*Aureum Pallados frenum, quo ingenium nostrum more Pegasi volaticum cohiberi debet, est typus horarius.*] Typum horarium hic nominamus dispositionem, vt ita dicamus, diei in certa interualla. Non volumus, vt singulis horis singulæ lectiones & meditationes tribuantur. Sed hoc volumus, diem in quatuor illos articulos dispescendum esse, de quibus modo diximus.

II. [*Repetitio non solùm erit diurna, sed etiam hebdomadaria, menstrua, bimestris, &c.*] Nam nihil vtilius vnquam præcipi potest hac ista repetitione, vt experientur, qui huius rei periculum facient.

CAP. CXXX.

Ratio locorum communium Theologicorum.

Constitutio locorum communium est, qua referuntur in certa volumina ea, quæ sunt insigniora apud Theologos.

Tanta est horum locorum necessitas, vt omnino nobis persuasum sit, vix vllum ingenium, quantumlibet excitatum, sine illorum adornatione posse aliquid solidi præstare in illa facultate, quam ad dies vitæ profiteri stat sententia. Cùm enim memoria vel angustior sit, quam vt possit obuia quæque capere & retinere, vel innumeris casibus, vt puta morbis & curis, sit obnoxia, via ineunda est, qua possimus sic seruare, quæ semel legimus, vt in casu necessitatis, vti vulgo loquimur, inde depromam⁹, quæ nobis necessaria sunt tali, vel tali tempore. Nulla autem via hic inueniri potest alia, nisi hæc, vt locos communes adornemus, qui sunt veluti memoria

 moria

moria subsidiaria & repræsentatitia. Quonam illos modo in Theologicis adornare conueniat, nunc indicandum est.

Loci cõmunes Theologici quomodo adornãdi.

Locorum communium Theologicorum oportet considerare fabricam, & impletionem. Nam de vsu illorum iam diximus.

Fabrica est, qua locorum istorum partes constituuntur.

Partes locorum communium Theologicorum, sunt vel maiores, vel minores.

Partes maiores, sunt ipsa volumina; quæ volumus esse septem in hoc studio, ita vt peculiari volumine disponantur præcognita, peculiari Theologia naturalis, Catechetica, &c. Hoc præceptum facile hoc in loco est palmarium. Nam si in vnum volumen ῥαψῳδῶς omnia congerantur, magna confusio existat necessum est. Erunt autem illa volumina maiora vel minora, prout partes Theologiæ, quas continent, sunt copiosiores, vel minus copiosæ. Sic maius erit volumen pro Theologia Scholastica quam pro Catechetica.

Partes minores sunt, tituli & subtituli.

Principio itaque constituantur certi loci cuiusque voluminis, vt loci præcognitorum, Theologiæ naturalis, &c. Loci subdiuidantur in certos titulos, & hi in suos subtitulos. Id qui fieri debeat in singulis Theologiæ partibus, nos Deo volente docebimus in singularum tractatione. Solum hic adnotamus discrimen inter locos communes Præcognitorum Theologicorum, & sequentia volumina. In Præcognitis volumus obseruari modum locorum communium contractiorem, quo accipimus librum excusum Præcognitorum, vt hunc ipsum, & interserimus chartas puras, plures quidem ad illas materias, quæ sunt insigniores, & si quid apud bonos authores occurrat, referimus ad sedem conuenientem. In reliquis autem voluminibus modus locorum communium plenior obseruandus est, quo peculiares chartas destinamus singulis, sed ita, vt eam locorum & titulorum methodum seruemus, quam in methodico alicuius authorthoris syntagmate obseruatam legimus. Hic nimis quam multi falluntur, qui nescio qua inducti ratione, locos & titulos disponunt iuxta seriem alphabeti, vel alium ordinem non methodicum. Neque enim omnis ordo est methodicus.

Impletio locorum communium non vno eodemque tempore suscipienda. Non enim est vnius anni labor, implere locos communes. Per totam prope dixerim vitam hic iste labor durare debet. Nam quoties aliquid legimus vel audimus, quod insigne iudicamus, locos nostros illo ditare debemus. Quot vero paginæ pro singulis titulis & subtitulis relinquendæ sint, ad singulas Theologiæ partes Deo propitio monstrabimus plenissimè.

CAP.

CAP. CXXXI.

Pædia Theologica specialis.

HVcusque exposita est pædia Theologica generalis: sequitur specialis, quæ respicit singulas Theologiæ partes; quanam scil. ratione in studio Theologiæ Naturalis, Cathecheticæ, &c. sit procedendum, qui authores legendi, quomodoque loci communes adornandi sint. Sed hæc tractatio multo cōmodius singularum partium tractationi præmittetur. Nam ita fiet, vt cogitationes desigantur in certam materiam, & perfectior locorum communium dispositio monstrari possit. Quare hoc loco nihil præcipiemus de illa pædia speciali: Quod nostrum factum, spero, probabunt ii, qui studiosi sunt methodi.

CAP. CXXXII.

Declamatio Theologica.

CVra artis sic est: cura exercitationis nunc exponenda.

Diximus in primo limine huius libri secundi, in studio Theologico tria esse spectanda, Scopum, Metam, & Media. Media fecimus diuina & humana; & hæc quidem numero duo, videl. Naturam & Curam. Curam subdiuisimus in eam, quæ est Artis, & Exercitationis. Quare cum omnia ista sint exposita præter Exercitationem, de illa nunc dicendum restat. Vbi illud monemus, Naturam & Artem sine Exercitatione nihil, vel certè parum prodesse.

Exercitatio Theologica, est qua illa quæ didicimus conuertimus ad nostri & aliorum ædificationem.

Estque tum Scholastica, tum Ecclesiastica.

Exercitatio Scholastica, est quæ in collegiis seu cœtibus Scholarum debet habere locum.

Estq; tum declamatio, tum disputatio Theologica.

Declamatio Theologica haberi debet in lingua Latina & vernacula, tum publicè in corona multorum, tum in collegio priuato concionantium. Deligenda autem sunt varia themata secundùm tria causarum genera, & ea tractanda populariter, assumtis ornamentis Rhetoricis, quorum formulas è Patribus & Germanicis scriptoribus petere debent studiosi Theologiæ, sicut pluribus dicetur in *prophetica* ad partem illam, quæ est de Rhetorica Ecclesiastica.

CAP. CXXXIII.

Disputatio Theologica.

DIsputatio Theologica est vel publica, vel priuata.

Vtraque vtilitatis plurimum habet, dummodo instituatur secun-

dùm leges, quæ disputatoribus præscribi solent: qua de re dicemus ad Theologiam Scholasticam, vbi modum tractandi controuersias Theologicas diffuse persequemur. Hoc loco velim ista monita præcognosci.

Leges disputationis Theologicæ.

I. De rebus Theologicis non oportet topicè, hoc est, probabiliter & in vtramque partem disputare, sed ἐπιστημονικῶς & apodicticè. Nam omnino in salutis negotio oportet auditorem ἀμετακίνητον τεθῆναι.

II. Curiositas omnis absit. Simus igitur memores illius, quod Augustinus scripsit: *Nihil opus est, vt ea cum discrimine definiantur, quæ sine discrimine nesciuntur.* Et illius, quod Ambrosius habet: *Quæ Deus manifesta esse voluit, non sunt neganda; quæ occulta esse voluit, non sunt scrutanda, ne & in illis damnabiliter ingrati, & in his illicitè curiosi inueniamur.*

III. Disputetur Logicè. Pestis est disputationum, si quis Rhetoricetur & peroret potius quàm soluat argumenta. Aliquoties diximus, duo esse tractationū Theologicarum genera, vnum prolixum, alterum pressum. Veritas presso illo genere facillimè eruitur. Hoc enim ad docendū est comparatum. Altero genere in homiliis vtendum, vbi quæritur motus & delectatio. Syllogistica igitur, tanquam euerriculum sophismatum, in disputationibus habeat locum principem. Rectè Tertullianus dixit, *Certa esse in paucis.* Et Pindarus: *In bona causa tria verba sufficiunt.*

IV. De rebus diuinis disputetur sanctè, in timore Dei, & cum reuerentia, non quasi in hominum theatro, sed vt coram Deo & sanctis Angelis, adeoque in medio totius Ecclesiæ consessu. Hoc enim in certamine verbum Dei est stadium, Deus βραβευτὴς & agonotheta, veritas βραβεῖον, corona salus animarum. Atque eo alacriori animo certamē hoc subeamus, quod hic non idem accidit, quod in aliis certaminibus, vbi solus victor coronatur. Nam & in sacro hoc conflictu etiam is qui vincitur, modo se victum agnoscat, coronatur simul cum victore. Præstat certe, vt Augustinus præclarè quodam in loco, vinci à vero, quàm velle verum ipsum per falsa vincere. Quæ cum ita sint; à disputationibus Theologicis absint maledicta & conuitia, mendacia, logomachiæ, inanes verborum phaleræ, & voces thrasonicæ atque stentoriæ, quibus se vicisse quidam malè feriati gloriantur.

V. Rationes petitæ è lumine naturæ admittantur, sed ita vt ne fiat μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Admittantur, inquam, quando quæstiones sunt mixtæ. Quando autem sunt purè Theologicæ, sola scriptura audienda, sed ita vt si forte absurditas quædam videatur rationi nostræ, concordia inter librum naturæ & scripturæ ostendatur; quippe cum gratia non sit cōtra naturam, sed solum supra illam.

VI. Adferantur argumenta cogentia siue vrgentia. Nam siquis adducat argumenta infirma, diuinitatem religionis prostituet. Hic peccant illi vehe-

vehementer, qui de numero rationum ſoliciti ſunt, de pondere illorum parum cogitant.

VII. Collegium Gellianum, vt vocant, ad diſputationes Theologicas priuatim inſtituendas multum iuuat. Si nimirum plures ſtudioſi cõueniant, & ſinguli ſingulos euoluant authores de vna eademq; materia, & tum ἀϕθόνως in commune conferant quæ obſeruarunt inſigniora.

CAP. CXXXIV.

Exercitatio Eccleſiaſtica.

Exercitatio Eccleſiaſtica, eſt qua ſtudioſus Theologiæ ex vmbraculis Scholæ prodit in lucem Eccleſiæ.

Hoc volumus iſto præcepto, ſtudioſum Theologiæ oportere interdũ periculum facere ſui profectus coram Eccleſia Dei, præſentibus paſtoribus in hac palæſtra exercitatis. Peccatur autem hic enormiter ab iis, qui pullos, vt ita dicam, ex ouo vix dum excluſos plumis peregrinis ornatos in aſpectum Eccleſiæ producunt; & ſic auguſtam ſacri miniſterii dignitatem imminuunt. Illos producendos eſſe ſtatuimus, qui curſum ſtudii Theologici abſoluerunt. Hi cum fructu, ſiue ipſos ſpectes, ſiue auditores, docere poſſunt in panegyri Eccleſiaſtica.

Peroratio ſecundi Libri Præcognitorum Theologicorum.

Hactenus igitur ediſſeruimus rationem ſtudii Theologici, ſi prolixius forte, attamen fructuoſius vt ſperamus, quam ſi obiter & nimis breuiter ea perſtrinxiſſemus, ſine quibus ſex illa cororis Theologici membra, quæ deinceps cum Deo Patre illo miſericordiarum diffuſe pertractabimus, explicari ſolide non poſſunt. Ideam Theologi reſpeximus, vt in Politicis formamus ideam Reip. vel boni principis. Huius ideæ finis non eſt inanis & Platonica ſpeculatio, ſed humiliatio & excitatio. *Humiliatio*; vt agnoſcamus quam multa nobis, qui Theologiæ ſtudio nos dedimus, deſint. *Excitatio*; vt eo diligentius incubamus in illud ſtudium, quod implicatum videmus tot difficultatibus. Caput autem rei in hoc ſtudio nobis eſt lectio ſacrarum literarum, quæ quomodo legendæ ſint cum vero pietatis affectu, & in eadem profectu præcognoſcendum eſt iis, qui ſummo Theologo, qui eſt IESVS CHRISTVS, conformes in hac vita fieri cupiunt. Hunc oramus, vt inter nos lumẽ verbi ſui accenſum cõſeruare, & ad poſteros trãſmittere velit, vt ita Theologia reuelationis in hac vita nobis ſit via & manuductio ad Theologiam viſionis in altera vita, in ſchola illa Gloriæ, vbi Deus nos docebit myſteria, quæ in hac ſchola Gratiæ per tranſennam velut adſpicimus; vbi ſanctos Angelos, & innumeros beatos homines habebimus συνθεολόγους, & collegas ſuauiſſimos; vbi illud τρισάγιον

 ſine

Esa.6. sine intermissione cantabimus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Iehoua exercituum.* Et hymnum illum: *Dignus est Agnus ille mactatus, qui accipiat virtutem, & di-*
Apoc.5. *uitias, & sapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Sessori throni & Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum, Amen.*


Gratias tibi Iesu Christe.

Finis Præcognitorum Theologicorum.





TYPVS

TYPVS LIBRI SECVNDI PRÆCOGnitorum Theologicorum.



Genere


Genere. c.94.
Speciè; vbi partes interpretationis
Indicatio sensus; cuius
Inuentio, spectata
Communiter, quoad
Normam. c. 95.
Impedimenta. c. 96.
Media.
Ante lectionem. c. 97.
In lectione, eaque
Post lectionē. c. 111
Generalia. cap. 98.
Specialia, quæ sunt
Simul ratione rerum & verborum. c. 99.
Seorsim; ratione
Verborum
Simplicium à cap. 100. ad 104.
Coniunctorum à c. 104. ad 107.
Rerum, vbi
Analogia Theologica. ca. 107.
Consideratio circumstantiarum c. 108.
Collatio locorum. c. 109.
Singulariter ratione certorum librorum; quorum
Editio authentica. c. 112.
Translatio. c. 113.
Character
Externus
Geographistoricus vbi
Topographia Biblica. c. 114.
Politica populi Iudaici. c. 115.
Chronographistoricus; vbi Chronographistoria sacra. cap. 116.
Symbioticus. c. 117.
Internus qui est librorum
Canonicorum; Testamenti
Veteris, librorum
Historicorum
Pentateuchi c. 118.
Triteuchi c. 119.
Octateuchi c. 120.
Poeticorum. c. 121.
Propheticorum. c. 122.
Noui; librorum
Historicor. c. 123.
Epistolicorum. c. 124.
Prophetic. c. 125.
Apocryphorum. c. 126.
Enarratio. c. 127.
Accommodatio ad vsum. c. 128



SYLLABVS MATERIAS QVASVIS LIBRI PROLEGOMENVM THEOLOGICORVM SECVNDI VBERTIM TANQVAM SVB SATYRA complectens.

A.

B.

D.

E.

Esse

F.

I.

Inſi

K.

Kpωr?

M.

Manas.

Noa-

T.

FINIS.

